G.

PL

Vin

Lothari
Auſtri
de.

à JO
inſcri

Ex Typo

GENEALOGIÆ FRANCICÆ PLENIOR ASSERTIO.

Vindiciarum Hiſpanicarum, Novorum Luminum, Lampadum Hiſtoricarum

Et Commentorum Libellis,

Lotharingia Maſculina, Alſatia vindicata, Stemma Auſtriacum, de pace cum Francis ineunda Conſilium, de Ampulla Remenſi diſquiſitio, & Tenneurius expenſus,

à JOANNE JACOBO CHIFFLETIO

inſcriptis, ab eoque in Francici nominis injuriam editis, inſperſorum, omnimoda everſio.

Auctore

DAVIDE BLONDELLO.

TOMVS PRIMVS.



AMSTELÆDAMI,
Ex Typographejo JOANNIS BLAEU.
Anno M D C LIV.
Cum Chriſtianiſſimi Regis Privilegio.

335

LUDOVICO XIV, FRANCORUM ET NAVARRÆ REGI CHRISTIANISSIMO.

NObiliſſime Regum, Domine Auguſtiſſime.

Audaciſſimum, ſed ſupra omnem fidem infelicem regnatricis Familiæ tuæ, quam ab anno Domini DCCC LXXXVIII *honoratiſſimi inter Europæos Diadematis gloria redimivit; Regni ante annos* MCCL *feliciter fundati, ad cujus nunc clavum puerum egreſſus incredibili cum populorum gratulatione ſedes; Mo-*

ris, quem ab annis MCC *religioſe patria gens ſervavit; æternumque (Deo dante) ſervatura eſt, ſummæ denique tuæ in eorum, qui nunc Chriſtianis imperant, Auguſtô Collegiô, dignitatis criminatorem, & pervicaciſſimum oppugnatorem, ad Chriſtianiſſimæ tuæ Majeſtatis pedes, exarmatum, & adamantinis veri vinculis adſtrictum ſiſto; non ut Regiæ tuæ indignationis fulmine afflatus merita inſolentiſſimi auſûs ſupplicia expendat; ſed ut ad Ortus tui Sole puriores & micantiores radios, quos ante compreſſis oculis præfracte repulerat, perpetuâ nocte dignus lucifuga obſtupeſcat, & exhibita in te fabuloſæ antiquitatis miracula vel ingratiis ſuis fateatur. Thebas Bœoticas, quô Alcides tempore conceptus eſt, geminatæ noctis portentoſâ caligine circumfuſas naturamque ipſam inſolito niſu laboraſſe finxerat Græcia, ut*

quan-

quantæ molis eſſet monſtrorum domitorem & malorum averruncum genuiſſe poſteri facilius crederent; Non per binoctium, ſed per, immo ultra geminas annorum decadas, in quodam anxiæ ſolicitudinis obſcurô, dum fœcundari Sereniſſimæ tuæ Genitricis uterum ſitientius optat, pependêre Galliæ tuæ ſpes, quas continuâ (ut ſic dicam) parturitione, cum naturâ ipſâ laborans, ultra modum differri, ac gaudia ſua tamdiu (fruſtratis de conceptu tuô deſideriis) morari querebatur. Imminebant glorioſa Divi Patris tricennalia; fatiſcebant diutinâ expectatione cruciata populorum ſubditorum corda; horrebat circumfrementis Martis procelloſo fragore attonitus armati Regni limes; veniſti tandem, ſera, ſed maxima & optatiſſima tuorum univerſorum Voluptas; totque ac tantorum Regum nepos, in avita purpura genitus, in antiquam, ſed hæreditariô

 jure,

jure, tuam Regiam novum, genti tuæ ſalutare, cæteris gratiſſimum Sidus intuliſti, quod inter lætas laurearum palmarumque undique circumpoſitarum umbras, Cœlo delapſum Iubar oſtentaret & proſpera ac glorioſa omnia in futurum ſponderet. In felici natali tuô invictus ſemper, ac Triumphator Parens ſibi revixiſſe viſus eſt; cumque eum continuis pro republica curis ante annos exhauſtum fluxa hæc vita deſtituit, phœnicis inſtar in te & transfuſus eſt, & vivere ac vincere cœpit; quodque de Hercule puerô comminiſci veteribus placuerat, in te fidem invenit, Infantis ætas monſtra ſuperavit prius, quam noſſe poſſet, *ſimulac heroïcis cunis tuis Iberi Dracones advolvi auſi, Rupem tuam Regiam eidem illidendi ſpiris immanibus circumplexi ſunt*, contra obvius reptaſti tumida tenerâ guttura elidens manu; *exinde*

ad

ad Moſellam, Rhenum, Danubium, Nicrum, Legiam, Duſſelam, Oceanum Flandricum per propinquos fulminare Puſio magnus non deſtitiſti. Iam Te majorem profeſſum, nobilis pro Galliâ tuâ labor reſpicit, quem ut Majoribus auſpiciis aggrediare, Atavos vindicatos omnes Cœlicolas omnes ſupera alta tenentes, *quorum comparatione æmuli tui omnes cum vix alio ullo quam mutuatitio tantorum Heroüm lumine clari criſtas attollant, cætera humiles ſerpant, gratulabunda mente conſpice, in verum ac certum generis tui fontem, annoſa nobilitate & perpetuis in Republica & Eccleſia meritis ante annos mille Illuſtriſſimum & Merovingis Regibus chariſſimum Caput, Arnulſum ex eoque natos* Martellos, Magnos, Auguſtos, Sapientes, Pios, Sanctos, Maccabæos, populi Patres *oculos venera-*

nerabundos conjice, eorum domeſticis exemplis provocatus, & hæreditariâ gloriâ circumfulgens, roſeo adoleſcentiæ flore, & ſpecie imperio dignâ, amabile caput inter nubila conde; *totaque terrâ major, Deo Optimo Maximo, cujus unius in Te imperium eſt, æternam ſervitutem vove, quò altius adorandâ ejus manu ſupra cæteros mortales evectus es, eò promptius ad Sanctiſſimæ, cui Temet, tuaque omnia debes, & cujus ſolâ gratiâ Rex es, Majeſtatis ſuppedaneum oſtri Tui, quantum quantum eſt, Decus dejice, qui ſupra leges tuas (ipſe* Lex animata *ex officio futurus) emines, ex legis, quam tibi cum cæteris tibi commiſſis mortalibus ex æquô dedit, normâ vive &*
[1] Iob 7. 20. *regna: tanti Soſpitatoris, qui* [1] hominum
[2] 1 Tim. 4. 10. Cuſtos & [2] Servator, *dici gaudet, ſpirantem Imaginem, in omnes beneficus, repræſenta; nullos, niſi malos, quique Te* ſolô

Deo

Deo minorem [1], *vel negent, vel nolint,* [1] Tertull. ad Scap.
exoſus, populos qui te ſuis votis genuerunt, gratamque tua cauſa & ſuavem Cœlô ad preces ſurdeſcere viſo, & naturæ ſegnitie quadam torpenti, vim pio quodam impetu certatim intulerunt, paternô ſinu fove; omnes & ſingulos à vi tam interna, quam externa defende, & ſummo in terras bono, pace, quamprimum cœlitus dabitur, bea, quô ferrea primum deſinat, ac toto ſurgat gens aurea mundo. Aſpice convexô nutantem pondere mundum, terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundum: aſpice, venturo lætentur ut omnia ſeclo. [2] Rex [2] 1 Tim. 6.15.
ipſe Regum (*cujus vel hoc nomine, quod in poteſtate es, miniſterio fungeris*) *tibi* vitam [3] prolixam, Imperium ſecurum, [3] Apol. c.29.
domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum,

orbem quietum, quæcunque hominis & *regnantis* vota ſunt, *propitius largiatur, ſanctiſque hiſce pro ejus uncto, Patriæ patre, & Patriâ ſuppliciis, quandocunque cœlitus nutum dabit, immoriatur.*

CHRISTIANISSIMÆ

MAIESTATIS TVÆ

Devotiſſimus cultor, fideliſſimus ſubditus,
humillimus & obſequentiſſimus ſervus

DAVID BLONDELLVS.

PRÆ-

PRÆFATIONIS APOLOGETICÆ SVMMA.

I. *Admiſſorum in Chriſtianiſſimos Reges exempla.* ** fol. 1 a.

IN Carolum VIII, Ludovicum XII & Navarros fœderatos. *fol.* 1 *a*, *b*. Henricum IV, *ibidem.* & *fol.* 3, *a*. Ludovicum XIII, *fol.* 4 *a*, &*c*. Caſſanus & Arroyus vere eum inter Caroli Magni nepotes principe loco eſſe ſcripſerunt. ****fol.* 2. *a*, *b*. Caroli Magni ex aſſe hæredem, ut falsò, ſic intempeſtivè pronuntiaverunt. *ibid.* Cornelii Ianſenii *Martem Gallicum* una litura anno 1648 induxere Hiſpani. *ibidem.*

II. *Ludovici* XII *bona fides.* *** fol. 3. a.

Carolum V. non deluſit, *ibidem.* ei Philippus I moriens, Carolum filium commendavit, *ibidem.* Carolini cum Claudia conjugium, Philippus pater, Ferdinandus & Maximilianus avi, Franciæ Ordines impediverunt, *ibidem. b.*

III. *Franciſci* I *bona fides.* fol. 4, &c.

Per Carolum V ſtetit, ne Renatam deſponſatam duceret. *fol.* 4. *a*. Ludovicæ cum Carolo matrimonium mors impedivit. *fol.* 4. *b*. Franciſcus belli adverſus Carolum cauſas non quæſivit. *****fol.* 1. *a*. Robertum Marcanum nec illexit, nec à fide Carolo data abduxit. *ibidem.* Robertus à Carolo injuria affectus, bellum ei denuntiavit. *ibidem.* Rex Marcanum à bello deterruit. *fol.* 2. *a*. Nimia ſibi & Marcano ſecuritate nocuit. *fol.* 2. *b*. Ei Carolus nulla injuria laceſſitus, bellum intulit. *ibid.* A pacis conſiliis non deſtitit. *fol.* 2. *b*. Auro redempta Electorum à Carolo ſuffragia. *ibidem.* Calamitas nec Franciſco nec Carolo per ſe probroſa fuit. *fol.* 3. *a*. Franciſci in adverſis fortitudo. *ibid.* Pacta Madritenſia Franco illicita & impoſſibilia fuerunt. *ibidem.* Anglus Franciſco iniquus. *fol.* 3. *b*. Valencenenſi pacto prior refragatus eſt Carolus. *fol.* 4. *a*. Nec Pariſienſe, nec Noviodunenſe pactum Franciſcus fregit. *ibidem.* Obſides ſibi dari jure Franciſcus petiit. *fol.* 4. *b*. De Navarræ reſtitutione in Noviodunenſi Conventu pactum, Carolus irritum fecit. V * *fol.* 1. *a*. Prior arma non movit Franciſcus. *fol.* 1. *b*. Quæ Carolus poſcebat, præſtitu impoſſibilia eſſe, Franciſcus conſtanter proteſtatus eſt: Idem ſensêre Franci, ſuffragante Anglo. *ibidem.* Durè à Carolo habitus Franciſcus. *fol.* 2. *a*. Duritiem improbavere Prorex Neapolitanus & Magnus Cancellarius. *ibidem.* Durius etiam cum captivi germana actum. *ibidem.* De duritie poſt pactorum Madritenſium ſubſcriptionem, nihil remiſſum. *ibidem.* Franci univerſi pacta illa pro irritis habuerunt. *fol.* 3. *a*. Vi ea extorta à Franciſco. *ibidem.* Non tantum dura, ſed illicita etiam Franciſco, quæ iis exigebantur, fuerunt. *fol.* 3. *b*. Anglus, Papa, Veneti Franciſcum pactis iniquis non teneri, crediderunt. *fol.* 4. *b*. Ab iniquis Carolum conſiliis dehortatus eſt Vxamenſis Epiſcopus. *ibidem.* Eidem etiam animosè obſtitit Magnus Cancellarius. VI * *fol.* 1. *a*. Chriſtiani orbis, Hiſpanorumque ipſorum de pactis Madritenſibus judicium. *fol.* 2. *a*. A Franciſco ut in captivitatem rediret, exigere fas non fuit. *fol.* 2. *b*. Reprehendenda in Franciſco varia. *fol.* 3. *a*. Caroli delictis leviora. *ibidem.* Pacti Cameracenſis violati Franciſcus reus non fuit. *fol.* 3. *b*. Smalcaldico fœdere nunquam comprehenſus eſt. VII * *fol.* 2 *a*. Nicææ pactarum induciarum violatio, in Vaſti Marchionem, Carolumque ipſum, tota refundenda eſt. *fol.* 2. *b*. Franciſco cum Turca fœdus inire licuit. VIII * *fol.* 3. *b*. Si quid hac in parte peccavit, Hiſpanorum Caroli atavorum exemplo deliquit. *ibidem.* Fœdus Turcicum Carolus & Ferdinandus ambierunt. *fol.* 4. *a*. Franciſcus in fide uſque ad mortem conſtans, ſolitum animi vigorem retinuit. Zypeanæ calumniæ editis ante annos 100 ſcriptis, refelluntur. IX * *fol.* 1. *b*. *fol.* 2. *a*. Initum à Franciſco cum Turcis fœdus, Germaniæ profuiſſe Carolus non negavit. X * *fol.* 3. *b*.

IV. *Henrici* II *bona fides.*

Parmenſi non ad rebellionem, ſed ad inculpatam tutelam auxiliatus eſt. X * *fol.* 4. *b*. Octavio poſt Pauli III mortem à Cardinalium Collegio, & Iulio III Parma reſtituta, & præſidio munita fuit. Idem paulo poſt à Iulio ſua curare juſſus, Henrici affinis patrocinium imploravit. A Iulii cultu nunquam deſtitit. *ibidem.* Carolo cui ſubditus non erat, rebellis dici

non potuit. XI * *fol.* 1. *a.* Ex Caroli miniſtrorum hypotheſi protegi ab Henrico ſalva fide potuit. *ibidem.* Tripolis nec Mauritaniæ eſt, nec à Draguto proprie expugnata dici debuit; nec Francis ejus expugnatio tribui poteſt. *fol.* 2. *a.* Belgicas naves intercipiens, illatam injuriam propulſavit. *fol.* 2. *b.* Vogelsbergii ſupplicio, Burani clandeſtinis in Anglia molitionibus, Chriſtianæ Danicæ *fellonia*, Santandreano & Villabonio ſtructis inſidiis, Legati incarceratione & Marillaco intentatis minis læſus. *fol.* 3. *a, b.* Cum Papa Columniorum ſubditorum, Caroli ob regnum Neapolitanum Vaſalli patrocinio fultorum, rebellionem caſtigaturo, fœdus inire eidem licuit. XII * *fol.* 1. *a.* Ex utrimque geſtorum ordine, eum ad arma priorem non cucurriſſe, apparet. *ibidem.*

V. *Franciſci* II, *Caroli* IX, *Henrici* III *bona fides.*

Obſervanda in Zypæo plura.

VI. *Henrici* IV *bona fides.*

De Henrico & regno ante pacem Vervinianam fœderati Belgii Ordines bene mereri nunquam deſierunt. XII * *fol.* 3. *a.* Paria rependit Henricus, ad pacem inclinans. *fol.* 3. *b.* in Vervinienſis pacis conditiones nunquam impegit. *ibidem, &c.* Impegêre Hiſpani. *fol.* 4. *b.* Edicto vetiti Franci ad Ordines militiæ cauſa transfugere. XIII * *fol.* 1. *a.* Hiſpanica adverſus pacem molimina notantur. *fol.* 2. *a.* Zypæi calumnias ille ipſe, quem laudat, Oſſatus Cardinalis refellit. *fol.* 2. *b.* Gentium jus ab Hiſpanis ſub Regis ſui oculis violatum. *fol.* 3. *a.* Violati Rex armata manu pœnas repoſcere potuit. *fol.* 4. *a.* Hiſpanis nulla religionis, quam obtendebant, Oſſato teſte, cura fuit. *fol.* 4. *b.* Hiſpanorum rogatu Henricus Ordines ad inducias pangendas impulit. XIV * *fol.* 1. *a.* Ea occaſione fœdus anno 1608 renovavit. *ibidem.* Sibimet Hiſpani Henricum accuſántes contradicunt *fol.* 2. *a.* expeditio, quam poſtremam paravit Rex Magnus, juſtiſſima ex Vervinenſium pactorum præſcripto fuit. *fol.* 2. *a. fol.* 3. *a.*

VII. *Ludovici* XIII *bona fides.*

Zypæus actione ſua ſecum pugnat. XIV * *fol.* 4. *a.* Ludovicus pactis Vervinenſibus ſemper inſtitit. *fol.* 4. *b.* Caroli V ad Cardinales epiſtolam acta ejuſdem refellunt. *ibidem.* occupata à Carolo V & poſteris. XV * *fol.* 1. *a.* de Monarchia univerſali fundanda, ipſe & poſteri ſerio cogitarunt. *fol.* 1. *b.* Qua conditione Imperatores pace Vervinenſi comprehenſi ſint. *fol.* 2. *b.* Ea ab Hiſpanis in cauſa Palatina, & Rhætica violata eſt. *ibidem.* diverſæ Religionis prætextus in Rhætorum perniciem obtendi non debuit. *ibidem.* In Mantuana cauſa par Hiſpanorum delictum fuit. *fol.* 3. *a.* & in Trevirenſi. *ibidem.* Nihil adverſus Imperatorem egit Trevirenſis, ſibi ſuiſque conſulens. *fol.* 3. *b.* Ab Imperatore de eo armis ſubigendo mandata Hiſpanum ſuſcipere, nefas fuit. *ibidem.* Francorum præſidium nec à Trevirenſibus nec ab aliis hoſtile cenſeri debuit. *ibidem.* Burgundos Iuranos Franci priores non impetierunt. *fol.* 4. *b.* A Catalaunis advocati ſunt. *ibidem.* Portugalenſes jure ſuſceperunt. *ibidem.* A levioribus Zypæi criminationibus defenduntur. XVI * *fol.* 1. *a.* Aragonibus ab anno 1245 in Provincia nihil juris fuit. *fol.* 2. *a. b.* Mediolanum Franciſco I injuria extortum. *fol.* 2. *b.*

VIII. *Exterorum de adverſariis luculenta teſtimonia. Totius cauſæ Navarrenæ ſtatus.*

Ioannes Labretanus Rex, à Iulio II Papa, nec excommunicatus eſt, nec exauctoratus. XVII * *fol.* 4. *a.* variè mentem texit Carolus V. XVIII * *fol.* 2. *a.* modeſtiæ adverſarii monentur. *fol.* 2. *b.*

IX. *Librorum à Ioanne Iacobo Chiffletio adverſus Francos editorum ſeries & meritum.*

Syllogen tractatuum pacis univerſorum pollicitus, priores mala fide omiſit. XVIII * *fol.* 4. *a.* Ne Hiſpanos Francicam Majeſtatem coluiſſe, & promiſſis de reſtituenda Navarra non ſtetiſſe, appareret. *ibidem.* A Madritenſi iniqua vi extorto, invidioſe initium duxit. *ibidem.* Cameracenſem anni 1559, & Vervinenſem anni 1598, ſciens prudens corrupit. *ibidem.* Univerſorum editionem, non emaculatiorem, ſed mendis ſcatentem procuravit. *fol.* 4. *b.* *Vindiciarum Hiſpanicarum* ſcribendarum, quam occaſionem arripuerit. XIX * *fol.* 1. *a.* De examinandis, ex illarum præſcripto Regum controverſiis ne cogitarunt, qui Monaſterii convenere. *fol.* 1. *b.* Earum refutationem Marcus Antonius Dominicus aggredi, & Petro Puteano recenſendam offerre juſſus eſt, qui in Blondellum curam iſtam transfuſam voluit. *ibidem.* eorum, quæ

quæ in *Aſſertore* à ſe elucubrato deſiderabantur, monitus Dominicus, ejus editionem additamentis nec Puteano, nec Blondello viſis auctam moræ omnis impatiens urſit, refuſo in Blondelli humeros, eorum, quæ intacta reliquerat, trutinandorum onere. *fol.* 2. b. Dominici *Aſſertorem Novis* ſuis *luminibus* tanto cum contemptu excepit Chiffletius, ut *lætum Pæana* Regi ſuo canere, & *væ victis* inclamare non dubitaret; quæ voluit & quomodo voluit, pro more feſtinans, repoſuit Dominicus & *Hiſtoricas* Chiffletii *Lampadas*, paulo poſt è ſeculo migraturus elicuit. *fol.* 3. *a.* elaborati adverſus Chiffletii *Vindicias, Lumina, Lampadas.* operis ſumma. *fol.* 3. *b.* &c. Ei dum libere, ſed pro merito notatus eſt, convitium facere animus nunquam fuit. *fol.* 4. *a. b.*

X. *Lotharingia maſculina*, 1648 edita.

Occaſio libelli Chiffletiani. XIX * *fol.* 4. *b.* Alienis à propoſito exemplis utitur. *ibidem.* Choppino & Meyero errantibus ſe committit. *ibidem.* Inique Gothofredum carpit. XX * *fol.* 1 *a.* Alia anno 1034, quam poſtea fuit, & nunc eſt, Lotharingici Ducatus conditio. *ibidem.* Exemplis anni 1260. *ibidem.* 1306, & 1425 probatur. *fol.* 1. *b.* & actis 1385, 1430, 1434, 1440, 1473, 1474, 1479, 1480, 1489. *ibidem.* Renati II teſtamentum 1506 conditum, ob ditiones Francicas regia confirmatione indiguit. *fol.* 2. *a.* Id ratum non fuiſſe evincitur ex actis anni 1540. Fruſtra proteſtante Claudio Guiſiæ Duce. *ibidem.* Tranſactio inter Franciſcum & Nicolaum germanos anno 1545 ſcripta, à propoſito aliena eſt. *ibidem.* Probatur rurſus ex actis anni 1567, 1577, 1621. *ibidem.* Franciſcus abavi teſtamentum, cui ipſemet ante quinquennium derogaverat, proferre non potuit. *ibidem.* Chiffletii, teſtamentum illud Latine reddentis, errata notantur. *ibidem.* Mutatam Lotharingici Ducatus conditionem Chiffletius ipſemet agnoſcit. *fol.* 2. *b.* Brabantia, Hannonia, Namurcum, Luxemburgum, Hollandia à lancea ad colum tranſierunt. *ibidem.* Ex Beuningo à Chiffletio ipſomet laudato Namurcum ad fœminas devolvi potuiſſe demonſtratur. *fol.* 3. *b.* Beuningi errata notantur. *ibidem.* Dinteri, de Gerberga Othonis Ducis germana, errata. *fol.* 4. *a.* Magni Chronici Belgici & Alfonſi Delbene, de Othone Duce, error. *ibidem.* Quantum Alberico *fœminas in Imperio non hæreditare* ſcribenti, tribuendum ſit. *ibidem.* Accedente Regum conſenſu hæreditatum paternarum capaces fuiſſe, exemplis anni 1156, 1295, &c. probatur. *ibidem.* Potuerant Lotharingiæ ſuperioris Duces, Regio privilegio muniri. *fol.* 4. *b.* Sed neceſſe non fuit. *ibidem.* Beatrix & Sophia Friderici II parentis patrimonium inter ſe diviſerunt. *ibidem.* Burgundiæ Comitatus ad fœminas tranſiit. *ibidem.* & Delfinatus, & Provinciæ Comitatus: Sabaudia tranſire potuit. *ibidem.* Conficta dici non poſſunt, Lotharingorum teſtimonia. *ibidem.* Argumento à Friderici II filiabus petito, quale ſucceſſionum in Lotharingia jus exinde fuerit, invicte probatur. *fol.* 4. *b.* Chiffletii ſecum pugnantis contradictio notatur. XXI * *fol.* 1. *a.* Nec Antonius Vadonismontis Comes, nec Fridericus filius Lotharingiæ Duces fuerunt. *ibidem.* Fridericus Renati II pater, neque Dux, neque Sextus, neque Guiſiæ Comes fuit, multo minus avus ejus paternus fuerit. *fol.* 1. *b.* Chiffletii, de pugna ad Bulnevillam erratum. *ibidem.* jure Antonius Comes cum Friderico filio pura Alſaticæ familiæ inſignia geſtare potuerunt. *ibidem.* Cur Renatus I à Sigiſmundo Imperatore Concilii Baſileenſis delegatis & Biturigæ fæciali *Barri* tantum *Dux* dicatur. *ibidem.* inveſtitus à Sigiſmundo Renatus I. *fol.* 2. *a.* Clauſula in Sigiſmundi Charta addita, Antonio jus nullum tribuit. *fol.* 2. *b.* Quo ſenſu Lotharingiæ Ducatus, *Imperialis* dici potuerit. *ibidem.* Quomodocunque fuerit ab anno 1260, ad fœminas tranſire potuit. *ibidem.* Chiffletii commenta refelluntur. *ibidem.* Chiffletius calumniæ Imperatori impactæ convictus. *fol.* 3. *a.* contradictionem implicat. *fol.* 3. *b.* Belleforeſtii iniquum Cenſorem agit. *ibidem.* Decreti Vlmenſis allegatio impertinens eſt. *fol.* 4. *a.* Philippus II Dux, quo ſenſu *Bonus* dictus. *ibidem.* Margaretam Renati ſocrum biennio poſt mortem actis ſubſcripſiſſe fingit Chiffletius. *fol.* 4. *b.* Georgii Caſtellani nonnulla expenduntur. *ibidem.* Chiffletii in Renatum calumnia refellitur. *ibidem.* Sibimet contradicit. *ibidem.* Tempus Yolendis Andegavæ nuptiarum notatur. XXII * *fol.* 1. *a.* Waſſeburgius & Paſchaſius Chiffletii hypotheſi adverſantur. *ibidem.* Sammarthanorum nomine abutitur Chiffletius. *ibidem.* Calumniæ in Renatum & filios reus peragitur. *ibidem.* Caſtellani verba detorquet. *fol.* 1. *b.* Noſtradami auctoritas nulla prorſus eſt. *ibidem.* Fridericus ſe Ducem nunquam inſcripſit. *ibidem.* Cur Renatus anno 1449 Lotharingiam titulis non adſcripſerit. *fol.* 2. *a.* Nec ſcuto appingi voluit unquam. *ibidem.* Renatus I Lotharingici Ducatus titulum, Barrenſi poſtpoſuit. Et Carolus VII Rex, & alii nonnulli. *ibidem.* Edmundi Boullayi mendacium refellitur. *ibidem.* Yolendis ſe conſtanter Lotharingiæ Ducem inſcripſit. *ibidem.* Renatus I Barrum ſibi ad mortem uſque retinuit. *fol.* 2. *b.* Waſſeburgii, Champerii, Roſerii & Caroli Stephani commenta refelluntur. *ibidem.* Yolendis titulo Ducatus cedens, rem ſibi retinuit. *fol.* 3. *b.* Nicolai electi Metenſis molimen fruſtra allegatur. *fol.* 4. *a.* Ex teſtamento Renati II

 & Phi-

& Philippæ ejus relictæ poſtulatione fœminas Lotharingici Ducatus capaces antea fuiſſe evincitur. *ibidem.* Gramundi mens explicatur & defenditur. *ibidem.* Tempus quo Otho Friſingenſis obierit, notatur. *fol.* 4. *b.*

Commentarius Lotharienſis, cujus refutatio ſeorſim edita eſt.

Libelli Chiffletiani falſam hypotheſin ante annos 230. funditus evertit Antonius Vadonis montis Comes. XXIII * *fol.* 1. *a.*

XI. *Alſatia Vindicata.*

Occaſio libelli à Chiffletio ſcripti, XXIII * *fol.* 1. *b.* ejus ſemet non capientis vanitas in præfatione renudata. *ibidem.* Hiſpanicæ aviditatis nihil non ſuum reputantis, & finitima omnia devorare paratæ exempla. *ibidem.* Alſatiæ ἔτυμον, ſitus, Ducatus. *fol.* 2. *a.* Lantgraviatus ejuſdem initio patrimonialis non fuit. *fol.* 2. *b.* De Archiducatus Auſtriaci primo uſu, variæ ſententiæ. *ibidem.* Fridericus *Pulcher* abdicare coactus, poſt annum 1325, *Rex* à nullo vocatus eſt. *ibidem.* Chiffletii, de Erneſti Ferrei uxore, errata. *ibidem.* Errata alia ab eo admiſſa in Rudolforum Charta. *ibidem.* Rudolfi Imperatoris Socer Burchardus dictus eſt. *ibidem.* Rudolfum per uxorem Eginesheimii Comitem factum non probat adverſarius. *ibidem.* Familiæ Hohenbergenſis Stemma. *ibidem.* Inutilia in Chiffletio notantur. *fol.* 3. *a.* Adverſus ejus hypotheſin fundamenti loco ſternenda. *ibidem.* Advocatiæ jus non unius generis. *fol.* 3. *b.* Errata minutiora & inutilia, Chiffletii notantur. *ibidem.* Advocatorum alii majores, alii minores fuerunt; utrorumque exempla. *fol.* 4. *a.* Nonnunquam Comites Advocatis præpoſiti. *ibidem.* Chiffletius miſcendis rebus natus. *ibidem.* S. Maximini Trevirenſis Advocatia an hæreditaria fuerit. *fol.* 4 *b.* Imprudenter, nulloque fructu Chiffletius Gallorum, quibus originem ſuam debet, vitia notat. *ibidem.* Fruſtra etiam Ludovicum Tranſmarinum Alſatiæ poſſeſſione ceſſiſſe, Theobaldum Ferretenſem, ejuſdem ab Adolfo Imperatore Advocatum conſtitutum refert. *ibidem.* Variis Alſatiæ Advocatia commiſſa eſt. XXIV * *fol* 1. *b.* Friderico *Pulchro* nullus inter Germaniæ Imperatores locus relictus eſt. *ibidem.* Alſatiæ Advocatiam Ioanni Lucemburgico, ab eo aliiſque deinceps commiſſam, vigilantis ſomnium eſt. *ibidem.* Wenceſlao Lucemburgi Duci I. anno 1365, à Carolo IV germano commiſſa eſt. *ibidem.* Sed quibus conditionibus non conſtat: Chiffletii in Stemmate Lucemburgico errata notantur. *ibidem.* Verum Lucemburgicorum Stemma proponitur. *fol.* 3. *a.* Nonnulla ad Hiſtoriam facientia, explanantur: dies, qua prælium Creſciacenſe commiſſum eſt, inveſtigatur. *fol.* 3. *b.* Wenceſlaus Dux cis Alpes Caroli germani Vicarius. *ibidem.* Iudocus, cui Wenceſlaus Lucemburgi Ducatum oppigneraverat, eundem Ludovico Aurel. Duci ad annum uſque 1405, addixit; qui ſe *Mamburnum & Gubernatorem* ejus vocavit. *ibidem.* Anno 1409, à depoſitione VIII Wenceſlaus poteſtate carens, chartam in Elizabethæ neptis gratiam ſcripſit. *fol.* 4. *a.* Wenceſlaï mores, tempus depoſitionis, Ruperti depoſito ſuffecti electio notantur. *fol.* 4. *a*, *b.* Dinterus refellitur. *ibidem.* Chiffletii de Iodoco errata coarguuntur. *ibidem.* Wenceſlaï proteſtatio irrita fuit. *ibidem.* De Alſatia quomodocunque ſtatuere poſt depoſitionem non potuit. XXV * *fol.* 1. *a.* Lucemburgi Ducatum, & Alſatiæ Advocatiam Bohemico regno ſubjicere ei non licuit. *ibidem.* Subjectum Lucemburgi in hanc uſque diem potentes nunquam agnoverunt. *ibidem.* Ruperti oppugnandi conditione iniqua, Antonio & Elizabethæ ſponſæ Alſaticam Advocatiam tranſcripſit. *ibidem.* Conditionem illam non implevit Antonius. *fol.* 1. *b.* Aliena plura, & ad Alſaticam Advocatiam nullo modo facientia, à Chiffletio congeſta indicantur. *ibidem*, & *fol.* 2. *a.* Quomodo ratam Wenceſlai Chartam Sigiſmundus habuerit. *ibidem.* Tranſactionis inter Iudocum & Antonium inſtrumentum ab adverſario proferri debuit. *ibidem.* Chartas Sigiſmundi dolo malo occultavit. *fol.* 2. *b.* Elizabethæ mariti ſe Alſatiæ Advocatos nunquam inſcripſerunt; Advocatiæ jure uſi nunquam ſunt. *ibidem.* Wenceſlai obitum anno 1417 contigiſſe oſtenditur. *ibidem.* Ex Guillelmi Saxonis cum Elizabetha, & Philippo ejuſdem Mamburno tranſactione nihil in rem ſuam elicuerit Chiffletius, cum non alio quam pignoris jure Luxemburgum Elizabetha poſſederit, verum dominium Elizabethæ alterius Sigiſmundo natæ, ac exinde Ladiſlaï filii fuerit, ab Alberto & Elizabetha uxore Annæ Guillelmo deſponſatæ non Ducatus, ſed ſuper Ducatu dos aſſignata fuerit; de ſolo illo dotis jure anno 1443 paciſci Guillelmus & Anna potuerint; ab anno 1439 exeunte Alſatiæ Advocatia ab uno Friderico III, Alberto II ſuffecto penderit, nihilque in eam juris Ladiſlao Alberti filio obvenerit; triplici tunc ſibi Lucemburgi poſſeſſionem nomine Philippus vindicaverit, ut Antonii Brabantini, & Ioannis Bavari, qui Wenceſlai & Sigiſmundi creditores erant, hæres; ut Elizabethæ utriuſque viduæ donatarius; ut juris ab Alberto & Elizabetha in Annam filiam dotis titulo transfuſi emptor. *ibid.* & *fol.* 3. *a.* In tranſactione à Chiffletio edita Alſatiæ Advocatia Provincia perperam

ram vocatur; Chiffletius Annæ ſponſalia in annum 1440 male confert. *ibid.* A Ladislai morte Anna ejus hæres Lucemburgicum Dominium anno 1459 Carolo VII vendidit; Advocatiæ Alſaticæ,in quam ſibi nihil juris vindicabat,mentione nulla facta. Francicum & Germanicum regna à ſe invicem nullo modo pendent. *ibid.&fol.* 4. *a.* Ludovicus XI. emptione paterna reſciſſa iteratæ Lucemburgici Ducatus venditioni à Guillelmo & Anna anno 1462 factæ conſenſit: tunc vero primum Philippus Bonus Lucemburgenſium Dominus factus eſt, ſed ex parte tantum; quandoquidem Elizabethæ Annæ germanæ portionem ſibi non comparavit; ſed poſt annum 1470 Carolus filius. *ibid.* Nonnulla in Charta transactionis notantur. *ibid.* Chriſtianiſſimi Regis ſtemma Lucemburgicum proponitur. *fol.* 4. *b.* Venditionis Chartis Advocatia Alſatica comprehendi non potuit. XXVI * *fol.* 1. *b.* Palatino Comiti longe ante concredita. *ibidem.* Inter Lucemburgici Ducatus *pertinentias, jura, connexa,* &c. reponi non potuit. *fol.* 2. *a.* Advocatiæ aliquot à Lucemburgico Dominio pependerunt; civitatis Trevirenſis, S. Maximini &c. *fol.* 2. *b.* Solo emptionis jure, annoque demum 1462 Lucemburgi Dux Philippus Bonus factus eſt. *fol.* 3. *b.* Ad eum & Carolum filium Alſaticam Advocatiam translatam non fuiſſe, confeſſa à Chiffletio ipſomet convincunt. *ibidem.* Munſteri mens explicatur. *fol.* 4. *a.* Marchantii locus Chiffletio adverſatur. *ibidem.* Carolus Dux Firretenſis Comitatus oppignoratione Alſatiæ Advocatus non evaſit. *ibidem.* Munſterus rurſus explicatur. *fol.* 4. *b.* Chiffletius à ſcopo aberrat. *ibidem.* Maria Burg. Alſatiæ Advocata non fuit. *ibidem.* Multò minus Philippus I Advocatiam obtinuerit. XXVII * *fol.* 1. *a.* Qui ne Lantgraviatum obtinuit. *ibid.* Charta Affligemienſis ad rem non facit. *ibid.* Ex Munſtero uſque ad annum 1550 Alſatiæ Advocatiam Palatino Principi commiſſam fuiſſe conſtat. *fol.* 1. *b.* Quod eam redemit Carolus V, Chiffletii hypotheſi adverſatur, *ibidem.* Advocatiæ de Ortenau, & Provincialis Alſaticæ diſcrimen. *ibidem.* Qua conditione utramque Carolus redimere potuerit. *ibidem.* Tam Imperio Germanico, quam Francis convitium fecit Chiffletius. *fol.* 2. *a.* Craſſiora Chiffletii errata notantur. *ibidem.* Pacto Caroli V & Philippi III cum Ferdinandis I & II Imperii Germanici Ordines non tenentur. *fol.* 2. *b.* Quæcunque pro Hiſpanico Auſtriacorum Principum ramo diſputavit Chiffletius in Chriſtianiſſimi Regis, & Sereniſſimæ parentis commodum, velit nolit, tendunt. *ibidem.* Iure Alſatiæ Dominium ad Francos Imperii Germanici Ordines tranſtulerunt. *fol.* 3. *b.* Chiffletii de Capeto, ejuſque gente ſomnia exſufflantur. *ibid.* Transactioni Auguſtanæ quantum deferre debuerint Imperii Germanici Ordines. *fol.* 4. *a.* Hiſpani transactionis illius violatæ ex ipſorummet hypotheſi rei ſunt. XXVIII * *fol.* 1. *a.* Transactioni illi Imperii Germanici Ordines non niſi ſub conditione conſenſerunt. *ibidem.* Eadem ſupremum Provinciarum in Belgio unitarum Dominium & abſoluta libertas confirmantur. *fol.* 1. *b.* In tranſactione eadem obſervanda. *fol.* 2. *b.* In proteſtatione à Weymio anno 1648 edita, obſervanda. *fol.* 3. *a, b.*

XII. *Stemma Auſtriacum.*

Cum Vignerio cujus ſententiam amplectebatur, iniquius egit Chiffletius. XXIX * *fol.* 4 *a.* Ejus in Genealogia Auſtriaca errata complura notantur. *fol.* 4. *b.* Falſa & antehac inaudita de *Majorum domus* poteſtate comminiſcitur. XXX * *fol.* 4. *a.* Arnulfinæ & Erchinoaldinæ familiarum comparatio inſtituitur. XXXI * *fol.* 1 *a.* Ab anno 1125 Romanorum Imperator præter Papam realis nullus fuit. *fol.* 4 *b.* Imperium Romanum ab anno 800 Francicum, ſive Germanicum, ſive Gallicum & Langobardicum nihil complexum eſt. *ibidem.* Imperatores ipſi Romanum Imperium à Germaniæ regno diſtinguere uſque nunc ſolent. XXXII * *fol.* 3. *a.* Duodecim in hanc uſque diem Germaniæ Imperatores gens Auſtriaca protulit. *fol.* 3. *b.* Fridericus *Pulcher* Auſtriæ, Bertoldus Zaringiæ & Conradus Teccæ Duces, Germanicis Imperatoribus accenſendi non ſunt. *fol.* 3. *b, &c.* Cæſaris titulus Franciæ Occidentalis Regi à coætaneo ſcriptore ante annos 600 tributus eſt. XXXIII * *fol.* 1. *a.* Rectè Eugenius III. temporalis dominii reſpectu, *Conſtantini ſucceſſor* à S. Bernhardo dictus eſt. *fol.* 1. *b.* Auguſti titulus Franciæ Occidentalis Regibus convenit. *ibidem.* Quo ſenſu Germaniæ regnum, *ſacrum Imperium* dici poſſit. *fol.* 2. *a.* Caroli Martelli parens, pellex haberi non debuit. *ibidem.* Qui Principes fœminas Auſtriacorum atavias infament, non deſunt. *fol.* 2. *b.* Sancti Arnulfi & Erchinoaldi comparatio. *fol.* 3. *b.* Ex ipſa Chiffletii hypotheſi Arnulfinæ gentis dignitas potior fuerit. *fol.* 4. *b.* Neuſtriæ dignitas demonſtratur. XXXIV * *fol.* 1 *a.* Regum filiæ in Arnulfinam gentem ductæ. XXXIV * *fol.* 2. *a.* Regum filiæ in Erchinoaldinam familiam ductæ. *fol.* 3. *b.* Regum uxores ex gente Arnulfina ortæ. *fol.* 4. *a.* De Hildegarde Caroli Magni uxore conjectura. *fol.* 4. *a, b.* Regum uxores ex gente Erchinoaldina ortæ. XXXV * *fol.* 2. *b.* Curtiniacenſibus & Andegavis ſolio deturbatis regius titulus denegari non debet. *fol.* 3. *b.* Capetina gens Hiſpanicæ, Auſtriacæ &c. fons communis ab annis fere 600 fuit. *fol.* 4. *a.* Arnulfinæ plura, quam Erchinoaldinæ gentis ab antiquo dominia fuerunt. *fol.* 4. *b:* Palatinam gentem à Bernhardo Ita-

liæ Rege, Caroli Magni nepote paternam originem repetere, improbabile eſt. xxxvi *fol. 1. a Arnulfinorum quam Erchinoaldinorum regia longè antiquior dignitas. *fol.* 2. *a.* Arnulfinæ gentis opibus Erchinoaldina præcipue aucta eſt. *ibidem.* Habsburgicæ gentis ante & poſt annum 1273 incrementa. *fol.* 3. *a.* Auſtriacorum veterum ſtemma. *ibidem.* Quo jure Zaringiæ Caſtro Ducalis titulus annexus fuerit. *fol.* 4. *b.* Teccenſium Ducum origo. xxxvii * *fol.* 1. *a.* Borboniorum Capetinorum cum Habsburgicis comparatio. *fol.* 1. *b.* Arnulfinæ Erchinoaldinis nuptæ. *fol.* 3. *b.* Erchinoaldinæ Arnulfinis nuptæ. *fol.* 4. *a.* Arnulfinæ gentis gradus xxxiii. *fol.* 4. *b.* Erchinoaldinæ gentis gradus xxxiii. xxxviii * *fol.* 3. *b.* Inanes Chiffletii bullæ exſufflantur. xxxix * *fol.* 2. *a.* Arnulfinæ gentis prærogativa plenius explicatur. *fol.* 3 *a.*

XIII. *De pace cum Francis ineunda conſilium.*

Libelli Chiffletiani occaſio. Inſciis Pariſienſibus Sereniſſ. Archidux evocatus eſt. xxxix * *fol.* 4. *a.* Proſpera non ſemper fortuna uſus eſt. *fol.* 4. *b.* Chiffletianum conſilium eventus deſtituit. *ibidem.* Hiſpanorum proteſtationes factis contrariæ. *ibidem.* Armis Hiſpanicis, ut in pacem Germanicam conſentirent, adacti Franci non ſunt. xl * *fol.* 1. *a.* In epiſtola Chiffletiana inſcitæ vanitatis indicia notantur. *ibidem.* Exempla Chiffletiana nec ordine digeſta ſunt, nec quod volebat, probant. *fol* 1. *b.* Sibimet contradicit. *fol.* 3. *a.* Alios invadentibus ſæpius male ceſſit. *fol.* 3. *b.* Ab eventu facta non notanda. xli * *fol.* 1. *a.* Chiffletius conſilium cum titulo pugnans ſcripſit. *ibidem.* Pax æqua Francis nunquam diſplicebit. *fol.* 1. *b.*

XIV. *De Ampulla Remenſi diſquiſitio.*

De prima Francici regni dignitate longe ante Caſtellæ nomen auditum Gregorius I, & Stephanus IV, teſtimonium dixerunt: Hiſpani primas ſerò & infeliciter affectarunt. xli * *fol.* 1. *b.* Nihil Franci ambierunt. *fol.* 2 *a.* Hiſpanica regna Francici comparatione nova. *ibidem.* Romanorum de Gallia & Hiſpania judicium. *fol.* 2 *b.* Hiſpania Galliæ reſpectu infœcunda. *ibidem.* Regni Francici amplitudo hodierna, *ibidem.* Ejus ex priſca Romanorum æſtimatione dignitas demonſtratur *fol.* 3. *a.* Motæ ab Hiſpanis litis decantatus à Valdeſio & Chiffletio *fructus* repulſa fuit, eritque ſemper. *fol.* 3. *b.* Franciſcus Vargas Venetiis; Ferdinandus Piſcariæ Marchio Tridento excedere coacti ſunt. *ibidem* Inuſitatum locum ibidem Lunæ Comes occupavit. *ibidem.* Ludovicus Requeſenius *parem* obtinendi ſpe depulſus, Romæ proteſtatus eſt. *fol.* 4. *a.* Pius IV, Hiſpanis quantum potuit, detulit. xlii * *fol.* 2. *a.* Legati Hiſpanici ſibi mutuo contradixerunt. *fol.* 3 *a.* Hiſpani apertè falſis nituntur. *fol.* 3. *b.* Antiquitatis & potentiæ prærogativam ridiculè obtendunt. *fol.* 4. *a.* quo ſenſu Hiſpania *Europæ caput* dicta ſit. *fol.* 4. *b.* Gothici Reges à Regibus nunquam electi ſunt. *ibid.* Francici hæreditario jure regnant. xliii * *fol.* 1. *a.* Ducatuum Francicorum enumeratio fit. *fol.* 1 *b.* Regna in Gallia plura exorta fuiſſe demonſtratur. *ibidem.* Minutiæ regnorum in Hiſpania certiſſimum non dignitatis, ſed infortunii argumentum cenſeri debent. *fol.* 2. *a.* Gallia ſerò admodum; Hiſpania ferè ſemper exteris patuit. *ibidem.* Indigenæ nulli hæc ab anno 1109 paruit. *ibidem.* De Regum tam Francicorum quam Hiſpanicorum electione falſa Philippi II patroni diſſeminaverunt. *fol.* 2. *b.* Latius Dominium prærogativam propriè nullam confert. *ibidem.* Compacta & unita ſejunctis, utut in immenſum protendantur, prævalent. *ibidem.* Hiſpania dignitate non crevit, ex quo alia regna ei quomodocumque adjuncta ſunt. *fol.* 3. *a.* In orbis Latini Conciliis, Gallicæ nationi ſecundus, Hiſpanicæ quartus ad ſummum locus aſſignatus eſt. *ibidem.* Italiæ, Germaniæ, Hiſpaniæ ſtatûs diverſimodè mutatus. *fol.* 3. *b.* In Britannico & Gallicano orbe cum tempore mutata. *fol.* 4. *a, b.* Qui factum, ut primas in orbe Chriſtiano Germaniæ reges occuparent. *ibid.* Hodiernæ Hiſpanorum hypotheſes veteribus repugnant. xliv * *fol.* 1. *a.* Hiſpania uſque nunc in multa regna diviſa eſt. *fol.* 1. *b.* Ejus dignitas non crevit, ex quo Reges ejus alibi dominari cœperunt. *ibidem.* Quæ in Italia, Gallia, India Hiſpani Reges poſſident, non Hiſpanica, ſed, vel Italica, vel Gallica, vel Indica ſunt. *fol.* 2. *a.* Tridenti vetus nationum diſtinctio ſervari deſiit; abolita tamen non eſt. *ibidem.* Qui *plura poſſidet*, non protinus *primus eſt*; idipſum Hiſpani vel ingratiis ſuis fatentur. *ibidem.* Dominium Hiſpanicum cæteris validius non eſt. *fol.* 2. *b.* Mera Chriſtiani orbis ludibria fuerunt, quæ Hiſpani de Regum ſuorum in Galliam jure commenti ſunt. *fol.* 3. *b.* Chriſtianiſſimi Regis jura Hiſpanica indicantur. xlv * *fol.* 1. *a.* Quæ Hiſpani in regnum Francicum jura obtendunt, Francorum potiorem dignitatem eſſe evincunt. *fol.* 1. *b.* Francorum lilia & Hiſpanorum crucem rubeam cœlo lapſa eſſe, ridicule fingitur. *ibidem.* S. Iacobi in Hiſpania prædicatio, veteribus univerſis, ipſique Iſidoro Hiſpalenſi anno 636 defuncto ignota fuit. *fol.* 2 *a.* Hiſpani Paulum Apoſtolum Galliam primum luſtraſſe, Eccleſias ſuas à Gallicarum Præſulibus fundatas fuiſſe fatentur. *ibidem.* Prima Eccleſiæ in Gallia & Hiſpania cunabula. *ibidem.* Tertullianus, & Sardicenſe Concilium explicantur. *fol.* 2. *b.*

Irenæi

Irenæi locus elucidatur. *ibidem.* Alamanni ad Chriſtum Arnobii tempore converſi, qui fuerint. *fol.* 3. *a.* Conſtantini Magni verba explanantur. *ibid.* Athanaſii locus illuſtratus. *fol.* 3. *b.* Severi Sulpitii teſtimonium excuſſum. *fol.* 4. *a.* Libelli de *ſeptem gradibus* Hieronymo affićti cenſura. *ibidem.* Iuſtiniani tèſtimonium. XLVI * *fol.* 1. *a.* Hiſpani gentis ſuæ factis contradicunt. *fol.* 1. *b.* Hiſpanicam Eccleſiam à primis Apoſtolorum diſcipulis fundatam fuiſſe non conſtat. *ibidem.* Gregorii VII locus expenditur. *fol.* 3. *a.* Granatènſis Archiepiſcopi declaratio falſi coarguitur. *ibidem.* Neç fidei, nec Eccleſiæ Romanæ ab initio defenſores, Hiſpani à Requeſenio dici debuerunt. XLVII * *fol.* 1. *a.* Gallicanæ & Hiſpanicæ Eccleſiarum comparatio inſtituitur. *fol.* 1. *b.* Gnoſticorum peſtis Hiſpaniam diutius depaſta eſt. *ibidem.* Epiſcopi in Hiſpania ſub Decio lapſi. *ibid.* Cypriano affićta epiſtola reſpuitur. *fol.* 2. *a.* Novatianis Hiſpania patuit; & traditoribus, & Arianis. *ibidem.* & Luciferianis, & Priſcillianiſtis. *fol.* 2. *b.* & Saracenis, & Felicianiſtis. *fol.* 3. *a.* Chriſtianos veteres à novis uſque nunc ſecernere cogitur. *ibidem.* Magiæ Scholam apertam diu tenuit. *ibidem.* Nonnulli ex ejus Magnatibus Iudaici & Maurici generis ſunt. *ibidem.* Falſi Requeſenius coarguitur. *ibidem.* Francis à Valdeſio impacta calumnia refellitur. *fol.* 3. *b.* Hiſpania defenſæ Romanæ Eccleſiæ laudem ſibi vindicare non poteſt. *fol.* 4. *a.* Francia à ſæculis novem poteſt. *fol.* 4. *b.* Valdenſes ex æquo cum Gallia habuit Hiſpania. XLVIII * *fol.* 1. *a.* Libertas religionis Proteſtantibus à Francis Auſtriacorum Hiſpaniæ potentium exemplo primum data eſt. *fol.* 1. *b.* Eam Theodoſius Magnus Hiſpanus variis hæreticis & ſchiſmaticis dedit. *ibidem.* Vim de religione contendentibus inferri Patres noluerunt. *fol.* 2. *a.* Hiſpani priſci noluere. *ibidem.* Noluere etiam Galli & Itali. *fol.* 2. *b.* Vana de beneficentia Hiſpanica gloriatio fuit. *ibidem.* De Francica non fuit. *ibidem.* Falſo & inutiliter per annos 900 bella pro fide à ſe geſta jactant Hiſpani. *f.* 3. *a.* Hiſpani diutiſſimè in Francos opem rogaturi inclinarunt. *f.* 3. *b.* Pia & fortia Francorum geſta enumerantur. *ibid.* Hiſpanorum in patria & novo orbe geſta recenſentur. *fol.* 4. *a.* Ex Gallia ab Afris poſtulati judices. *ibid.* Diœceſeon in Concilio I Arelatenſi ordo. *fol.* 4. *b.* Oſius ab Hiſpanis damnatus, à Gallis abſolutus eſt. *ibid.* In Concilio Hiſpanorum Cæſarauguſtano Gallis primus locus attributus eſt. *ibid.* Gallorum in Concilio Aquileijenſi locus. *ibid.* Locus ab Orientalis orbis Epiſcopis Gallis tributus. XLIX * *fol.* 1. a. Burdegalæ in Gallia Priſcilliani Hiſpani cauſa judicata eſt. *ibid.* unam Gallorum in fidei cauſa opem imploravere Britones. *ibid.* Cum Gallis Leo I Papa conſilia communicavit. *ibid.* Ad eos relationem poſt Concilium Chalcedonenſe miſit. *ibid.* Gallorum locus in Concilio Romano ſub Hilario. *fol.* 1. *b.* Ad eos de fide ſua Vigilius Papa retulit, & eorum opem rogavit. *ibid.* Iiſdem confeſſionem ſuam obtulit Pelagius I. *ibid.* Hiſpani Canonibus Gallicanis regi voluerunt. *fol.* 2. *a.* Ad Gallos de Eccleſiarum rebus Hormiſda & Martinus I retulerunt. *ibid.* Gallorum locus in Synodo Romana ſub Agathone. *ibid.* Galli inter Romanam Eccleſiam & Græcos ſemet de conſenſu partium interpoſuerunt. *fol.* 2. *b.* Eorum in Concilio Romano ſub Stephano IV locus. *ibid.* Feliciana hæreſis ab iiſdem ſæpius Synodice damnata eſt. *ibidem.* Græcis rogantibus legationem ad Romanam Eccleſiam deſtinarunt. *ibid.* Eos Nicolaus I ad collaborandum ſecum pro Romanæ Eccleſiæ cauſa invitavit. *ibid.* Toletanæ Eccleſiæ primus poſt Mauricam cladem Archiepiſcopus, Gallus fuit: Mauris Toletanis ſacrorum ſuorum libertatem Alphonſus VI relictam voluit. *fol.* 3. *a.* Gallis plura, quam Hiſpanis, Romana Eccleſia ab initio detulit. *f.* 3. *b.* Innocentius I, Zoſimus & Leo I Gallias Hiſpaniis prætulerunt, &c. L * *fol.* 1. *a.* Euſebii & Socratis locus à Gelaſio Cyziceno corruptus vindicatur. L * *fol.* 1. *b.* Oſii ætas notatur. *fol.* 4. *a.* A Conſtantino cum mandatis in Ægyptum miſſus eſt: ei primas Concilium Nicenum & Sardicenſe detulerunt, ob confeſſionis multiplicis gloriam, ut Confeſſorum ſæculi illius Exarcho; ob ætatis meritum, ut Epiſcoporum antiquiſſimo; ob mandata Imperatoris, qui ejus interventu pacem Eccleſiis procurari poſſe ſperaverat, ut arbitro ab eo ſelecto. *fol.* 4. *a.* *b.* Etiamſi Silveſtri & Iulii Legatus fuiſſet, Hiſpania, quæ eum protulit Provinciarum prima non evaſiſſet. LI * *fol.* 1. *a.* Oſii miſeranda cataſtrophe. *ibidem.* Sanctus Athanaſius falſa de eo credidit. *ibid.* Anno non 360, ſed 358 deceſſit. *fol.* 2. *a*, *b.* Hilarii & Oſii comparatio. *ibid.* Baſilius Gallorum opem in fidei cauſa imploravit *f.* 3. *a.* Sardicæ plures è Gallia & Hiſpania miſſi ſederunt. *ibidem.* Quo ordine ſederint, inquiritur. *ibidem.* Quis Hiſpanis in Concilio Burdegalenſi locus aſſignatus ſit, ignoratur. *fol.* 3. *b.* Sinderedi Toletani in Concilio Romano locus. *ibidem.* Gallicanæ Eccleſiæ prærogativa, ex præmiſſis aſſeritur. *fol.* 4. *a.* Francorum Rex nullius ambitus reus peragi poteſt. *fol.* 4. *b.* Hiſpanorum Rex poteſt. *ibidem.* Maximilianus II Chiffletium falſi coarguit. LII * *fol.* 1. *a.* Auſtriacorum neceſſitudines ob oculos ſtatuuntur. *fol.* 1. *b.* A Polonis primus Francis locus ſervatur. *fol.* 2 *b.* Pium V Majorum de Francica prærogativa judicium ſecutum, Hiſpanici mandati verba evincunt. *ibidem.* A Chiffletio prolatum Suecici in Concilio Baſileenſi Legati exemplum expenditur. *fol.* 4. *a.* Non alio nunc, quam ante annos 200 Sueci jure nituntur. LIII * *fol.* 1. *a.* De convivio Norimber-


rimbergenſi Chiffletiana commenta refelluntur. *ibidem*. Hiſpanici ad Ferdinandum III Imp. Legati libellus examinatur. *fol*. 1. *b*. Reſcriptum Ferdinandi III nomine datum excutitur. *fol*. 2. *a*. Cultus Francicæ Majeſtati ab Hiſpanis Regibus exhibiti monumenta proferuntur. *fol*. 2. *b*. Bartholomæi Chaſſanæi ſententia refellitur. *fol*. 3. *a*. & Chriſtophori Beſoldi. *fol*. 4. *a*. Pii IV decreta Chiffletio adverſantur. *fol*. 4. *b*. Thuani mens explicatur. LIV * *fol*. 1. *a*. Ex mandato Hiſpanico Pii IV, de Primatu Francico judicium demonſtratur. *ibidem*. Chiffletii de Suecis commenta difflantur. *fol*. 1. *b*. Gregorii I de Francorum dignitate, judicium vindicatur. *fol*. 2. *a*. Iſidori de Theudi locus explicatur. *fol*. 2. *b*. Theodori Gothofredi memoria & bona fides defenditur. *fol*. 3. *b*. Octo quæſtiones elucidandæ proponuntur. *ibidem*. Prima & ſecunda quæſtio Remenſibus enarrandæ, nodique aliquot ſolvendi relinquuntur. *ibidem*. & *fol*. 4. *a*, *b*. Fruſtra Chiffletius Hincmaro priorum Remenſium ſilentium urget. *fol*. 4. *b*. Chiffletii de Remenſium præſulibus errores notantur. LV * *fol*. 1. *a*. De Adone Viennenſi, Reginone Prumienſi. *fol*. 2. *b*. Hermanno Contracto. *ibidem*. Baldrico Noviodunenſi; Herigero Lobienſi; Sigeberto; Ivone Carnot. *ibidem*. Othone Friſingenſe. *fol*. 3. *a*. Abbate Vrſpergenſi; Alberico; Guilielmo de Nangiis, & picturis Chronico ejus inſertis. *fol*. 3. *a*, *b*. Bernardo Girardo Hallianio. *fol*. 4. *a*. Papirio Maſſono; Claudio Faucheto, Ioanne Serrano, Iacobo Auguſto Thuano, Scipione Dupleix, Dionyſio Petavio, Flodoardo. *ibidem*. Franciſco Petrarcha. *fol*. 4. *b*. Pio II. Raphaële Volaterrano, Michaële Ritio, Paulo Æmilio, Franciſco Modio, Franciſco Belcario, Andrea Laurentio. *ibidem*. Sixto IV. LVI * *fol*. 1. *a*. Hincmaro, Flodoardo, Aimoino, Aſone Dervenſi, Chronico Mauriniacenſi, Guilielmo Britone, Clodovei epitaphio, Franc. Modio, Remenſium figuris & verſiculis. *ibidem*. Numiſmatis Ludovici XIII. *fol*. 1. *b*. Iudæorum luctu. *fol*. 2. *a*. Ampullæ Remenſis materia & forma. *fol*. 2. *b*. Chiffletii de ea & Baptiſmo Clodoveano conjecturis. *fol*. 3. *a*. Ludis & ſpectaculis religioſis; Alberici de veterum cantilenis judicio. *ibidem*. De Hincmaro Remenſi, ejus erratis, & iniquiore Chiffletii cenſura. *fol*. 4. *a*. Chiffletii de ordinatione Hincmari error notatur. LVII * *fol*. 2. *a*. Neque Clodoveus, neque Merovingus poſt eum Rex ullus in Regem unctus eſt. *fol*. 2. *b*. Cum non fuerit, Hincmarianæ de Ampulla relationis mentionem nullam de jure Regum agens Gothofredus facere debuit. *fol*. 3. *a*, *b*. De unctionibus ante legem. *fol*. 4. *a*. ſub lege. *fol*. 4. *b*. Poſt Chriſtum; baptiſmali. LVIII * *fol*. 4. *a*. Coronatione Regum Pontificum miniſterio ſine unctione facta. *fol*. 4. *b*. Vnctione regia inter Hiſpanos. LIX * *fol*. 1. *a*. Francicorum Regum elogiis. *fol*. 1. *b*. Gothorum Catholiciſmo. *fol*. 2. *a*. Francorum Catholicis primitiis. *fol*. 3. *b*. Gothorum in fide fluctuatione. *fol*. 4. *a*, *b*. Chilperici de Trinitate ſententia. LX * *fol*. 1. *b*. *fol*. 2. *a*. Francis impacto Simoniæ crimine. *fol*. 2. *b*. Francis & Gothis tributo *Catholici* titulo. *fol*. 3. *a*, *b*. Recaredi Regis nævis. *fol*. 4. *a*. Vnctionis regiæ in Hiſpania origine. *ibidem*. Vnctione regia inter Francos. LXI * *fol*. 2. *b*. Conſectaria ex hiſtoria petita. *fol*. 4. *b*. Ampullæ Remenſis oleo Reges conſecrari, nulla lex cavit. LXII * *fol*. 1. *a*. Ivonis hac de re proteſtatio. *fol*. 3. *a*. De *Parium* in conſecratione Regum interventu. LXIII * *fol*. 3 *b*. De Ampullæ Remenſis proprio ex Hincmari hypotheſi uſu. *fol*. 4. *a*. De ejuſdem præſenti ſtatu. *ibidem*. Qui Regium Primatum unctioni ex ampulla deberi in ſolidum putant, erroris coarguuntur. *fol*. 4. *b*. De Martiniana Ampulla, & ejuſdem merito. LXIV * *fol*. 1. *a*. Clodovei ante baptiſmum primatus regius demonſtratur. *fol*. 2. *a*. Childeberti Clodoveo nati. *fol*. 2. *b*. & Childeberti junioris. *ibidem*. Theodeberti & Theoderici Childeberto natorum. *ibidem*. De titulo *primogeniti Eccleſiæ* Francorum Regibus tributo. *fol*. 3. *a*. De titulo *Chriſtianiſſimi*, Childeberto ante Recaredi converſionem tributo. *fol*. 3. *b*. Regum Francicorum Primatus ab ampulla & unctione nulla ex parte profluit. LXV * *fol*. 2. *a*. Theodorus Gothofredus ſincere, & ex officio egit. *fol*. 2. *b*. S. Ludovicus *Regum Rex* dici ſine crimine potuit. *ibidem*. Dignationis ex unctione aliquid Francorum Regibus accreſcere, negari non debet. *fol*. 3. *a*. Venetorum de Francicis Regibus ſervando loco decretum defenditur. *fol*. 4. *a*. De Polonorum more fruſtra Chiffletius queritur. LXVI * *fol*. 1. *a*. Georgii Duglaſſii factum, Chiffletii hypotheſim evertit. *fol*. 1. *b*. De Trojanæ originis fabula. *ibidem*. Scuto liliato. *ibidem*. Angelicis telamonibus. *fol*. 2. *a*. Auriflamma. *fol*. 2. *b*. Cappa & vexillo S. Martini. *ibidem*. & *fol*. 3. *a*. Ei auriflamma ſucceſſit. *fol*. 3. *b*. De charta Roberti Regis. *ibidem*. Vellocaſſium Comites S. Dionyſii vexilliferi. *fol*. 4. *b*. Geſtatæ in expeditionibus auriflammæ exempla. LXVII * *fol*. 1. *b*. Vexillum regium liliatum. *fol*. 2. *b*. Corneta Alba, ejuſque uſus. *ibidem*. Aremici nulli fuerunt. *fol*. 3. *a*. Hincmari famam præter votum purgat Chiffletius. *fol*. 3. *b*. Milonis Elnonenſis ab eo laudati locus ſuſpectus. *fol*. 4. *a*. Ex Childerici exauctoratione aſſuendæ teſtamento Remigiano laciniæ occaſio ſumta eſt. *ibidem*. Diverſa Chiffletii errata notantur. *ibidem*. Conficta poſt annum 840, à Martelli morte 100, de æterna ejus damnatione, fabula, ex profeſſo refellitur. *fol*. 4. *b*. Dionyſianorum de Martello

tello


tello ſententia. LXVIII * *fol.* 2. *b.* Eccleſiæ Romanæ de eodem judicium. *ibidem.* Fredegarii de eodem teſtimonium. *fol.* 3. *b.* Poſterorum ac nominatim Ludovici Pii pronepotis judicium. *fol.* 4. *a.* Cariſiacenſis Conventus falſa de Martello & Pippino ex æquo retulit. LXIX * *fol.* 1. *a.* Concilium Leptinenſe Cariſiacenſis Conventus de Carolo Martello hypotheſim refellit. *fol.* 2. *a.* Anſegiſus Abbas Canonum interpolatorum reus fuit. *ibidem.* Teſtamenti Remigiani interpolator, Childerici cataſtrophen unice reſpexit. *fol.* 3. *a.* Cur vocem *Epiſcopatus* in Pſalmi loco expungens, *Principatus* nomen ſubſtituerit. *fol.* 3. *b.* Rigordus Iuliani Toletani exemplo excuſatur. *ibidem.* Chiffletii de convivio Norimbergenſi ſomnia excutiuntur. *fol.* 4. *a.* De ſcrofularum curatione. *fol.* 4. *b.* Huberti Mori iniquum de Henrico III Rege judicium notatur. LXX * *fol.* 1. *a.* Chiffletii librum *de unctione infirmorum*, Auguſtino tribuentis error coarguitur. *fol.* 1. *b.* Iure clauſa à Ludovico XIII & Majoribus corona geſtata eſt. *ibidem.* Remigius Clodoveum tinxit & de fonte ſuſcepit. *ibidem.* In vita Solemnis Carnotenſis plura notanda. *fol.* 2. *a.* Candidati poſt baptiſmum, non ante proceſſerunt. *fol.* 4. *a.* Aimoïni & Fredegarii error confutatur. *fol.* 4. *b.* Gregorius Turonenſis explicatur. LXXI * *fol.* 1. *a.* Ludovicus Arnulfo natus Romanorum Imperator non fuit. *ibidem.* Chiffletius ſupra meritum à Vendelino & Sammarthano laudatus. *fol.* 1. *b.*

XV. *Tenneurius expenſus.*

In Chriſt. de Moura culpanda laudat Chiffletius. *fol.* 2 *a.* In Tenneurio laude digna improbat. *ibidem.* *Pacis Monaſterienſis*, quam quantum in ſe eſt, Chiffletius violat, *infractor* Tenneurius haberi non debet. *fol.* 2. *b.* Elogia ab Hieronymo Vignerio & Franciſco Moræo tributa non meruit Chiffletius. LXXII * *fol.* 1. *a.* Iura Salica quantumvis à multis ſæpius impugnata, in hanc uſque diem inconvulſa ſunt. *ibidem.* Varia Chiffletii errata notantur. *ibidem.* Innocentius III Philippum Auguſtum Regem Caroli Magni nepotem fuiſſe vere pronuntiavit, tabula ante duernionem LXXII * *fol.* 2. *a.* Adelæ Campanicæ Stemma Carolinum. *ibidem.* Adelboldi Trajectenſis de S.Henrici genere paterno teſtimonium. *fol.* 2. *b.* Pingonii de Adelhaide Mauriennenſi erratum refellitur. *ibidem.* Nicolai Vignerii mens explicatur. *ibidem.* Adelhaidis Mauriennenſis Stemma Carolinum. *fol.* 4. *a.* De Ittæ Theodorici Ducis germanæ parentibus. LXXIII * *fol.* 1. *b.* Indubitata familiarum Saxonicæ, Carolinæ, Capetinæ & Alſaticæ cognatio. *fol.* 2. *a.* Chiffletii errata varia notantur. *fol.* 2. *b.* *De S. Arnulfi Majoribus.* *fol.* 3. *a.* Boggiſo Aquitaniæ Duce natus non eſt. *ibidem.* Libellus *de Majoribus Domus*, & Genealogia Regum, octavo ſeculo decurrente non prodierunt. *fol.* 4. *a.* Falſa in utroque ſcripto de Pippino & Pippiniana Hiſtoria notantur. *ibidem.* Membranæ à Monachis S.Martini de Glanderiis aſſervatæ errata. LXXIV * *fol.* 1. *b.* Cur libellus *de Majoribus Domus* in Pippino deſinat. *fol.* 2. *a.* Incerti qui *geſta Francorum epitomata* ſcripſit, teſtimonium expenditur. *fol.* 2. *a.* Quid in eo *ordo regalis* vocetur. *fol.* 3. *a.* Cur Pippino *genus regale* affictum. *ibidem.* Errata vitæ Arnulfinæ ab interpolatore inſperſa. *ibidem.* Epitaphium Rothaidis explicatur. *ibidem.* Chronici Franco-Saxonici errata notantur. LXXV * *fol.* 1. *a.* Theganus explicatur. *fol.* 1. *b.* Carminis *de origine Francorum* Carolo Calvo oblati nævi. *ibidem.* A vitæ S. Clodulfi interpolatore peccata. *fol.* 2. *a.* Genealogia ex Codice P. Hieronymo Vignerio communicato eruta, fidem nullam meretur. *fol.* 2. *b.* Ariſitum Metenſi Eccleſiæ donatum fuiſſe, improbabile eſt. *fol.* 4. *b.* Decori parum memor Genealogus fuit. LXXVI * *fol.* 1. *a.* Diſciplinæ Eccleſiaſticæ imperitus fuit. *fol.* 1. *b.* De Eulalii ordinatione. *ibidem.* Cypriorum Autonomia. *ibidem.* Proculi Maſſil. Primatu. *ibidem.* Principum in Provincias poteſtate. *fol.* 2. *a.* Metenſium Preſulum prærogativa. *ibidem.* Epiſcopatu Fuſſalenſi. *fol.* 2. *b.* Anemii Sirmienſis ordinatione. *fol.* 3. *a.* Emerii Santonenſis conſecratione. *fol.* 3. *b.* Promoti Epiſcopatu. *ibid.* Et Munderici ordinatione. *fol.* 4. *a.* Annorum in Metenſibus catalogis conſignatio incerta eſt. *ibidem.* Epiſtolæ ad Aigulfum à Gregorio I datæ titulus vindicatur. *fol.* 4. *b.* De Ferreoli Martyrio. LXXVII * *fol.* 3. *a.* De ejuſdem exilio. *fol.* 3. *b.* Quomodocunque paſſum fuiſſe, improbabile eſt. LXXVIII * *fol.* 1. *b.* De Mummolo. *fol.* 2. *a.* De Gamardo & poſteris. *fol.* 3. *a.* Vitæ S. Arnulfi à recentiore interpolatæ errata. *fol.* 4. *a.* Tam Barbari Romana, quam Romani Barbara nomina geſtaverunt. LXXIX * *fol.* 2. *a.* Etiamſi S. Arnulfi parentes ignorentur, cum ejus gente paria hodie nulla facit. *ibidem.* Tam facile Carolo Calvo, quam Othoni Friſingenſi, & aliis fuit, falſa de Majoribus ſentire & ſcribere. *ibidem.* Chronici Divionenſis interpolatum, & ab Archetypo, quod germanus luſtravit, diſſonum exemplar Chiffletium obfirmato animo ſequi demonſtratur. *fol.* 3. *b.* Hugo I Abbas ex eorum, qui *Abbacomites* dicebantur, cenſu non fuit. LXXX * *fol.* 1. *a.* Fredegarii Hiſpaniſmus nullus fuit. *fol.* 1. *b.* Fredegarii mens ex Gregorii Turonenſis, Eginhardi, & aliorum locis pluribus explicatur. *fol.* 3. *b.* De Pippino Italiæ Rege ab Adriano Papa tincto & ſuſcepto. *ibidem.* Præfationis totius Concluſio. *fol.* 4. *b.* &c.


CHRISTO PRINCIPI PATRIÆ.
DAVID BLONDELLVS CATALAVNENSIS
R. Nantüeil delineabat et Sculpebat 1650.
Hæc Franci facies, Sequano qui Vindice fuſo,
Imperium patriis Regibus aſſeruit.

TREVIRENSIS TRACTVS
in quo Matricenſem Pagum male Chiffletius collocavit corographia.



1 *CHarta Willebrordi A. Domini* 725. *donatum eſſe perennibus temporibus volo, ad Monaſterium Epternacum, quod eſt conſtructum ſuper fluvio Sura in pago Bedenſi, &c.*

2. *Diviſio regni Lotharii A. D.* 870 6 *Id. Aug. Civitatem Metis, cum Abbatia ſancti Petri & ſancti Martini, & Comitatu Moſlenſi cum omnibus villis in eo conſiſtentibus tam Dominicatis quam & Vaſallorum, de Arduinna ſicut flumen Vrta ſurgit inter Bislanc & Tumbas, ac decurrit in Moſam, & ſicut recta via pergit in Bedenſi.*

3. *Charta ſancti Maximini A. D.* 963, 15 *Kal. Maji die Palmarum, poſita eſt hæc eadem munitio (Luſcilinburg.) in pago Metingow, in Comitatu Godefridi Comitis ſuper ripam Alſuntiæ fluminis.*

4. *Charta ſancti Petri Trevir.* 964, 15 *Kal. Octob. in ſupradicta Marcha, in Comitatu Bedenſi, monticulum qui antea nuncupabatur Curbalen, nunc autem Sarbues ſitum ſuper fluvium Suran, &c.*

5. *Charta Amedei de Envaldi villa Chartul. Gorz, p.* 151. *Curtes quoque ſuas Morlingan & Lochii nominatas in pago Moſalgawe vocato, & in Comitatu Sigefridi Comitis A. D.* 982 *Kal. Octob. Ind.* 2.

6. *Charta interpolata de Horreo in pago Muſlenſi in Marca Surenſe; has villas Machara, Corniche, Baldeburnæo, Hildanescheim, Walcheim, Speja, Bruneche.*

Ad bonæ fidei & pacis ſtudioſum
LECTOREM,
adverſus
CHRISTIANISSIMORVM
REGVM
obtrectatores,
APOLOGETICA
PRÆFATIO.

ILlatarum per inauditum antehac nefas ab Hiſpanicâ gente Chriſtianiſſimi Regis Majoribus injutiarum triſtem ſi memoriam refricem, invitus faciam, qui hoſtes Patrum ſuorum Francici nominis obſervantiorum laudata veſtigia preſſiſſe mallem: etſi enim ſalutis communis intereſſe videatur, id quod quisque,ſive privatus ſive Princeps in publicum deliquit, palam ob oculos omnium poni, ne innoxii ſempiternam quam commeriti non ſunt alienorum delictorum infamiam ſubire cogantur, mihi tamen hoc unô fine pudenda cujusquam retegere propoſitum non eſt, ſed ut noſtros indignis modis ab annis fere 160 laceſſitos, inculpatâ tutelâ uſos eſſe certius conſtet; ſi quid aſperius quibuſcum nobis à tam multis annis res eſt, audiant, non noſtræ voluntati, quæ in alia omnia fertur, ſed importunitati ſuæ cordatis nequaquam tolerandæ imputent.

Admiſſorum in Chriſtianiſſimos Reges exempla.

RUſcinonis Comitatum *trecentis aureorum millibus* à Ioanne II Aragonum Rege Ludovico noſtro XI, A. D. 1462, April. 12 oppigneratum, cui *muniendo & per annos fere* 32 *cuſtodiendo, tam multa impenſa fuerant*, Ferdinando II Ioannis filio gratis anno 1493 Carolus VIII reſtituerat, *renovatis* Hiſpanorum rogatu *Caſtellæ fœderibus, quæ Regis ad Regem, Regni ad Regnum, virorum ſubditorum ad viros erant, & cautione datâ ſe Neapolitanæ expeditioni nequaquam obſtituros*, filiasque *in Neapolitana, Anglica & Flandrica familiis nunquam elocaturos*,[1] quod *Reginæ Caſtellæ* nomine ac mandato

[1] Comminæus Comm. lib. 8. cap. 16. Guicciard. lib. 1. & 2.

frater

frater Ioannes de Malolcone Franciſcanus obtulerat, at ubi poſt denunciatum Neapolitanis bellum, Romam Carolus *appulit, Legatos quaquaverſum ſanciendi adverſus eum fœderis cauſa iidem tranſmiſere;* quos *gravi perjurii culpâ* de honeſtatos ſæculi ſui Polybius Commineus notat.

Paulo poſtquam Friderici Neapolitani ſpolia, cum Ferdinando diviſerat Ludovicus XII. Tripalda[1] Franciçæ ſortis oppidô annô 1502 ineunte occupato, eo Francos adegerunt Hiſpani, ut iniquos alieni invaſores armis vindicibus adoriri neceſſe eſſet.

A Gaſtone Fuxi Comite Ludovici XII Regis avunculi favore ſubnixô, lite[2] annô 1502 Aprilis 15 intentatâ vexatorum[3] Ioannis & Catharinæ Navarræ Regum Ferdinandus Aragonum Rex proavunculus, quem illi ſemper velut patrem coluerant, cauſam propugnaſſe videbatur; at poſtquam ad Ravennam A. D. 1512 Aprilis 11, ipſo ſanctiſſimi Paſchatis die Gaſto victor occubuit, in Navarræ Reges, Ludovici anteà alienioris mens inclinare cœpit, iique fide per Stephanum Labretanum Mioſſenſem & Collegas legatos Bleſis Iulii ſequentis die 17 fidem Ludovico, in cujus clientela ob ditiones cis Pyrenæum ſitas erant, obſtrinxere, ſe nemini Franciam invaſuro faverituros; quantumvis iidem ſe nihil in Ferdinandum moturos, expreſſe proteſtati eſſent, quintô poſt die Iulii nim. 21. antequam quid à Legatis actum eſſet ipſis innotuiſſet, nulla vel belli denunciatione, vel expoſtulatione, vel infenſi animi ſignificatione præcedente, inculpati, immo bene meriti, quodque nullius ſibi culpæ conſcii, nihil ſibi à propinquo metuendum ducerent, imparati, maxima[4] aviti patrimonii parte exacti, infeſtis Albani, velut ex machina irrumpentis armis pene oppreſſi, confictis ad Dei hominumque ludibrium criminibus, indignum in modum appetiti, in Galliâ, afflictorum aſylô, perfugium ſibi quærere coacti ſunt.

Albani raptô ad mortem uſque incubans, annô 1516 Ianuarii 23 animam efflaverat Ferdinandus, ſupplices, nullô ſuô meritô extorres, ſuaque amice repoſcentes, Catharinam cum Henricô filio annis 1516, 1518, 1519, 1521, 1545, immô totô vitæ tempore ludificatus eſt Carolus V, A.D. 1558, Sept. 21 denatus. Conſimili illuſionum faſcinô annis 1558, 1559, 1560, 1561, Antonium Borbonium Regem, Henrico ſocero annô 1555, Maji 5 defunctô ſuffectum diſtinuit Philippus II, Caroli ex aſſe hæres; qui (poſtquam ex vulnere anno 1562, Novembris 17 deceſſit Antonius) Ioannam viduam, liberoſque Henricum vix decennem[5], & Catharinam ſextum ætatis annum agentem, in receſſu Palenſi ob (turbas ab emiſſariis Hiſpanicis, Galliâ totâ concitatas) deliteſcentes, acrior inſurrexit, *de iis* anno 1564[6] *capiendis ac coram inquiſitionis tribunali in Hiſpaniâ ſiſtendis*, truculenta *conſilia* miſcens; quæ Deô Opt. max. innoxia capita cœlitus protegente, in ipſâ Regiâ Hiſpanicâ, ab Heſperio Iſabellæ Reginæ domeſticô deprehenſa, in irritum ceciderunt. Poſt Ioannæ A.D. 1572, Iunii 9 fatô functæ, funus elatum, hæredem ab eâ relictum, magis ac magis exagitavit, Henoticis, ceu totidem furiis, tartareis facibus in Regiæ gentis, regnique perniciem armatis, uſus; & factioni nomen cæcô impetu dantium, colluvie tota ſuccinctus; ad hujus enim[7] nutum Galliam univerſam ad annos fere 21, turbine ſuo perflarunt, & incendiô à ſe excitato, depaſti ſunt,[8] Franciſcum Ducem Salcedæ Hiſpaniâ oriundi veneficiô, Regem ipſummet, quem paulo ante domô exegerant, dementati fraterculi

[1] Franc. Guicciard. lib. 5.

[2] de Iure Regis in Navarram probat. p.

[3] Guicciard. lib. 10 & 11.

[4] Navarra ſuperiore, Ripagorcia, Caſtro bono &c.

[5] anno 1553, Decemb. 13, & an. 1558, Febr. 7. nati, erant.

[6] Thuan. lib. 35.

[7] ab A.D. 1564, Mart. 25, ab anno 1595, Ian. 8.

[8] lib. 79.

terculi ſacrilegô ferrô, è mediô ſuſtulerunt, diram populariúm ſtragem late ediderunt, percuſſores diverſis temporibus, in Regium caput ſubornarunt.

Regalem trans Pyrenæum apicem ac titulos trahere conati in ipſo conatu defecerant, jam enim edomitâ ferocientium audacia, extortaque Iberarum Harpyarum uncis [1] Samarobrivâ, effœto moribundo, immo longâ morte confecto, victor, ætate florens, à vicinis adverſus communem hoſtem in acie ſtantibus incitatus imminebat; poteratque, ut publicas, ſic privatas injurias ulciſci; ſed ſortis humanæ memor, per Ioannem Richardotum roganti hoſti, conſenſum ſuum commodare maluit: pax à partium delegatis tractata, ac tandem an. 1598, Maji 2, [2] ſancita eſt; quâ *Regi, ejuſque hæredibus, & actionem habentibus ſalva manſere jura & actiones, horum regnorum, provinciarum & ditionum nomine, quibus nec per ſe, nec per majores ipſius diſerte renunciatum fuerat*; ejus pacta rata Iulii 12 cum Philippus habuiſſet, Septembris ſequentis 13, feriâ 1, anno vitæ 72 menſe 5, morti ſuccubuit; *nulla* autem *re impudentius aut majore cum numinis contumeliâ illuſum eſt, quam in Navarreni regni mentione toties repetitâ, dum Pater filiuſque conſcientiæ morſum præ ſe ferunt, & ejus exonerandæ curam pater ſerio fortaſſe de eâ cogitans in filium rejicit, & ille porro in filium; ſemper dilato, nec unqnam terminato negotio.* cum neutri propoſitum aliud fuiſſe videretur, quam ut ex inſcriptionis portæ Mediolanenſi affixæ mente, *divino numine electus ad ſeparata omnia Imperia congreganda, crederetur.*

[1] A.D. 1597, Septemb. 25.

[2] Thuan. lib. 120.

Philippo II naturâ *ſagaciſſimô, in rebus gerendis accurato*, & diuturnâ ad miniſtratione exercitato, Philippus III, annos tantum 19 natus, eoque rudior ſucceſſerat; non tamen deſiit paternis artibus [3] in Henrici Magni regnique totius perniciem (fortiſſimis Ducibus, & optime ante de Repub. meritis continuis prenſationibus expugnatis, & in caſſes ſuos pertractis) graſſari; quorum alius A.D. 1602 à pacta pace quinto Iul. 31 capite luit; alius an. 1602 exeunte, propinquorum cuſtodiæ commiſſus eſt; alius cum vitrico A.D. 1604 Novemb. 9 in carcerem conjectus, poſt annos demum 12 libertati reſtitutus eſt. [4] Fontanella *de Triſtani inſula, cui præerat, portu maximopere opportunâ in Aremoricâ prodendâ, cum Hiſpanis tranſegiſſe, convictus Lutetiæ membris confractis* annô 1602, Septemb. 27, *rotæ impoſitus eſt.* Nicolaus Hoſta nefariâ mercede, ut Francicas res proderet, redemptus; ubi deprenſus eſt, & *aufugiens* Matronæ *vadum per obſcuram noctem quærit*, A. D. 1604, 8 *Kal. Majus ſubmerſus eſt*; *captus* à Balthazare Sunica Hiſpaniæ legato, *tributus viæ comes*, [5] *à quô ſubmerſum Sunicæ juſſu* reum *ſuſpicio fuit.* Merargius [5] qui *de Maſſiliâ proditione tradendâ ſpem fecerat, ea*que *de re jam aliquoties cum Balthazare Sunica Philippicô Oratore egerat, cum Brunellô Belga Sunicæ ejuſdem ab epiſtolis* A. D. 1605, Decemb. 5 *comprehenſus, cum ſe ab Hiſpanis ſollicitatum nequaquam aſſenſum præbuiſſe diceret*, Decemb. 19 *ſecuri percuſſus eſt.* Eodem fere tempore *Perpiniani in Ruſcinonenſi Comitatu Præfectus, cum Lugaſſiis fratribus, de Narbonâ & Biterris in Septimaniâ prodendis conſilia agitavit.* Nihil tamen tot injuriarum & perfidioſarum molitionum aculeis lancinatus Henricus Magnus, ultra verba conatus eſt; *poſt pacificationem Vervinenſem Philippicos Oratores ſic ſecum egiſſe, ut de bona ejus voluntate & fidâ amicitia merito dubitare debuerit, queſtus*; *non ſolum ad conſilia Principum exploranda, quod Oratoribus licet, ſed ad ſubverſionem imperii renovatas* à Ioanne Baptiſta Taxi & Balthazare

[3] Thuan. lib. 128.

[4] lib. 132.

[5] lib. 134.

zare Sunicâ *antiquas in regnô factiones, & tunc id agere Hiſpanos, ut ſibi, generique ſuo, & nomini Francico perniciem, ſi poſſent, violatis juribus divinis & humanis machinarentur,* Sunicæ in os exprobavit: quoque Chriſtiano orbi teſtatum faceret, ſe bona malis rependere natum, annô 1607 *Induciarum* fruſtra ſæpius ab Hiſpanis ferendæ belli adverſus Ordines fœderatos ab anno 1567 geſti moli imparibus expetitarum [1] *negotium quantum potuit in occulto urſit,* utque reipſa A. D. 1609, April. 6 pangerentur obtinuit.

[1] lib. 132.

De Clivenſi & Iuliacenſi ditionibus invadendis jam ſuo tempore cogitaverat Philippus II, proüt [2] ex ejus ad Alexandrum Farneſium Parmenſem in Belgio Vicarium & Guillelmum de S.Clemente ad Rudolfum Germaniæ Cæſarem Legatum epiſtolis A.D. 1590, Ianuar. 30, & Maji 16 datis conſtat: cum Ioannes Guillelmus poſtremus familiæ mas, nullis ex Antonia Lotharingica uxore ſuſceptis liberis annô 1609 deceſſiſſet; ne relictas ab eo ditiones legitimi hæredes ſororum ejus liberi, ſibi vindicarent; occupato Cæſaris nomine Iuliaco, oſtentatis è Belgiô proximo per inducias interquieſcente Hiſpanicis armis, Germaniæ univerſæ viciniſque regnis ac ſtatibus terrore incuſſo, ne quod res eorum publica ex improviſo hoc metu detrimenti caperet, providendi neceſſitas impoſita eſt; rogatus ab iis quorum intererat eorumque propinquis & amicis Henricus Magnus, juſtiſſimæ cauſæ patrocinium ſuſcepit, quidque animô decretum eſſet Paulo Papæ, Philippo Regi, Alberto Archiduci, aliiſque per Europam Principibus denunciavit, pacta ab Erneſto Brandeburgico, & Wolfgango Neoburgico inita comprobavit, ut executioni mandarentur, copias ad limitem paratas habuit; Rudolfum Cæſarem per Comitem Soleranum; Albertum Archiducem per Richardotum Præſidem; Leopoldum Archiducem, & Ioannem Georgium Saxoniæ Electorem per miſſos ad ſe Conſiliarios, animi ſui certiores fecit: ubi ſe impudenter, quaſi dirum quicquam in vicinos moliretur, traduci ſenſit, copias ita revocavit, ut veterum amicorum commoda promovere non deſineret, de eo Georgio & Friderico Solmenſibus eorum Legatis & Hippolyto à Collibus Palatini Electoris Oratori proteſtatus; cum denique inter fœderatos conſtitutum eſſet unanimi conatu, Iuliacum quæſito colore interceptum oppugnare, eorumque nomine ad ſocianda arma à Chriſtiano Anhaltino Principe Lutetiam hoc uno fine profectô invitatus eſſet, numeroſum, quem ipſemet Iuliacum duceret, exercitum conſcripſit; limitum ſecuritati, ne qua ab iis, qui famoſa illa munitione legitimos Dominos excluſerant, vis à tergo fieret, quantum neceſſe videbatur providit; jamque in procinctu erat, Europa univerſa (ſi ſolos ditionis ad ſe nullo jure pertinentis invaſores excipias) fauſta omnia maximo & vere ad triumphos nato Principi apprecante, cum in monſtrum cacodæmone actum improviſus incidit, vitâque omnium precioſiſſimâ, infando ſcelere violata, [3] *Spiritu oris ſui, Chriſto Domini in cujus inter gentes umbrâ* per annos fere 21 *vixerat* præter ſpem deſtituta miſeranda Gallia incredibili cum dolore experiri coacta eſt, quod vir graviſſimus, integerrimus, patriæ amantiſſimus Thuanus, eodem fere tempore, deploravit, *Neapolim* ab Hiſpanis inſeſſam, [4] *ſicariorum, perduellium, infamium; exulum, ſentinam* factam, in qua *pernicioſa in Regis ſalutem ac nominis Francici decus conſilia coquerentur, quod in deteſtandô Ravalliaci parricidio poſtea patuit.* reverâ poſt abjectum Capucinorum fratrum cucullum, ejuratamque monaſticen, Neapoli ac exindè Bru-

[2] editæ ſunt.

[3] Lament. c. 4. 20.

[4] hiſt. lib. 128.

Bruxellis commoratus, Lutetiam tandem petiit, tam multis abominandi machinamenti conſciis, ut quâ die patriæ parentis ſacrum pectus ſceleratô cultro transfodit, Regem cæſum inter Bruxellanos, Antverpianos, Gandavenſes, alioſque Belgii Hiſpanici incolas paſſim diſſeminaretur, quod nulli niſi qui forte nondum ære lavetur ignotum eſt.

Henrico Magnô A.D. 1610, Maji 14, feria 5. immaniter & impie trucidato, Ludovicus XIII. A.D. 1601. Sept.27. SS. Coſmæ & Damiano feſto feria 5. exeunte natus ſucceſſerat: quæ regni afflicti clavum tenebat Maria Medicea parens, maternæ originis memor, de jungendo pupillo Philippi III primogenitæ ſtatim cogitavit, quibus conditionibus tanti conjugii A.D.1612, Aprili menſe inita, [1] & Aug.20 confirmata pacta ſteterunt? licet regnorum omnium ditionumque HiſpanicumImperium, quantum quantum eſt, conſtituentium fœminæ per ſe capaces ſint, juraque ſua univerſa in poſteros utriuſque ſexûs transfundere aptæ natæ ſint; Anna Ludovico noſtro, anno ætatis undecimo, quo necdum ſui juris erat, ut quomodocunque de ſe ſtatuere poſſet, deſponſata, communi jure gentis eoq; utendi poteſtate (quæ illibata Mariæ germanæ poſtgenitæ manſit) carere, niſi in caſu Francicæ genti probroſo juſſa eſt; ſi, Ludovico ſuperſtite, germanos ejus omnes, eorumque utriuſque ſexus poſteros denaſci contingat, ea cum liberis omnibus Francicô ſanguine genitis, exhæres pronunciatur; ſi elatô viri funere, liberis carere, in Hiſpaniam redeat, & patris aut fratris auctoritatem ſecuta denuo nubat, univerſam hæreditatem Hiſpanicam, quâ ſolium Francicum inſidens excideret, cernet, & ad liberos exinde naſcituros tranſmittet. Alfonſus decimus Hiſpali condito A.D. 1284, Novemb.8, feria 1 teſtamento, *ſtatuit* [2] *& ordinavit, quod ſi filii* (Ferdinandi Cerdæ primogeniti ante annos 7 denati) *decederent ſine liberis, qui hæreditare deberent, quod iſtud Dominium ad Regem Franciæ reverteretur,* &c. *& iſtud Dominium dedit & conceſſit tali, quod cum Regno Franciæ uniretur, in modô, quod ambo in perpetuum eſſent uniti, quod ille qui eſſet Rex Dominus Franciæ, eſſet ſimpliciter Rex & Dominus Dominii Hiſpaniæ.* At anno 1612, perinde ac ſi Hiſpanici generis Principi, cum Francorum Rege affinitatem contraxiſſe, aut Hiſpanis ex affinitate illa nato cuiquam ſubeſſe (quod Alfonſus X honorificum cenſebat) pudendum eſſet, in Francicarum nuptiarum pœnam, utroſque avitâ hæreditate trans Pyrenæum carere, hanc vero Francico matrimonio illigatæ recuperandi patrimonii Hiſpanici conditionem ſupereſſe, ſi poſtquam Franci Regis uxor eſſe deſierit ad ſecunda cum Hiſpano, aut alio quoquam propinquis Hiſpanis grato, vota tranſeat; quantum à priſcis illis Hiſpanis mutati ſunt hodierni? utros ſapuiſſe, ut ex æquo & bonô agere cenſerentur, Chriſtianus orbis dixerit?

Concuſſâ ab ipſis (ut ſic dicam) fundamentis A.D. 1612 Bohemiâ nutabat, imo ruinam facere videbatur, Auſtriacæ domus ſtatus; potuiſſet Rex Chriſtianiſſimus æmulæ familiæ, cujus caput Francico regno ab A.D. 1559. ad finem uſque vitæ inhians, nihil intentatum adverſus Henricos III & IV reliquerat, infortunia compendifacere; quod ſuprema voluntate Philippus II filio moriens mandaverat, [3] *regnorum aliorum & ſtatuum luxationes ac mutationes eas, prout res ferrent, in commodum ſuum vertendi ſpe attendere*; eoque fine de Friderici ex gente ab antiquo fœderatâ & bene meritâ à Bohemis

[1] edita ſunt.

[2] ex Archivo Regio.

[3] mandata illa edita ſunt.

hemis electi provectione, ſibi, regno, Europæ univerſæ, cui inconcuſſam ad longos annos ſpondere ſecuritatem videbatur, gratulari, & *væ victis* inclamare; Sed de univerſis, nullo habito diſcrimine, optime mereri ſtuduit, Ferdinandi II (non adeo benevolentis, quod ex eventu patuit) infortunium commune Regum omnium periculum reputans, pacique Germaniæ quomodocunque reſtituendæ unice intentus. Electum Bohemiæ Regem ab invadendo alienô; Bohemos à vi Principi, cui ante annos quatuor fidem obſtrinxerant, inferenda, Germanos univerſos ab extremis fere ſemper dubiis, plerumque noxiis, Conſiliis, per Carolum Valeſium, Engoliſmæ Ducem, Philippum Bethunium Cellenſem, & Carolum Albaſpineum Caſtri novi Dynaſtam A.D. 1620, April. 8. Legatos, ſerio dehortatus eſt: frontibus adverſis in Suevia concurrere paratas partes, interpoſita amici nominis auctoritate,

edita ſunt.

ad pacta Vlmæ Iulii 3 ſcripta deduxit, utque Viennam ad affinem in arcto poſitum, opem & Legatorum amica officia inſtantius poſcentem, confeſtim pergere juſſit. Bavarus pactorum Vlmenſium beneficio, compedibus (ut ſic dicam) ſolutus, vi totâ in Auſtriam ſuperiorem ipſi oppigneratam irrupit, populos in acie ſtantes debellavit, Bohemiam, junctis cum Bucquojo Comite viribus, invaſit; Bohemicum exercitum Novembr. 8 profligavit, regionem ſubegit, Electum propinquum fugavit. Diverſâ parte SaxoLuſatos imperata facere coëgit; Archiducum Vicarius Spinola, putidis ludificationibus, ne patrimonium nepotum in tuto collocaret, Britanni Regis ore oblito, remittente ſenſim Porteſtantium Fœderatorum in cauſâ communi ardore, apertâ vi, Palatinam ditionem adortus, ſub manum miſit; nec tantum præſenti periculo diſcuſſo, omni perniciem minantis procellæ metu ſolutus eſt, ſed ubique triumphabundus, dejectique æmuli cervicibus inequitans, nulli niſi forte Bavaro ſororio & Catholicarum partium Duci, Germania, imo Europa tota, non tremendus evaſit. Francis certe illô ipſô tempore, quô Ludovici noſtri opem non fruſtra imploratam experiebatur, parum ſe gratum exhibuit; hinc Magni, acrique alia omnia merito illatæ injuriæ ſenſu puncti, Regis ad Legatos anno

epiſt. regis A.D. 1623 edita eſt.

1620, Iul. 21, Lutetia data mandata. *Faiſant tous ces offices en faveur de l'Empereur & de ſa maiſon, je ſuis peu ſatisfait de la façon que ſon Ambaſſadeur Extraordinaire le Prince de Savelle a traicté avec le mien a Rome, ayant deferé a celuy d'Eſpaigne par preference au S^r. Marquis de Coeuvre, contre ce qui m'appartient, & ſans prattique par autres, qui ont precedé en cette meſme qualitè; de quoy ſera a propos que vous faciez ſentir quelque choſe a ſes miniſtres, comme d'une choſe non ſeulement contraire a ce qu'il doit, mais que je devrois moins attendre en cette ſaiſon, que je me porte pour eux avec telle affection, qui ſervira tousjours, quand j'auray occaſion où volonté de r'allentir mon aſſiſtance, ou mes offices, & qu'ils conoiſſent, qu'il n'eſt pas correſpondu par eux a cette ſincerité; toutesfois, vous eu uſerez avec diſcretion telle, qu'ils ne ſoupçonnent que je vueille me refroidir, & leur eſtre a preſent moins favorable, & puiſſent juger toutesfois, qu'ils ſont tenus de mieux proceder en mon endroit.* Id eſt, *univerſa hæc officia in Imperatoris ejuſque domus favorem dum præſto, mihi parum ſatisfacit modus, quo Legatus ejus extraordinarius Princeps Savellus cum meo Romæ egit, dum Hiſpanico primas detulit, eum Marchioni Coeuvræo præferens, præter id quod ad me pertinet, & ſine aliorum, qui ipſum in eodem dignitate anteceſſerunt exemplo. Quo nomine id miniſtris ejus nonnihil obolendum dare opportunum fuerit*

rim quo ſentiant id non tantum comitati ab cô debitæ contrarium, ſed quod hac qua ipſos tanto affectu proſequor, tempeſtate minime expectare debuerim, quod interim conducet (quandocunque vel occaſio vel voluntas exiget, ut ſubſidia, vel officia mea remittantur) ut ab ipſis ſinceritati iſti minime reſponſum noſcant, eo vero judicio utemini, ut me refrigeſcere, aut ipſis minus impræſentiarum favere velle nequaquam ſuſpicentur, ſed officii ſui eſſe melius mecum agere judicare valeant. Quid vel expoſtulatione iſta modeſtius & juſtius, vel Savelli, ex delegantis præſcripto, ſed tempore maxime importuno, injurii molimine inſolentius & iniquius eſſe potuit? truculentius cum Bohemis eorumque electo triumphatis actum ferri poterat; ſed quid commeruerant, parens vidua, germanus, propinqui nulli turbæ impliciti, ut illa dote; hi patrimonio ſpoliarentur? quandoquidem Proteſtantes univerſi, pro communi defenſione, ſecundum leges ipſiuſque naturæ dictamen, ſumpta arma poſuerant, colendo qui Germanicæ libertati imminebat certatim intenti, quid niſi fœda omnia devorandi libido, ſuadere potuit, ut hoſtium loco hoc ipſo quod ne contra ſævitiem hiſce re auſi fuerant, inſontes haberentur, Tilioque, Valſtenio & ſimilibus barbaris, ceu totidem ex Orco excitis furiis, torquendi objicerentur, nulliſque vel ſuppliciis vel populorum & magnatum lachrymis reſtinguendum incendium provincias oberrare, alioſque poſt alios depaſcere juberetur?

Eodem anno Rudolfi Plantæ à legitimo Magiſtratu præſcripto ferina perfidioſe paulo poſt ab Hiſpanis excitata barbaries, Tellinam vallem improviſis inter concives cædibus compleverat; immani procella vexatam Ligurum Præfectus Dux Feriæ confeſtim invaſit, propugnaculis munivit, Italiam univerſam in compedes conjecit, Principes omnes Europæos, inprimis vero Veneticam, Helveticam, Rhæticam Reſpublicas, hanc præcipue antiqua ditione, dejectam & Leopoldi Archiducis armis paulo poſt infeſtandam tam atrocis quam pudendi facti novitate perculſos, ſpoliatos, vimque iniquam paſſos fœderatos reſtitui, injecta Italiæ cervici indignæ ſervitutis inſtrumenta amoveri poſcente per Legatos Rege Chriſtianiſſimo, urgente pacem Gregorio XV Papa, Madriti A.D. 1621, April. 25, pacta nonnulla ſcripta ſunt, nullo tamen fructu, quandoquidem unctis Hiſpanicis quocunque modo prehenſa, avelli, niſi vi nequaquam potuerit, annoque 1624, 12 Feb. nec ante annum 1626, Martii 5, quo Moncionenſe pactum initum eſt, funeſtam illam litem componi potuiſſe certa ſpes fuit. Chriſtianus Danorum Rex, Saxoniæ Tilianis & Friedlandicis copiis oppreſſæ miſertus, in eas invitatis Francorum, Anglorum, Suecorum Regibus A.D. 1625 duxerat, infecta re A.D. 1629 paciſci coactus eſt. Carolus Nivernenſium &c. Dux, Vincentii Gonzagæ patruelis Mantuæ & Montisferati Ducis hæreditatem ad ſe ſanguinis jure devolutam anno 1623 creverat, quod Franciæ natales & affectus ſuos deberet, Auſtriacæ genti inviſus, eorumque armis niſi Francicam & Venetam opem rogaviſſet, oppreſſus, extorris & exſpes, circumſeſſo A.D. 1628 & 1629. S. Evaſii Caſali, & intercepta A.D. 1630, Iulio 1 menſe Mantuâ, præcipuis ditionum miſere direptarum locis, æternum jacuiſſet, ſed Papâ, qui *cum præcipuis Europæ principibus ac præcipue Italis* Regem ad expeditionem Montiſferatenſem impulerat, auxilia obtulerat, in fœdus cum eo, Sabaudo, Venetis, Mantuano ipſo A.D. 1629, Martii 20 conſenſerat, interveniente; Electori- (edita fœderis capita.)

*** bus &

bus & Tuſco urgentibus, de reſtituendo in integrum Mantuanô eodem ſerio Ferdinandus II cogitare compulſus eſt, tranſactum itaque de tota controverſia Mantuana Ratisbonæ A.D. 1630, Octob. 13, & Claraſci in Subalpinis A.D. 1631, April. 6, paxque hac ex parte redintegrari viſa eſt.

Vt provincias Belgii unitas ad paciſcendas cum Hiſpanis inducias permoveret, cum ipſis nullâ aliâ conditione, vel induciarum, vel pactorum aliorum quorumcunque nomen audire & ferre paratis, novum ad defenſionem mutuam & pactorum ſecuritatem fœdus A.D. 1608, percuſſerat Henricus Magnus; id in ſummô Europæ ab Auſtriaca gente vexatæ periculo, anno 1630, Iunii 17, renovari; 1634, April. 15, firmius adſtringi placuit. Cum autem promiſſa Franco, Anglo, Dano Regibus Palatinæ familiæ reſtitutio in Chriſtiani orbis ludibrium differretur, Germaniæ Principes nonnulli patrimonio pellerentur, ipſi etiam Electores & Principes, qui vel nullis ſe turbis implicuerant, ut Brandeburgicus; vel cauſam Auſtriacam armata manu propugnaverant, ut Saxo, indignis modis vexarentur; Suecus denique temere nec unô modo laceſſitus in Germaniam excarnificatam, eam fortiter vindicaturus, triumphalem pedem intuliſſet; is vero qui *ad componendum bellum Sueco Polonicum à Chriſtianiſſimo Rege miſſus Hercules Baro Charnacæus poſt illud negotium feliciter peractum, non minorem* Suecicæ *Majeſtatis zelum intelligeret, quam* Francicæ *voluntatem fæderis ineundi, in communium amicorum vicinorumque libertatem recuperandam. Bernwaldi in nova Marchia Brandeburgenſi decimatertia Ianuarii Anno* 1631, *ſtylo veteri, pro defenſione communium amicorum, ſecuritate maris Balthici, & Oceani, libertate commerciorum, reſtitutione oppreſſorum Imperii ordinum, & ut fortalitia ac propugnacula quæ extincta fuerant in portubus ac littoribus alterutrim maris Oceani, aut Balthici, vel in Rhætia demolirentur*, pacta inita & exinde confirmata ſunt.

verba pactorum.

Exactis Pomerania & Marchia Brandeburgica Auſtriacarum partium copiis, fuſô ad Lipſiam Tillio qui Septemviri Saxonici optime de Imp. meriti ditionem invaſerat, ocyor ventis & agente nimbos ocyor Euro Moguntiacum Decemb. 27, Guſtavus victor ſubegerat; jamque Lotharingo adverſus ipſum hoſtilia molito imminebat: Rex ipſe Metim ſecuritati limitis proviſurus conceſſerat; eo Herbipolitanus Præſul, Bavari, Colonienſis, Trevirenſis &c. delegati, de patrocinio Francico acturi confluxerant; Lotharingus impendenti à Suecico fulmine infortunio ſeſe ſubduxerat, in Regis cui ob Barrenſem ditionem hominii lege obſtrictus erat amicum ſinum ſe ſuaque conjiciens, & Vicenſibus pactis Decemb. 30 ſubſcribens. Roganti ſuo & fœderatorum nomine Bavaro, tantiſperdum de pacis conditionibus tranſigeretur, inducias conceſſerat Suecus, idque dignationis Francici nominis interpoſitioni detulerat, ut aliquantiſper panſis ad victricia ſigna alis advolantis victoriæ curſum ſiſteret, at à Bavaro indulto tempore abutente ſibi fœdè illuſum merito indignatus, acrior ad pudendi ludibrii pœnas repoſcendas inſurrexit; unus Trevirenſis incendio quô proximus ardebat Moguntinus jam fere correptus cui nihil tum à Ferdinando II ſubſidii eſſe poterat, nec alia ulla ſemet periculo eripiendi ſuaque ſarta tecta ſervandi via patebat, Suecicis armis amicum Francici præſidii ſcutum obtendit, & Francos dignitatis & ditionis fidis adverſus vim omnem aſſertores & conſervatores advocavit, qui

vit, qui uni ſuſcepti ſui ſecuritati intenti, nemini injurii, ab omni (quantum per laceſſentes licuit) in vicinos quoſcunque noxa abſtinuere. Quis æquiſſimi & innocentiſſimi conſilii fructus? Ea fide qua A.D. 1541 uſus Caroli V in Mediolanenſi Ducatu vicarius Alfonſus Davalus Vaſti Marchio, præſidiariorum ex arce Ticinenſi ſubmiſſorum opera, Cæſarem Fulgoſium Genvatem, & Antonium Rinconium Hiſpanum Franciſci I Legatos, ſecundo Pado devectos in locum qui *plaga Cantalonæ* dictus, & ad 3 ſupra Ticini in Padum influentis oſtium milliare ſitus eſt, immaniter Iulii 3, feria I circa meridiem trucidaverat, Camillum Seſſanum Comitem & reliquos itineris eadem cymba vectos ſocios (nam qui ſecunda cymba deferebantur maturo excenſu & fuga præverterant) cum remigibus Ticinum deductos in vincula conjecerat, eodemque fere tempore per ſtipatores ſuos inſeſſa militari via, quæ Venetias ducit, epiſtolas à Rege & ad eum datas, violatâ induciarum A.D. 1533 Iunio menſe Nicææ pactarum religione interceperat; eadem Philippi I V miniſtri, deſpecta juris omnis reverentia, Philippum Chriſtophorum Imperii Germanici Principem Electorem, in ſacris conſtitutum præſulem, domi ſub principis ab antiqui fœderati umbra (tantiſperdum quos malo ſuo exciverat Imperator turbines deſævirent) quietum, nulli ſive alieno, ſive proprio noxium, nulla clarigatione monitum, cum præſidio attributo ex inſidiis oppreſſere, rei modo habuere, quocunque libuit deportavere, totamque ditionem infeſtavere: abruptum tam ſubita quam flagitioſâ vi fidei publicæ vinculum, everſaque Eccleſiæ & Reip. univerſa jura, indignatus Rex, cum Infante Cardinali cujus militiæ adſcripta tanti ſceleris inſtrumenta videbat per Legatum egit, ut pœnis de latrocinii inauditi auctoribus ſumptis, rebuſq; in integrum reſtitutis, ſibi ſuiſque de illata injuria fieret ſatis; cum id fruſtra eſſet, eique de fœdere A.D. 1634, Maji 12, Bruxellis hoc fine ut Hiſpanicis armis peteretur inito innotuiſſet; Septembris ſequentis 11, Ioannes de Meneſes intempeſta nocte oram Narbonenſis Galliæ maritimam ipſoſque regni aditus explorans deprehenſus eſſet & captus; Claſſis denique Neapoli ad invadendam Provinciam eodem tempore inſtructa, vim novam minaretur; fæcialis à læſô & injuriarum ſubinde recurrentium impatiente clarigatum Bruxellas A.D. 1635 Majo menſe miſſus eſt; ac exinde meritas violatæ pacis pœnas turbones pendere fere ſemper coacti ſunt.

Dum utrinque vi geritur res, Iacobus Caſſanus Regius in Biterrenſi prætorio Advocatus, bono, ſed parum cauto zelo, ſuo certe periculo, cum multa probabilia, ſed nondum ſatis comperta ſcriberet, de Regis Chriſtianiſſimi in Regna, Ducatus, Comitatus, urbes, regiones ab externis occupatas juribus, anno circiter anno 1638 edidit: ejuſq; ſtatim Beſianus Arroyus Lugdunenſis Eccleſiæ Theologus libello *quæſtiones deciſæ* inſcripto veſtigia preſſit: uterque Hiſpanicæ partis hominibus & bilem movit, & quicquid illa ſuggerebat evomendi libidinem provocavit. Cornelius Ianſenius Theologus ob ſuſceptam animoſe cauſam Iprenſi paulo poſt Epiſcopatu auctus, ſub *Patricii Armacani* larva latens, in *Marite* ſuo *Gallico* nihil non virulentarum calumniarum in Francos tam veteres quam hodiernos effudit, quas una litura redempta anno 1648 cum fœderatis Belgii ordinibus pace, percuſſoque nuper cum Anglis à Papæ cultu & communione alieniſſimis fœdere, idipſum quod in aliis improbabat admittens Hiſpanica gens induxit. Acceſſit *Franciſcus*

ciſcus Zipæus Iuriſconſultus Portunatarius Apoſt. Canonicus, Officialis & Archidiaconus Antverpienſis, qui *id ſibi negotii credidit ſolum dari*, ut *Iacobi Caſſani*, quaſi Francorum omnium eſſet, *hiatum obſtruxiſſe* videretur. poſtremus velut prælio ad triarios redeunte in arenam deſcendit, cum quô mihi propriè res eſt *Joannes Iacobus Chiffletius Hiſpanici Regis Archiater*.

Cum infinitis fere modis Capetinam gentem Carolinô ſanguine imbutam fuiſſe conſtet, idque ad oculum ipſi demonſtraverimus, nôn injuriâ Chriſtianiſſimum Regem, qui totius gentis caput, Caroli Magni *nepotem*, imo in *nepotibus principem* haberi & dici voluerat Caſſanus; ſed quod univerſam Carolinæ gentis hæreditatem, hoc ad eum nomine devolutam fuiſſe, & quotquot ejuſdem partes quomodocunque poſſideat, aliena ſuô tempore reſtituenda occupare ſcripſit; ut de falſitate nihil dicam, invidioſum plane & intempeſtivum jure videri potuit: quandoquidem Capetus noſter ad regnum hæreditariô jure, qua Caroli per matres nepos erat, evectus non eſt, ſed liberæ & legitimæ electionis viâ, quâ Imperio digniſſimus viſus, poſtremo Carolino regni capaci, ut novam deinceps poſteris ſucceſſionem fundaret, à Francis univerſis ſuffectus eſt: nec ſine abſurditate & ἀντιλογίᾳ ab eo qui *Salicum* jus, fœminas à regnô arcens, defendebat, id fundamenti locô ſterni potuit, Capetum ductu tantum fœmineô à Carolo oriundum, natalium jure Carolinam hæreditatem creiſſe, idque ipſum eum maternæ origini *debuiſſe*, quod *deberi* per vetuſtum regni morem, nequaquam poterat. quis enim non videt à matribus, quarum ad regnum jus nullum eſt, juris quô abſolute carebant, nihil nepoti trahere jus faſque fuiſſe? fuerit ergo (ſi maternum decus ſpectare libeat) & ante regnum illuſtrior, & poſt electionem legitimam *Rex nobilior*; non tamen *magis Rex*, quàm fuiſſet, ſi ex familiâ quam Carolinus tradux nullô modô contingeret, genus ſuum repetiviſſet: nec aliud in eum ex ditione Carolina, electionis jure tranſlatum eſt, quàm quod poſtremis Carolinis Ludovico IV, Lothario, & Ludovico V obvenerat, iidemque Francis Occiduis, quibus ſolis imperabant, quoſque de aliis Carolini Imperii membris extra fines ſuos ſitis, ſtatuendi poteſtate abſolute deſtitutos fuiſſe res ipſa clamat, transferendum reliquerant. Demus tamen quicquid uſquam Carolini dominii fuit, ad Capetum & poſteros avitæ ſucceſſionis jure devolutum fuiſſe, nec ad alios legitimâ ullâ viâ tranſire debuiſſe: An non id eô momento & tempore ebuccinare inconſultum & intempeſtivum fuiſſet, quô Franciam Occidentalem, dominii ejuſdem in Germania, Italia, Belgio, quomodocunque poſſeſſorum viribus, aut favore ſubnixam, adverſâ fronte cum Hiſpanica idipſum (quantum quantum eſt) inani ſpe jam dum devorante concurrere neceſſe erat? Galliam, Germaniam, ipſamque cis Iberum Hiſpaniam Francici regni titulo, Italiam Longobardici regni, & Imperii Romani jure ſibi Carolus Magnus vindicaverat, & poſteris vindicandum dederat; ſi ſoli ex iis Capetini ſuperſint, nec juſtos alios Dominos vaſta illa Carolinæ ditionis compages ferre poſſit, ad quoſcunque ſive major, ſive minor ejuſdem portio tempore ullo devenerit, aliena ab initio invaſiſſe, iiſque uſque nunc inſediſſe, ex Caſſanianâ hypotheſi ſtatuendum fuerit; ſic Papa totius Imperii Romani, quod ab anno 800 in Occidente rurſus fundatum eſt, & regni Longobardici in Spoletano, Beneventano, Ferrarienſi, Vrbinate Ducatibus, Marcaque Anconitanâ potens, reſp. Veneta, Rhetica, Genuenſis,

nuenſis, & Lucanæ, Tuſciæ, Mantuæ, Mutinæ, Parmæ Duces, Subalpinæ regionis Principes, &c. in Italia, Helvetii, Sabaudus, Lotharingus, Belgii fœderati Ordines, Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis, Palatinus Electores, Cliviæ & Iuliaci Duces, cum Eccleſia Leodienſi in Gallia: univerſi Imperii Principes, Proceres, civitates in Germania, Capetinorum ſpoliis induti, æternum ſibi ab iis, ne quando ſua armis, aut ullo quocunque modô repoſcant, metuendum non injuriâ cenſuerint, nec ſine occulto odio & horrore infeſtæ (ſi ſuo jure uti velit) gentis decus & proſpera contuebuntur, tantumque à fœderibus cum ea vel ſervandis, vel percutiendis aberunt, ut impendentis ab eâ periculi nunquam non pectus lancinantibus ſuſpicionibus efferati, de ea ne unquam tremendas è proximo criſtas attollat, conjunctis virtutibus opprimenda, in communi conſultaturi videbuntur: Quod *Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.*

Sed nihil orbi Chriſtiano, à Capetina familiâ, antiquâ hæreditarii regni poſſeſſione contentâ noxæ paratur, nihil illa in vicinorum (quos quantum licebat benigno ſemper ſinu fovit) moliri ſolita eſt, non ſe *ad alia omnia regna colligenda natam* putavit unquam, quæ tam inſani faſtûs fermento turgentes ferre nequaquam potuit: nec oſtentato Caſſaniani terriculamenti ſpectro percelli quiſquam debuit; nec nos quos id in ſcopulos impegiſſe videatur, (quandoquidem amicus nemo, niſi uſque ad aras fuit, aut erit unquam) ubicunque eo nos ſuſceptum penſum vocabit diſſimulabimus; ut qui pacem univerſis etiam profeſſis hoſtibus, ſi modo ad mentem redire velint, optamus; nullos belli fomites Europæo vel minimo, ſi fieri poſſit, formidandos relinquamus. De ſuis, quæ nihil ad Reges noſtros, gentemque univerſam reverâ faciunt, præſtandis, ſi forte libuerit, cogitare per otium poterit Caſſanus, tantiſperdum impudentiſſime à Zypæo, neſcio quô faſcinô dementatô, in laudatiſſimorum Principum, nihil à quoquam tale meritum, in cœlo cum Deo nunc regnans caput, congeſtorum maledictorum Mephitim exhalantes fæces, everro, viamque mihi ad Chiffletium comminus aggrediendum complano & expurgo.

Ludovici XII *bona fides.*

QVÆ [1] (inquit) *inter Carolum* V *Imp. & Franciſcum* I *Galliæ Regem geſta ſunt, manifeſtam cauſæ Caroli juſtitiam ubique proclamant.* Quî vero? *Carolum juvenem, ut primordia tangamus tantum, deluſit Ludovicus* XII, *deſponſatâ ei anno* 1501 *Claudia filiâ, & contra fœdus Franciſco Valeſio Engulemi Comiti tradita anno* 1515, *id eſt Franciſco* I *deinde Regi Galliæ.* Hîc extra oleas bonum Zypæum ſaltare nemo non videt: quid enim ei propoſitum fuerat, an non Franciſcum violatorum fœderum reatu teneri? eô dignam probationem audite, *Carolum juvenem deluſit Ludovicus* XII; eſto, quid ad cauſam? *amphora* cœperat *inſtitui, currente rotâ, cur urceus exit?* de Franciſco acturus, Ludovicum XII invadit, quaſi *quicquid* ſocer *deliravit*, ſi tamen deliravit, gener *plectendus* veniat: ſed Ludovicum ipſum impacto præter meritum crimine abſolvamus. [2] A. D. 1500 *Gandavi Carolus Archiduci Philippo natu major filius ipſo Matthiæ Apoſtoli memoriæ ſacro die*, ſeu Febr. 24. *natus* erat; Anno 1501. *Tridenti Cæſarem inter præſentem & Gallum Regem, miſſô*

[1] lib. 2. c. 11. p. 215.

[2] Mariana lib. 27. c. 6.

miſſô eâ cauſâ Legatô pax facta eâ potiſſimum lege eſt, *ut Carolo* eidem *Claudia nuberet Galli major filia*, cujus natalis in annum 1499, Octobr. 14, inciderat.

[1] lib.28.c.10. [2] c. 14.

Anno 1501 [1] cum *Philippus* Caroli pater [2] *fœdus Bleſis cum Gallo Rege*, iniſſet & anno præc. Sept.22. *ſancitum patris Cæſaris conſenſu ratum fuiſſet. Colloqui viſum ad Haganoam Imperii urbem* ubi Claudiæ Caroli ſponſæ dos aſſignata, & ſponſorum *conjugium decretum.*

[3] c. 16.

Ferdinandus ſe inſcio de rebus tantis conſtitui expoſtulavit, *Auſtriacis infenſus nulla affinitatis cum iis inita memoria*, *ad Galli Regis occupandam gratiam adjecit animum*, Anno 1506. Ianuario [3] menſe *Philippus Angluſque ad Windeſſorium inter ſe viderunt*; *congreſſus inanis non fuit*; *ſancita inter eos principes amicitia ut Margareta Allobrogum Ducis vidua Angló denuo nuberet*, *Maria Angli filia Carolo Auſtriaco*; ſic pactorum annô 1500 initorum, & 1505 confirmatorum à paciſcentibus ipſis religione ſolutus eſt Ludovicus noſter, cui uni eodem anno [4] *ad 7 Kal. Octobris primâ poſt meridiem horâ* Burgis Caſtellæ veteris, metropoli *decedens* Philippus Carolum primogenitum commendavit, patre proprio, [5] & ſocero neglectis: eodem vero annô Maji 22, menſe [6] à deſponſata Carolo Maria quarto exeunte, Franciſco Ecoliſmæ Comiti, regni ordinibus univerſis rogantibus, Annaque regina annitente, & [7] *puellam ei cui proxima regni ſpes deſtinabatur connubio collocari conſultius* judicante, Claudia pacta fuerat: paulo poſt Philippi dormitionem, Neapoli à Maximiliani patris ad Ferdinandum ſocerum legatis, [8] *actum de conjugio Caroli principis cum Claudia*, *quod probari Ferdinando cupiebant*, *ac vero ut perficeretur*, *pro ſua parte dare diligentem operam*: noluit tamen. *Regem Gallum admonuiſſe regni ordinis repugnare conſilio*: *Mediolanum & Aremoricos divelli à reliquo imperio non laturos*, *orare potius uti filiam Engoliſmoram Duci conjugem daret*, expreſſe cauſatus. A.D. 1507, [9] *Galliæ Regem expoſtulabat Cæſar*, *conjugium Claudiam inter & Carolum toties pactum diſturbari*, *ac ipſo tempore agi de nuptiis regiæ puellæ cum Engoliſmorum Duce dolebat*: *dolebat ſcilicet impenſe*, *ubi reſcivit impedire conatus Cardinalis Rotomagenſis opera*: *Cæſaris votis multa patrocinabantur*; *cæteris omnibus validius fundamentum in fœdere ad Haganoam factô Mediolanenſis principatus jura Gallo ſimul & Philippo Principi Cæſareo diplomate confirmata, filiorum connubii inter eos ſpe certa fideque data, conjugio diſturbato indulgentiam conceſſam fore irritam. Ferdinando ea res curæ admodum non erat*, *qui ſpe Mediolani principatus jacturam regni Neapolitani ſucceſſore Carolo nepote relicto ſatagebat compenſare fœdus violatum, alterius fœderis mota fide. Galli aures Cæſaris poſtulatis ſurdæ erant*; *ſic ille animum in Angliam revocavit*, *Mariam ejus Regis filiam Carolo jungi cupiens, in quo eouſque progreſſum eſt*, *ut in puellæ dotem deſignarent ducenta & quinquaginta aureorum millia*, *diem & locum celebritati nuptiarum præfigerent.*

[4] c. 22.

[5] Guill. Bellæus Lain. Comment. lib. 1.

[6] Iammarth. lib.16. c.3. Guicciard. lib. 7.

[7] Mariana lib.28. c.8.

[8] lib. 29. c.4.

[9] c. 11.

eodem anno 1527 excuſationis genere Anglo uſus eſt. Guicciard. lib. 16. *Lupum Hurtadium ad pontificem delegavit qui diſpenſationem peteret, cum prius ſe Regi Angliæ excuſaſſet, populorum ſuorum voluntati à ſe negari non potuiſſe, cauſſatus.*

[10] lib.30.c.20. Dec. 1.

[11] c. 22.

[10] A.D. 1513, *In Hiſpania Ferdinandus Rex annis gravis, imbecilla valetudine*, *curis fatigatus*, *de pace Gallum ultro appellavit*; *utrique concordiam quam bellum magis ſalutarem fore. De Ferdinandi Infantis & Renatæ minoris Galli filiæ connubio actum eſt. Eodemque fere tempore* (Inſulis Flandrorum) *conjugium Carolum Auſtriacum inter & Mariam ſororem Angli ſæpe retractatum, novo decreto confirmari placuit*, *proximo etiam anno celebrationi perfectionique deſignato.* A.D. 1514, [11] cum jam *ad 5 Idus Ianuaria* Anna Regina vivendi finem

finem feciſſet, & Maji 18. Claudiam Franciſcus duxiſſet, *Trinopolitani Epiſcopi induſtria denuo de Ferdinandi Infantis & Renatæ minoris Galli filiæ conjugio actum* &c. *Anglus quia vindicare dolorem non licebat, ſoceri molitionibus occupatis, Gallum in fœdus prior attraxit Maria ſorore in conjugium illi pacta*; fœderis tabulæ *ad 7 Idus Iunii* ſcriptæ, matrimonium apud Abbatis villam Octobris 9 conſummatum, & ſequentibus Kalendis Ianuariis ad meliorem vitam Ludovicus *populi pater* tranſlatus. Ex his autem univerſis conſeſſis, & ab Hiſpanis ipſis in Commentarios relatis, à Philippo Caroli V patre anno 1506, à Ferdinando ejuſdem avo materno annis 1504 & 1506, à Maximiliano avo paterno annô 1512, ab Anna Regina regnique ordinibus anno 1506 diſturbata matrimonii anno 1501 primum pacti conſilia, nec per Ludovicum quo minus executioni mandarentur, ſtetiſſe liquet: unde ex neceſſitate conficitur Carolum (quod Zypæus fingebat) à Ludovico optimo & conſtantiſſimæ fidei principe nullo modo *deluſum*, ſed à Zypæo ipſo impudentiſſimæ calumniæ reo Lectorem turpiter *deluſum* fuiſſe; Sammarth. lib. 15. c. 4.

Franciſci I *bona fides*:

QVæ ille Franciſco I impingit nihilô veriora ſunt. *ſecunda* inquit Carolo deſponſata *fuit Renata, ſoror altera, deinde Herculi Eſtenſi Duci Ferrariæ data* 1516. petitam ejus nomine ab Henrico Comite Naſſovio Legato anno 1515 ineunte, qui Renatæ A.D. 1509, Octob. 25, natæ ſextus erat, deſponſatam Iunio ſequente, quo ad eum Carolus Borbonius Vindocini Comes miſſus, alteri denique anno non 1516 ſed 1527, Iulii 30, *traditam* tam ſponte fatemur, quam *deluſum* unquam à Franciſco Carolum merito & ex verô negamus: quis enim ſententiam mutavit? an non ſponſus ipſe, qui anno 1515 maximo ambitu petitam, ſequenti 1516 in Ludovicam converſa mente neglexit, Mariam Henrici 8 Angli filiam anno 1522 ſubarravit? qui factum? *Cæſar domum rediens, Angliæ Regem iterum inviſit, & ut firmum haberet amicum in Galliæ Regem, aureorum millia centum triginta tria promiſit ei dare quotannis; tantundem enim ex pactô Galliæ Rex Anglo pendebat, ejuſque ſorori Mariæ quotannis. Itaque niſi de damnô ſibi caveretur, Anglus nihil in illum experiri volebat. Actum inter ipſos de hac re fuit Iunii die decimotertio, Vindeſoræ quod eſt ad Tameſim oppidum & arx ſupra Londinum; majoris etiam neceſſitudinis cauſa convenit, ut Angli filiam Mariam tunc ſeptem tantum annorum puellam Cæſar conſobrinus in matrimonium ſuo tempore duceret; uter ab eo pacto diſcederet, alteri dependeret aureorum millia quadringenta.* ſed nec poſtremis hiſce pactis ſtetit. *Hac æſtate* anni 1526, *Cæſar in matrimonium duxit Iſabellam Luſitaniæ Regis Emmanuelis filiam, ſororem Ioannis; qui patri ſucceſſerat:* ne autem totum æs illud temere contractum expungere cogeretur, anni ejuſdem die 14 Februar. ejus plenam ejuſdem ſolutionem Franciſco captivo imperavit, prout ex pactorum Madritenſium cap. 25. & Guillelmi Bellaji Langæi *Commentar. lib.* 3 conſtat: hoc tamen obſervandum pactis Madritenſibus nullam 400000 aureorum ob Mariæ, quæ poſtea Philippo filio nupſit, ſpretum connubium dependendorum, quod mutatæ voluntatis culpam, fateri puderet expreſſam mentionem haberi, ſed & Langæus qui regio nomine anno 1529 tranſegit, & *nongenta quinquaginta aureorum millia*

Beſlaj. Comment. lib. 1.

Sleid. Comm. lib. 3. vide Franc. Guicciard. lib. 19.

Imo die 10 prout ex pactorum Madrit. c. 25. conſtat.

Vel potius anno ineunte Madrit. pactum, Guicciard. lib. 16.

Anglo

Anglo debita fuiſſe refert,quorum 550000 Henrico à baptiſmo filio qui poſtea regnavit, dono data ſunt 400000 reliqua in quinquennium æquis portionibus refundenda à Rege mutuo ſumpta ſunt. Cum autem ſpretæ poſt Renatum Mariæ, Franciſcum pœnas rei fortunam parum reverenter habentis loco luere neceſſe fuerit, nec Renata Herculi niſi ſolido poſt ductam à Carolo Iſabellam anno nupſerit, quis inſolentiſſimæ inſaniæ Zypæo id Franciſco vitio vertere auſo quod Carolus ſciens prudens deliquerat,liberum niſi forte fatuus pronunciare auſit?

Addit, *Tertia* Carolo deſponſata *fuit Ludovica filia ipſius Franciſci* 1. Nemo negat, ſed ductam à procô nequaquam fuiſſe parentum culpâ nullâ evenit; annô 1515, Auguſti 19 nata Ludovica, 1516, Auguſti 13 pacta fuerat, ea 1517, Septembris 21,vix ultra bimatum provecta denata eſt: quis niſi forte amens à patre cui ante diem erepta eſt *deluſum* Carolum cum Zypæo queratur, aut puellæ quod antequam è cunis proſilire datum eſſet morti ſuccubuerit, nec longævitatem aſſequi potuerit, patri quod orbitatem præter votum paſſus fuerit, Deo ipſi quod eam (pro beneplacito de infantis regiæ vita, & proci ſpe ſtatuens) intulerit dicam ſcribat, eoſque omnes Caroli *deluſores* reputet, quia vota ejus ſive ultro ſive ingratiis deſtituiſſe videantur? poſt Ludovicæ dormitionem ſororem ejus Carlotam A.D. 1516, Octob. 23 natam,& 1524, Sept.8 denatam (Franc. Guicciard. lib.13 teſte) deſponſavit, nec rurſus per patrem confeſtim ſtetit,ne duceret; prout ex cujus epiſtola ad Papam à Bellajo lib. 5 edita liquet; fruſtra ergo ex commentis à ſe mala fide fide effictis Regibus noſtris invidiam facere conatur, falſis præmiſſis parem concluſionem ſubnectens, hanc nimirum *qui nunc ob unam Helenam Græcorum bellum juſtum dixerit, quî huic diſſentiat? nec ob id tamen Carolus bellum movit; diſſimulavit injuriam*; cum enim Claudiam Philippus,Maximilianus, Ferdinandus, quorum arbitrio Carolus puer regebatur, deſeruerint; Carlotam,Renatam & Mariam ipſe ſponte reliquerit; Ludovicæ nuptias ipſi mors Sleid. lib. 1. præripuerit, earum nulla ab æmulo rapta fuerit, nec Menelai ſortem expertus eſt, nec ulla, quam diſſimulatione elevaret, injuria (quandoquidem volenti non fit) uſus eſt; nec tanti votorum priorum jacturam feciſſe videtur, qui *quadringenta aureorum millia* pendere, quam Mariæ conſobrinæ expetito ante triennium connubio illigari maluit, annoque 1527, *à pactis cum Ioanne Friderico Saxoniæ Electore, cui Catharina nata minima ſoror, confectis atque ſignatis eâ de re literis deſponſa fuerat*, ſolenni ritu initis facile *diſceſſit*; abſurditatem vero omnem ſuperat, quod Zypæus quotieſcunque Carolo conſilia amatoria alternare placuit,aut is quomodocunq; Capetinam virginem deperire deſiit, familiam integram quam levitate ſua vel ipſe, vel parentes ejus offenderant, infamare, & alieni criminis ream peragere nulla fronte auſus eſt. Eodem furoris œſtrô percitus, & nova convitiorum monſtra parturiens, *ex eo pomo* (Caroli annô 1519 Iunii 28 electi ad regnum Germanicum provectione) *natum irreconciabile odium*; tam temere quam maligne fingit, mox æque falſo infert. *Franciſcus belli cauſam quærit*, quid enim quærere neceſſe erat, quod pactorum Novioduni A.D. 1516, Auguſto menſe conventorum neglectus nulli non obvium reddebat? intra ſemeſtre, ideſt, annô 1517 ineunte de reſtituendo vel reipſa, vel ſecundum æquivalens, Navarræ regno fidem cum interpoſuiſſet, & eroganda quotannis centies mille ducatorum

rum

rum pro regno Neapolitano penſione, & amico apud Camerarcum cum Franciſco ſocero futuro congreſſu fidem interpoſuerat, nihil horum præſtitit, prout ex Bellajo *Comment. lib.*1, ipſiſque Noviodunenſis conventus actis evincitur, quorum fides *cap.* 7. & 20. Madritenſibus adſtruitur: At horum nihil præſtitit, nec tamen neglectæ fidei meritas pœnas, qui jure poterat repopoſcit Franciſcus, cujus nunc neſcio quæ mendicabula glorioſam memoriam ſugillant.

Sed cum Zypæo (quandoquidem eum & quotquot eum ſubornarunt ad incitas redigere conſtitutum eſt) pergamus. Franciſcus (inquit) *Robertum Marcanum à fœdere cum Carolo inito ſollicite deducit magnis promiſſis*, hoc primum falſi crimen, à Bellajo ante annos ferè 110, longè antequam qui id admitteret aura veſceretur, velut ex profeſſo confutatum cum hæc libro 1 ad verbum ſcribat, *Tandem quantumvis pro virili dictus D. Robertus de Marca inſtaret, nunquam quod volebat aſſequi potuit, adeo ut cum jus ſibi denegatum, ſeque longe à mercede & favore abeſſe videret, ad Regem perfugerit; eo ab uxore Cimaci filia, & filii Domini de Florangiis, Branæ Comite, & familia Sarapontanâ nata impulſus, quæ ſolerti ante commento ſibi viam aperuerant, quo in Franciam concedere, reſque ita cum Domina Regis parente, diſponere eis liceret vetereſque omnes rixæ ſopirentur, & pedibus (ut ſic dicam) obruerentur; Ipſe vero Sedani Dynaſta, quo tempore Romorantini Regem titionis (prout ante dixi) in caput impacto ictu vulneratum adiit, comiter exciperetur: ei opem, favorem & auxilium ad vindicias de non ferendo gravamine, illataque injuria ſuppliciter rogans ſe munitioneſque ſuas commiſit; ut ut Carolus Auſtriacus eum in hunc articulum deductum germani Leodienſis opera, & conditionibus oblatis expugnare & pellicere ſummopere conatus, à ſe, quæ contigerant nequaquam profecta inſinuaret, & quicquid violatum fuiſſet in integrum ſuô juſſu tanta fide reſtituendum ſponderet, ut ſibi de ſatisfactione abunde cautum ipſemet judicaret; ſed hæc ſera erant, jam enim corde ſupra modum ulceratô, quô reſcunque caderent, vi quod jure obtinere nequiverat, extorquere conſtituerat.* non ergo Rex eum vel *à fœdere deduxit*, vel *promiſſis* ullis, ſive *magnis* ſive non *magnis* illexit, ſed injuria affectum & ſupplicem, qui antea ob deſertam (germani acceptorum beneficiorum parum memoriæ ſuaſus) militiam merito exoſus fuerat, non repulit. deceſſit A.D. 1542. Ian.9.

Is Robertus *Aimeriæ Regulo Cæſaris clienti, propter Hiergæ oppidum ab hoc poſſeſſum bellum infert, Cæſar clienti jure poſtulanti auxilia decernit, Francus Marcano; hæc ſcintilla totam Europam incendit.* Aimeriæ (quæ Hannonici Comitatus membrum eſt, ad Sabim ſitum) *Regulum Cæſaris* Hannoniæ Comitis *clientem* fuiſſe, eundem *Hiergas* ad Moſæ lævam poſitas, non *tam poſſediſſe*, quam *poſſeſſioni* aliorum reclamaſſe, infenſumque ipſo hoc nomine Marcanum fuiſſe nemo negat: quærenda 4 reſtant; 1 jure ne an injuria infenſus ei fuerit Marcanus, 2 an *Cæſaris* armata *auxilia poſtulaverit*. 3 an ea Cæſar *decreverit*. 4 an *Francus Marcano* opitulatus ſit. Iure infenſum fuiſſe facti ipſius hiſtoria clamat, quam ſic enarrat Bellajus lib. 1. *Late de Hiergis in Arduennâ inter Aimeria Dynaſtam & Cimaci gentis Crojæ Principem motâ, à Bullonienſis Ducatus Paribus à quorum judiciis nulla provocatio eſt, jamdudum damnatus cum fuiſſet Aimerius*, in cujus ære erat Cæſar, ſponſore Araſcotano Cimacenſium propinquo; is vero de ſolutione non urgendâ

 hac

hac lege corruerit, ſi judicium refricaretur; Araſcotano cujus patruo à Ludovico XII tutela Cæſaris commiſſa fuerat inſtante, mandata à Cæſare ad Brabantiæ Cancellarium data ſunt dieſque Cimacenſibus ut ſe novo judicio ſiſterent dicta; illi de litis iniquitate, quietaque tam parentis jam denati quam ſua poſſeſſione proteſtati, Marcanum amitæ maritum, tutorem, ſolumque legitimum cognitorem (cum de Hiergio Bullionenſis Ducatus oppido ageretur) appellarent, ille ne feudalia Ducatus jura & privilegia, pupillorumque fidei ſuæ commiſſorum cauſam, aliàs à Paribus Bullionenſibus aſſertam proderet, Cæſarem cui tunc deſerta militia Franica addictus erat, Amerienſemque ipſum ſæpius convenit, & precibus obnixis ut ab injuriâ abſtinerent expugnare conatus eſt; Repulſam paſſus de reconciliatione cum Rege egit; in gratiam receptus, Cæſari Vormaciæ, ubi Comitia convenerant, conſtituto bellum per fæcialem denunciavit, & Virtonum Lucemburgici Ducatus oppidum filii opera obſedit: non ergo *Aimeriæ regulo*, quem longius poſitum & deſpectum ne tentarit quidem, *bellum* (quod Zypæus ſomniat) *intulit*, ſed Cæſarem ipſum à quô unô Bullionenſis Ducatus ſupremum dominium ſubrui indignabatur rectâ adortus eſt; qui cum Zypæo ſentiunt, quâ ex parte Aimerius oppugnatus ſit, quidque damni à Marcano perpeſſus ſit, dicant ſi poſſunt; ſi non poſſunt, taciti errare dediſcant: ut autem Aimerii malignitate tranſverſum actum Carolum, & divulſam propinquorum concordiam facilius appareat, en Crojæ familiæ ſtatum.

Ioannes Croji Dynaſta Margaretæ de Credonio Araſchoti Dominæ maritus.

- Antonius Porcenſis pagi Comes Margaretæ Lotharingicæ maritus.
  - Philippus Iacobæ Lucemburgicæ maritus.
    - Henricus Carlotæ de Caſtro Brianti maritus.
      - Philippus Araſchoti Dux, qui de ære à Carolo V mutuo ſumpto cavit, & judicium à Bullionenſibus Paribus latum refricari poſtulavit.
      - Carolus Porcenſis Comes Franciſcæ Amboſiæ maritus.
        - Antonius ἄπαις.
    - Guilielmus Caroli V tutor à Ludovico XII datus.
- Ioannes Cimaci Dynaſta Mariæ Lalaniæ maritus.
  - Philippus Walpurgis Meurſenſis maritus, qui cum Aimeriæ regulo jure contendit & cauſam obtinuit.
    - Carolus. Ioannes. Antonius. lite iterum ab Aimerio pulſati.
    - Franciſca Antonii Lucenb. uxor.
    - Catharina Roberti Marcani Bullionii Ducis Caroli & fratrum tutoris uxor, quæ maritum Franciſco I reconciliavit.
      - Robertus qui Virtonum obſedit Guillielmæ de Saraponte, quæ ſocerum Franciſco Regi reconciliavit maritus.
    - Margareta Iacobi Homani uxor.

Oppugnatum à Marcanô non Aimerii, qui fax diſſidii fuerat & extra omnem periculi alcam deinceps fuit, ſed Cæſaris ipſius ditionem jam evicivus; hinc ex neceſſitate ſequitur, quicquid de *poſtulatis* ab Aimerio & *decretis* à Cæſare *auxiliis* garrit Zypæus, non tantum falſa ſed etiam improbabilia eſſe; quis enim non videt, cui vis non fit, nec paratur, *auxilia* quæ *poſtularet* ejuſque cauſa vel *Cæſar vel alius quiſquam decerneret* minime neceſſaria fuiſſe? an adeo vel væcors eſt, vel lectores eſſe jubet Zypæus, ut quod nec *peti* nec *decerni* niſi ridicule potuit, viris gravibus, aulico callidiſſimo, rerumque ſuorum callentiſſimo Principi aſpergere libeat?

Quandoquidem ulla in Aimerii cauſa *auxilia* vel *poſtulare*, vel *decernere* opus

opus nunquam fuerat *Marejano* Aimerium non infeſtanti (ut felicius oppugnatio, nulla fuit, cederet à Franciſco *decreta*) quæ quomodocunque cum Zypæo fingere abſonum prorſus & ridiculum eſſe, nemo ſui compos dubitaverit; quid ſi Virtonum Carolinæ ditionis oppidum invaſurum auxilia Francica rogaviſſe & impetraſſe dicamus? At id Bellajus vetat, qui improbante Rege expeditionem illam à Marcano ſuſceptam, ante annos 100 notavit libro Commentariorum primo, *poſt dictam clarigationem* inquit, *Florengiarum Dynaſta dicti Domini Roberti primogenitus, adverſus Regis voluntatem expreſſaque ejus interdicta conſcriptis, tam in Francia, quam in vicinia ad tria millia peditibus & quadringentis aut quingentis equitibus, Virtonum obſeſſum ivit.* Vetat & Franciſci ipſius ad Papam A.D. 1536, data epiſtola cujus ἀπόγραφον lib. 5 inſeruit Bellajus. *Domino* (inquit) *Roberto de Marca belli inferendi nunquam auctor fui, imo legato dicti Domini Imperatoris, ne adverſus dictum D. Robertum, ſi modo rogarit prout pacta ferebant, ſuppetias laturum obtuli; quinetiam milites quos in regno meo, inſciô me conſcripſerat, facto ipſo revocavi, quô factum eſt, ut plurium ex munitionibus ſuis poſſeſſione dejectus ſit.* Quid clarius, ad fidem faciendam, Carolum à Franciſco laceſſitum nec fuiſſe revera, nec fingi debuiſſe dici poteſt? aliud ex Bellajo eodem invicti pro Franciſcô roboris argumentum ad manum eſt. Cum Francum de Auſtriaco pactorum Noviodunenſium temeratore, Auſtriacum de Marcani Franco tunc obnoxii inconſulto auſu queri noviſſet Anglus, iſque nobili ad Francum Sancerris tunc conſiſtentem delegato totius ſibi controverſiæ arbitrium permitti; novaque cum Auſtriaco fœdera percuti rogaviſſet, per Monpeſatum in Angliam miſſum id reſponſi tulit, Francum *Marcano juſſurum, ut ſi quid ei cum Aimerio litis eſſet, id adverſus eum proſequeretur, nec bellum Imperatori moveret, imo ad ſubditos univerſos miſſurum, qui denunciarent, ne quis in eo caſu dicto Domino Roberto, vel faveret vel opitularetur, quod ubi fecit, in cauſa fuit, ut D. Robertus de Marca Martii menſis 22,* [1] *anno 1521, exercitum reduceret, & exauctoraret, ad belli finem ſe veniſſe reputans;* Cæterum fœdera cum Auſtriaco ne inſcio Papa (cujus ut voluntatem exquireret nobilem delegaverat) renovare cogeretur, comperendinavit Francus. Hinc autem tria notatu digniſſima habemus. 1 Pacti Noviodunenſis violatorem cum vel per ſe vel per Marcanum bello aggredi jure potuiſſet, non tamen, feciſſe. 2 adeo alienum fuiſſe à turbis, ut arma in hoſtem communem corripi, à Marcano quantumvis læſo noluerit, imo eum ad quietem vel ingratiis ſuis ſemet componere coegerit. 3 tantum amicorum monitis detuliſſe, ut eorum judiciis cauſam ſuam committere non dubitaverit: Hæc ad bonæ (quâ uſus eſt) fidei aſſertionem plus ſatis fuerint; ſed ut gratum maxime Principis criminatoribus nonnihil faciamus, quicquid deliquiſſe viſus eſt, fateamur; nimia ſecuritate inſemet regnumque peccavit. Cum enim Angli cognitioni ſemet permiſiſſet, & Leonis Papæ voluntate exquiſita, intra viceſimum ſecundum diem (pro ut Bellajus notat) ei quid ſui conſilii in futurum eſſet, denuo aperire debuiſſet; negligentia ſua & proſperorum curſum corrupit, & Papæ mutatæ mentis præter ſpem ſuſpicionem fecit; dumque aliis nimium fidit, & exarmatus æmulum ex ſuo genio metitur, ad injuriam inferendam jam pronum magis ac magis incitavit.

[1] die ante Paſcha anni 1521 decima.

Tantiſperdum ille occaſione non uſus exſpectatum à Papa reſponſum

 ultra

ultra diem conſtitutam differt, nec ſibi ab imminente adverſario ſatis cavet, quod inferre noluit, bellum, quo Marcani ejus juſſu inermis & præſidio nudi res everſæ ſunt, ſuſcipere præter opinionem coactus eſt; Carolus quem ille Noviodunenſibus pactis non ſteriſſe dolebat, Henrico Naſſovio numeroſiſſimi exercitus Duce, Lunias, Muſani curtem, Florengias, Salicutum, Bullionum Marcanis extorſit, pactiſque cum ipſis jam ad pedes dejectis ſex hebdomadum induciis, limitem Francicum irrupit; per Licquium S. Amandi momaſterium & Mauritaniam Tornacenſis diacœſis oppida ſubegit, per Fielnarum DynaſtamTornaco minas intentavit, Ardam per alios exſcidit Moſomagum ad deditionem per Naſſovium compulit; Macerias, ſed fruſtra obſidione cinxit; inde depulſus Albentoni cædem promiſcuam, lateque per Tiroſſenſem pagum ferro & igne graſſatus, ſtragem & vaſtitatem fecit. Quid contra Francus? ſimulac ingruentis procellæ impetum in ſe vertendum vidit, legatione ad Anglum miſſa, ſocia arma ex pactorum in Arda & Giſnarum confinio conventorum fide rogavit, cum intercederet Carolus, partibus apud Caletum ad Auguſti 4 dicta dies, & tentata ſed irrito conatu ob iniqua Caroli poſtulata reconciliatio. Zypæum *toties inita deinceps pacis fœdere, toties infracta referre non immerito piget*, quos enim præter Auſtriacos turbines ex illo tempore nihil non luxantes paſſus eſt Chriſtianus orbis? ſed quod *in Franco ſemper odium*, quod ex Caroli electione conceptum dixerat, *ſemper æſtuaſſe, & vindictæ ignominiæque ex captivitate delendæ deſiderium animum turbaſſe* ſomniat, tam futile quam falſam eſt: quid enim ex odio Caroli egit, nunquam non ad pacem & concordiam, etſi Caroli verſutias averſaretur, pronus Franciſcus? quid ei deceſſit, ſi hinc armata manu, inde prenſationibus ſuis aurique etiam alieni & mutuatitii, quale Aimeri arum reguli fuit, profuſione Carolus nonnullos, quorum poſteros vexavit, demeruiſſe, redemptoſque favitores adeo faſcinaſſe dicitur, ut Germanicæ Caſſandræ Richardi Trevirenſis vaticinio, quod exinde experientia damnoſa confirmatum eſt, attendere, dum res adhuc in integro erat, quorum maximè intererat, nequiverint? Quiſquis immiſſam in Electorum ſinum pluviam auream negat, his Sleidani verbis quantopere fallatur diſcat. (lib. 1.) *Ad Fridericum Saxonem pridie fuerat delatum Imperium, ſed is ingenti animo recuſabat, & ſuo ſuffragio, Carolum (ſicut diximus) deſignabat, & oblatam eo nomine maguam pecuniæ vim à legatis Caroli rejecit, & ſuis ne vel teruncium acciperent mandabat.* Vt ut ſuffragii ſui pretium ferre dedignatus ſit, vir Imperio major, cæteri non ex æquo inſuperabiles fuerint. Audiat & Guicciardinum lib. 13. *jam Electores magna ex parte in Cæſaris ſententiam pertracti fuerant, ac velut certiores facti de pecunia, quam ob electionem ipſis Hiſpaniarum Rex promittebat* &c. *eorum quæ cum avo tractaverant, ut complementum ſe facile conſecuturum cenſebat* Carolus, *cum jam de præmiis & donativis cum unoquoque Electorum conveniſſet* &c. ſed quid ex infelici ad Ticinum prælio (quaſi vel vinci vel vincere in hominum quorumcunque manu poſitum eſſet aut fuiſſet unquam) pudendum Franciſcum traxiſſe putat Zypæus? adverſis quati non *ignominia*, ſed calamitas; cui à Deo pro ſummo arbitrio immiſſæ cedere ſanctaque ejus de Regibus quomodocunq; placet ſtatuentis judicia adorare, nulli niſi forte Titanum aut Capanei æmulo indecorum eſſe poteſt; niſi (Guicc. l. 15.) forte (ex Zypæi ſententia) Carolum quod anno 1523 ejus ad Maſſiliam infelix

per

per Legatos molimen tam fœdum exitum habuit, ut ipſi quartanam (Guicciardino lib.15 teſte) ex mœrore ingeneraverit; anno 1536 *inopia rerum omnium abductus, multis hominum millibus ex inedia & contagione deſideratis, Antonio Leva ſublato*, Provincia inglorius excedere, & *reliquas copias dimittere*; Naſſovius qui eodem fere tempore Peronam circumſederat, & ſummâ vi oppugnaverat, *infecta re* obſidionem ſolvere coactus eſt. A.D.1541. Octobris 25, *tertio* poſtquam Argieram appulerat *die, contra vehementior tempeſtas & imbres effuſiſſimi, adminiſtrationem belli totam impediverunt: ita quidem ut amiſſis quamplurimis navibus & tormentis ac reliquo omni apparatu, & millibus aliquot militum deſideratis in Hiſpaniam ſeſe* exſpes *recepit*. A.D. 1544 *poſtridie Paſcha qui tum erat Aprilis dies* 14 *, ejus milites Alfonſo Davalo ductore conflixerunt in Pedemontio cum Gallis ad Carignanum oppidum, & ſuperati ſunt multis millibus deſideratis*: anno vero 1552, Maji 22. *ubi de capta Ereberga cognovit, maxima celeritate tumultuarie Oenipotente diſcedens, Villacum ſe recepit*, pacis leges, qui ſæpius dederat, accipere tandē compulſus, adverſis non ſemel conflictatus eſt. Eumne infeſto odio victorum ſemper æſtuare, parum Chriſtiano vindictæ deſiderio immori, diroque & acerbô nunquam dolendæ ignominiæ ſenſu æternum torqueri neceſſe fuerit? ſi cladibus ſuis illuſtrior evaſit, Cur Franciſcum fractarum virium illabens ruina impavidum ferire nequaquam potuerit? quo is animo fuerit, Guicciardinus lib.13 ex invectiva Caroli adverſus eum Romæ A.D. 1536, April. 10, coram Papa Cardinalibus Francorum, & Venetorum legatis aliiſque quamplurimis pronunciata, & ex ipſis Franciſci ad Papam literis à Bellajo lib. 5 deſcriptis, his verbis notat. *Rex Franciæ laudabiliter admodum de electione iſta Hiſpaniæ Regis legato loquens, commendatione dignum eſſe dixit, quod eorum unuſquiſque ſplendore tantæ dignitatis, quæ diverſis temporibus familiam ſuam, & Majores decoraverat, honeſte ornari quæreret, nec alterum alteri per injuriam auferre debere, aut eô nomine benevolentiam & conjunctionem minui; ſed (quod nonnunquam occurrit) exemplum amantium juvenum ſequi, qui licet unam eandemque puellam depereant, eorumque unuſquiſque quacumque arte & induſtria poteſt, eam demereri conetur, non ideo inter ſe digladiantur.*

Sleid. lib.10. lib. 14. lib. 15. lib. 24.

Franciſcum *in Carolo ruptæ pacis Madritianæ, hæreditariique Ducatus Burgundiæ contra pacta negatæ reſtitutionis tædio armatam defenſionem ſemper excitaſſe* &c. ære maledica Zypæus effutit; ſed irritô prorſus conatu, quandoquidem *Madritiana* (quæ dicitur) *pax*, indigna fuit victoria ſuâ abutentis, & inique victo inſultantis pactio, cui ſe captivum jure ſuo uti vetitum obſtringere nec poſſibile nec fas fuit. *Burgundiæ Ducatus* ab A.D.1363 nulli per matrem obvenire, eoque *hæreditarius* eſſe potuit; cum non obvenerit, *reſtitui* ei qui nunquam habuerat, non potuit; pacta de ejus, non *reſtitutione*, ſed qualicunque traditione extorta, nulla jure ipſo fuerunt; arma pro pactis illis à Carolo ſumpta, non legitima *defenſio*, ſed manifeſta *vis* & *injuria* dici debuerunt.

Quia Zypæo *lubet infractionum*, quas *Franciċas* pro arbitrio vocat *meminiſſe*, ipſum impoſturam vel paſſum vel feciſſe ad oculum demonſtrandum eſt; *pridem*, inquit *fœdere Londinenſi convenerat, ut Rex Angliæ arma adverſus illum ſumeret, qui prior fœdus fregiſſet*. Atqui A.D.1519 ante Paſcha, id eſt A.D. 1520, prout nunc in Gallia ab A.D. 1564 (numerare ſolemus) Fran-

 corum

corum & Anglorum Reges, fœderis annô præcedente per delegatos initi confirmandi cauſa, inter Ardam & Giſnas convenerant; eodem anno *veris initio* (prout Sleidanus lib.2 notat.) Carolus *Cæſar* nondum coronatus *ab Hiſpaniis ſolvit, in Angliam profectus.*; monituſque Anglus, qui (conventu cum Franco ſoluto) *Caletum reverſus* erat, Cantüariam conceſſit, hoſpitem uxoris ſorore natum excepturus, exinde *Caletum & Gravelingam venit, ubi* (abſente & inſcio Franco)*convenit,ut quandocunque diſſiderent* (Bellajo teſte) *Franciſcus & Carolus*, ipſe *arbiter eſſet, in eumque qui ejus arbitrio ſtare nollet, inſurgere poſſet*; quod *adverſus pacta cum* Franco nuper *conventa fuiſſe* ſcribit Bellajus, & ſi nemo obſervaviſſet, res ipſa clamat; *cum paris in parem imperium non eſſe*; *rei ad ſe non pertinenti immiſcere ſeſe culpam eſſe*; *in principio quæſtionis perſonam inquiri debere, & utrum ad agendum mandato utatur acceptô*; *præteritis his, nec controverſias dici ſolere nec poſſe eſſe judicium. Eos* denique *qui ſe ſponte alienis litibus inſeri patiuntur, veluti famæ prodigos & calumniarum redemptores notari oportere* didicerit Zypæus, quî diſciplinæ cui ſe à teneris addixit, & honeſtatis oblitus, id ſibi fundamenti loco ſtravit, quô tota eorum quibus probandis inſiſteret moles funditus evertatur. Si *Londini* nihil cum Anglo pepigit Carolus, imo ſi *Londinum* nunquam adiit, ſed *Cantuariæ* ſubſtitit, & in Belgicam redux fœdus Gravelingæ percuſſit, quô judicio ac fide *fœderis* (quod nullum fuit) *Londinenſis* imaginariâ auctoritate nos aggreditur? ſi fœdere Gravelingano cautum putat, ut Anglus *arma adverſus illum ſumeret, qui prior fœdus fregiſſet*, cum aliud ex Bellajo compertum habeatur, quin fœderis tabulas profert ex quibus quid certo ſtatuendum ſit, volentes nolentes audiamus? ſi denique fœdere illô Francum illigari potuiſſe putat, ejus vel Legatos indicet, qui ejus nomine cum Carolo & Henrico pepigerint, vel mandata ad Henricum data, quorum vi ille egerit, fidemque delegantis & poteſtatem facientis obſtrinxerit, proferat. Sed nullum *fœdus Londinenſe* fuit: Gravelinganô nemo pro Franco interfuit: arbitrium inter Franciſcum & Carolum ſine expreſſo utriuſque mandato agere Anglus nequaquam potuit: de *armis adverſus illum ſumendis qui prior fidem fregiſſet*, ne cogitavit quidem; *contra* priora cum Franco *fœdera*, controverſiarum, quæ inter eum & Auſtriacum exorituræ eſſent, arbitrium ſibi vindicavit; quicquid exinde ſecutum eſt, nullo colore excuſari potuit, ipſumque Zypæum quocunque ſe vertat in limine turpiter impegiſſe neceſſe eſt.

Pergit tamen quô pede primum cœperat, *in conventu Caletano id feciſſe Francum* ut fœdus prior infringeret, *probatum* fuiſſe mentitus, à quô enim *probatum* eſt? quin priorum tabulas profert, ut quanam à noſtris in parte *infractæ ſint*, ſi tamen *infractas* demus, conſtare poſſit? ſed ex ipſis *Caletani conventus* actis infandi criminis accuſatum, in caput criminantis culpam retorſiſſe, & cauſam (quantum neceſſe erat) eviciſſe certum eſt, eoque certius evadet, quo adverſus vera, comperta, ipſorumque factis & verbis confirmata, acrius Francici nominis hoſtes inſurgent. quid ultra Zypæus garrit? *Henricus* VIII *igitur pro Carolo arma ſumpſit*: perinde nobiſcum agit, ac ſi convictis in Caletano conventu Francis, ſimulac ille ſolutus eſt, arma prô Carolo ab Anglo ſumpta ſint; ſed utrumque falſum eſt A.D. 1521, Augu- ſti 4, apud Caletum coierant partes, re infecta diſceſſerunt, ſuaſque nequicquam

Vide Bellajum lib.1.

quam

quam interpoſuit Anglus, cum Burgundiam obfirmato animo repoſceret, juraque feudalia & ſupremi in Flandriam, Attrebates &c. dominii ſibi ſuiſque in perpetuum remitti juberet, Imperatorem Francorum Regi obnoxium fateri indignum cauſatus, tam ridicule quam inique juberet. Anni vero ſequentis Aprili deſinente, bellum fæciali miſſo denunciavit; quod arbitrio ejus ſe committere Francus noluiſſet, legatoſque ad eum circa Valencenas caſtrametantem de pace acturos denegata Fontis Aragi reſtitutione, domum infecto negotio reverti coegiſſet; hanc enim poſt pacis tractatum expugnatam aſſerebat Carolus, jure vero negabat Francus, quandoquidem deditum oppidum A. D. 1521, menſe Septembri; Valencenas Carolum Octobri exeunte compulit Francus, ibidemque legatorum Anglicorum interventu concordatum, ut Tornacenſem obſidionem ſolveret Carolus, à Mediolanenſium oppugnatione deſiſteret Franciſcus, ſi qua de loco quopiam contentioſo controverſia reſtaret, Anglo arbitro componeretur; paulo poſt pacta utrinque inita cum de Fontis Aragi deditione auditum fuiſſet, ea rata niſi prius reſtituto oppido habere Carolus noluit, id vero iniquum proteſtante Francô bellum recruduit, tranſiitque tandem in partes, plus æquo Auſtriacis delationibus tribuens, ſibique minus quam vellet tributum indignans Anglus; ſed *infracta à Francis pacta*, id *in conventu Caletano probatum*, ut *infractionis* pœnas repoſceret, *arma ab Anglo ſumpta*, fuiſſe, abſolute quicquid in contrarium Zypæus garriat, falſum eſt; pacis leges ad Valencenas ſcriptas primus reſpuit, ſe non ſine cauſa reſpuiſſe Anglo perſuaſit, eumque ad bellum exquiſitis in adverſarium criminationibus impulit Carolus.

Zyp. *Fœdere Pariſienſi quædam præſtari convenerat in tempus mortis Ferdinandi avi Caroli, eâ adveniente, placuit Franco illud haberi pro infecta; ſucceſſit Noviodumenſe.* Reſp. ut totum demus, an fœdus illud à Franco violatum, quod unum in quæſtione erat, inde legitime confecerit Zypæus? quis ſanus fœdera quotidie à paciſcentibus, vel conſentientibus, vel alterutro tantum poſcente, ſive fœdifragii crimina ullo innovari negaverit? quo poſcente *pro infecto* Pariſienſe *fœdus habitum* eſt? initum A.D. 1515, Martii 31 petente & procurante Henrico Naſſovio Caroli Lutetiæ fœdus percuſſum fuerat; Ianuarii ſequentis 23 feria 4 fatis conceſſit Ferdinandus; Auguſt. 14. Novioduni fœdus renovatum & novis conditionibus adſtrictum: quo inſtante? an Franco? Imo Carolo ipſo, prout Bellajus notat. *Tantiſperdum apud Turones Rex degebat, ad eum Philippus Clivius, Ravenſteinii Dynaſta Caroli Auſtriaci Hiſpaniæ Principis & Flandriæ Comitis Legatus venit, ut de loco commodo*, in quem utriuſque Majeſtatis *delegati una confluere poſſent, de univerſis tam ſuis quam fœderatorum controverſiis terminandis acturi. Noviodunum deligi placuit:* hinc Carolus ipſe A.D. 1536 Romæ adverſus Franciſcum coram Papa invectus; *Paulo poſt Ferdinandi Aragonii avi materni mortem cum in Hiſpaniam tranſeundum eſſet, neceſſe habuiſſe ut de Rege ſecurus fieret, ut ab eo nequaquam diſcinderetur, nova cum eô pacta inire neceſſe habuiſſe; idque ſe recuſare noluiſſe* dixit; *infracta* priora nec queſtus eſt, nec aliis querendi auctor fuit. lib. 5.

Zyp. *Poſt hoc, aſſumptô Carolô ad Imperium, præter cauſam Aimerii, de quâ mox egimus, ſponſores exigit Francus, qui promiſſi non erant.* Reſp. Iniquiſſimam tam Aimerii, quam Caroli in Francum (à quo læſus non erat) impetum vertentis, nullaque clarigatione præmiſſa, imparatum & domi quieſcentem

centem adorientis cauſam fuiſſet jam evicimus: ſi *ſponſores* ab eo *non promiſſos, exegit* Francus, ipſi uni de debitis expungendis ne cogitanti imputanda culpa fuit, non creditori rem ſuam quo modô jus faſque erat, curanti; eoque ipſo ſe à fœderum, quibus cautum volebat, *infractione* alieniſſimum eſſe docuit. Eum epiſtola ad Papam data adverſarii criminationes diluentem audiamus, *Quod ait me eum urgere voluiſſe ad obſides pro fœderum ſecuritate dandos; novit ipſe pactis inter nos initis ſe mihi quotannis centies mille aureos pro Neapolitano regno pendere debuiſſe; me vero deficiente ſolutione, cautionem ejus aut ſponſorem petiiſſe; ſi debita bona fide expunxiſſet, id me petere neceſſe non fuiſſet.* de *penſionis* quotannis erogandæ debito nulla difficultas eſſe poteſt, quandoquidem id ipſum Carolus coram Papa agnovit, *conſenſi* inquit, *& conceſſi Regi in ſingulos annos centies mille aureorum penſionem, ex regnorum Neapolis & Siciliæ redditu:* ejuſdem meminit & Guicciardinus lib. 12; *convenerunt Novioduni Auguſti 15 Regum delegati in hanc ſententiam, Det Franciæ Rex anniculam filiam uxorem Catholico Regi, dotiſque vice quicquid ſibi in regno Neapolitano vindicabat, ſecundùm partitionem à Majoribus antea factam, ea lege, ut quouſque matrimonio apta puellula evaſiſſet, quotannis pro ejus ſuſtentatione centum aureorum millia Rex Catholicus penderet, ſi ea ante matrimonium defungeretur, Regique alia naſceretur, iiſdem Regi Catholico conditionibus traderetur; ſi alia nulla naſceretur, Renata quæ fœdere Pariſiis percuſſo pacta fuerat ſubſtitueretur; ſi univerſæ nullis relictis liberis diem obirent, ad Regem Francorum pars illa regni reverteretur.* Cum igitur ab anno 1516, nihil pendiſſet Carolus, nihil in futurum ab eô certius appareret, *ſponſores* exegit Franciſcus, nec exigi durum ei videri debuit, qui anno 1518 Araſcotanum ſuo nomine Aimeriæ Regulo ſubdito fidejuſſorem obtulerat: quicquid ſit *ſponſorum* exactio juſta fuit, nec pactorum *infractio* cenſeri debuit, ſed eorumdem confirmatio.

Bellaj. lib. 1.

ZYP. *Navarræ reſtitutionem* exigit Francus *de quo actum non erat.* Reſp. Si *de eâ actum non erat*, quî fit ut hoc in pactis Novioduni ſcriptis caput, numero 28 uſque nunc legamus? *Item & pource que le fait de Navarre pourroit donner quelque trouble à cette preſente amitié au moyen des alliances & promeſſes que ledit Sieur Roy Treſchreſtien avoit & a avec le feu Roy de Navarre, & la Reine; apres pluſieurs remonſtrances & inſtances faites par les Ambaſſadeurs dudit Sieur Roy Treſchreſtien, en cette matiere; Iceux Ambaſſadeurs dudit Roy Catholique, pour plus grande fermeté & corroboration de cette preſente amitié, fraternelle confederation & alliance, & pour oſter toutes occaſions de troubles & empechemens d'icelle, ont accordé que ſitoſt que le Roy Catholique ſera en ſes pays d'Eſpagne, où il eſpere aller en bref, s'il plaiſt a la Reine de Navarre & ſes enfans envoyer leurs Ambaſſadeurs & deputez devers luy pour luy faire remonſtrer le droit de laditte Reine, & de ſesdits enfans; ledit Seigneur Roy Catholique contentera icelle Reine & ſeſdits enfans, ſelon raiſon, en maniere qu'ils ſe devront raiſonnablement contenter: ſans toutesfois que par ce preſent article le Roy Treſchreſtien ſe departe de l'alliance, promeſſe & traitté quil avoit avec ledit feu Roy de Navarre & la Reine, laquelle demeure en ſa force & vertu. Et en cas que laditte Reine ne ſeroit contente ſelon la raiſon, comme dit eſt, & s'il advenoit, que ledit Roy Catholique n'allaſt eſdits pays d'Eſpagne dedans huit mois prochains venans, leſdits Ambaſſadeurs de laditte Dame pourront aller*

aller devers ledit Seigneur Roy Catholique, où il ſera, lequel leur fera la raiſon comme ſil' eſtoit eſdits pays d'Eſpagne. Id eſt, *Item quia Navarræ factum turbæ quippiam præſenti huic amicitiæ dare poſſet, propter fœdera & promiſſa, quæ dictus Dominus Rex habuit, & habet cum defunctô Navarræ Rex & Regina; poſt monita multa & inſtantias à Legatis dicti Domini Rege, Chriſtianiſſimi hac in cauſa factas. Catholici Regis Legati ad majorem firmitatem, ac robur præſentis hujus amicitiæ, fraternæ confœderationis, & pacti; & ad univerſas turbarum & impedimentorum ejuſdem amovendas occaſiones, convenerunt, ut quamprimum Rex Catholicus in ditionibus ſuis Hiſpanicis, quô brevi commeaturum ſe ſperat, fuerit; ſi Navarræ Reginæ, & liberis placuerit legatos & deputatos ad eum mittere, ut eum moneri faciant de jure dictæ Reginæ liberorumque ejus, quod in dicto Navarræ Regno prætendunt; iis auditis, eodemque Rege Catholico dictæ Reginæ & liberorum jus edocto, dictus Dominus Rex Catholicus eidem Reginæ ejuſque dictis liberis, prout ratio poſtulat, faciat ſatis, adeo ut ex ratione contenti eſſe debeant, ita tamen, ut præſentis hujus articuli vi, Rex Chriſtianiſſimus à fœdere promiſſo & tractatu, quem cum dicto defunctô Navarræ Rege & Reginâ habebat, cuique vis ſua & robur manebit, minime diſcedat. Eo vero caſu, quo dictæ Reginæ, prout ratio poſtulat, ſatisfactum non ſit, prout dictum eſt, ſi Regem Catholicum intra menſes octo proximus dictæ Hiſpaniæ ditione proficiſci, non contingat; dicti prædictæ Dominæ Legati, dictum Dominum Regem Catholicum, ubicunque erit, convenire poterunt, qui jus ipſis reddet, perinde ac ſi in dictis Hiſpaniæ ditionibus degeret.* Qui rurſus fit, ut Guicciardinus lib. 12. poſt Bellajum lib. 1. ad A.D. 1511, lib. 2. ad 1522, fœdere Noviodunenſi conſtitutum ſcribat, *ut Rex Catholicus, Navarræ regnum intra certum tempus antiquo Regi reſtitueret, ſi non reſtitueret Regi Francorum ad recuperandum ferre ſpoliato ſuppetias liceret?* ipſe Carolus in invectiva adverſus Franciſcum coram Papa (quod præfractè Zypæus negat) confeſſus Novioduni pactum, lib. 5. *ut cum Lebreti Dynaſta de regno Navarreno lite tranſigeret, id vero ſe nunquam recuſaſſe*, imò *compenſationem ἰσόῤῥοπον obtuliſſe* proteſtetur; cautum denique Noviodunenſi pacto, *ut niſi Navarræ Regi intra præſcriptum tempus fieret ſatis, ei ſine culpa opitulari poſſet*, epiſtola ad Papam A.D. 1536 data noret Francus? hæreat itaqne in vado, nuſquam emergendi potens Zypæus neceſſe eſt, manifeſtique mendacii ab illo ipſo, cujus cauſam agere videbatur principe convictus, *de* Navarri regni *reſtitutione* Novioduni anno 1516 *actum* negare deſinat, quandoquidem quod inficiatur extra omnem dubitandi aleam poſitum eſt; nec tantum de eô conſtat, ſed pactis Noviodunenſibus Carolum neque ſtetiſſe neque ſtare animo habuiſſe, eventus ipſe invictè demonſtrat, ſiquidem anno 1516, Auguſti 13, de Catharinæ reginæ intra octimeſtre ſatisfactione fides data eſt; antequam præfixum tempus elapſum eſſet, ad Carolum Legatos miſit, ejus petitio eluſa cum eſſet A.D. 1517, Feb. 12 mœrore confecta deceſſit; poſt ejus dormitionem Henricus ſecundam ad Carolum legationem, ac paulo poſt tertiam anno 1518 fruſtra deſtinavit; cum intermedio tempore Caſtellenſibus Pinciæ congregatis retinendam in perpetuum Navarram ſpoponderit detentor, annoque 1519 ad Montiſpeſſulani conventum ab eodem delegati, nihil quod ad juſtam vim paſſi ſatisfactionem faceret, à ſe exprimi paſſi ſunt; qui anno 1518 à Comitiis Pincianenſibus rogatus, Navarræ cum Caſtella unionem anno 1515,

deceſſerat Moningi in Beneami pago, Iunii præced. 17.

 Iunii 11

Iunii 11 Burgis factam, & Ferdinandi uſurpatoris Teſtamento A.D. 1516, Ianuarii 22 condito imperatam confirmavit, & mordicus deinceps, petitionibus omnibus ſpoliatorum eluſis defendit; imo à Franciſco captivô exegit, ut ſua armis repoſcentes deſereret, quâ fronte poſt annos decem à ſe *juſtam compenſationem oblatam* coram Papa, Cardinalibus, Principum Legatis, quos ante geſta non latebant, aſſerere potuit?

pactum Madrit. cap. 20.

Z y p. *Niſi præſtentur.* (quæ petebat) *declarat fœdera pro ruptis ſe habere, arma ubique movet* Franciſcus. Reſp. falſo & per calumniam ipſi univerſa iſta affingi clarum eſt, ut ut enim jure fœdera *pro ruptis habere* potuiſſet, qui Carolum nullas eorum conditiones implere, ſibi penſionem promiſſam non erogari, Navarreni Regis ſatisfactioni nihil dari, fidem de utroque præſtando datam non ſervari, fruſtra querebatur; non tamen *pro ruptis habuit*, aut ſua ex parte *abrumpenda* putavit; multo minus ubiq; *arma movit*, imo ne movit quidem per ſe, ſed Henrico Lubretano avitum regnum repetenti (ex fœderis ab anno 1512 ſanciti, & Pariſienſi ac Noviodunenſi confirmati lege) A.D. 1521 opitulatus eſt; nec antequam à Licquio, Naſſovio, aliiſque Caroli legatis regnum invaſum eſt, de *armis movendis* conſilium ſumpſit, ad juſtam & neceſſariam defenſionem vi hoſtili compulſus.

Z y p. *Pacis Madritianæ ruptura in confeſſo eſt, quæ tot futilibus nugis excuſatur.* Reſp. Quandoquidem hic ſibi calumniator triumphare videtur, *futilibuſ*que *nugis* accenſet, quæ Chriſtianus orbis, gravia, legitima, juſtaque jam pridem judicavit; ad retundendam petulcam ejus malignitatem hæc nobis demonſtranda ſunt. 1 Carolum non ignoraviſſe ſe à Franciſco impoſſibilia exegiſſe. 2 etiamſi poſſibilia fuiſſent, adeo iniqua fuiſſe ut ſine flagitio exigi, & præſtari nequaquam poſſent. 3 idipſum Principes univerſos, imo Hiſpanos Carolo addictiores ſenſiſſe.

I. Simulac de conditionibus à Carolo victore præſcriptis quicquam audiit, totus animo cohorruit indignabundus captivus, *Rex* (inquit Guicciardinus lib. 16) *conſtanter reſpondit, ſe deliberaſſe ſub cuſtodia mori potius quam filios regni Francici parte aliqua privaret; quinimo ſi aliter animo conſtituiſſet, id præſtare, in poteſtate ſua non futurum, quandoquidem Franciæ antiquæ conſtitutiones non ferant, ut res ulla ad coronam pertinens alienetur, ſine Parlamentorum aliorumque, penes quos regni totius auctoritas reſidet, qui ſalutem univerſalem commodo proprio perſonæ Regis in caſibus conſimilibus anteferre ſoliti ſunt; petere ab eo conditiones quæ ipſi poſſibiles eſſent*, nec fruſtra hæc à Rege dicta fidem Francorum in extrema ſua calamitate conſilium fecit; Guicciardinus eodem libro, ubi quæ captivi in Hiſpaniam deportationem præceſſere narrat, *fœdus cum Domina mea* (Regente) *filii nomine paciſcente percuſſit* Anglus, *cui expreſſam conditionem inſeri voluit, ne Carolo vel pro liberatione Regis quicquam eorum, quæ tunc Regnum Franciæ poſſidebat concedi poſſet: hæc prima fuit ſalutis ſpes, quam habere Franciæ Regnum cœpit.* Idem de Regis, poſtquam in Hiſpaniam deportatus eſt, mente. *in ejus* (germanæ Alençonii viduæ, quæ exinde Navarro nupſit) *diſceſſu in dies de liberatione magis ac magis diffidens ei in mandatis dediſſe dicitur, ut ſuo nomine matrem & Conſilii proceres moneret, coronæ Francicæ commodo ex officio attenderent, nulla perſonæ ſuæ, quaſi vivre deſiiſſet habita ratione:* Illo ipſo tempore quô propoſitis à Carolo conditionibus aſſentiri viſus eſt; proteſtationem Ioanni de Silva à Regente matre in Hiſpaniam

Bellajus l. 3.

Ibid. Domino Delfino primogenito cum permiſſione eum coronandi regni regimen remiſit, cum mori in carcere quam regno noxium quicquam admittere mallet.

ſpaniam miſſa dictavit, qua ſibi indignis modis vim fieri, iniqua & irrita quæcunque ab eo vis illa exprimeret habendo eſſe fidem fecit, extantque plurima manu exarata, ejuſdem monumenti exempla. Ipſe Carolus in ſua coram Papa invectiva, à Bellajo lib. 5 Commentariorum inſerta, ſe (ante quam ex Hiſpania Franciſcus excederet, monitum) *ab eo cuipiam dictum, ſe conventis non ſtaturum*, *cauſatum*que *in poteſtate ſua non eſſe conditiones præſcriptas implere:* poſtquam in Franciam reverſus eſt, ſe (Guicciardino teſte lib. 16) Papæ & Venetis *demonſtraturum dixit, quanto deſiderio accenderetur concurſu ſuo ſalutem communem promovendi, ſeque cum illis colligendi, ut armis Cæſarem adorirentur; non eo fine, ut ſibi ditionem Mediolanenſem recuperaret, aut alio modo potentiam augeret, ſed ut belli via filiis & Italiæ libertatem duntaxat acquirere poſſet; quandoquidem nimia cupiditas Cæſari non permiſerat, ut ipſum ea ratione obligaret, quâ pactis ſervandis obſtringeretur; cum ubi primum in rupe Piſquitonenſi aſſervatus eſt; ac exinde in Hiſpania, ubi Madritenſi munitione clauſus eſt, iteratis vicibus Cæſari, poſtquam poſtulatorum ejus iniquitatem vidit, proteſtatus ſit, ſe ſi neceſſitate conſtrictus, iniquis, aut quæ ſervare in poteſtate non eſſet, conditionibus cederet; non modo non ſervaturum, ſed ſe injuria affectum reputando, quod ipſum ad promiſſa inhoneſta & impoſſibilia adegiſſet, vindictam quandocunque occaſio ad manus eſſet ſumpturum. Non deſiiſſe ſæpius monere, quod unuſquiſque eorum per ſe ſcire poterat, quodque aliis etiam Regnis commune credebat, in Regis Franciæ poteſtate non eſſe, ſemet ſine Comitiorum generalium conſenſu, ad quicquam Coronæ obnoxium alienandum obligare: Legibus Chriſtianis non permiſſum, carcere perpetuo (qui facinoroſorum pœna eſt, ad eorum minime ſupplicium inventa, qui infortunio mactati ſunt) bello captum attineri. Omnibus per ſe notum eſſe, obligationes vi in carcere expreſſas nullius valoris eſſe, cumque pacta invalida ſint, nihil quo fides, prout acceſſoria, eorundemque confirmatim obligaretur ſupereſſe; juramenta Rhemis (quando tot ritibus, oleoque cæleſti Francorum Reges conſecrantur) præſtita præcedere, quibus ſemet ad non alienandum coronæ patrimonium obligant; quare ſe non minus liberum, quam promptum ad moderandam Cæſaris inſolentiam eſſe.* Hæc etiam A.D. 1536 in epiſtola ad Papam addebat Franciſcus, *id dixerim unicuique notum eſſe, captivi ſub cuſtodia poſiti fidem non obligari; quin etiam me apud Fontem Aragi, ubi libertati redditus ſum, totoque itinere, ſub ſtrictiori, quam Madriti, cuſtodia fuiſſe, neque me unquam ſine appoſitis cuſtodibus fuiſſe; quo fit ut carcere, fide liber, & omni obligatione ſolutus exceſſerim: quod ſe monitum ait, me dixiſſe, pacta non valitura, à me dictum agnoſco, cum mihi compertum eſſet, ſervari nequaquam poſſe.* Bellaj. lib. 5. refert.

Quotquot à Carolo A.D. 1526, Octob. 16, ad Cardinalium Collegium ſcriptum audiverunt, *cum* (*Franciſco I Regè Francorum capto*) *data opportunitate, quô ſuo de Rep. bene merendi deſiderio ſatisfacere liceret, ab ipſis hoſtibus victis, primum pacem flagitaviſſe*; ne captivum non dicam *Regi* (quod Porus ab Alexandro & poſcebat, & expertus eſt) ſed *humanè* (quod à magno, ſed mortalitatis memore Principe expectabatur) habitum fuiſſe putet, Guicciardinum [1] audiat. *Rex ab ipſo initio ardenter deſideraverat in Hiſpaniam deportari, cum ipſi (neſcio an quod alios ex ſua indole metiretur, an vero præſtigiis, quibus ſemet faſcinant, qui cupiunt) perſuaſum eſſet, ſi ſemel ad Cæſaris conſpectum duceretur, ſive benignitate ejus, ſive conditionibus quas offerre parabat, ſe*

[1] lib. 16.

 facile

facile liberatum iri. Quid pactum? *mandavit Carolus eum in rupe Setabienſi prope Valentiam, munitione à Regibus Aragonum aſſervandis Magnatibus deſtinata, quaque poſt annum concluſus Calabriæ Dux fuerat, cuſtodiri; verum cum conſilium iſtud Proregi Carolo Lanoio inhumanum & valde à promiſſis quæ ipſi in Italia fecerat alienum videretur; per epiſtolam à Cæſare obtinuit, ut ad novam uſque deliberatorem in villa Valentiæ vicina ſiſteretur* &c. *Cæſar Franciæ Regem in Caſtellam duci decrevit, ad Madritenſem munitionem locum à mari & Franciæ confinio remotum, ubi ceremoniis & cultu tanto Principi convenienti honoratus ſub diligendi & arcta cuſtodia haberetur, facta & nonnunquam è munitione excedendi poteſtate conſcenſâ mulâ; nec ad conſpectum ſuum Regem admitti conſenſit Cæſar antequam aut concordatum eſſet, aut certa concordandi cum ipſo ſpes fuiſſet,* &c. *Franciæ Rex quod Cæſaris præſentiam fruſtra deſideraviſſet, graviſſimo angore oppreſſus præ ægritudine, quæ eum in munitione Madritenſi invaſerat, ad tantum vitæ periculum deductus eſt, ut Medici curandæ ejus valetudini adhibiti Cæſarem monerent, de ſalute ejus ſpem plane decollare, niſi ipſemet eum refocillaturus & ſpe liberationis erecturus conveniret. Cum eo ſe conferre pararet, Magnus ejus Cancellarius diſſuaſit, id honorem ejus exigere inquiens, ne eo vaderet, niſi cum propoſito eum confeſtim & ſine conventione ulla liberandi, alioqui humanitatem non Regiam, ſed mercenariam futuram, & deſiderium eum non ex caritate & ſalutis ejus cura ſanandi, ſed ex uno commodi proprii impulſu, ne captivi morte lucrorum ex victoria ſperatorum occaſionem perderet. conſilio reverâ memorabili, dignoque tanti Principis aſſenſu, nihilominus ad diverſa ab aliis conſilia pertractus, citatis equis ad ægrum inviſendum accurrit:* Sic factum ut in Hiſpanos incidens, eos magno ſuo malo tales experiretur, quales eſſe paulo ante monuerat Guicciardinus, *avaræ & fraudulentæ indolis, ac (ubi quali ſint ingenio aperiendi facultas datur) inſolentiſſimæ*; ſubdit enim, *Domina mea Alenconienſis à Cæſare gratâ cum animi ſignificatione, dataque ſpe excepta eſt, ſed effectus ſucceſsère duri & difficiles:*
lib. 3. quod ut facilius capiamus hæc Bellajus notat, *Dominæ meæ Alenconienſis trimeſtre iter fuit; ſub inſtans reditus; monita à Cæſare ut ſiſteretur mandatis datum, quandoquidem ſalvi conductus tempus, quod ille producere noluerat, effluebat; tanta celeritate uſa eſt, ut quod iter quatridui ſpatio conficere ſtatuerat una die confecerit, & Clari montis Lutebenſis Dynaſtam Regis apud Narbonem Vicarium accerſierit, qui eam Salſulis extremo ſalvi conductus die exciperet, quod ille tanto comitatu ſtipatus fecit, ut qui de ea ſiſtenda mandata ſuſceperant, eadem exequi nullatenus auſi ſint:* Paulo poſt reditum ejus, & pactorum cum captivo ſubſcriptionem; Carolus, Guicciardino teſte, *Madritum ſtabiliendæ affinitatis, fundandæque familiaribus, & domeſticis colloquiis cum Rege amicitiæ, benevolentiæ cauſa conceſſit; grandes inter ea fuere ceremoniæ, & amoris demonſtrationes, una ſæpius publice conſtitere, longiſſima ſoli privatim colloquia ſæpius habuerunt; eadem rhæda vecti, ad caſtellum vicinum, nec ultra diurni itineris dimidium diſſitum, ubi Leonora Regina, qua cum contracta ſponſalia, profecti ſunt. Non tamen in tantis pacis & amicitiæ ſignis,* Franco *vel tantillum relaxata cuſtodia, vel ampliata libertas, ſed illo eodem tempore palpatus ut ſororius, aſſervatus erat ut captivus. adeo ut judicare facile eſſet concordiam iſtam diſcordia plenam, affinitatem ſine amore futuram, omnique occaſione prævalituras in ipſis antiquas æmulationes, & affectus, actorum vi magis quam occaſione alia reſpectu.* Hucuſque Guicciardinus. Vix

Vix patrium ſolum attigerat Franciſcus, Burgundi ingratiis ſuis à reliqua Monarchiæ compage divelli nequaquam potuiſſe, Madritenſia pacta ſe irrita & nulla cenſere proteſtati, Franci univerſi nullam regni dilacerationem ferre, nihil non (ſi quis eam quomodocunque moliretur) experiri certi, non falſo Regem eam ſuæ poteſtatis non eſſe, Carolo ejuſque miniſtris ſæpius inculcaviſſe fidem fecerunt; nec novum quippiam ad elevandam extortam Regi ſuo promiſſionem commenti dici poſſunt, quandoquidem * A.D. 1216, *Meloduni Aprilis die decima quintâ, poſt Paſcha* cum Philippus Auguſtus *nullum Regem & Principem poſſe dare regnum ſuum, ſine aſſenſu Baronum ſuorum qui regnum illud tenentur defendere, contendiſſet*; *magnates omnes unô ore clamare cœperant, quod pro iſto articulo ſtarent uſque ad mortem*; quid mirum ſi eadem menti poſterorum ſententia inſedit, nec ab eâ periculi ullius metu abduci ſeſe paſſi ſunt, ut [1] *ſine facto* eorum, *quod* eorum erat, *ad alium transferri poſſet?* Cum igitur *impoſſibilium nullam obligationem eſſe*, evidentiſſimi juris ſit; viderint, qui cum Zypæô Franciſcum hoc ipſo nomine, quod impoſſibilibus præſtandis impar, intra modum ſuum ſe continuerit, criminari audent, tantumque à ratione abſunt, ut videre nolint, nec pacti violati reum peragi debere, qui id quod jure poterat præſtitiſſe contentus, nihil ultrâ conatus eſt, *eaque quæ dari impoſſibilia erant pro non adjectis habuit* (reg. 135.) quandoquidem [2] *Imputari non debet ei per quem non ſtat, ſi id non faciat, quod per eum* ex hypotheſi *fuerat faciendum*; nec rurſus *futilibus nugis excuſari* quæ per ſe notis & confeſſis rationis regulis nituntur.

* Matth. Pariſ.

[1] reg. 11.

[2] reg. 41.

De pactorum *impoſſibilitate* certiores facti, de *vi* alteri ex paciſcentibus facta neqûaquam dubitaverint, quotquot Franciſcum in Italiâ & Hiſpaniâ per annum fere integrum de injuria conſtanter proteſtatum audierint; ſi enim is *velle non creditur, qui obſequitur Imperio patris vel Domini*, quanto minus *voluerit*, qui cogentis & væ victo immaniter inclamentis hoſtis infeſto *imperio* velut obtorto collo eo pertractus eſt, ut tandem ſuccumbere videretur? Cum [3] *nihil conſenſui tam contrarium ſit, qui bonæ fidei judicia &* pacta *ſuſtinet, quam vis, & metus, quem comprobare contra bonos mores eſt*, quæ inſania eſt ei *conſenſum* tribuere, quem tota mente reluctantem, dira vis & ineluctabilis ab ea invecta neceſſitas adeo torſerunt, ut mœrore lethali fere confectus ſit? ſi deniq; *cum ſervo nulla actio eſt*, quam habere potuerit Carolus cum eo, quem ſervi, immo rei more, tanta duritia vexavit, uti in germanam decumbentis & periclitantis ſolatio occurrentem involare paratus fuerit? [4] hic ergo quod anno 196, Iul. 1, Iulio Conſertino reſpondit Severus locum habere debet. [5] *Ea quæ per vim & metum geſta ſunt, etiam citra principale auxilium irrita eſſe debere jampridem conſtitutum eſt*, & anno 212, 5 Kal. Aug. Iuliæ Baſiliæ Caracalla [6] *Pacta quæ ab invitis contra leges conſtitutioneſque fiunt, nullam vim habere indubitati juris eſt*; anno 365, 12 Kal. April. ex Mamertino Præſ. præt. Valentinianus & Valens, [7] *pacta quidem per vim & metum apud omnes ſatis conſtat, viribus reſpuenda.* anno 409, 10 Kal. Martii populo Honorius & Theodoſius, *tranſactiones, quæ potentiam extortæ ſunt, præcipimus infirmari.* Si juris peritos interrogare libent, idipſum una pronunciabunt. Paulus ad edictum lib. 11. Dig. *quod metus* hoc *Quod metus cauſâ geſtum erit, nullo tempore Prætor ratum habebit.* Vlpianus ad edict. lib. 11. Ibid. *Ait prætor*, Quod metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo. *Olim ita dicebatur*, quod vi me-

[3] reg. 106.

[4] reg. 107.

[5] Cod. Greg. *de his quæ vi.* cap. 1.

[6] Cod. eod. de pactis. c. 2.

[7] Cod. Theod. de pactis. c. 4.

vi metuſve cauſa, *vis enim fiebat mentio propter neceſſitatem impoſitam contrariam voluntati*; *metus inſtantis, vel futuri periculi cauſa, mentis trepidatione*; *ſed poſtea detracta eſt* vis *mentio*, *ideo quia quodcunque vi atroci fit, id metu quoque fieri videatur*, [1] *eo ſcil.* qui (ut ibid. Gajus notat,) *in hominem conſtantiſſimum cadat*; utq; ad hypotheſim propius accedamus; Paulo ibid. teſte, *non dubitatur, quin maximo metu compellar*, *utique ſi jam in ſervitutem petor*, Sent. lib. 1. *Qui in carcerem quem detruſit, ut aliquid ei extorqueret, quicquid ob hanc cauſam factum nullius momenti eſt*; & lib. 5. de interdictis, *Vi dejectus videtur*, *qui in prælio vi retinetur*, eò etiam pertinent vetuſta Weſogothorum, quorum Hiſpani hodierni pulli audire amant, jura; Legum lib. 9 tit. 518. [1] *Pactum quod per vim & metum extorſerit perſona potentior vel inferior*, *ſive placita*, *ſive reliquas Scripturas*, *ideſt*, *ſi ille, qui paciſcitur, aut in cuſtodia mittitur*, *aut ſub gladio mortem forte timuerit*, *aut nè pœnas quaſcunque vel ignominiam patiatur, vel certe ſi aliquam injuriam paſſus fuerit*; *hujuſmodi pactio*, *vel ſcriptura qualibet nullam habeat firmitatem.* An futiles Zypæus nugas putet, ſi Francus inter Hiſpanos degere, eorumque arbitrio vivere coactus, eodem cum ipſis jure regi, eos priſcis Majoribus (quibus potiſſimum gloriantur) ipſorumque orbis Dominorum legibus obſequi cupiat? *ſi invitus* (ex Pauli mente Dig. de Procuratoribus) *eſt*, *qui conſenſiſſe non probatur*, *quanto magis*, *qui* toties *contradixit?*

1 Cod. Iuſt. de his qui. cap. 12.

II. Hoc ad pii (cujus [2] *in monte ſancto requies* futura ſit) elogium pertinere voluerat Pſaltes, *juravit in malum* ſeu damnum & incommodum proprium, *& non mutat*; ut ſcilicet divini nominis in juramento factam invocationem ſuis nemo commodis poſthabere audeat, quique in eo ſtatu fuit, ut fidem ſuam quomodocunque obſtringere poſſet; liber nimirum ſuoque jure utens, nulla ſe conditionum difficultate, nullo ex promiſſis emergente diſpendio, ſi modo quæ ſpopondit præſtari re ipſa poſſent, deterreri pateretur: ſi pactis Madritenſibus, dura, ſed ſine crimine præſtabilia exigi placuiſſet, etiamſi vi adactus, & libertate in totum carens Franciſcus juraviſſet, obligatus ex qualicunque ſuo contractu poſt libertatem videri forſitan potuiſſet; ſatius enim fuiſſet, incommoda & gravia ſubire, quam divinæ Majeſtatis (cujus interpoſita in juramento mentio fuerat) reverentiæ tantillum vel in ſpeciem detrahere: ſed iniqua, quæque tam exigere, quam exequi nefas eſſet, non uno loco fuerunt: de Caroli in pactis illis, multiplici culpa (ſi animus ferret) plura notare poſſemus, ſed cum actionem in defunctum non inſtituerimus, nec de violandis (Zypæi in Franciſcum inſanientis exemplo) cineribus cogitemus; ea ſola ex quibus Franciſco invito, extorta præſtare nequaquam licuiſſe conſtet, in medium afferemus. 1 de non alienando Regio patrimonio, regnoque diſcerpendo, fidem populis univerſis, in quibus non minimi Burgundi dederat, eum vero reſecta è corpore regni Burgundiâ pejerare juſſit Carolus, an ut ei gratificaretur, libertatis compos [3] quomodocunque fieret pejerare, id eſt, delicto in Deum & Remp. à Deo commiſſam manifeſto ſemet mancipare, & crimen pro laude paciſci, debuerit; an vero, quod ante & poſtea fecit, adverſus nefas, non tam ſuadentem quam imperantem, cum Apoſtolis generoſe proteſtari *Deo potius quam hominibus obedire oportet?* 2 Ioannem Labretanum, & Catharinam Fuxenſem Navarræ Reges, nihil vel in Iulium 11 Papam, cui toto vitæ tempore, nec ver-

2 Pſal. 15. 4.

3 pact. Madrit. cap. 3. art. 4.

verbo, nec facto unquam refragati ſunt, vel in Ferdinandum proavunculum, quam ſemper filiali affectu coluerunt, ejuſdem ac regnorum ſecuritati quantum in ipſis erat deliquiſſe, eoſdem tamen nullo ſuo merito armata manu invaſos, paulum abfuit, oppreſſit; ſpoliatos indignis calumniis à ſpoliatore vexatos fuiſſe, ipſorumque denique ſpolia penes Carolum, nihilô meliore titulo raptorum poſſeſſorem eſſe conſtabat; extorres & opis indigos, materno ſinu foverat ab A.D. 1512 Gallia; eorum in juſtiſſimâ omnium cauſâ patrocinium ex officio (interpoſitâ, ſolenni more fide) A.D. 1515 ineunte ſuſceperat, pio ac juſtô cum afflictis Principibus fœderi pactis Pariſienſi & Noviodunenſi expreſſe caverat Franciſcus, quodque ante annos 10 ſancte promiſerat, integra fide præſtitit, & præſtare in futurum debuit. Quid annô 1526, Carolus molitus eſt? fidem injuria affecto Navarro juratam violare, flagitioſo latrocinio ſpoliatum nova & indigna (perfide deſerendo) injuria afficere, utque Dominicis verbis utar, *furem videre & currere cum eo* juſſit, quantumque in ſe fuit coegit: an pudendis conditionibus renitendo, pacemq; ſceleris parariam accuſando peccavit, qui in eam conſentiendo, fœdifragii, immanitatis, proditionis ignominioſo reatu animam infelicem obligaſſet? aut denegati turpiſſimæ nundinationi conſenſus *excuſationes* quærere neceſſe habeat, qui eam ſui juris factus palam deteſtatus eſt? crediderit fortaſſe Zypæus; ſed ſi futiles nugas agunt, qui ſemet impiare nolunt; ex Paulo *de criminibus propter infamiam neminem cum adverſario paciſci poſſe*; ex veteribus Auguſtis *non crimen diſſimile eſſe rapere, & ei qui rapuerit, rapta ſervare* volens nolens diſcat. Pſal. 50. de pactis. de crimine peculatus. A.D. 1415. Mart. 21.

3. Carolum Ducem propinquum, Geldroſque Principi ſuo hæreditario, collatoque certatim ære in libertatem aſſerto ſacramenti religione colligatos, & jugi Auſtriaci impatientes, & adverſus impendentem à communi hoſte vim in fœdus & clientelam receptos, eidem quod pacti Madritenſis c. 21 poſcebatur, prodere, infame & abominandum fuiſſet. Adolfi Caroli parentis cauſam agere nolumus, juſte exhæres pronunciari poterat, ſed quid commeruerant liberi per ætatem innoxii, ut avo alieni criminis pœnas penderent, iſque populorum (quorum potiſſimum res agebatur ingratiis) partim pretio, partim legato ditiones ſuas in alienos transferret? abdicationis nec Burgundicarum, quibus acceſſiſſe videbatur Geldria, provinciarum ordines, nec Geldri ipſi rationem habuerunt; poſt Caroli Burgundi cædem in integrum reſtitutus, imo belli Dux conſtitutus eſt Adolfus, eoque è vivis paulo poſt ſublato, Carolus filius à populis ſuffectus, quacunque potuit ope adverſus Maximilianum I & Philippum filium inhiantes, quam nactus erat Spartam tueri conatus eſt; & in Francicam clientelam receptus late ſui nominis terrore ſparſo, ſe ſuoſque indemnes aliquandiu præſtitit; at victoria Ticinenſi & æmuli captivitate elatior Carolus, de Geldri improlis, ſed cui hæredes ex Philippa germana nati eſſent, univerſo ſibi vindicando poſt mortem dominio certus, à Franco ſub cuſtodia poſito, ut miſeros Geldros quibus ex lege fœderis patrocinium debebat, conjunctis viribus, ſi ſuo jure uti vellent, ſe oppreſſurum ſponderet, exigere non dubitavit; nec multo poſt; anno ſcil. 1528 Ducem ad nova pacta compulit, quæ ipſe teſtamenti tabulis Clivenſi hærede inſtituto anno 1538 refixit. Clivenſem poſſeſſione cedere anno 1543 coegit Carolus, ſed Lotharingi Philippæ poſteri ſe injuria ſpoliatos queſti, *Geldriæ* Duces ſeſe conſtanter inſcripſerunt: hic autem fuit totius familiæ ſtatus & fœderum fundamentum.

Ioannes

Ioannes Burgundiæ Dux Margaretæ Brabant. maritus.

Philippus *Bonus* Iſabellæ Portugal. marit. — Agnes Caroli I Borbonii uxor. — Maria Adolfi Clivenſis uxor.

Carolus qui Adolfum Gelrenſem deturbavit. — Iſabella. — Catharina Adolfi Gelr. uxor. — Margareta Philippi Sabaud. Ducis uxor 1. — Maria Caroli Aurel. Ducis uxor. — Catharina Arnoldi Gelrenſis uxor. — Ioannes I Iſabellæ Burg. maritus.

Maria Maximiliani I uxor prior. — Ludovica Caroli Engoliſm. uxor. — Ludovicus XII Annæ Brit. maritus. — Adolfus Catharinæ Borbon. maritus. — Catharina Gelriæ gubernatrix poſt, A. D. 1477. — Ioannes II Matthildis Haſſ. marit.

Philippus I Ioannæ Caſtell. maritus. — Franciſcus I. — Claudia. — Carolus Dux. — Philippa Renati Lothar. uxor. — Ioannes III Mariæ Iuliac. maritus.

Carolus V. — Ferdinandus I Annę Hungar. maritus, Mariæ Guill. Clivio nuptæ parens. — Leonora Franciſci I uxor 2. — Henricus II. — Antonius qui ſe Gelriæ Ducem inſcripſit. — Guillelmus hæres à Carolo Gelriæ Duce ſcriptus, Mariæ Ferdinando I natæ maritus.

III. Poſtquam Franciſcum pacta Madritenſia pro infectis habendo non modo non peccaſſe, ſed graviſſime (ſi iis ſtetiſſet) peccaturum fuiſſe, ſive antiquos, ſive nuperos criminatores impudentis calumniæ manifeſtos teneri docuimus; quid ex orbis Chriſtiani mente conſilii capere debuerit, videndum reſtat. Anglum fœderis cum Regente & regno percuſſi tabulis id expreſſe
lib. 16. inſeri voluiſſe, *ne quid ex iis quæ tunc regnum poſſidebat, pro liberando Rege Cæſari concedi poſſet*, ex Guicciardino jam notavimus. Papa Paulo Vectori Florentino triremium præfecto ad Franciſcum delegato in mandatis
Ibid. dedit, ut ſi eum *à ſervandis pactis alienum vel ancipitem offenderet, eum confirmare conaretur, & quacunque datâ occaſione, ei animum, ad hoc iter aggrediendum adderet, declarato deſiderio, quo teneretur, ſemet in commodum commune cum eo colligandi. Protonotarium etiam Gamberam in Angliam amandavit, ut cum Rege illo in eundem finem ageret, ejuſque monitu Andream Roſſum ſecretarium in Franciam Veneti, cum iiſdem mandatis miſere*, &c. *Rex à Rege*
lib. 17. *Angliæ, qui concluſioni huic, ſuaſionibus magis quam factis favebat, ſtimulatus ligæ negotium ſtrinxit; ea inter Conſiliarios Regis procuratores ex una parte, & pontificis ac Venetorum agentes ex altera Cuniaci, anno* 1526, *Maji* 16, (à Regis
lib. 16. ab init. liberatione 59) *concluſa eſt*, &c. *verbis exprimi nequit, quantum Regis* caſu *attoniti univerſi Italiæ potentatus evaſerint*, &c. *neque timore torti præcipui*
lib. 6. *ſoli ac forſan minores; ſed præ aliis Papa & Veneti ſunt*, & Carolus ipſe in ſcripto adverſus Papam à Ioanne Sleidano memorato; *Galliæ Rex profitetur palam, quod ab te ſollicitatus antequam ex Hiſpaniis domum rediret, novum fœdus inierit, & indiciô cognovi te ſolviſſe illum à jurisjurandi vinculo, quo mihi tenetur*, &c.

Carolum in duritiem pronum, anno 1525, Martio menſe, ſolido antequam in Hiſpaniam deduceretur Rex captivus ſemeſtri, his argumentis adæquiora pellicere conatus erat, heroici ac vere Chriſtiani ſpiritus, ſic pro-
Guicciard. lib. 16. fundiſſimæ prudentiæ vir Epiſcopus Vxamenſis. *Tria, inquiebat, ſunt quæ de Francorum Rege decernere Majeſtas tua poſſit*, 1 *ut perpetuo carcere teneatur*, 2 *aut amice & fraterne, ſine aliis, quam quæ ad firmandum pacem inter vos perpetuam, amicitiamque, & ſananda Chriſtianitatis mala pertineant.* 3 *ut liberetur, ita tamen ut quam maximum ſperari poſſit lucrum ex* ejus liberatione *eruatur*;

quorum

quorum (niſi fallor) duo protrahunt & augent bella; liberatio amica & fraterna ea ſola eſt, quæ æternum ſtirpitus exſcindat, &c. *ad ſecum conſtituere ut nunquam è cuſtodia exeat, præterquam quod cum nimia crudelitatis infamia conjunctum, animi, cui fortunæ poteſtas ignota eſſet indicium daret; an non bella ex bellis ſereret? nec enim præſupponit, te Franciæ vel totum, vel partem tibi vindicare velle, quod ſine novis & maximis bellis fieri non poteſt: ſi medium conſilium capias, ut eum extortis quæcunq; maxime in rem tuam fuerint pactis liberes, id cæteris univerſis implicatius & periculoſius crediderim; quandoquidem affinitates, capitula, obligationum qualiatunque volueris vincula, ſi fiant, hoſtis reſtabit ſemper, nec ipſi ſocii deerunt*, &c. à Poteſtate tua ſibi *Papa, Veneti, Italia tota timent, eamque Angliæ Regi moleſtam ex ſignis quæ ſæpius emersêre, futuram credere par eſt: poterunt per menſes aliquot, ſpe, vaniſque conſultationibus duci Franci; ſed id tandem neceſſe fuerit, ut vel Rex liberetur, vel illi deſperent; deſperati cæteris colligabuntur; ſi Rex conditione Majeſtati tuæ parum utili liberetur, quale lucrum fuerit, tantæ magnanimitatis exercendæ occaſionem perdere, quam niſi ſeſe in ipſo initio exerat, ut ut poſt exeras, nec laus, nec gloria, nec gratia par deinceps ſecutura eſt? Si* captum *conditionibus, quæ tibi utiles ſint, emittas; iis non ſtabit, quandoquidem nulla quam tibi dederit cautio tanti apud ipſum eſſe poterit, ut longe pluris non ſit, id moliri ne hoſtis viribus in tantum augeatur, ut ipſum exinde opprimere valeat: ſic vel inutilem pacem, vel periculi plenum bellum habebimus, cujus exitus incerti ſint, eique cui tam diuturna felicitas ceſſit, ut formidabilior fortunæ mutatio. vel ubi res ſuas in tuto collocare datum eſt; moleſtiores improſperi eventus fiunt.* Hæc veriſſima, prout experimento comprobatum eſt, attenta admodum mente audierat Carolus; ſed cum ſemet jam tunc non caperet, & per calcatum adverſarium, ad alia ardentior pergere deſtinaret; Friderici Toletani Albani, Ferdinandi qui diritate ſua Hiſpanicum Imperium in fœderati Belgii provinciis aliquanto poſt evertit, parentis, vere Cyclopicæ quæ nihil non deglutiendum putaret immanitati, tam facile quam infeliciter ſemet commiſit.

Caroli Marpeſia caute durioris, tam in Italia quam in Hiſpania experto & à Mercurino Gattinara Magno Cancellario liberius excogitato rigore per integrum fere annum illiſæ, Franci, germanæ, regni totius ſpes jamdudum decollaverant, nec ultra dabatur Chriſtianum & glorioſum Vxamenſis Epiſcopi conſilium ſequi; captivo vix ex ægritudine, quam juſta indignatio induxerat, cedendo ſemet eripere conſultius tandem viſum eſt, quam irrito conatu diutius obluctari: quæcunque imperata ſunt, ut ut iniqua aut impoſſibilia ſecum reputaret, palam repudiare noluit. Quid tum Cancellarius? *Veritus ſum ſemper, invictiſſime Cæſar, ne cupiditas noſtra nimia, quodque male ordinatos nobis fines propoſuimus, in cauſa eſſet, ut ex tam præclara tantaque victoria, nec gloriam, neque commodum tandem reportaremus; nunquam tamen credidiſſem, quod victoriam reportaſſe, eo te deduceret, ut fama ſtatuſque tuus periclitaretur, quemadmodum eo deduci manifeſte video, cum de pacto ineundo agatur, quo Italia univerſa ad deſperationem adigatur, Rex vero Franciæ liberetur, ſed conditionibus adeo gravibus, ut ſi non voluntate, ad minus neceſſitate, hoſtis infenſior, quam prius fuerat, reſtet. Cuperem & ego pari cum aliis ardore, ut uno eodemque tempore Burgundia recuperaretur, & fundamenta dominatus in Italia firmarentur; ſed cognoſco eum qui adeo ſubito, tam multa* apud Guiciard. lib. 16.

complecti aveat, in id periculum vadere, ut nihil prorſus ſtringat, nec ullam rationem ferre, uti Rex Francorum libertati redditus, tanti momenti capitulis ſtet: An neſcit, ſe ſi tibi Burgundiam reſtituat, unam tibi ex Franciæ partis aperturum, tua in poteſtate ſemper futurum ut Pariſios uſque excurras; futurumque impoſſibile, ut tibi, cui tot ex partibus Franciam vexare ad manum fuerit, reſiſtat? An ipſe, aliuſque quivis neſcit, conſentire ut armatus Romam vadas, fræno Italiam coerces, ſub arbitrium tuum Eccleſiam, ſpiritualem & temporalem Eccleſiæ ſtatum redigas, duplicandæ potentiæ tuæ occaſionem eſſe, adeo ut nunquam exinde tibi vel pecunia, vel arma, quibus eum offendas defutura ſint, ipſe vero in leges (quaſcunque ferre libuerit) conſentire cogatur? Quis eum pacta obſervaturum credat, quibus ille mancipium tuum, tu Dominus illius evadis? ipſius univerſi Francorum regni lamenta & clamores, Angliæ Regis ſuaſiones, Italiæ totius ſtimuli deerunt? an forte mutuus inter vos amor, ut tibi fidat, potentiamque tuam lætus videat, occaſio fuerit? ſed ubi unquam Principes duo extiterunt, inter quos plures odii & diſcidii cauſæ natæ ſint? hic non ſola poteſtatis æmulatio occurrit, quæ fratres ad arma concitare ſolet, ſed antiqua graviſſima odia, à patribus veſtris & avorum avis inchoata, tot bella inter utramque familiam diu geſta, tot paces, & pacta minime obſervata, tot injuriæ & offenſæ illatæ & acceptæ. An non eum indignatione accenſum credemus, cum ſe per tot menſes captivum veſtrum fuiſſe, ſub cuſtodia adeo arctâ poſitum, ut id gratiæ nunquam conſecutus ſit, ut ad conſpectum tuum deduceretur, in carcere iſto mœrore & incommodis morti vicinum factum; nunc vero non magnimitate aut amore, ſed tantæ, quæ in te paratur unionis metu liberari recordatur? hiſne ſtimulis affinitatem neceſſitate contractam potentiorem futuram credemus? quis neſcit quanti Principes hæc vincula faciant? quis quanti fiant affinitates potior teſtis quam nos? videbitur forſan cuipiam fides de repetenda cuſtodia data nobis ad cautionem ſatis eſſe, ſed quam inconſiderata fundamenta, quam imprudentes ſpes hæ fuerint? &c. *Videre mihi videor reſponderi ad rerum quas timemus cautionem, filios, ac inter eos primogenitum, obſides imperari, quorum amorem pluris ab eo, quam Burgundiam fieri neceſſe erit; at ego metuo ne liberorum amor promptius contrarium operetur, cum animo memoria eorum occurret, & cogitatio hæc, pactis ſtare futurum initium eos tibi in mancipia ſiſtendi, etiamſi de iis alia via recuperandis penitus deſperaret, an id pignus ſufficeret neſcio; quandoquidem ipſius nimium intereſt, ne regnum in periculum conjiceret, quod ſemel amiſſum recuperare difficilimum foret; ſed facile ſperare poteſt, ſe libero, ſive pacto, ſive occaſione alia, cum tempore recuperaturum; minuſque per teneram eorum ætatem moleſta fuerit dilatio: Quis autem dubitet eum, cum ſecum adverſus te unitos Principes Chriſtianos fere univerſos habere poſſit, ſemet iiſdem colligaturum, viaque armorum de pacto iſto moderando cogitaturum, quod ex victoria iſta conſecuti fuerimus lucrum, bellum acerrimum & perículoſiſſimum, odio, neceſſitate, ipſaque Regis Angliæ, Regis Franciæ, & Italiæ univerſæ deſperatione concitatum, futurum?* &c. *Te igitur magis ad amicitiam iſtam honor, utilitas, ſecuritas, ac (niſi fallor) nihilo minus neceſſitas inclinant; quia ſi cum Rege conventurus, aliud nihil ab eo exigas, niſi ut tibi ad expeditionem Italicam auxilio ſit, mihi veriſimile non eſt, id obſervaturum, quandoquidem ipſius opinio erit, Italiam vobis deprædandam relinquere, regnum ejus in periculum conjecturum; ex alia vero parte maximæ opportunitates, & ſpes ſemet illi offerent, unionis*

adeo

adeo potentis ope, tui vexandi, & ad pactum minus incommodum adigendi; ſic ex Rege captivo liberum hoſtemque noſtrum faciemus, immo regno Francico caput dabimus, ut tot aliis junctum, majore tecum impetu & commodo bellum gerat,&c. *vel nihil prorſus capio, vel ſtatum veſtrum in tantum periculum pactum iſtud præcipitem dabit, ut ego dignoſcere nequeam quid ipſum liberare poſſit, niſi forte Franciæ Regis imprudentia noſtrâ major non fuerit.*

Ad veriſſima & graviſſima monita Carolus obſurduit, quô eventu? *Maxima* (inquit Guicciardinus) *pactorum iſtorum admiratione Chriſtianitas univerſa perculſa eſt; quare ubi innotuit, id primum executioni mandandum, ut Chriſtianiſſimus liberaretur, univerſale omnium ad unum judicium fuit, cum libertati redditum Burgundia non ceſſurum, quod ea Regni Francici membrum longe neceſſarium eſſet, iiſque paucis exceptis, qui Cæſari animos addiderant, tota ejus Aula in eadem ſententia fuit, præ aliis vero Cancellarius magnus id tanta cum vehementia reprehendebat, & deteſtabatur, ut licet Capitulis, quod ex Cancellarii magni officiô erat, ſubſcribere juſſus eſſet, recuſaverit; auctoritatem quæ ipſi data erat, in periculoſis, & pernicioſis (qualis iſta erat) rebus à ſe nequaquam uſurpandam cauſatus, nec à propoſito ulla Cæſaris indignatione dimoveri potuit, qui ubi eum in pertinacia iſta, velut fixum vidit, per ſe ſubſcripſit, paucisque poſt diebus Madritum profectus eſt.* Non igitur debuit, ſive res ipſas, earumque, ut momenta, ſic impoſſibilitatem & iniquitatem per ſe ſpectare, ſive Chriſtiani orbis, Aulæ ipſius Hiſpanicæ, præcipuorumque Caroli Miniſtrorum uniforme judicium audire libeat, non debuit inquam Francus pactis à ſe, non ſine delicto multiplici extortis, ne ſe crimine implicaret, quodque Apoſtolico ore exerte Spiritus Sanctus damnavit, & *mala* & male *ageret, ut* Rom. 3. 8. *boni* quippiam *eveniret*, ſtare. Si Zypæus facti quod nemo æqui bonique peritus improbavit, defenſionem *futilibus nugis* accenſere pergat, quaſi ipſi uni contra orbem univerſum ſtare, an ſeris inſtar inter olores ſtrepere, ſibi uni ſanam mentem arrogare, univerſorum ſæculi proxime præcedentis principum judicio oppedere; ſuis (quos in ipſos Caroli comitatu confitentes ab initio reos habuimus) dicam impune ſcribere liceat, etiamſi eum quicquid vult Sabinorum more ſomniantem inſaniæ propriæ plectendum relinquamus, non deſinent quotquot bona fides cordi eſt, *nugatorum futiliſſimum* & calumniatorem improbiſſimum reputare, ab eoque indigne violatæ ſummorum Principum Majeſtatis pœnas repoſcere.

Zyp. *Sed & cum Carolus fœderis novationem obtuliſſet, ſi Franciſcus juxta pacta in captivitatem rediret, is fidem fregit: non tantum non reverſus, ſed & improbum illud fœdus iniit, quod ſanctum ſcilicet alii appellant; ſed quorum neminem ex ſucceſſu, quem Deus Carolo dedit, non pœnituit.* Reſp. Quæro primum unde noſter nugarum, ſi Deo placet, exſufflator *novationem fœderis à Carolo oblatam*, nobis vero Francis, imo Europæ hactenus inauditam hauſerit; an ex *futilium*, quas aliis imputat, *nugarum* penu; an vero aliunde? 2 *pacta* de Franciſci *in captivitatem reditu*, ſi imperata non impleret, eo ipſô *iniqua* fuerunt, quod *iniquis* (ſi fas fuiſſet) ſanciendis & confirmandis inſervierunt, ipſoque jure nulla cum fuerint, nec eum à quo injuriâ extorta ſunt obligarunt, nec is eadem ſervare debuit, nec ſervare renuens, *fidem*, quæ proprie nulla ab invito data fuerat, aut in nefas dari potuerat, *fregit*; quod enim nec fuit, nec eſſe potuit, nec reipſa *fractum* eſt, nec *frangi* niſi forte opinione

 potuit.

potuit. *Si de criminibus paciſci* (prout ante dictum eſt) nefas fuit, de iiſdem quomodocunque pactis, confirmandis cogitare, fas nunquam ſuit, aut eſſe potuit; ſi *deſiit debitor eſſe, is qui nactus eſt exceptionem juſtam, nec ab æquitate naturali abhorrentem*; quis cum debitorem fieri nequaquam potuiſſe dubitet, qui injuſta poſtulata *juſtis* à ſe *exceptionibus* depulit? Hic Vlpianum, credo, non nugantem Zypæus audiat, *Generaliter quoties pactum à jure communi remotum eſt, ſervari hoc non oportet; nec jusjurandum de hoc adactum, ne quis agat ſervandum. Marcellus lib.2 Digeſtorum ſcribit, etſi ſtipulatio ſit interpoſita de his pro quibus paciſci non licet, ſervanda non eſt, ſed omnino reſcindenda*; Communes etiam antiqui juris regulas, niſi deſipere lubitum ſit, audiat. *Cum principalis cauſa non conſiſtit; nec ea quidem quæ ſequuntur, locum habent.* Item *Quod contra rationem juris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentiam.* Ipſos denique Hiſpanos Toleti A. D. 653 congregatos. c.2 *Dum perjurare compellimur, creatorem quidem offendimus; ſed nos tantummodo maculamus; cum vero noxia promiſſa complemus, & Dei juſſa ſuperbè contemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & nos ipſos crudeliori mortis gladio trucidamus, illic enim duplici culparum telo percutimur, hic tripliciter jugulamur:* Item ex Ambroſio de officiis lib.1. c.30. *eſt contra officium nonnunquam ſolvere promiſſum & ſacramentum cuſtodire.* lib.3, c.12. *tolerabilius eſt promiſſum non facere, quam facere quod turpe ſit.* ex Iſidoro Sent. libro 1. c. 31. *Non eſt conſervandum ſacramentum quod male & incaute promittitur*, &c. Synonym. lib.2. cap.10 *In malis promiſſis reſcinde fidem, impia eſt promiſſio quæ ſcelere impletur.* quærebant an *refugarum & perfidorum*, quibus id promiſſum fuerat poſſet, *temperari ſententia*; cum vero negaverint, datamque ipſis fidem ſolvi juſſerint, quanto magis pacta impoſſibilia, iniqua quæque paciſcentem captivum vi in ſcelus impellerent, irrita cenſeri, quodque anno 647, Octob. 28 in Concilio Toletano c.1 ſanxerant, *poteſtati principis nullum Sacerdotum in hoc præbere debere aſſenſum, unde perjurium videretur incurrere* pronuntiaſſent? 3 fœderis, quod *ſanctum* vocatum eſt, cum Clemens 7 Papa primus auctor fuerit, idque (Guicciardino & Bellajo teſtibus) propriæ dignitatis & libertatis Italiæ aſſerendæ cauſa, cum Francorum & Anglorum Regibus, Venetis, Helvetiis, Florentinis percuſſerit, ſine immodeſta & petulanti maledicentia, id ſummo ſui ordinis Capiti, totiuſque Europæ primoribus cum eo colligatis affingere, non potuit Zypæus, ut quod revera *improbum* credebant, & revera, ex ejus ſententia, erat, *ſanctum* vocarent, *malum bonum dicerent, tenebras lucem, amarum dulce* (quod peſſimorum eſt) *ponerent.* 4 *fœderis* quod ſanctum dictum eſt, *ſucceſſum pœnitendum* fuiſſe, *neminem* ex ſociis ejus *non pœnituiſſe* falſum eſt; quid enim damni Anglus, Helvetii, Veneti perpeſſi ſunt? Papæ infeliciter ſi confœderationis conſilium ceſſit, non culpæ in Cæſarem, à quo ſibi totique Italiæ jure timebat, ſed Columnenſium perfidiæ, & fœderatorum negligentiæ imputare debuit. 5 Etiamſi fœderatorum *neminem* pactorum inter ſe conventorum *non pœnituiſſet*, nequaquam procederet argumentum, *pœnituere pactorum*, ergo *iniqua fuerunt*; quam ſæpe enim evenit, ut eorum conſiliorum, quæ in ſe æqua & bona ſunt, eoque *non pœnitenda*, illos ipſos, quibus comperta eorum æquitas erat, *pœniteat*, poſtquam ea improſpera experti ſunt? *Careat ſucceſſibus apto quiſquis ab eventu facta notanda putat.* 6 ut alios omnes

initii

reg. 66.

Dig. de pactis. c.7.

reg. 129.

reg. 141.

Concil. Tolet. 8. c. 2.

Eſai 5. 20.

initi fœderis *pœnitere* neceſſe fuerit, nihil hæc ad Francum, qui (reſumptis ſuorum ac exterorum hortatu armis) quod volebant conſecutus, liberis ære redemptis, & immodico pactorum Madritenſium rigore (adhibito in aliis nonnullis temperamento) in Cameracenſibus A.D. 1529, Auguſtô menſe lævigato, Burgundia cedere nequaquam coactus eſt.

Aſſerta bonâ Franciſci fide, Angelica eum puritate ornatum inſinuare animus non fuit; Regem qui laude digniſſimum prædicamus, hominem qui humani à ſe nihil alienum putaverit, fuiſſe non negamus; peccaſſe illum ſæpius notavere jamdudum noſtri; ſed ea, qui in optimos quoſque cadere, infirmitate, quadamque indolis apertæ & ſimplicis facilitate & incuria, quæ incautos nonnunquam illiciant, non dolo malo, quo improbi alii in alios graſſantur: in hac ipſa calamitatis ejus hiſtoria nonnulla ſunt, quæ jure reprehendi poſſint. 1 quod ubi in manus hoſtium incidit, literis manu propria ad victorem datis, ad ſupplicia (pro gentis genio) converſus, ipſis dejectioris, & ad ſubeunda duriora proni animi ſuſpicionem fecit. 2 quod poſtquam Adrianus Croius cum mandatis durioribus, quæ fortiter repulit, ad ipſum miſſus eſt; Carolum ex ſe metiens, & humaniorem, quam poſtea ſenſit, ſperans, deduci in Hiſpaniam ad hoſtem inſultaturum, quam in Italia (ubi omnia in eum inclinabant) diutius detineri maluit; quid enim ſuadebat ut ei ſe abſolute committeret, qui in dies moroſior evaſurus, & ſperatæ libertatis negotium novis difficultatibus implicaturus erat? 3 quod poſtquam (per menſes 10 continuos) imperatas conditiones, ut iniquas & impoſſibiles, magno fortique animo rejecit; in eaſdem (velut in alium mutatus) conſentire, nec tantum conſentire, ſed conſenſum ſubſcriptione, & juramentô non ſemel (dum conſenſum à quo alieniſſimus fuit, ſimularet) confirmare viſus eſt; & poſtquam domum repetiit, novæ confirmationis poſtulata procraſtinando eludere maluit, quam palam repellere. quis enim dubitet, nihil ſimulare aut promittere, quod ſervari nefas eſſet, nulla ſpe, nullo metu inflecti, Domino uni committere ſeſe, & ab omni juramenti, conſenſuſque quomodocunque extorti ſpecie abſtinere longe ſatius fuiſſe? cum enim iniqua ſpondere, aut eorum ſponſionem quocunque fine ſimulare, aut denique ſponſionem ſimulatam (ſimulato juramento, quo alia priora ſancta, legitima, indiſpenſabilia expungi putarentur) obſignare, nulli privato, principi, libero, ſub aliena poteſtate poſito unquam licuerit; nemo eo adigi debuit, ut hæc univerſa, aut eorum aliqua vi quacunque ſibi extorqueri ſineret: ſed ſi quis, urgente calamitatis mole, dejectus, huic culpæ generi ſuccumbat, non fœdifragii (quandoquidem fœdera legitima nequaquam fuerunt, quæ de criminibus paciſci: eum coegerunt) ſed inconſultæ facilitatis, & nimiæ ſecuritatis reus, Deo cujus ſacroſanctum nomen, nulla hominum poteſtate abutentium vis cuiquam vel invito temerandum objicere debuit (non injuria graſſanti & urgenti, pœnas debet, qui) hoc ipſo quod, quo vim paſſus eſſet, *animo, ſcivit* *fraudatus* ab eo *videri non potuit*. Sed ſi culpa non caret, qui coactus, quod nolebat, & iniquum credebat ſimulans ſpondere viſus eſt; quanto gravius illius delictum fuerit, qui invitum in nefas propulit, ab eo ſumma ope renitente iniqua ſciens prudens extorſit, ei metu concuſſo perjurium imperavit, eum ad fidei ex officio datæ violationem manifeſto cum numinis contemptu adegit? Illa forte habebunt quæ Franciſco, hac in parte miſerando, impingant

Guicciard. lib. 16.

reg. 145.

Dig. *Quod metum.* c. 4.

Zypæi; hæc vero Carolo totius orbis judicio freti æternum impacturi ſunt Franci, *eum qui metum fecit de dolo teneri*; hortatoremque ſcelerum (à quocunque exinde ſive volente, ſive nolente ea admiſſa ſint) eorum omnium reatu obligari, imo nocentiorem eſſe qui alium peccare coegerit, certi: utque *fœdus* quod *ſanctum* audiit, *improbum* (quia Zypæo placet) fuiſſe largiantur, quicquid ex eo mali proveniſſe videatur, Regi ſuo, qui concordiam cum Carolo optavit, & quæſivit, imputandum eſſe (Guicciardino auctore freti) negabunt. *alienum* (inquit) *ſe à Burgundia dimittenda eſſe Proregi Neapolitano excuſavit, tum quia regni conſenſum obtinere nunquam potuerat, tum quia volens promiſſioni conſenſum nunquam accommodaſſet Coronæ Franciciæ adeo damnoſæ, ut eam implere impoſſibile ipſi futurum eſſet, verum quod amicitiam cum Cæſare exorſam munire, affinitatemque reipſa ſtringere, quantum ipſo erat, cuperet, ducentas aureorum myriadas Burgundiæ loco Cæſari, conventis reliquis firmatis perſolvere paratum eſſe, aliudque nihil præter pronam ad concordiam cum Cæſare mentem, illum ad firmanda temperamento iſto Madritenſia pacta impulſurum proteſtatus; quandoquidem nec pollicitationes, nec ſtimuli à Pontifice, Angliæ Rege, & Venetis deeſſent, quibus ad novum bellum incitaretur. Reſponſi hujus & ultimæ deliberationis Prorex Cæſarem certiorem fecit, ad quem Rex ex Secretariis unum qui idipſum doceret delegavit. unde evenit, ut licet Pontificis & Venetorum antea optatiſſima mandata, illo ipſo tempore allata eſſent, Rex in concordiam cum Cæſare pronior, reſponſumque ad nova mandata, cujus ſpem Prorex fecerat, expectare certus, fœderis concluſionem aperte differre cœperit, nec à ſe de concordia nova cum Cæſare ineunda agi, quandoquidem id celare impoſſibile erat non omnino diſſimulavit.* Si æquis, commodis, ab ipſo Prorege probatis, quaſque poſt quadriennium ipſemet admiſit, ſpretis, pacis cupidum in fœdus ſanctum pervicaci diritate ſua propulit Carolus, quid habent quod ei, per quem ne pax coaleſceret non ſtetit, imputent Zypæi? annon indomita quodlibet audendi libidine tranſverſos agi; Principem ſuum, nullis placabilem, pacis, quam niſi iniquam & pudendam nolebat, cupidum mentiri; Francum eandem grandi ære bona fide perſoluto redimere paratum, eoque Papæ, Angli, Venetorum deſideria morantem, fœdifragii à quo alieniſſimus fuit, præter meritum poſtulare tandem aliquando pudebit?

Lib. 17.

ZYP. *Cameracenſis deinde pax coaluerat, quæ etiam palam à Franco rupta eſt, dum mortuo Franciſco Sfortia, Mediolanenſem Ducatum is ſibi poſtulat, & Cæſar non mox pro ejus voto reſpondet, & quo arma eo ferre facilius poſſet, Sabaudi (quem ea res non tangebat) Francus ditiones invadit, & Smalcaldico Proteſtantium in Germania fœderi, omnium in Germaniam malorum fonti ſe junxit.* Reſp. uno verbo rem expedire poſſem, univerſa iſta tam imperite quam mendaciter, à ferreæ frontis, & plumbei oris homine conficta proteſtando; ſed quia cum pervicaciſſimis vitilitigatoribus committimur, quibus deprenſis audacius nihil ſit, quique animos ex crimine ſumere ſoleant, ne ipſis infræni temeritate calumnias ſtruxiſſe impune ſit, eas ſigillatim admoto veritatis lumine profligabimus; triſtemque redire ſub Orcum propitio nomine cogemus; ut vero *Cameracenſem pacem à Franco*, nec *palam*, nec clam; ſed à Carolo, vel (ſub ejus auſpiciis) à turbonibus ipſi addictis *ruptam fuiſſe* manifeſtius appareat, ex hiſtoricis monumentis à coætaneis editis, notabimus primum eam A.D. 1529, Auguſto menſe coaluiſſe. 2 anno ſequenti

Maximilianum Sfortiam, Franciſci germanum, natu majorem, Lutetiæ deceſſiſſe, paulo poſtquam numeratis viginti ſupra centum coronatorum myriadibus redditi Franciſco liberi obſides, advectaque Leonora Regina fuerant; 3 eodem anno Bononiæ coronatum Carolum, & Papæ interventu reſtitutum, Chriſtianæque Danicæ maritum deſtinatum Franciſcum Sforciam. 4 Anno 1531, Franciſcum à Germaniæ Principibus, & Angliæ Rege, ſocia adverſus Carolum arma ſumpturis appellatum, non modo conſenſum denegaſſe, ſed Carolo in Turcam ducere parato prolixam benevolentiam obtuliſſe, imo eum ut conventu Chriſtianorum omnium Principum indicto dextras jungerent, & una communem hoſtem adorirentur, cum Pontifice invitaſſe, & Tranſſylvanum ab aſciſcendis auxiliis Turcicis, ſerio, adjectis etiam minis dehortatum fuiſſe. 5 anno 1532, Octob. 28, Caleti de conſcribendo decies mille equitum, & octuagies mille peditum exercitu adverſus Turcam, cum Anglo conveniſſet. 6 anno 1533, controverſiæ Genuenſis arbitrium Pontifici (ex pactorum Madritenſium, & Cameracenſium præſcripto) detuliſſe, & affinitatem Carolo, nihil non contra moliente ſpopondiſſe; 7 eodem anno de auxiliis in Solimannum, ſi Hungariam per ſemet invaderet, ſubmittendis fidem Carolo eidem dediſſe: 8 Carolum conventum Papæ cum Franco quibus impedire potuit modis conatum, tandem perviciſſe, ut Sabaudus Nicæam ſui juris oppidum à Papa electum partibus conventuris concluderet, eaſq; Maſſiliam ſe conferre cogeret. 9 Mirabellum è præcipua Mediolanenſi nobilitate, equili regio à Ludovici 12 à temporibus præfectum, quemque anno 1532 ad ſe cum ſecretis mandatis legatione functurum, mitti per Franciſcum Tabernam Cancellarium poſtulaverat, cui ut Legato Mediolanum appellenti, Bononia anno 1532, Dec. 22 datis literis gratulatus erat, quem denique exinde ſingulari dignatione coluiſſe videbatur Sforcia, anno 1533, Iulii 4, feria 6 in vincula (gentium jure & delegantis Majeſtate indigne violatis) conjectum, nocte quæ intra feriam 1 & ſecundam proxime ſequentem interceſſit, ejuſdem juſſu decollatum fuiſſe. 10 decollati nepotem, qui fuga ſe ſubduxerat, citatis ad Francum equis accurriſſe, eum vero publice (literis ad Ducem, Papam, Imperatorem, Ferdinandum Regem Anglum, &c. datis) de injuria, deſtinatæque vindictæ, niſi ipſi fieret ſatis, conſilio proteſtatum fuiſſe. 11 Franciſcum Tabernam qui Maſſiliam Septembri menſe, factum Sforciæ nomine executurus, conceſſerat, falſi multiplicis convictum, juſtas Regis iras magis ac magis accendiſſe. 11 Novembri exeunte à Chriſtophoro Wirtembergico, ſuo & propinquorum nomine rogatum Regem, Guillelmum Bellajum Langæum, qui in Suevici fœderis conventu Auguſtæ ad Decembris 10 indicto mediatoris partes ageret delegaſſe; Cumque violatæ à Sforcia in Mirabelli inſontis, & Francicæ Coronæ miniſtri, infami ſupplicio fidei publicæ, pœnas armatâ manu repoſcere conſtitutum eſſet, legiones provinciales conſcripſiſſe; à Sabaudo avunculo (cujus ditio Franciam à Mediolanenſi Ducatu diſparabat) liberum copiarum tranſitum petiſſe; His Sabaudum de cauſis, quod nimirum portionem hæreditariam Ludovicæ ſororis, natu majoris ad Francum ſucceſſionis, jure devolutam detineret, quod equitum Francicarum turmam, nondum renunciata amicitia circumventum concidiſſet, quod Imperii Gallici ſigna nonnullis in locis detraxiſſet, quod Borboniæ Ducem rebellem ære ſuo puniſſet; quod

eas Bellajus edidit.

quod Carolo ob cladem Ticinenſem, captumque Francum ſcriptis epiſtolis gratulatus eſſet; quod Nicææ Papam cum Franco conventurum ſuſcipere noluiſſet; quod Helvetios à Francico fœdere, abducere conatus eſſet; quod Aſtenſem Comitatum filiorum Franci proprium à Carolo occupatum ſui juris feciſſet; quod miſſis ad eum ex Africana expeditione reducem, & Panormi A.D. 1535, Octobri menſe conſiſtentem, delegatis in Francum concitaſſet, & in Sfortiam injuriarum poſtulatum ducturo tranſitum denegaſſet; quod denique de ditione univerſa Tranſalpina in Carolum, ut undique Francicum limitem inſideret, transfundenda egiſſet, ſeque manifeſtum Francorum hoſtem declaraſſet, plecti digniſſimum fuiſſe.

I. *Mediolanenſis ſucceſſionis ſtatus.*

Ioannes Galeacius, A. D. 1395, Dux à Venceſlao Imper. creatus, Catharinæ propinquæ, ac tandem Beatricis Scaligeræ maritus, A. D. 1402 denatus.

Ioannes, A. D. 1412 cæſus.

2 *nupt.* Philippus Maria, A. D. 1447 denatus.

Blanca ex contubernio nata Franciſci Sforciæ Ducatus uſurpatoris, A. D. 1464 denati uxor.

Galeatius Bonæ Sabaudicæ maritus, an. 1478 denatus, Ducatus uſurpator ſecundus.

Ludovicus *Morus* Ducatus uſurpator, Beatricis Eſtenſis maritus, A. D. 1495, à Maximiliano I inveſtitus, A. D. 1499 ab eodem rejectus, in Gallia privatus obiit.

Ioan. Galeacius Iſabellæ Aragon. maritus, an. 1494, patrui veneficio ſublatus Duc. uſurpator 3.

Hermes.

Blanca Maria Maximil. I uxor 2 ab an. 1493.

Franciſcus Ludovici propatrui veneficio ſublatus.

Maximilianus, A.D. 1512 intruſus, an. 1515 deturbatus, in Gallia privatus an. 1518 obiit.

Franciſcus, an. 1521. intruſus, an. 1535, Octob. denatus.

3 *nupt.* Valentina Ludovici Aurel. Ducis uxor, Virtutum, & Aſtæ Comitatu à parte donata, & fratribus ſuffecta, A.D. 1408, Decemb. 4 denata.

Carolus Mariæ Clivenſis maritus, A. D. 1464, Ianuar. 4 denatus.

Ioannes Egoliſ. Comes, Margaretæ Rohaniæ maritus, A.D. 1467, Apr. 30 denat.

Ludovicus XII Annæ Britan. marit. poſterior, an. 1515, Ian. 1 denatus; cum à Maximiliano I, A. D. 1495 pro ſe Claudiâ, liberis inveſtitus, an. 1512 ejus ære conductis copiis ejectus fuiſſet.

Carolus Ludovicæ Sabaudicæ maritus, A. D. 1497, Ianu. 1 denatus.

Claudia patris in ditionibus Italicis hæres, A. D. 1524, Iul. 20 denata.

Franciſcus I, A. D. 1547, Martii 31 denatus.

Franciſcus, an. 1536, Aug. 12 veneno ſublatus.

Henricus II.

Carolus, A.D. 1545, Sept. 8 denatus.

Legitimi matris heredes, quos vi ſpoliatos, cum nihil demeruiſſent, in integrum reſtitui debere, contendit pater; juris ad eos proprie non ad ſe pertinentis ceſſionem nullis à quoquam pactis, nullis in pactorum naturâ ſua iniquorum, *&* inique *extortorum confirmationem ſacramentis exigi potuiſſe; ſe ſi in eum & pacta ejuſmodi quomodocunque conſentiret*, impium *futurum cauſatus.*

II. *Sabaudicæ hæreditatis ſtatus.*

Philippus Dux Margaretæ Borboniæ, ac exinde, Claudiæ Broſſiæ maritus.

1 *nupt.* Philibertus II Margaretæ Auſtriacæ maritus ἄπαις.

Ludovica Caroli Engoliſmenſis uxor, fratris hæres.

Franciſcus I matris & avunculi hæres.

Carolus Sabaudiæ Dux poſt fratrem.

2 *nupt.* Philippus Nemoroſii Dux.

Philiberta Iuliani Medicæi uxor.

III. *Caroli V cum Franciſco I & Carolo Duce affinitas.*

Ferdinandus & Iſabella Catholici.

Iſabella Manuelis uxor I. — Ioanna Philippi I uxor. — Maria Manuelis Portugalliæ Regis uxor 2. — Catharina Henrici VIII Angli uxor I.

Leonora Manuelis uxor 3 ac exinde Franciſci I 2. — Carolus V — Iſabellæ conſobrinæ marit. — Iſabella. — Beatrix Caroli Sabaud. Ducis uxor. — Maria Philippi II uxor 2.

Maria Infans. — Philippus II.

Cum Franciſcus Leonoram Caroli ſororem Carolus Dux Iſabellæ Carolo V nuptæ germanam duxerit, illius quam hujus affinitas arctius eum conſtringere debuit, at totus in hujus injuriarum à Franciſci merito poſtulati partes tranſire non dubitavit.

IV. *Caroli V, Franciſci I, & Caroli Ducis propinquitas.*

Ioannes Rex Bonæ Lucemburgicæ maritus.

Carolus V Ioannæ Borboniæ maritus. I. — Ioannes Bituricum Dux Ioannæ Armeniacæ maritus. — Philippus Burgund. Dux Margaretæ Flandr. maritus.

Ludovicus Aurelian. Dux Valentinæ Mediolan. marit. — Bona Amedei VII Sabaud. uxor. II. — Maria Ioannis Borbonii uxor. III. — Ioannes Margaretæ Brabant. maritus. — Maria Amedei VIII uxor. IV.

Ioannes Egoliſm. Comes Margaretæ Rohanæ maritus. — Amedeus VIII Mariæ Burg. maritus. — Carolus I. — Agnes. V. — Philippus Bonus Iſabellæ Portugalicæ maritus. VI.

Carolus Ludovicæ Sabaud. maritus. — Ludovicus Annæ Cypriæ maritus. — Margareta Philippi Ducis uxor I. — Iſabella. — Carolus.

Franciſcus I. — Philippus Margaretæ Borbon. ac exinde Claudiæ Brociæ marit. — Ludovica Caroli uxor. — Maria Maximiliani I uxor I.

Philibertus. — Ludovica Caroli Egoliſm. uxor. — Carolus Dux ex Claudia. — Franciſcus I. — Philippus I Ioannæ Caſtell. maritus.

Franciſcus I. — Carolus V.

Hinc Carolum V, Franciſco I ſenis, Carolo Duci binis tantum, quæ ipſi cum Franciſco communia ſint propinquitatis vinculis adſtrictum fuiſſe conſtat; eumque dum Franciſco ſua repoſcenti adverſatur, & Caroli Ducis multiplicis injuriæ rei iniquum patronum agit, indignis modis naturæ & gentium jura violaviſſe.

12 Tantum Francum à *rumpenda Cameracenſi pace* abfuiſſe, ut Carolo 50 *peditum*, 6 *equitum millia*, *tormentorum vim ingentem*, imo ſeipſum obtulerat: *proficiſcentem ad bellum ſuſceptis publice pro ipſius ſalute atque exercitus votis, ſupplicationibus indictis, fauſtis inſuper omnibus proſecutus ſit*; ſimulac vero de victoria Tunetana monitus eſt, Vareſæ Caroli Legato coram gratulatus ſit, eodemque fine ad victorem ipſum Velium Legatum Panormum deſtinaverit, cui de pendendis quotannis alteri filiorum regiorum, ex Mediolanenſis Ducatus redditibus, centies mille aureis, deſpondendaque eidem Maria Anglicana, à Granvellano intimo Caroli conſiliario, ſpes ejus nomine facta eſt, ſed paucis poſt diebus de Maria Portugalica, Delfino, & Infante Hiſpanica Engoliſmenſi jungendis idem apertius egit. 13 Cum anno 1535, Octobri deſinente jam ſub ſignis ſtans; & ad nutum paratus, ut

Sabaudium alienorum uſurpatorem invaderet, exercitus eſſet, Sfortiam pœnis Mirabelli manibus debitis mors ſubduxiſſet, & de reſtituendis in integrum liberis regiis à Velio, qui Franciciæ pacis obicem Dei providentia ſublatum videbat, inſtantius anno 1535 deſinente, & 1536 ineunte actum eſſet, ei à Carolo ambiguis reſponſis diem de die, (tantiſperdum hoſtilia undecunque moliebatur, & Sabaudo in caſſes illecto animos faciebat) trahente aliquandiu illuſum fuiſſe; deprehenſa vero fraude Thalaſſiarcham Chabotium à Franco periculo imminenti, ne ſe ſuoſque proderet, prævertendum judicante, Sabaudia ſubactâ Subalpinam regionem irrumpere juſſum eſſe. Ex quibus Francum, qui à pacis Cameracenſis tempore Caroli amicitiam pro affinitatis lege nunquam non coluit, nihil ab eo niſi ex æquo & bono popoſcit, nihil in eum proprie molitus, ſe tantum cum regno à Deo commiſſo ab ejus inſidiis indemnem præſtare ſategit, adverſus Sforciam ſcelere inaudito obligatum, & ſponte nulla occaſione data injurium, nihil ultra verba conatus eſt; Sabaudum in ejus perniciem conjuratum, niſi laceſſitus, & bonis maternis fraudatus (cum jure conveniſſe inutile fuiſſet,) protrivit, violatæ pacis reum, nec fuiſſe, nec peragi jure potuiſſe conſtat. Cum enim nemini ſua à quocunque malæ fidei poſſeſſore, æquo jure agere recuſanti extorquendi facultatem denegare jus faſque ſit; publicæ fidei

reg. 55. temeratores, ſi animum obfirmare audeant, omnia aggredi & ad officium cogere ſummis poteſtatibus liceat; *nullus* vero *dolo facere videatur qui jure ſuo utitur*: nec ſua repoſcendo peccavit, nec Legati cædem vindicando peccaviſſet, multo minus in tertium, quem cauſa proprie non tangebat, peccaviſſe aut peccaturum fuiſſe, quiſquam ſanus dixerit. Quocirca tota (velint nolint Zypæi) ruptæ pacis culpa, in Carolum recidet, qui ſororium bona fide agentem, ſua, & ſuorum tantum curantem, nulli noxium, perpetuis ambiguorum promiſſorum ludificationibus deriſum, & verborum ſubdolorum tendiculis deceptum, provocavit, ac fere lancinavit; aliis fœdere obligatis injuriæ inferendæ auctor fuit, illatæ reos propugnavit, & propugnando ſe eodem contra pacta ſolenni ſacramento confirmata reatu involuit: niſi forte poſterorum palponibus, id perſuaſum ſit, aliiſque inculcandum putent, quicquid ille ſuo tempore voluit, hoc ipſo ſanctum fuiſſe; quicquid calcavit roſam fieri debuiſſe, quandocunque prædonum & ſicariorum opera uti, aut eorum patrocinium ſuſcipere decrevit, *bonum factum* ab univerſo genere humano adſcribendum fuiſſe; nulli eorum flagitioſis molitionibus læſo, de propulſanda injuria cogitare licuiſſe.

Quicquid ſit, id inconvulſum æternum adverſus Zypæum manebit, Francum *Cameracenſem pacem*, non modo non *rupiſſe*, ſed ſtudioſe coluiſſe; nec de aggrediendo Carolo V, ſed de puniendis Sforcia & Sabaudo nocentibus, quod jure, ac ſine ulla pacis ruptura potuit, conſilium generoſum ſumpſiſſe; hinc *rumpendi* occaſionem a Carolo avide captatam, quandoquidem Sforcia, antequam ab eo patrati ſceleris pœnæ repoſci poſſent, ſublato, Mediolanenſis Ducatus ejuſdem morte injuſto poſſeſſore vacui inveſtituram ſpondere Carolus videretur; de eo armis recuperando tunc non actum, ſed de uno Sabaudo in ordinem cogendo cogitatum; in eum unum peſſime meritum impetus cum verſus eſſet, jamque Taurino capto A.D. 1536, Aprilis 12 ſuperato Duria Laurentium Manuelum Cæſaris Legatum, Ioannem Iacobum

bum Medicinum Melenianum,& Ioannem Baptiſtam Caſtalium,pro Sabaudo obſtantes Francicus exercitus repuliſſet,Carolus qui Romæ ejuſdem menſis die 10 prolixa Francum coram totoq; conſiſtorio invectivâ Papa proſciderat, eamque typis mandari vario ſucceſſu juſſerat, adeo ut diſſona inter ſeſe, mala,vel potius nullafide per Germaniam diſſeminata, exemplaria ſe reperiſſe,ac falſi protinus coarguiſſe teſtetur Guill. Bellajus Langæus,Carolus inquam, totus in cogendis copiis, quibus non Sabaudum ſororium infortunio eriperet,ſed Francum vana ſpe concordiæ deluſum recta peteret, Foſſanum Iunii 7 obſidione cinxit, ad deditionem Iulii ſequentis 7 coegit, in Franci(ad quem neminem clarigatum miſerat)ditionem duxit, & Varum Iulii 25 trajecit, ſed improſpero eventu, quandoquidem (Sleidano lib.10 teſte) Francus, *devaſtatis agris quâ parte Cæſarem deſcenſurum eſſe videbat, cum pugnandi poteſtatem non faceret,in ſummas illum difficultates conjecit; nam inopiâ rerum omnium Cæſar abductus: & multis hominum millibus ex inedia & contagione deſideratis, Antonio quoque Leva ſublato, cum reliquas copias dimiſiſſet, Genuam rediit: Alter exercitus per eam æſtatem in Veromanduos bellum faciens, Peronam obſedit, Henrico Naſſovio ductore, verum infecta re.* Martio ſequente *progreſſus in Atrebates* Francus *Oppidum, & arcem Heſdinum valde munitam obſedit, ac intra menſem deditione cepit.* poſt varia belli alternantis diſcrimina A.D.1538,*Iunio menſe* apud Nicæam *induciæ factæ fuerunt in annos decem.* lib. 12.

Quod Zypæus addit Francum, *Smalcaldico Proteſtantium in Germaniâ fœderi, omnium in Germania malorum fonti ſe junxiſſe*, abſolute falſum eſt. fœdus illud A.D. 1530, Decemb.22 initum refert Sleidanus lib.7, quo tempore nec Franciſcus de Carolo querebatur, nec Proteſtantes ad ſocia arma invitare neceſſe habuit,qui ſua pace ſancita poſuerat,nec Legatos in Germania habuit, qui colligandos convenirent, nec ſi vel per ſe, vel per Legatos conveniſſet, hilum apud eos profeciſſet, qui *fœderis conceperant formulam, non quidem offendendi quenquam, ſed ſui defendendi cauſa.* Sed anno 1535, Decemb.19, cum jam de Caroli armis, non vanus metus eſſet, ad eos Smalcadiæ rurſus congregatos Guill. Bellajum miſit, qui eos de benevolentia regia certiores factos, ad moderationem in rebus religionis, & concordiam hortatus eſt, magnô (inquit Sleidanus) ſtudio *ſolicitabat illos*, (jam ante ſc. lib. 9. fœderatos) *de fœdere cum Rege ineundo; & hæc quidem erat potiſſima legationis cauſa; cum autem ipſi Cæſarem exciperent, adverſus quem nihil ſibi faciendum eſſe demonſtrabant, infectâ re diſceſſit, & privatim ad quoſdam, mirari ſe, quod tantum Regem negligerent, & tempus aliquando fore dicebat, cum illius conjunctionem magno redemptam cuperent*; id vero A.D. 1546, *Iul.*20 *publicis* lib. 17. *literis* proſcripti, ſine cauſa à profundiſſimæ prudentiæ, & Germanicæ libertatis amantiſſimo viro nequaquam dicta fuiſſe, magno ſuo malo experti ſunt. An *Smalcaldicum fœdus omnium in Germania malorum fons* fuerit, necne Germani ipſi viderint, nobis ad revincendum Zypæi mendacium ſatis eſt, Francum de religione cum Proteſtantibus non ſenſiſſe, eo inconſulto, imo prorſus inſcio Smalcaldiæ conveniſſe; & fœdus percuſſiſſe; de ſocietate cum fœderatis ineunda Francum tunc ne cogitaviſſe, ubi poſt quadriennium de ea cogitavit, fruſtra fuiſſe; an cum nolentibus, vel potius ad nolendum coactis, *junctum* vel Zypæus, vel alius quiſquam crediderit?

Zyp. *Nicææ adlaborante Pontifice Paulo* III *decennales induciæ pactæ*

ſunt anno 1538, *eaſdemque fregit Franciſcus* I *anno* 1541, *cauſatus Legatos ſuos ad Turcam miſſos in itinere occiſos; ſed nullo publico juſſu, privata ex rixa & latrones quæſiti ad vindictam ſe ſubduxerant.* Reſp. De induciis earumque loco, parario, tempore, *violatione*, quæſtio nulla cum ſit, unicum diſceptandum venit, à quo *fractæ* dici vere poſſint; ut ut enim quandocunque *malæ ſupereſt audacia cauſæ, credatur à multis fiducia*; nihil prorſus habent, quo ſibi merito fidant, qui ſua ſola impudentia & frontis indomitæ duritie freti, eâ quam ſuo crimine meruêre infamia inſontes gravare conantur. Ne igitur avidum veri Lectorem (quaſi primus tanti ſceleris artifex nos uſque nunc lateret, & de eo deprehendendo anxie unquam laboratum eſſet) morari, ſive ſponte, ſive ingratiis videamur, uno verbo rem totam expediemus: Alfonſus Davalus Vaſti Marchio, in Italia natus, ſed Hiſpanici generis homo, (ſubornatis in Franciſci Legatos, quos commune gentium omnium jus, ipſaque publicæ fidei debita reverentia, ab omni injuria tutos & inviolabiles præſtare debuerat, ſicariis) pactas inducias deteſtando ſacrilegio fregit: immane Alfonſi facinus, hoc ipſo quod inultum reliquit, imo reum magis ac magis fovi, tſuum fecit; Francica arma quantum in ſe eſt provocavit, iiſdem ſciens prudens indeclinabile jus Cæſar tribuit. Guillelmum Bellajum Langæum, qui horrendæ ſcenæ ſiparium reduxit, Davalum velut obtorto collo in jus traxit, ſubterfugientem publica confutatione edita ad incitas redegit,

lib. 9. & ſilere tandem coegit, audiamus. *Quia clam* (inquit) *per miniſtros, Regiis fœderatis, eum ſecum in eorum detrimentum pepigiſſe, ut univerſos Chriſtiani orbis Principes adverſus ipſum irritaret, inſinuaverat Imperator; Dominum Cæſarem Fulgoſium Francici ordinis equitem ad Remp. Venetam, & Dominum Antonium Rinconem, nobilem, ad magnum Principem Turcam, ut eos quo inſtatu res inter Imp. & ipſum eſſent, Rex* A.D. 1541 *delegavit*, &c. *die Sabbati Iulii* 2. *cymbam quaternis remigibus inſtructam ad Simiennæ turrim prope Vorlingum cum conſcendiſſent, ſecundo Pado, hora circiter* 24 *devehi cœpere, totaque nocte uſque ad ſecundum infra Caſale Montisferati milliare delati ſunt: poſtridie circa meridiem ad locum Plaga Cantalonæ dictum, tertio ſupra Ticini oſtia milliari appulſis, armati occurrerunt, cymbis duabus vecti, qui cymbam in quo dicto Fulgoſius, & Antonius Rinco erant, ſubito adorti, cæperunt; quodque ii ſeſe ad defenſionem paraverant, eorum hoſtes in cymbam inſcenderunt, in qua dicti Domini una cæſi ſunt: id confeſtim Langæi Dynaſtæ nunciatum; acceſſit paulo poſt aliud indicium Camillum Seſſanum Comitem, cui parcitum in illa cæde fuerat, in caſtrum Ticinenſe, nocte vero proxime ſequenti in rupeculam Mediolanenſem deductum; remiges (quotquot, tam Francus, quam Hiſpanos vexerant) in imum caſtrum Ticinenſe, ne in teſtimonium vocari poſſent, demiſſos; milites denique infamis facti patratores ex Ticinenſi præſidio fuiſſe, qui per integrum triduum & trinoctium cymbis ſuis nequaquam exceſſerant, ſed ſibi ſclopetis, pilis, & ſcutis armatis, ex taberna proxima cibaria deferri curaverant, equoſque paulo infra in loco Stellæ portus dicto collocaverant.*

Iulii 5. His indiciis & aliis veri argumentis fretus Termenſem, qui de reis quæſtionem haberi rogaret, ad Marchionem miſit Langæus, ſed Fulgoſii vidua jam præverterat; is (igitur antequam Termenſis adveniſſet) Franciſcum Landrianum Comitem ad Langæum delegavit, qui factum deteſtaretur, & reorum ſi deprehenderentur ſupplicium ſponderet, idque paulo poſt Termenſi confirmavit;

mavit; reſpondit Langæus, ſe de crimine quæſiturum, ac exinde, Papam, Imperatorem, Reges ac Principes Chriſtianos certiores facturum; Landrianum conſentiente Langæo ad Regem proficiſci juſſit Marchio, apud quem tabellarios Regis ad Remp. Venetam, Reip. ad Regem mandata deferre juſſos, in ditione Imperiali ab ejus domeſticis in pactorum fraudem interceptos, & ſpoliatos queſtus eſt; Rex ſe æqua omnia & nobili viro, cui decus proprium cordi ſit, digna à Marchione expectare profeſſus eſt; Landriæno ex Aula Francica reduci, Langæus qui remiges ſub cuſtodia poſitos, clam ſectis Ticinenſis carceris clathris, Thurinum ad ſe ſumma cura duci juſſerat, imo ex reis nonnullos ad Regiam militiam traduxerat, Termenſem comitem adjunxit Marchioni, cum aqua hæreret, dies ex diebus trahenti denuntiaturum ad manum eſſe *qui eum docerent, de numero & nominibus eorum qui delictum perpetraverant, & ex qua gente eſſent, quô deducti fuerant carceri mancipati, à quo, qua hora, qua via, quo ordine, qua porta, ii primum carceri conjecti fuerant, cui conſignati, quo loco concluſi, quamdiu ibidem detenti; à quô, quâ die, quâ hora, qua via, quo ordine, quoque ſtipantium numero alio tranſlati.* Cui ſano in mentem veniat, eum quem ne minimæ facti circumſtantiæ latebant, de facto ipſo nihil compertum habuiſſe? Iulii 11. Iulii 20.

In eandem ſententiam coætaneus, Germanus, gratiæ minime ſuſpectus Sleidanus lib. 14. *Galliæ Rex hoc durante conventu Ratisb. Cæſarem Fregoſum Genuatem, Antonium Rinconum Hiſpanum exulem miſit ad Turcarũm Imperatorem; hi dum Padum navigarent, ituri Venetias, capti ſunt & trucidati ſub Calendas Iulii menſis. Erat tum in Pedemontio Regis Legatus, Guillelmus Bellajus Langæus, qui certior eâ de re factus (ut erat miræ ſagacitatis, & induſtriæ) continuo Regi nunciat; & ſimul Alfonſo Davalo Marchioni, Cæſaris per Inſubriam Præfecto quinto Iulii die Taurino ſcribit, det operam, ut captivi Regis Legati reſtituantur, quos ab ipſius hominibus interemptos eſſe conſtaret: nam alioqui pactas ante triennium inducias interceſſione Pontificis, hoc ipſo violatum iri. Petebat autem eos reſtitui, quod initio, vel neſciret, vel ſcire ſe diſſimularet, quid illis accidiſſet. Marchio ſuſpicionem omnem ab ſe longiſſime removet, tanquam ignarus omnium rerum; & purgandi ſui cauſa, Legatum mittit ad Regem Comitem Franciſcum Ladronium, Langæus in epiſtolâ quam undecima Iulii dabat ad Alfonſum,* equidem in totius orbis Concilio non dubitarem, *inquit*, loqui de rebus divinis, & hercle non minus apte, quam tuus olim propinquus atque gentilis Thomas Aquinas, modo rei Theologiæ tantum ſcirem, quantum de facta cæde familiares tui quidam ſciunt, &c. *Rex vigeſima Iulii die, Linerii oppido Biturigum reſpondet Alfonſo per literas, & ut honoris atque famæ rationem habeat, monet, & injuriam ſuorum, niſi reſtituantur, non ſe poſſe negligere demonſtrat. Multis inter Langæum & Marchionem literis Gallicis, magna celeritate tranſmiſſis ultro citroque, nihil eſt actum præterea; cum Davalus à diligenti perveſtigatione, nihil ſe potuiſſe reperire diceret, in eoque permaneret. Per Legatum quoque ſuum Ratisbonæ Rex ad Cæſarem queritur; cumque non ferret quale voluit reſponſum, ſatis præ ſe tulit bellum ex eo naſciturum eſſe; Forte veniebat tum ex Hiſpaniis Georgius Auſtriacus, Maximiliani Cæſaris filius nothus, Archiepiſcopus Valentinus, in Belgium rediturus; is Lugduni comprehenſus, in carcerem abducitur, vindicandi Fregoſi & Rinconis cauſa,* &c. *in itinere* (Turca) *Laſcum dimittit, quem*

 propter

propter Fregoſum & Rinconem interceptos, Belgradi captivum reliquerat, Budam proficiſcens; nam Galliæ Rex vehementer irritatus eo facto, per Polinum Solimanno rem omnem enunciaverat. Hactenus ille.

Langæus addit Regem Lucam ad Papam & Cæſarem miſiſſe, qui ſibi de Fulgoſio & Rincone *ſatisfieri poſcerent, nec ullum niſi frivolum reſponſum reportaſſe*, rurſus vero Sleid. A.D. 1542 *ad Spiræ conventum, legationem Galliæ Rex miſit, cujus erat princeps Franciſcus Oliverius Cancellarius Alençonius; is in omnium ordinum conſeſſu, cum de bello Turcico deliberaretur, Februarii die* 14 *verba facit*, &c. *quo tempore de religionis componendo diſſidio Ratisbonæ conventus agebatur, allatum fuiſſe nuncium in Galliam, maximis copiis Turcam adventare in Vngariam; Regem igitur Legatos ad eum è veſtigiô miſiſſe, quo bellum ab Vngariâ propter vicinam Germaniam averteret ſi poſſet, verum in Italia Legatos fuiſſe captos à Cæſariano milite, neque ſatis adhuc eſſe compertum necati ſint, an vero ſuperſint; quâ quidem re violatæ ſint, non induciæ modo, ſed & jus gentium; quod autem eam ob cauſam amandati fuerint, id Regis ipſius literis declaratum atque notulis, quas etiam Cæſariani tum interceperint*, &c. *Galliæ Regis Legati cum nihil proficerent, & ordines in bellum Turcicum inclinarent, ſuamque præſentiam & ingratam eſſe viderent, atque ſuſpectam Cæſarianis, ante finem Comitiorum abeunt ſubirati*, &c. *Vbi domum revertiſſet Alençonius, Rex illico belli ſuſcepit conſilium*, &c. *Per hos fere dies Alfonſus Davalus de quo dictum eſt, ad Germaniæ Principes emiſſo libellô, Galliæ Regem incuſat, qui Reip. tempore tam afflicto res novas moliatur, ut Cæſaris & ordinum omnium honeſtiſſimos conatus impediat; cauſam vero levem atque futilem obducere, propter Antonium Rinconem & Cæſarem Fregoſum ſcilicet interceptos, quibus ſane quid acciderit, non ſe potuiſſe, licet diligentiæ nihil prætermiſerit, inveſtigare. Galliæ Rex eo cognitô, longe maximam ſibi factam injuriam eſſe demonſtrat, violatis magnâ cum atrocitate Legatis: eâ de re non ſemel queſtum eſſe graviter ad Pontificem atque Cæſarem, & ut ſibi ſatisfieret poſtulaſſe; verum fruſtra: cum autem rei tanta ſit indignitas, non ſe poſſe illam, niſi maximâ cum turpitudine & nominis infamiâ negligere. Maji deinde menſis die ſecundâ, literis datis ad Senatum Pariſienſem, ut* corda noſtra ſuo lumine Deus, *inquit*, illuſtret, ac fidei conſtantiam largiatur, & errantes in viam ſalutis reducat, ſi qui ſunt; & pacem nobis tribuat per ſatisfactionem injuriarum, quæ mihi propter occupatum jus noſtrum & violatos nuncios atque Legatos factæ ſunt; aut, ſi pace deſperatâ mihi ſit ad arma venire neceſſe, victoriam concedat, equidem peto ut ad templa Divorum ſupplicationes fiant, & per concionatorem idoneum hujus rei cauſa populo recitetur, &c. *Julio menſe Galliæ Rex atrociſſimis verbis bellum Cæſari denunciat.*

Apologeticum à Marchione editum integrum librô Commentariorum ſuorum nonô Langæus inſeruit, ex quo ſequentia induciarum violatarum reum peragentia decerpſimus, *Reverendiſſimis & Illuſtriſſimis Dominationibus veſtris, Chriſtianiſſimi Regis Legatos peremptos, tabellarios ab hominibus domeſticorum meorum habitu inſignibus vulneratos, Germaniæ à me in Italiam copias ductas, eoque ipſo à me ruptas inducias fuiſſe, prætendi renunciatum eſt. Ad primum caput, quandoquidem facti iſtius olim poſtulatus ſum, hoc unum in præſens crimini purgando dicam; me & quoſcunque eo nomine Rex ſuſpectos allegaret, ſancti Patris noſtri, ut hac via veritas innoteſceret, & comprobaretur,*

arbitrio

arbitrio commiſſurum obtuli, & à Majeſtatis ejus (Cæſareæ) *diſceſſu iterum ad eaſdem ſponſiones reverſus ſum ; ſi vero conditio hæc quibuſdam facta minus ad eluendum crimen facere videatur, eam ad hujus epiſtolæ finem, quæ equeſtris ordinis viris acceptior eſſe queat, apponam ; aliud nihil ad ſecundum caput regeram, niſi ultra tria hominum meorum habitu amictorum millia, me Imperiali Majeſtati occurſurum comitata fuiſſe, adeo ut alii à meis eundem habitum ſumere potuerint. Amplius addam, mihi ſi tale quid fieri propoſitum fuiſſet, ad manum fuiſſe ita meorum habitum mutare, ne adeo facile ex eo deprehenderentur. Quod Germanos, qui in Italiam tranſierunt, attinet; ſententia mea eſt, mihi Imperialis Majeſtatis Vicario facti rationem reddendam eſſe. Noveritis igitur* (*Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini*) *me cum Francis tria aut quatuor Helvetiorum millia in Italiam delabi juſſa audiſſem, eamque gentem, nôn ad urbium præſidia, ſed ad campeſtres acies conſcribi ſolitam compertum eſſet, Lodronium Comitem in Germaniam ad conſcribenda bis mille capita delegaſſe, tamque ex tempore quo meæ ad Romanorum Regem literæ datæ ſunt, quam ex eo quô Helvetii Italiam petituri domo exceſſere, innoteſcet jam Helvetios in itinere fuiſſe, antequam ulla de conſcribendis Germanis illis mandata darem. Vnde ſequitur, ſi quis hoc ex capite violatas inducias cenſeat, ab eo qui Helvetios primum, non ab eo, qui Germanos exinde duxit, violatas fuiſſe. Hæc quæ de me ad vos ſcripta puto tangant. Si ultra provehi animus ferret, poſſem forte Majeſtatis ſuæ curſores expilatos, ipſas dictæ Majeſtatis epiſtolàs retentas, de Majeſtatis ejuſdem urbibus ex inſidiis furtim occupandis actum eſſe, Maronum interceptum, Dominum Granvellanum, qui ſe mari commiſerat, ad fugam, ut ingruentem vim effugeret compulſum fuiſſe; Hæc quî ſine induciarum infractione aggredi liceat, capere nequeo, ſed de iis in præſens minutius non agam, cum memet tempori opportuno ſervem. Id tamen dixerim, illis ipſis qui dictæ Majeſtatis literas intercipi voluêre, innoteſcere potuiſſe, hanc ipſi mentem fuiſſe, dum mihi in mandatis expreſſis dedit, ne quod induciarum violationem induceret molirer; nec credibile, cum hæc Majeſtatis ejus ſententia ſit, miniſtros in contrariam ferri debuiſſe,* &c. *Cum bona Majeſtatis Imperialis venia, quam mihi id beneficii non denegaturam confido, fidem denuo obſtringo, me quotieſcunque ab eo quem res illa reſpiciat rogatus fuerim, cauſam acturum. Quia vero via cauſam agendi duplex eſt, Civilis nimirum, & equeſtris : ad defendendum civili more à me nullam induciarum violationem proceſſiſſe memet offero : Si quis vero miles tale quid mihi imputandum putaverit, armiſque quod animo verſat probare voluerit ; falſum dicere, imo toties falſum dixiſſe aſſeram, quoties id mihi imputaverit, aut in poſterum imputabit.*

Hæc ille magno in ſpeciem animo, ſed antequam epiſtola illa Langæum, imo Regem, oblique perſtringens ad purum exſcripta fuiſſet; ejuſdem nactus exemplum Langæus, parata & ad Imperii ordines miſſa confeſtim confutatione falſi revicit, obſtructoque deinceps ore, æternum ringi coegit. *Cum* inquit, *Rex Chriſtianiſſimus pro ratione loci, quem ejus nomine occupabam, qualem dictus D. Marchio in Italia Imperatoris vice occupabat & occupat, à me monitus & certior factus eſſet, infelix illud homicidium in ditione Imperiali, Padoque fluvio adeo frequentato, ut diu noctuque tam ſecundo, quam adverſo alveo plurimi quotidie navigent, perpetratum fuiſſe; vixque credibile ſit inſcio dicto Marchione ab Hiſpanis inſignibus, ei militantibus, & ex ejus comitatu admiſ-*

ſum:

ſum: diverſis portis, poſt plurimos capitis conſilii illius ad ipſum itus & reditus, iterataſque ejuſdem ad eundem literas ſero Mediolano exceſſiſſe, dum iter faciunt eodem confluxiſſe, noctu Ticinenſem arcem appuliſſe; Hinc ſumptis ſecum aliis ex eadem arce Hiſpanis, ad inſidias in Pado ſtruendas profectos, ibi aliquamdiu (donec meditatum facinus peregiſſent) hæſiſſe; inde injecta in univerſos manu, mancipatis univerſis in Legatorum cymba repertis, tam remigibus quam aliis ſuperſtitibus, reverſos, captivos illos, aliquot poſt diebus, alio (ſub poteſtate tamen dicti Marchionis) pertractos & deductos. Hiſpanos denique illos poſt infame illud factum ad dictum Marchionem, ſe verius mercedis ſpe allici, quam ſupplicii metu angi palam indicantes, recepiſſe: Indicare poteſtis, Domini, dicto Domino Regi *jamdudum conſtitiſſe dictum Marchionem conſcium, vel reum, quicquid ſit, inexcuſabilem fuiſſe, quod ſine affectato muneris neglectu, quicquid id eſt nequaquam contigiſſet. Verum cum epiſtola quadam (facinus illud ſcelus vocando) ſe neque participem, neque conſentientem appellatione illa credi voluiſſe, cogitandi occaſionem dederit: ea de cauſa literis ad ipſum primum, ac paulo poſt ad Imperatorem, exinde ad ſanctum Patrem noſtrum, ceu induciarum auctorem & probatorem, iterumque ad dictum Dominum Imperatorem, gratioſe cum proteſtatione convenienti datis, de injuria iſta ſibi ſaltem in eos qui ejuſdem inſtrumenta fuerant, ſatisfieri rogavit. Ac forſan re ipſa diſſimulata, ab exponendo datâ opera dicti Marchionis probro abſtinens, hoc uno contentus fuiſſet, relictum à ſe præſentis & futuræ ætatis judicio, an credi poſſet, eo inſcio factum circumſtantiis ſupra enumeratis inſigne contingere potuiſſet. At videtis, Domini, quantum profecerit, quam patienter qualemcunque ſatisfactionem expectavit, quam imprudenter ſe dictus D. Marchio ſponſione quam vobis allegat, & profert obnubat. Si enim vel tantillum eo inclinaſſet, ut rei iſtius veritatem in ipſum lumen (prout gloriatur) educeret, an non id ad manum fuiſſet, libertati ſuæ ſolummodo relictis, his aliiſque naviculariis, qui vere (ut oculati teſtes) de ea referre poterant, quoſque occaſio nulla ut in alterutrius partem mentirentur illicere poterat? At ille, Domini, plane contrarium præſtitit; Nam præterquam quod eos detinuit, quorum univerſorum nonnullos è carceribus ejus elapſos vindicavi, ne quis de factô verba commutare auderet, edictis pœnalibus ubicunque notum eſſe poterat promulgatis, vetuit: dirorum ab iis qui jam hac de re locuti erant perlatorum loco, non eos ſolum qui facinus patraverant, ſed eos etiam qui veritati interpolandæ laboraverant, blande excepit, honoravit, dignitate auxit. Horum, Domini, actuum & viarum ea indoles eſt, ut non ſine causâ Rex Chriſtianiſſimus proteſtationem factis contrariam admittere recuſaverit, cujus hoc locô dictus Marchio mentionem habens, eam opinionem, quam revera forte conceperat, efformavit; vel (quod potius crediderim) rei quæ à tanto tempore præteriit immemor; ego enim, Domini, ejus oblitum credere, quam ſcientem prudentem coram vobis, id eſt orbis univerſi lumine mentitum maluerim.*

Quod tria circiter hominum millia, quô tempore Tridentum Imperatori occurſurus profectus eſt, habitu domeſticorum induta eum ſecuta ſint, nequaquam negaverim; imo ſine difficultate admiſerim, eorum teſtimonio fretus, qui ingratiis ſuis eum ſtipabant, quorum (propria impenſa, veſtibus, armis, equis inſtruere ſemet coactorum) adeo his de cauſis obæratum patrimonium manſit, ut tyrannicis, quibus eos quotidie gravat, oneribus ferendis impræſentiarum impares ſint.

Sed

Sed quod tabellariorum Regiorum invaſionem attinet, quandoquidem ea negari non poteſt, cum reos non tantum ſatellitum dicti D. Marchionis veſte amictos, ſed ſub eo, ut ſtipatorum loco eſſent, merentes, Venetæ Reip. in cujus ditione invaſio illo facta eſt, miniſtri prehenderint, & ſupplicio affecerint, eum mendacis negativæ hujus excuſationis loco, hoc ſibi decus arrogaſſe vellem, de iis à ſemet in ipſo Reip. territorio ſumptum ſupplicium, compulſoſque miniſtros illos, ut ab iiſdem meritas pœnas repoſcerent; ſed à tam longo tempore dictum, & toties probatum eſt, ut nullum amplius dubium ſit, eum qui ſemel verecundiæ fines tranſgreſſus ſit, aperte & gnaviter impudentem eſſe oportere, &c. *Id etiam, Domini, vobis rationis loco dictus Marchio allegat, quod ſi admittamus, eum nequaquam ſublevaverit; ut ut vero maligno incruſtatum ſit, potiori veſtrum parti imponere nequeat; nec enim hilum proficit, quod Helvetios noſtros, quo tempore ad Romanorum Regem, conſcribendorum à ſe peditum cauſa, epiſtolam dedit, in itinere fuiſſe cauſatur; Si compluribus ex vobis compertum eſt, ab ipſo Ianuario menſe & aliquanto prius, qui Duces ſacramento obſtringerent, & ad primum mandatum paratos eſſe juberent miſſos eſſe; ſi jam Hiſpanicum novum robur allegerat, ſi levioris equitatus turmas magno numero auxerat, ſi jam copioſi peditatus Italici Duces delegaverat, ſi milites omnes militiæque aptos Mediolanenſis Ducatus incolas nomen, ſub gravibus pœnis edicto publico contentis, ut ſub iiſdem Ducibus ſtipendia facerent, conſcribendum edere juſſerat. Mille alios bellicos apparatus, velut locorum adverſus pacta noſtra munitiones, novorum tormentorum fuſionem, nitrati pulveris, aliorum munimentorum congeſtionem, pontes trajiciendis fluminibus, ſcalas invadendis mœnibus, ciſtas deferendo in caſtra pani commodas, alia ſimilia inſtrumenta, quæ clam in vicinia noſtra, ſed ſumma diligentia accurabantur, addere poteram. ut vero nihil horum quæ facta diximus fieri contigiſſet, Rexque ipſe & prior copias coegiſſet, & bellum reipſa exorſus eſſet, cujus unquam belli juſtius exordium, quam ipſa facinoris ultio, quo Legati violenter ſublati ſunt, de quo ſibi ſatisfieri adeo gratioſe rogavit, & patienter expectavit, & poſt ſolennia omnia, neceſſariaſque proteſtationes deſperavit?* &c.

Quod hyeme præteritâ Marchio per tubicinem queſtus eſt in ſylvâ caduâ medio inter Conium & Foſſanum itinere, curſorem ex Hiſpania venientem bulgis, faſciculis, ære, ab equitibus armatis emunctum, iis de quibus ſuſpicio erat coram curſore ſe ſiſtere coactis, cum eos inſontes agnoviſſet; quique ſylvam medio inter illas Imperialis, non Regiæ, ditionis urbes ſitam, nec ulli Regio præſidio vicinam luſtrarent, ei roganti adjuncti eſſent, hinc inde disjectos poſtquam ſoluti eſſent, omnes faſciculos inventos dixerim, inter quos nonnulli ab Imperatore ad Sanctum Patrem noſtrum directi fuerant, quod indicio fuit prædonibus, in quos curſor incidit, æs ejus ſurripere, non epiſtolarum ab Imperatore datarum ſecreta rimari propoſitum fuiſſe, alioquin non minus eas quæ ad ſanctum Patrem noſtrum deferebantur quam alias perlegiſſent. Dixerim rurſus credibile non eſſe milites Regios, diem, horam, locum, quo adveniens cum epiſtolis ex Hiſpania curſor tranſiturus eſſet divinare potuiſſe, ut in eum mox involarent; cum curſor ille bullariarum & mercatoriarum expeditionum gerulus ordinarius eſſet, quî in eorum mentem veniſſet, Imperatoria mandata ipſi committenda fuiſſe? ſi diutius armati, tantiſperdum tranſiret, in inſidiis fuiſſent; cui probabile fiat, à commeantium hinc inde nemine deprehendendos & agnoſcendos fuiſſe? Quin etiam

dixerim illum ipſum curſorem, quo tempore ſuſpectos nobiles Regi in equitum leviorum turmis militantes ab omni culpa abſolvit, ſibi Conii quo circâ mediam noctem appulit, bihorii, antequam equis inſtrueretur, moram injectam, adeo ut reputare cuivis promptum fuerit, nec ille aliud conjectaverit, ipſos Conii incolas, quibus bulgas ejus ære graves fuiſſe innotuerat, cum deſtinato conſilio moratos, dum inſidias in quas paulo poſt incideret, ſtruerent. Nec deeſt quod idipſum ſuadeat, quandoquidem mihi olim accidit, ut juſſu meo in ditione regia, ob crimina in eadem admiſſa, quidam notabilis Imperatori ſubditus & miniſtrans ſuſpendio vitam finiret, qui delicta, acta, homicidia in commilitones ipſos Hiſpanos, à ſe cæſos deſtinatoque conſilio petens unius prædæ ſpe peremptos in judscio confeſſus ſit.

Quod agitata à noſtris hac in regione de occupandis urbibus, & locis Imperatorii obſequii conſilia dictus Marchio cauſatur, ſi evidentius loqueretur, tempuſque, loca, auctores ejuſmodi moliminum deſignaret, vel abſolute negarem, vel quod res ipſa poſcit, idipſum à ſuis in noſtra actitatum regererem: adjicere etiam poſſem, ut ut à partibus induciarum tempore urbes invicem intercipere vetitum ſit, aurem ſemet offerentibus præbere, eaque quæ poſt emenſum induciarum tempus, eaſque fractas, in hoſtis damnum cedant, parare & moliri nefas non eſſe. Maranum conſentiente, participe, conſcio vel Rege, vel alio ullo, cui demandata Regiorum negotiorum cura fuerit, occupatum fuiſſe fidenter negaverim; quiſquis aſſerturus prodibit, promptos ad contrarium armis ipſa veritate evincendum invenerit. Eos qui de occupando conſilium ſumpſerant, idipſum per ſe executos fuiſſe certum eſt, cum ipſis conſtaret, ſe ſi gravius infortunium non immineret, detinendæ prædæ pares diutius futuros. Hi de injuriis Regi ab Imperatoris hominibus illatis certiores facti, cum non improbabiliter conjectarent, Regi gratiſſimum futurum, ſi muniti loci poſſeſſio, ei vel in cautionem Legatis ſuperſtitibus, vel iiſdem vita functis in debitæ ultionis præludium cederet, paulo poſt vexilla Francica extulerunt, miſſo qui locum Regi iis verbis offerret, quæ proteſtationis inſtar eſſet, eô recuſante alium nacturos qui de pretiô conveniret; quin etiam, Domini, quid ſuæ mentis eſſet ita aperuerunt, ut facile cognitu eſſet, quem emptorem ſperarent, totumque illud mercimonium ſancto noſtro patri, Imperatori, Venetæ Reip. ſingulis ſeorſim univerſæ Chriſtianitati in commune noxium futurum. Rex perpenſo negotii iſtius ex eoque conſequentium merito, vocatiſque in Conſilii participationem dictorum Principum Legatis, qui in Comitatu erant, iis in mandatis dedit, ut ad Dominos ſcriberent, eoſque monerent, ſibi decretum niſi tempore ex communi ſententia præſtituto melius quippiam judicarent, oblatam poſſeſſionem adire, non ut locum ſibi vindicaret, qui ut ut eum juſto titulô poſſideret, nullius ipſi uſus aut commodi futurus eſſet, ſed ut vitato eo incommodo ne in manus Chriſtianæ Reip. noxias incideret, exinde ſuo tempore & loco quod bonum & æquum Principem deceret, præſtare poſſet. Iudicare vos velim, Domini, quid aliud hoc in caſu à Rege expectari potuerit, quam ut quod in poteſtate ejus nec fuit, nec eſſe potuit, occupatum locum Romanum Regi reſtitui curaret? an magis ex re tam dicti Regis, quam Imperatoris germani procurari potuit? Dixerit forte Marchio, quod Imperatoris Legatos monuit, mobilem illum qui eô fine ut locum illum offerret, niſi eum Regi Romanorum reſtitueret, Regis juſſu rapi & ad patibulum duci debuiſſe. ſed licet ſuſpendio vitam finire coegiſſet, locus forſitan reſtitutus non fuiſſet: Nec ſi Imperiales

riales laudandum in Domino reputent, quod ſacroſanctum Legatorum & Nunciorum nomen violet, flocci jus gentium faciat, ſanctum nihil aut inviolabile reputet, ita ſuam Rex vitam inſtituit; nec æquum eſt, ut quæ jura ſua cauſa violare nollet, in illius gratiam violet, qui eadem ut ipſum lædat violat, factiſque in unum finem, ſe in ſæculo conſtitutum docet, ut de eo merendo & profligando agat.

Id unum ſupereſt, Domini, ut de fuga in quam Dominum Granvellanum Marchio compulſum dicit reſpondeamus. Ego vero vos, Domini mei, rogatos velim, quandoquidem nuper Cæſar Neapolitanus aliique Duces Imperiales, Vulpiano egreſſi, noctuque cum numeroſo equitum ac peditum agmine, ad ipſa uſque urbis Taurinenſis (quam is præcipue allatrat, ceu canis cervum) mœnia provecti ſunt, nec tamen Dominus Vaſti Marchio ferre poteſt, ut ipſam intercipiendi animo eos veniſſe, vel judicem, vel cogitem, quantumvis Querii urbe ad quintum milliare poſita, denſum aliud agmen militum Imperialium, in procinctu ad nutum eſſe juſſorum eodem tempore ſubſtitiſſe, ſubornatumque nobilem, qui ignem in ædes aliquot immitteret, ut reſtinguendo incendio occuparentur univerſi, tantiſperdum ſcalæ mœnibus apponerentur, eum vero à noſtris captum, criminis quod confeſſus eſt poſtulatum & convictum, poſt debitas præſentis cum præſentibus diſceptationes, in partes diſſectum fuiſſe mihi compertum ſit. Æquumne fuerit, Domini, ut ſi triremium Regiarum Præfectos qui è portu triremes alias fugam capeſſiviſſe, eoque inſequendi occaſionem dediſſe viderunt, egreſſos eaſque aliquamdiu inſecutos fateri libeat, idem eos Dominum Granvellanum inſectandi mente egreſſos ſecum Marchio ſtatuere & judicare debeat? Re vera tanti prudentiam, judicium, æquitatem veſtram facio, ut ab ipſo aliam ſibi, aliam mihi legem ſtatui nequaquam laturos vos confidam, aut paſſuros ut univerſæ ejus conjecturæ, ſimulationes, incruſtationes, pro re ipſa, vero quæ comperto habeantur, veraces vero allegationes meæ, narrationeſque eventu jam confirmatæ ex adverſo repudientur aut refellantur, &c.

Scribendi finem facerem, niſi ex præcedentibus plus ſatis vobis innotuiſſet me Marchionis epiſtolâ tangi, quandoquidem inſtituta ab eo adverſus me expoſtulatio nullo alio fundamento, quam relatione de progreſſu & modo dicti homicidii, ad dictum Dominum Regem meâ niti poteſt; idemque Marchio, ſe præter ea, quæ antea dixit, denuo ad purgandum ſive civili, ſive militari via crimen paratum affirmat. In decus meum peccaverim, niſi quid ſuper hoc capite reponam. Reſponſum igitur meum hoc eſto. Sub Regis Domini mei, à quo id ſummi beneficii loco impetraturum ſpero, beneplacito, mihi gratiſſimum eſſe, idque me acceptare ad majus veritatis lumen dico, ut eques ille ſim, quem ad purgationis ſuæ alterutro modo proſequendæ teſtimonium provocavit, meque paratum futurum ad unamquamque ejus, ſive deprecationem, ſive adjurationem, ut aſſerto eorum quæ dixit contrario, vos Domini, aliique agnoſcatis, quantum in actione à ſe inſtituta à vero diſceſſerit. Hic autem Deum, Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Principes, rogabo ut vobis longiſſimam feliciſſimamque vitam, in perfecta ſanitate, eamque Chriſtiano orbi quietem & conſolationem, quam rerum ejus bonum exigere novit largiatur.

Hæc ante ſæculum, anni nimirum 1542 Aprili menſe, fortiſſimus ille, nec ulli coætaneorum ſecundus Heros, cujus apologetico quaſi Herculea clava velut ad pedes ſtratus, & ſolo alliſus Davalus, ſibi, nec linguæ deinceps

 exeren-

exerendæ, nec manus ad infauſtum duellum movendæ facultatem ſupereſſe, tacitus,nec ultra mutire auſus,ſenſit & ingemuit; poſtquam ille in cauſa propria vi veri adactus obmutuit, quis cordatus inconditos, & ſine mente ſonum dantes Zypæorum, neſcio quorum, adverſus Magni Regis intaminatum decus, ſive clamores, ſive latratus ſibi tolerandos putet? ne qua in futurum in calumniæ latebra dehiſcat; Induciæ anno 1532, Iunii 18 àpud Nicæam pactæ ſunt, A.D. 1541, Iulii 3, feria prima circa meridiem Legati Francici cæſi ſunt, tabellarii eodem fere tempore violati, de injuria Iulii 5 & 11, Langæus Regis Legatus Iulii 20, ac deinceps ſæpius Rex ipſe publice queſtus eſt, ni meritas pœnas luerent rei, violatis induciis, belli ſibi neceſſitatem impoſitam proteſtatus: ad finem anni curſor ex Hiſpania veniens à Conienſibus earundem partium ſpoliatus, novæ copiæ à Vaſtio conſcribi cœptæ, Taurinum à Cæſare Neapolitano, perfidioſo, ſed irrito conatu tentatum: Maranum Regi poſtquam is Principum univerſorum Legatos conſuluit, traditum; anni 1542, vere Helvetii auxiliares vocati ſunt, Aprili menſe Vaſtius publica infamia notatus actionem adverſus Regem & Langæum ſcripſit, ab utroque eodem fere tempore confutatus eſt: Maji 2 de ulciſcenda injuria conſilium aperuit, bellum Cæſari, à quo fieri ſibi ſatis fruſtra ſperaverat, Iulio ſequente denunciavit: hoc ergo Zypæi mendacium primum,quod Franciſcus,qui annum ſolidum antequam bellum denunciaret de illata injuria,violato gentium jure, fractiſque à Vaſtio induciis fruſtra queſtus erat,eas *fregerit.* ſecundum quod eas *anno* 1541,quo nihil adverſus rumpere auſos ultra querelas molitus eſt *fregerit:* tertium quod *nullo publico juſſu* Legati Franci *occiſi ſint*; cum enim Vaſtii vice Cæſarea fungentis *juſſu* ab Hiſpanis Mediolani & Ticini præſidiariis à Vaſtio ipſô ſelectis, iteratisque ejus mandatis ad dirum facinus incitatis, die mediâ,ſub ipſis ſtupeſcentis Solis luminibus,immanitatis ejus victimæ occiderint; etiamſi clam mandata illa truculenta ſuſceperint, hoc ipſô quod ea qui Reip. gubernaculis admotus erat dederat publica fuere, iique *publicô juſſu* in neſas ruerunt. Quartum quod *privata ex rixa*, & invaſi & mactati ſint; etſi enim continuo poſt cædem Franciſcus Landrianus à Vaſtio ad Langæum miſſus in Vrbini Ducem Fulgoſio infenſum, aut Principem Auriam ejuſdem profeſſum hoſtem tanti ſceleris ſuſpicionem rejecerit, quicquid id erat commenti inquiſitio juridica Placentiæ, in Papali ditione, Langæo procurante inſtitutâ ita profligavit, ut ejus deinceps non modo Vaſtii palpones, ſed Vaſtium ipſummet puduerit. Deinde ſi *ex privata rixa*, (quod poſt integri ſæculi ſomnia evigilans Zypæus delirat) cædes illa neſanda contigerat, quæ illa fuit? ubi, quando, quâ occaſione exorta eſt? quis adeo in rabiem præceps fuit, aut iræ privatæ indulſit, ut inviolabilia jure gentium conſecrata,publica dignitate inſignia, & fide ſecura capita, ſacrilegô ferrô decutere, in iiſque Regis maximi, cujus ad alios, ad ſupremum imperium evectos mandata deferebant, Majeſtatem violare auderet? repertos tamen quos inſania adeo tranſverſos ageret fuiſſe demus; ſive ſuo, ſive alieno motu Legatos, quos vel ipſe titulus, Regiſque cui miniſtrabant, nomen ab omni undecunque injuria tutos præſtare debuerat, hoſtiliter aggreſſus eſt; an non inducias violavit? an non Rex violatas fuiſſe, iiſque qui violaverant impune cedere jure queſtus, quotquot ſceleri patrocinium, ſceleratis perfugium darent, aperta vi merito oppugnare potuit,

tuit, eoſque legitimo bello invadere? an non Chorebo ſtultiores eſſe oporteat, qui injuria violatum injuriæ poſtulare, fractas inducias querentem fractarum reum peragere non dubitent? quintum mendacium, quod *latrones ad vindictam quæſiti* ſint? Francis enim eos ad ſupplicium repoſcentibus perpetuo illuſum eſt, Vaſtius qui de vindicta ne cogitabat, latronibus à ſemet ſummiſſis non crucem ſed præmium paravit, nec quærendos quos in ſinu fovebat, putavit. Sextum, quod *ii ſe ſubduxerint*, cum enim Legatorum ſanguine meriti abductis ſecum, quotquot inhumani facti teſtes eſſe poterant, Ticinum primum ac exinde Mediolanum triumphantibus ſimiles reverſi ſint, eos gratulabundus Vaſtius exceperit, novis indigniſſimos honoribus cumulaverit, ab eorum accuſationes Cæſareæ ditionis incolas univerſis *edictis pœnalibus propoſitis* deterruerit, quotquot contra mutire auſi fuerant, male mulctaverit, quid eos ad *ſubducendos ſemet* impuliſſet? an non Zypæum tantarum ineptiarum pudor in latebras, amicaſque mendacitati tenebras cogere debuit?

Eum igitur falſi multiplicis, & læſæ Magni Regis Majeſtatis reum cum teneamus, os ejus maledicum arctioribus Langæi nodis, quibus Vaſtium ipſum ſuô tempore ad ſilentium adegit, ne deinceps adverſus comperta & manifeſta hiſcere audeat conſtringemus, *Quis* inquit, *pacem & unionem Chriſtianorum turbat? quis expeditionem adverſus infideles difficilem reddit? Quis adverſus Chriſtum ipſum arma capit? Si (prout Marchio infert) ille capit, qui bellum adverſus Chriſtianos gerit. Non diffitebimini Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Principes, ſi quiſquis belli cauſam innovat id excitat, ſi quiſquis excitat impedit, & difficultatibus implicat expeditionem adverſus infideles, is certe impedit & difficultatibus expeditionem illam implicat, qui belli inter Chriſtianos cauſam innovavit. Non diffitebimini rurſus ſi innovationis hujus cauſa, ab injuria Regi in Legatorum inhumane & aduerſus gentium jus mactatorum & peremptorum perſonâ illatâ promanat, prout reverâ promanat, ſi qui eos mactarunt & peremerunt Imperatoris miniſtri ſunt, miniſtros Imperatoris eos eſſe, qui cauſam & exordium belli innovationi dederunt. Quin imo fatebimini eum injuriam probare, qui ſuos, cum intulerunt, punire potens non punit, eum injuriam inferre, qui probat, eum ex conſequenti injuriam intuliſſe, qui à ſuis illatum punire potens non punivit. Quicquid ſit, Imperator injuriam Regi in Legatorum cade illatam punire potens, non punivit, Imperator ergo injuriam probavit. Imperator ergo injuriam intulit, Imperator ergo injuriam inferens innovandi belli cauſa eſt: Imperator ergo pacem & unionem Chriſtianorum turbat; Imperator ergo impedit, & difficultatibus implicat expeditionem adverſus infideles; utque concludam, Imperator, ex Marchionis ipſius dictis & inductione, arma adverſus ipſummet Ieſum Chriſtum capit bellum inter Chriſtianos gerit. Videtis, Domini, quam rotunde ſecundum veram rationem Dialecticam, alii ex aliis ſyllogiſmi iſti, & enthymemata procedant. Videtis quî ſubſiſtant, firmaque & invicta ſint, quia veritate ipſa nituntur. Quid ergo hoc loco Marchio regeret, niſi velit, Regem quandocunque ei ab Imperatore injuria, quâ graviorem nemo unquam Principi qui ei par ſit intulit, illata fuerit, patienter ferre debere, ſi modo exinde Imperator, ſe expeditionem adverſus infideles moliri jactet? Sed quis Domini mei, eo infidelior qui fide & lege caret, cui ſacroſanctum & venerabile nihil eſt, modo commodo ſerviat; qui quicquid libet, licere putat, qui quic-*

quid licitum putat audet, qui quodcunque audet, hoc ſcuto prætenſo defendit, ſe in ſanctis pro fide ſuſceptis expeditionibus turbari & impedire; utique diſſeminatis ſcriptis cauſatus?

Zyp. *Vndique mox* (*à Legatorum cæde*) *arma graſſantur. Franciſcus Turcam etiam in ſocietatem conducit, cum eoque Nicæam Sabaudi urbem expugnat, aliaque loca, unde captivi in æternam perniciem ad multa millia abducti.* Reſp. non *mox*, ſed poſt anni ſolidi moram, additumque inflictæ à Cæſarianis injuriæ ludibrium, bellum recruduit; cædes enim Legatorum anno 1541, Iulii 3, feria 1 contigit; bellum à Franco fruſtra reorum pœnam ſæpius repoſcente anno 1542 Iulio menſe denunciatum; nec is Turcam jam ab anno 1531 paratum & 1537 fœderatum conduxit; ſed durante bello Nicæam, maternam Regis hæreditatem, occupare paratum, Rex ſibi, ſi deditionem faceret, reſtitui pepigit. Vrbe quam Enghianus terra, Barbaroſſa mari cinxerant, anno 1540, Aug. 20 capta, & Francico præſidio munita, arx expugnari non potuit: Barbaroſſa inſtante hyeme, Telonem ditionis Regiæ oppidum receſſit, nec aliud quicquam deinceps molitus eſt: ſed *conductum* fuiſſe demus; quidni ejus adverſus communem (quo placato uti nequaquam licebat) hoſtem, auxilia à Cæſare ipſo ad indignas ſemet conditiones dejiciente prius rogata nec tamen impetrata rogare, & in eum vertere licuerit?
[1] Sam. 22. 3. — Si *vir ſecundum cor Dei* [1] David, ut impendens ſibi ſuiſque à Saule Iſraelitâ periculum diſcuteret, cum Nahazo Moabita fœdus percutere,
[2] Ibid. c. 27. & 28. — imo [2] Achizo Philiſtæo operam adverſus Saulem locare; ſi Aſa [3] qui *quod*
[3] 1 Reg. 15. 18. &c. — *rectum erat in oculis Domini, ſicut pater ejus David feciſſe* dicitur, illatas à Baala Iſraelita injurias, Benhadadi Syri gazæ ſacræ erogatione redempti ope propulſare potuit. Si Theodoſius Major Valentiniano minori Ariano ſuppetias laturus barbarorum ethnicorum mercenaria auxilia, in Maximum Catholicum duxit; ſi Littorius Hunnis Chriſtianos oppugnavit; ſi Romani Gothos Arianos in Suevos Catholicos immiſerunt. Si Narſes Langobardorum Gentilium copiis inſtructus Oſtrogothos Chriſtianiſmo quomodocunque imbutos debellavit; quidni Chriſtiano, ſed infeſtiſſimo & inconciliabili, Turcam fœderatum belloque ab eodem laceſſitum, ne regno Gallico deinceps inhiaret, oppoſuerit Franciſcus? Si demus ulterius nullô caſu à Chriſtiano auxilia infidelium advocari poſſe, *quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes*, aut colorem dixerit, quo Caroli de Franciſco querentis,
[4] Roderic. lib. 6. c. 18. — majorumque ejus admiſſa obducantur? Garſias [4] à Sancio germano pulſus *cum trecentis militibus ivit ad Agarenos, & niſus eſt ſuadere, ut ſecum contra fratrem ſuum exercitum deſtinarent, regnum fratris & ſuum eis pollicens ſe da-*
[5] lib. 7. c. 30. — *turum:* [5] Rex Legionis Alfonſus *Arabibus fœdere ſociatus, multis ex his ſecum adſcitis regnum Caſtellæ, per campos Gothicos eſt ingreſſus, diruens, diripiens &*
[6] cap. 32. [7] Mariana lib. 14. c. 5. — *devaſtans.* Sancius Rex [6] Navarræ, ad *Arabes tranſmigravit* &c. [7] *Alfonſus in timore inter ſtudia ſuorum deſtitutus, à Marrocio Rege opem, mutuamque pecuniam petere eſt compulſus, regia corona barbaro oppignerata* &c. Ab Alfonſo Rege *Hiſpali in publico conventu Sancius furiali carmine devotus, & jure paterno diris execrationibus caput devinctus, regnique ſucceſſione ſpoliatus eſt* 8 *menſis Novembris die. Sancius neque ea religione tactus, fœdere cum Granatenſi Rege inſtaurato, ad omnem occaſionem intentus, circum Cordubam &*
[8] cap. 7. — *ipſe morabatur, & copias in hiberna diſtribuit*, &c. [8] *Alfonſus præſidio deſtitutus*

tutus externaque auxilia conquirens Marrocium Regem ſecundo in Hiſpaniam attraxit, &c. [1] *tres triremes Granatenſis Rex Petro Regi miſit* &c. Granatæ Rex : [2] *ab Aragonio ſolicitatus ut Bæticæ arma inferret facere recuſavit, recenti Caſtellæ beneficio obſtrictâ fide, ſolicitati etiam Africani Reges ad ferendam opem, & excuſatio erat ſexcentos Granatenſes equites Roduano Duce in Caſtra veniſſe*, &c. [3] *junctis cum Granatenſi Rege viribus Cordubam impugnandam ſuſcepit* Petrus. ut autem hæc recta oculos feriant in ſequentem tabulam eos defigere dignabitur Lector.

[1] lib.17.c.2.
[2] cap. 6.
[3] cap. 12.

1 Sancius Major Navarræ Rex Muniæ Caſtell. maritus.

2 Garcias IV Navarræ Rex Stephaniæ Fuxenſis maritus. | Ferdinandus Caſtellæ Rex Sanciæ Legion. maritus. | 2 Ranimir ex Cajæ contubernio natus Giſbergæ mar. Arag. Rex.

3 Ranimirus Calagurris Dominus à Mauro cæſus. | Sancius Caſtel. Rex. I. | Alfonſus VI fratrum hæres, qui ad Almenonem Toletanum Sarac. perfugit. | Garcias Galliciæ Rex qui regnum Mauris obtulit. II. | 3 Sancius Feliciæ Rociac. maritus.

4 Ranimirus Elviræ Roderico Cido natæ marit. | Vrraca Regina Raimundi Burgund. uxor ex Conſtantia nata. | 4 Ranimir ex Monacho Agnetis maritus.

5 Garcias V Navar. Rex Margaretæ de Aquila marit. | Alfonſus VIII Berengariæ ac exinde Richſæ maritus. | 5 Petronilla Raimundi Berengarii uxor.

6 Sancius qui ad Saracenos Afros perfugit. III. | Blanca. | 1 *nupt.* Sancius Caſtell. Rex. | Ferdinandus Legion. maritus Vrracæ Portugal. maritus. | 2 *nupt.* Sancia Alfonſi II Aragon. uxor. | 6 Alfonſus II Sanciæ Caſtell. maritus.

7 Alfonſus IX Alienordis Anglicæ maritus. | 7 Alfonſus IX Legion. Berengariæ maritus Maurorum adverſus patruelem fœderatus. VI. | 7 Petrus II Mariæ de Monte peſſulano maritus. | Fridericus II cui ex ſororis Galuani Comitis contubernio natus. IV.

8 Berengaria. | 8 Iacobus I Yolendis Hungar. maritus. | Manfredus Beatricis Sabaud. marit. qui patris exemplo Sarac. ope Papam oppugnavit. V.

9 Ferdinandus III Beatricis Suevicæ maritus. | 9 Yolendis Alfonſi X Caſtell. uxor. | Petrus III. | Conſtantia.

10 Alfonſus X Yolendis Arag. marit. Marroci Imper. adverſus filium fœderatus. VII. | 10 Iacobus II Blancæ Andegav. maritus. | Fridericus Trinacriæ Rex Alienordis Andeg. maritus.

11 Sancius IV Mariæ de Molina maritus Regi Granat. adverſus patrem fœderatus. VIII. | 11 Alfonſus IV Tereſiæ maritus. | Petrus Elizabethæ Carinth. maritus.

12 Ferdinandus IV Conſtantiæ Portug. marit. | 12 Petrus V qui adverſus Petrum crudelem Afros & Granat. incitavit. IX. | Leonora.

13 Alfonſus XI Mariæ Portugal. maritus. | 13 Leonora Ioannis I Caſtell. uxor.

14 Petrus crudelis Granat. Regi adverſus Aragonem & Henricum fratrem fœderatus. X. | Henricus ex Leonore Guſmanæ contubernio natus Ioannæ Manuelidis maritus. | Fridericus Calatravæ Magiſter. | Sancius Albuquerquii Comes Beatricis Portug. marit.

15 Conſtantia ex Mariæ de Padilla contubernio nata Ioannis Lancaſtriæ uxor 2. | Ioannes I Leonoræ Aragon. maritus. | Alfonſus Ioannæ Mendoz. marit. | Leonora Ferdinandi Aragon. uxor.

16 Catharina. | Henricus II. | Ferdinandus I Leonoræ Albuquerquiæ maritus. | Fridericus Mariæ Cordub. maritus.

17 Ioannes II Iſabellæ Portug. maritus. | Ioannes. | Ioanna.

18 Iſabella Cathol. | Ferdinandus Cathol.

19 Ioanna Philippi primi uxor.

20 Carolus V, qui de Franciſci I fœdere Turcico queſtus eſt.

Ex

Ex præcedentibus, vel cæcis ipſis manifeſtum eſſe poteſt Caroli v Majores, idipſum, quod invidioſe nec ſine maligna calumniæ aſpergine, Franciſco I poſtea impactum eſt, ſæpius admiſiſſe. 2 eoſdem à ſexcentis annis, fere ſolos Mahumetanorum auxilia adverſus Chriſtianos, & caritates proprias rogare auſos, vim facie retectâ naturæ ac religioni intuliſſe, cum hic in patris, ille in filii, alius in germani, aut propinqui, aut paſtoris, perniciem conjuratus, execranda infidelium opera uſus ſit; quorum nihil Franciſco ſua vel propugnanti, vel repetenti imputari poteſt. Quid hîc habent, quo ſororio præter meritum exoſo inſultabundus, ſibi blandiatur tot nocentum nepos, aviti criminis infamia deturpatum, imo obrutum caput? inflatis (quantum poſſunt) buccis, ebuccinent intemperiæ Zypeanæ, per nos (quocunque ſe vertant, cauſa ſuperiores) licet: ſive enim Hiſpanos Saracenorum excitores, patriæ & Chriſtianiſmi turbati reos abſolvendos putent; longe veniâ dignior Franciſcus, Solimanno roganti in commune Europæ commodum fœderatus fuerit; quandoquidem continuis injuriarum punctionibus lancinatus, famamque, dignitatem, ac patrimonium à propinquô alieni appetentiore occupatum aperto bello vindicare coactus, ſocia infidelis ab æmulo irritati arma non recuſavit: ſive Franciſcum criminis, à quo alieniſſimus erat, poſtulandum cenſeant, nulla ope evadent, quorum crimen Hiſpani ipſimet, velut confeſſum lippiſque ac tonſoribus notum ſilentio ſepelire nequiverunt; nec impii facinoris probrum effugiet, qui pudendum ejuſdem traducem ab ipſo conceptu traxerit, ut ut à culpa ſemet immunem præſtiterit; quod de Carolo & Ferdinando, Franciſci publicis accuſatoribus, & dicere & ſentire non licet, in quos Horatianum illud merito trahi potuit, *ſtultus & improbus hic amor eſt, dignuſque notari; Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis, cur in amicorum vitiis tam cernis acutum, quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius? at tibi contra evenit, inquirant vitia ut tua rurſus & illi.* Hinc epiſtola A.D. 1534, Febr. 1 ad Imperii Germanici ordines univerſos data, Franciſcus ipſemet, *Quam ii* (Carolus & Ferdinandus) *pacem ab eo* (Solimanno) *tam indignis ambirent legibus, ut ejus fieri vectigales non erubeſcerent, quo ſcilicet expeditionum ejus ſecuri, minore uſurparent negotio affectatam in Chriſtianos omnes tyrannidem; ego eam mihi à Solimanno ultro oblatam pacem, minime quidem rejiciendis conditionibus, tamen conſtanter, ac diu accepturum me pernegavi, niſi pios cæteros eriperem mecum omnes ab ejuſdem hoſtis injuria.* & alia, die 22 Ianuarii 1536, ad calculum Gallicum. *Quin & plerique mihi nunciant, etiam quidam à Conſtantinopoli recentes (ego vero temere vobis affirmare non auſim) eundem ipſum veſtrum Cæſarem, hoc nunc unum agere, hoc cogitare, in hoc laborare, ut quibus ego Solimanni ejuſdem viribus & opibus, antehac mihi ne cogitanti quidem oblatis, uti nolui, non modo ad inferendam, ſed ne ad arcendam quidem injuriam; illis ipſis (inquam) Cæſar viribus ultro & ambitioſe expetitis ad me unum exercendum, divexandum, conficiendum abutatur. Sane vero utcunque ſe res habet, mire inſtat Solimannus, atque inter hos apparatus mihi jam aperte denunciat, nullum ſe amplius dubitationi locum reliquum eſſe velle, quin aperte ſignificem pacatone me, an hoſte, in re præſertim nihil ad me præcipue, nihil ad Chriſtianorum commune pertinente, uti ſibi ſperandum ſit.* &c. Ioannes Sepuſienſis Tranſſylvaniæ Vaivoda, Hungariæ Rex à magnâ Procerum parte, poſt miſerabilem

Marq. Freher Germ. rerum Tom. 3. p. 296. Sleid. lib. 9.

Germ. rer. Tom. 3. p. 316.

Ludo-

Ludovici caſum A.D. 1526 electus, epiſtola ad Imperii ordines A.D. 1523, Aprili menſe data, *Nunc inopiâ rerum omni laborans* (Ferdinandus) *fidem opemque veſtram, opinor, implorabit, quaſi Germaniæ ſalutis causâ periclitetur, ſed longe alio ſpectant ejus conſilia; nec enim in Turcas arma parat, quibus etiam tributum annuum dare non recuſat, miſſis eo nuper Legatis, verum hoc agit, ut veſtris copiis atque pecuniis fratri ſuccurrat, & me confecto, Pannoniam addicat ſervituti.* Si anno 1527, antequam Franciſcus in fœdus à Solimanno oblatum conſentiret decimo, antequam Barbaroſſæ adverſus Sabaudum maternæ hæreditatis uſurpatorem opera quomodocunque uteretur, decimo ſeptimo, Ioannis Vaivodæ, Chriſtiani à Chriſtianis Hungaris acciti, Turcica ope opprimendi ſpe totum ſe Solimanno tradere, tributum pendere, & precario in Hungariâ regnare paratus fuit Ferdinandus: Si rurſus anno 1536, ante fœdus à Solimanno cum Franciſco, perfidioſa Legati Mirabelli cæde, & Sabaudi avunculi duritie exaſperato, initum, totus in hoc Carolus fuit, ut Turcicis viribus Chriſtianiſſimum ſororis maritum divexaret, ac tandem conficeret; ſi denique Sabaudum materna hæreditate depulſurus Barbaroſſam Turcæ fœderati Legatum accerſivit, nec ſine peccato (quod æmuli voluere) accerſire potuit Franciſcus: an non *inſanire parant certa ratione modoque*, quotquot vel levius quippiam, vel idipſum quod Ferdinandus & Carolus priores, majorum exemplo cogitaverant, aggreſſus ſit, damnandum putant? ſi manifeſti & confeſſi delicti reum tenebat, cur ei, quem obnixis precibus per annos decem continuos petivit, *Senatum* ab Imperii ordinibus in cauſis ad eos proprie ſpectantibus *dari* abſolute vetuit, cur Legatos ejus, fæciales, tabellarios, ſubditos quoſcunque, tota Germania intentato pœnarum metu excluſit *aſtutam vapido ſervans ſub pectore vulpem* Carolus, cui hæc merito regerere vexatus potuit, *Illa prius cretâ, mox hæc carbone notabis? qui prior es cur me in decurſu lampada poſcis? abſolves hominem & ſceleris damnabis eundem?* Sileant igitur æternum Zypæi, ne qui, vel innoxiis, vel levioris culpæ poſtulatis defunctis convitium faciunt, dum noſtras iniqua cenſura columbas vexant, corvis ſuis quam non merentur veniam dare, ſtultitiamque ſuam vel ingratiis ſuis prodere videantur: quid enim demonſtrandum ſuſceperant? an non *infracta* à Franciſco *pacta* fuiſſe? quid vero nunc occinunt? an non *conductum in ſocietatem Turcam?* ſed tam facile fieri potuit, ut infractor pactorum ſocietate Turcica exambita careret, quod in Carolo locum invenit; quam verum fuit, Turcæ fœderatum Franciſcum, ab omni pactorum infractione purum vixiſſe.

Sleidan. lib. 6.

extant epiſtolæ Regis à Frehero editæ.

Zyp. *Secuta eſt anno* 1544 *pax Creſpienſis; ejus pactis Carolo Franciſci* 1 *filio Belgium cum Cæſaris filia, vel Mediolanum cum Ferdinandi, in dotem promiſſum; nuptiis nondum ſecutis, eo aliquot poſt menſibus mortuo, anno* 1547 *pridie Kalend. Aprilis etiam exceſſit è vivis Franciſcus* 1, *ob mortem duorum filiorum non ſine domeſtica ſuſpicione ſublatorum, vigore animi non parum minuto, ut ſaltem Imperatori Germanicis ex fœdere Smalcaldico turbis implicito non aliud bellum moverit.* Reſp. Quid huic homini facias, quem ubi calumniandi rabies deſtituere viſa eſt, mentiendi & obtrectandi libido ad novas intemperies cogit? Criſpiaci in Laudunenſi pago ſubſcriptæ A.D. 1544, Septemb. 18 pacis tabulæ fuerant; annô 1545, Septembris 8, *peſtilenti*, prout Bellajus libro x notat, *febri* correptus vivere deſiit, ut quod de *aliquot poſt pa-*

edidit Freherus. Sleid lib. 10. Bellaj. lib. 7.

cem menſibus,& ſuſpicione domeſtica garrit adverſarius,ſponte in fumos abeat; annô 1536, Auguſti 8, cum Lugduni aquam toxicô infectam Franciſco Delfino propinaſſet Sebaſtianus Comes Montecuculanus Ferrarienſis, de ejus ſcelere hæc ad Imperii ordines, epiſtola Decembri ſequenti data, Rex pater queſtus eſt;*ipſe tam execrandi facinoris adminiſter,cujus ex nominis recordatione totus horreo, Sebaſtianus* Comes à Montecuculanô privatim & publice, etiam *in ipſo ſupplicii atque mortis articulô profeſſus eſt, auctores ſibi fuiſſe patrandi hujus atrociſſimi ſceleris, Antonium Levam & Ferdinandum Gonzagam, Principes in exercitu Cæſarianô viros; ſeque primum à Ferdinando multis oneratum promiſſis, quod tollendos viros aliquos primarios ſuſciperet, ad Cæſarem eſſe introductum; à Cæſare multa interrogatum de mea cibi potuſque ratione, ad Antonium, ut quæ ille imperaret, exequeretur, eſſe miſſum; Antonium, ut me primum, & ex meis item aliquot veneno tolleret, hoc mandaſſe.* unde rurſus conficitur nullam de Delfini violenta morte, cujus artifex confeſſus meritas pœnas luit, *ſuſpicionem* nullam ſive *domeſticam*, ſive extraneam fuiſſe, aut eſſe (quicquid in contrarium Zypæus contendat) jure potuiſſe: quo vero fine ad *ſuſpiciones*,eaſque *domeſticas*,ei recurrere viſum? an ut,quod aliquoties inter Hiſpanos evenit, Franciſcum & Carolum ab Henrico fratre ſublatos credamus; & in Francorum Regia Vimaranos, & Fridericos &c. à fratribus, Carolos duos à patribus cæſos quæramus? odioſe ſane & calumnioſe, quandoquidem vix quinque propinquorum à propinquis peremptorum cædes in univerſa Capetina gente occurrunt; A.D. 1342, Andreæ Neapolitani Regis Ioannæ uxoris juſſu ſtrangulati; A.D. 1382, Ioannæ ejuſdem, quam ſimili ſupplicio affecit Carolus; A.D. 1407, Ludovici Aurelianenſis Franciſci 1 proavi, quem Ioannes Burgundiæ Dux Caroli v abavus perimi curavit. A.D. 1419, Ioannis ejuſdem cujus cædes Carolo Delfino imputata eſt. A.D. 1484, Iacobi Viſei Ducis, qui Ioannis 2 Portugaliæ Regis manu confoſſus eſt; unicum A.D. 1483, publice Ioannis ejuſdem decreto ſecuri percuſſum Ferdinandum 11 Bragantinum habemus; cæteri Capeti poſteri à propinquorum ſanguine abſtinuere, Franciſcô vero primô geniti concordes & unanimes vixere.

Vide Bellaj. lib. 10.

Henricus A.D. 1546, Decemb. 28, ætatis 57 obiit; Franciſcus A.D. 1547, Mart. 31, annos 52, menſes 5, dies 19 natus.

Quod Franciſcum *vigore animi non parum minuto* deceſſiſſe, quaſi de Iſabellæ Portugalenſis pronepote, & Ioanne Aragoniæ filio verba facturus eſſet, fabulatur Zypæus, tam ridiculum quam maligne confictum eſt, ut ſtultitiæ potius, aut motæ ac dejectæ de ſtatu mentis hebetudini, quam deſtinato conſilio, aut ſibi conſtanti virtuti imputandum perſuadeat, quod cum Carolo v manus conſerere pactorum tenax princeps deſierit; ſed heroïco & forti ad extremum uſque halitum animo vixit, nullâ calamitate fractus, nunquam decori oblitus, nihil de regni cura remittens, cujus limitem Orientalem à Burgo Sebuſianorum exorſus, in Corneti montem Arduennicum deſinens, illo ipſo quo decubuit tempore, luſtraverat; quodque de *Imperatore* pronunciabat Veſpaſianus, *ſtans mortem expectavit*; cum paulo ante Henrici 8 Angli, cujus eadem fere ætas & temperamentum erat, obitu mortalitatis monitus fuiſſet; ex illo enim tempore taciturnior, lenta febre tentari cœpit, annoque vitæ 53 obdormivit, *varia, ſed ſæpius improſpera fortunâ uſus, quæ tamen eum nunquam dejecit, cum firma ſemper fiducia ad Deum recurreret, valenſque memoriâ & mente ſanus ad extremum duravit,* prout totidem verbis

velut

velut os ex profeſſo Zypæis obſtructurus Bellajus notavit. Ne quis vero fidem ejus, Caroli æmuli artibus in ſuſpicionem adductam, mutaſſe, aut eum pacis ſtudioſum minus fuiſſe putet, hæc ex ejus, Legatorumque epiſtolis, & Apologiis ante ſæculum editis advertat: ex oratione ad conventum Smalcaldienſem anni 1535 Decembri. *Superiore hyeme, Illuſtriſſimi & ampliſſimi viri, Chriſtianiſſimus Rex, cum in Germania pleniſſimi calumniæ rumores, de ſe verbo, ſcripturâ diſſiparentur, quibuſdam auctoribus, qui quoniam aliquem per ſe aditum ad aures veſtras habere poſſe diffiderent, ideo credulitatem ambiebant ex ementitæ Legationis titulô: reſpondere coactus eſt, diviſis paſſim & evulgatis literis, ne ſilentium ejus iniqui rerum æſtimatores conſcientiæ aſſignarent, & eæ quidem literæ cum ad ipſum dimanaſſent, cujus iſti abutebantur nomine, Auguſtiſſimum Cæſarem; nihil ille antiquius habuit, quam ut Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Principi Palatino Comiti Friderico, utriuſque Bavariæ Duci, tum ex Hiſpania in Germaniam per Gallias properanti, hoc mandaret, uti Regi ſuis verbis fidem faceret, atque prolixe confirmaret, nihil horum aut volente, aut laudante, aut ſciente ſe unquam in illum eſſe factum. Quod Cæſaris de ſe ipſo, & in iſtos luculentum adeo teſtimonium, cum abunde coarguat licentioſam & impudentem eorum audaciam & petulantiam, plane ſperat & confidit Rex Chriſtianiſſimus recentiores eorundem obtrectationes, quas denuo iſti ad ſplendorem ejus maculandum, ad vocandum eum in invidiam adornarunt, fidem auribus veſtris non feciſſe.* ex Legati epiſtola ad Imperii Principes A. D. 1536, Iulio menſe data. *Ego me videbam ab illo* (Rege) *& ſereniſſimis ejus liberis, nullam magis ob aliam cauſam in Germaniam eſſe miſſam, quam ut vobis, quibus ut jus deſignandi Cæſaris, ita permiſſa ſunt beneficiorum & clientelarum Imperii judicia, controverſas illorum cauſas explicarem, & eorum patrimonii occupatores ex jure manu conſertum vocarem, de quô patrimonio judicium detrectaſſe deferuntur,* &c. *Hæc eſt Regiorum ad vos mandatorum ſumma, ut omnia deponatis, ſi qua ex falſis auditionibus jam omnino concepiſtis præjudicia; ut à quô ſtant jura omnia, ad eum tranſire opinionem juſtitiæ patiamini; ut in memoriam redeatis juris ejus hæreditarii, jam inde à proavis, atque atavis, certi atque teſtati, tamque luculento Maximiliani Cæſaris teſtimonio, ac judicio comprobati; ut conſideretis cum animis veſtris voſmetipſi, Maximilianum ab hujus* (Franciſci) *ſocero* (Ludovico) *pro eâ quam vocant * inveſtitura ſupra centena quinquagena numum aureorum millia extorſiſſe; neque ita † multo poſt (coacto exercitu, atque iiſdem fortaſſe diviſis in eum uſum pecuniis) eundem ipſum exegiſſe. Meum Regem ab eodem Maximiliano Mediolani Ducem agnitum, * cum jam multos annos receptum ab occupatore Principatum poſſediſſet, à Carolo Cæſare etiam indicta cauſa deturbatum: cum hoc tamen jure & Majores veſtri, & vos ſemper uſi fueritis, ut Imperii veſtri beneficium ab altero in alterum tranſferendi jus & facultas in lege, non in ullius conſiſtat voluntate atque audaciâ. Cujus legis tum veſtrum ſit, æquiſſimi Principes, proprium ac peculiare judicium; conſtituite jam apud vos, quid ſit vobis ad hæc Sereniſſimorum Principum æquiſſima poſtulata reſpondendum, qui vos orant, ut ſe quoque (ſicut cæteros ſacri hujus Imperii Principes) dignos exiſtimetis quorum cauſam intelligere non aſpernemini.* ex epiſtola Regia ad Imperii Principes A. D. 1536, Decembri menſe data. *non ignoratis quem ad modum Cæſar,* &c. *improviſo atque adeo cum de firmanda inter nos pace, conciliandaque ſanctiore amicitia cum Legatis*

M. Freher. Tom. 3.

Ibid.

* A.D. 1504.

† A.D. 1512.

* ab A.D. 1515.

Ibid.

meis tranſigere ſimulabat, inſtructiſſimis terra marique exercitibus, quadriparti-to me invaſerit, &c. *Ego quidem tantis affectus indignitatibus, maledictis & calumniis laceſſitus, petulantibus libellis (indigniſſimo Regibus exemplo) traductus, clientum meorum ad defectionem ſolicitatione oppugnatus, crudeliſſimo bello abſque denunciatione vexatus, talis filii crudeli & miſerabili morte afflictus, cum me ad ulciſcendas has injurias efferret animi quidem dolor neceſſarius, occaſionem offerrent Cæſariani exercitus, ubicunque poſuerunt veſtigia, mutilati & affecti; tamen ut ſanguini Chriſtiano parcerem, & quod auctorem hujus victoriæ Deum Dominum exercituum agnoſcerem, quô nimirum ulciſcente Cæſar ab audaciſſimo cœptô abſtractus eſſet, potius quam humanarum virium auxilio, venienti ad me Legato Pontificis, de pace cum hoſte denuo coagmentandâ, lubens parui; etiam meas, liberorumque meorum res interverſas, ejuſdem hoſtis beneficio accipere non recuſavi. Contra hoſtes*, &c. *Quorſum hæc tandem omnis (dicetis) ſpectat oratio? nempe ut quam obſtinato cum hoſte bellum habeam, intelligatis; & cum jam is mecum agat, non quam late regnaturus, ſed regnaturuſne ſim: ejus etiam adminiſtri an victurus; mirum ut ne vobis videatur, ſi me poſthac mea cautio adigat, (uti adiget ſi ab æquitate veſtrâ nihil impetravero) mihi ac rebus meis ut capiam undecunque dabitur conſilium; id quod mihi antea quidem licuit ſemper, & nunc neceſſe eſt etiam, loquatur licet in me hoſtis quicquid libuerit. Ego vero ſemper habiturus ſum (quod habui adhuc) præ oculis, tum ut ne ullô ſcelere me adſtringam; tum ut, cujuſcunque armis utar, ſi erit neceſſe uti, ſive âd propulſandam injuriam, ſive ad res meas, & liberorum meorum repetendas, tamen iis, quibus ſine noſtra reprehenſione non poſſint,*

Ibid. *ea arma ne noceant.* ex epiſt. ad Albertum Moguntinum expoſtulatoria eodem tempore datâ. *Dum Nuncium noſtrum ut latronis ſatellitem excutiunt* (Brandeburgici) *in earum exemplaria literarum inciderunt, quas Legatus meus* (Langæus) *communiter ad vos dederat, & formis ut excuderentur, ea tantum gratia curaverat, ut quam ego ad æquas me demiſiſſem conditiones, univerſi per Germaniam intelligerent. Ea quidem exemplaria & aliquot præterea literas Legati mei, nondum iis ad quos mittebantur redditis, tum unius atque ulterius veſtrum ad Legatum eundem meum epiſtolas, tabellario noſtro per ſummam contumeliam abſtulerunt; ſubinde ſciſcitantes, An non ſatis ſciret, quam inter me & Cæſarem belle conveniret? an non edictô publicô Gallos omnes, & quicunque Gallicæ ditionis eſſent, regionis illius aditu prohiberi? quæ tanta illi fuiſſet confidentia, unde iſte contemptus eſſet, ut non impetratis publicæ fidei literis, eo per ſe venire auſus eſſet, ubi libellos diſſiparet hujuſmodi, quô unô factô incendiarius vere dici poſſit atque debeat, utpote qui Cæſari ac rebus ejus plus inde incommodi atque periculi attulerit, quam ſi pagos duodecim igne immiſſô aliquando conſumpſiſſet. Cum iterum ille mandata patroni excuſaret, cum nihil offenſionis à ſe prudente fuiſſe oſtenderet; cum teſtaretur antiquiſſimam Imperii veſtri cum hoc Regno meo ſocietatem, quæ publicæ fidei literarum loco eſſe ſibi debuiſſet; quô etiam nomine & abs te Marchionis patruo, & à cæteris, quos ante adiiſſet Principibus & acceptus & dimiſſus fuiſſet humaniter; illi miſerum hominem divina, humanaque jura atque auxilia implorantem, onuſtum gravibus catenis, quas tum collo, tum ſiniſtro brachio involutas miſerabili adſpectu geſtabat, ſpreta Dei religione, ac humana ſocietate, gentiumque omnium jure violato, in cuſtodiam cruduliſſime & inhûmaniſſime conjecerunt*, &c. *Cum miſer ille forte fortuna*

(poſt

(poſt quinque dies, & quæſtionis minas) *elapſus eſſet à vinculis, ac tum fuga, tum latebris ſibi ſalutem quæſiiſſet; Marchio edicto ſuo florenos quingentos præmium ei propoſuit, qui ad ſe fugitivum illum incendiarium (ita enim tabellarium ille deſignabat meum) quem Rex Galliarum ad vaſtandam igne Germaniam ſummiſiſſet, quique Magicis artibus & præſtigiis è carcere aufugiſſet*, &c. *Quodnam vero ejuſmodi* (Cæſari) *eſſe poteſt incommodum, niſi quod iis literis adverſus malevolorum & obtrectatorum noſtrorum calumnias, aliquando eſt defenſa veritas? Sed hæc ratio, non video quid habeat in quo poſſit conſiſtere, niſi forte hic unus ab Imperiô ad vos tranſlato Cæſar, cui non modo jura Imperii omnia tradidiſſe Germania videatur, ſed à cujus etiam præſcripto nihil audeatis recedere: cujus vel injuriis omnibus patrocinari vos oporteat; qui ſi cujuſvis exiſtimationi notam inuret, ſi quem de poſſeſſione vi ejiciat, ſi clam, ſi dolo malo in alienæ rei poſſeſſionem obrepat, eam vos confeſtim eſſe ejus propriam atque legitimam jubeatis; quicunque autem re aut verbo reſtiterit, vel ad vos provocarit, quorum eſſe debet earum rerum peculiaris ac propria cognitio, hunc vos in hoſtium publicorum, hunc incendiariorum in numero habere cogamini. Neque enim adduci poſſum, ut voluntate vos potius adductos, quam impotenti ejus tyrannide adactos, hæc videre ac pati poſſe putem. Verumtamen ſi acceptam à majoribus veſtris libertatis, æquitatis, ac religionis gloriam retinere vultis, cur alios potius quam vos ipſos reſpicitis? Cur non aliorum ſecuri, veſtri memores eſtis in æqui bonique judicio? aut ſi patimini æquo animo divina humanaque jura impune violari; cur non libenter etiam de antiqua illa laudis poſſeſſione deceditis? An cum apud vos toties, nunquam tamen niſi juſte querar, nunquam animos veſtros, nunquam æquas aures habeam? à plæriſque repudier? Senatum petens violer? cum hoſte interim bellum habeam, qui omnes cum omnibus reconciliationes gratiarum in meam unius ambiat perniciem? Cur igitur mihi non liceat, jam tot has, & alias multas indignitates paſſo, contumeliis omnibus onerato, amicitiis, clientelis contra fœderum leges nudato, bello crudeliſſimô abſque denunciatione vexato, Legatorum offenſione, per eum etiam à quo jus expectari oportuit, violato, rariſſimâ indole filii, crudeliſſima & indigniſſima necati morte afflicto, veneno ipſe quoque ut tollerer appetito, à vobis denique neglecto, deſerto, derelicto; cur non liceat (inquam) mihi ac rebus meis aliunde capere undecunque dabitur conſilium, modo tamen ut quam ego mihi ac rebus meis adhibebo cautionem, ita eam adhibeam, ut ſi maledicta quidem non potero, certe crimen effugiam?* &c. *Summa igitur mox apud te poſtulationis hæc erit, ut de Marchionis facto ita ſtatuas, meam ut dignitatem poſſim apud omnes integram obtinere; deinde ut communicato cum ampliſſimis & prudentiſſimis tuis collegis conſilio, illam ſeveritatem moderemini (nolo enim gravius quicquam dicere) quâ in Germania paſſim (ut dicebam) animadverti audio in veſtrates omnes, quicunque mihi meruere milites; poſtremo ut iiſdem iſtis de rebus, deque eô quod ſperari vultis mihi ac liberis meis eſſe relictum in æquitate veſtra perfugio, dilucide mihi & ſignificantibus verbis aliquando reſcribatis.*

Ex epiſtola ad univerſos Imperii Ordines A.D.1537, pridie Kal.Aug.data. M. Freheri rer. Germ. Tom 3.
Mirari ſubit, Ampliſſimi Ordines, audere Cæſarem ad vos ſcribere, ſibi ad jus reddendum, ad tuendum Imperium, hoc eſt ad officium proprie ſuum pecunias deeſſe, quæ abunde tamen illi ad inferendam injuriam, ad intervertendas Imperii opes ſuppeditant, Nam hoc bello, quod cauſatur, ſicut injuſto illo quidem, ita volun-

 tario

tario (ut excuſationem hanc prætexere nequeat,) utrumque per eum agi confirmare liquido poſſem. Sed cum mearum quoque partium eſſe ducam, & Imperio prodeſſe,cujus me clientem agnoſco Inſubrium principatus ergo,& avertere omnia quæ inimica eſſe videantur veſtro nomini atque dignitati; ego ad poſterius hoc ita profiteor, quoniam aliquô ſuſpicionis odore à quibuſdam eſt deprehenſum, qui ejus me rei admonitum voluerunt, hanc à Cæſare denegationem ſalariorum aliqua in cauſa eſſe, quo minus ego cum ſæpenumero conventum indici, Senatum mihi dari, exemplis ac moribus, me deduci petierim, & eo tempore, quo Cæſar nobis ſpem veræ pacis obtinendæ ingreſſis, de integrô eam ſubvertit, & quô jam, volente Deo, incitatos impetus ejus retardaveram, adhuc tamen id impetrare potuerim, quod negari mihi certe ſine ſummo Cæſaris, ſine famæ atque nominis veſtri aliquo detrimento non poteſt; profiteor (inquam) me potius quam ut hæc veſtro decori denegatæ vel dilatæ juſtitiæ nota inſideat, vel de veſtro ſalarium dare judicibus cogamini, id me quamdiu noſtra cauſa Senatus habebitur, deque noſtra controverſia diſceptabitur, ſuppeditare de meo velle; tantum ut diſceptatore Imperii populique Romani Senatu (qui uſpiamne ſit, haud ſatis ſcio) non Caroli Cæſaris redemptorum judicum concilio decidatur. Tametſi ego quidem (ut plane loquar) nihilo levioribus ad me defendendum, quam Cæſari ad me offendendum impenſis opus eſſe mihi cenſeo. Sed cum videam eo rem adductam eſſe (bonam in partem accipi hoc à vobis velim, quemadmodum dico animo amiciſſimo) non gravabor, ut exemplum hoc in me Cæſar inſtituat, ſi qui poſthac (veſtris Cæſaribus ærarium publicum ad opprimendos eos exhaurientibus, quos tueri magis deceat) jus ab Imperii Senatu poſtulaturi ſint, ſalaria judicibus ut præbeant, &c.

Ibid. Ex Apologetico A.D. 1537, Maji 7 ſcripto. *Num etiam tum ſeſe interpellatum eſſe, ac retractum à Rege dicere ipſe audebit, cum id omnibus ſatis innotuerit, adornanti expeditionem illam Cæſari Regem ipſum obtuliſſe peditum millia quinquaginta, majorem multo partem (ne quid incommodæ ſuſpicionis eſſet) è Germania delectam, equitum Gallorum millia ſex, ad hæc tormentorum vim ingentem; nec vero tantum haſce copias ſuas, opeſque expeditionis illius & periculi ſocietatem ei detuliſſe, ſed proficiſcentem etiam ad bellum, ſimul ipſo in bello res gerentem, ſuſceptis publice pro ipſius ſalute atque exercitus votis, & more noſtro ſupplicationibus indictis, inſuper præſentem eſſe fauſtis omnibus, ut aſſolet, abſentiſque rebus perinde atque ſuis ipſius faviſſe, poſtremo redeunti Cæſari, pretioſiſſimam illam, atque (ut ferebatur) laborioſiſſimam victoriam gratulatum miſiſſe*, &c. *Verum in hoc bello quidnam eſt tandem in quô Regis benignitatem, humanitatem, æquitatem poſſit Cæſar deſiderare? quid quamobrem Regem ſugillare jure poſſit?* ab anno 1533. *Cæpit ipſe hoc triennio claſſem parare in noſtri littoris vicinitate, omnium quas noſtra vidit ætas, atque audivit, tum robore copiarum, numeroque, tum omni apparatus genere longe inſtructiſſimam; Excipiebantur ejus interim voces minarum pleniſſimæ, quæ ad Regem ſolum non dubie pertinebant, deprehenſi & convicti viri nefarii aliquot, qui tantam Cæſaris claſſem in Maſſilienſem portum accipiendam, quique Andreæ Auriæ (quem vos, de fide & de nomine ſatis noſtis) Maſſiliam ipſam urbem omnium nobis maritimarum opportuniſſimam, tradendam ſuſceperant & redemerant. Detectæ jam erant inſidiæ, patefacta erat ſceleſtæ expeditionis adumbratio; nec dubium erat quin verbo quidem ad Punicæ oræ expugnationem, occupationemque urbis jam dictæ parata eſſe videretur.*

retur. Tam inſigni injuria Rex laceſſitus, ne ſic quidem ab vetere inſtituto ſuo diſcedendum putavit. Satis tum habuit ab inſidiis cavere, reique eventum operiri, &c. *Id demum aſſeverare jure poſſum, ſimul ac detecta eſt proditio atque oppreſſa, Cæſarem qui diu nullam ob cauſam manifeſtam cunctatus Barcinone in ancoris ſteterat, illo cum ingenti illo apparatu ſolviſſe. Qui jam in altum provectus, id Regis Oratoribus, quod eos perſæpe antea ſciſcitantes celaverat, conditionis ſuæ tandem aperuit, & hactenus tamen aperuit, ut Regi amico, Regi ſororis viro, id demum ſignificari vellet, ſeſe in expeditionem quandam Chriſtianæ Reip. gratia proficiſci, ſuiſque verbis per ipſos Oratores rogare, ut abſenti ſibi Regis fides atque amicitiæ perinde ut præſenti conſtaret, nec quicquam rerum interim in Italia moliretur,* &c. *In Italia ut nihil novaretur poſtulabat Cæſar; id contra jus æquumque injungi ſibi probe intelligebat, indignarique eam ob rem jure poterat, idque eo etiam magis, quod præter hæreditarias in agro Inſubrium poſſeſſiones, quas repetere debebat, recentem Franciſci Sfortiæ injuriam Mediolanenſium tyranni nullam moram admittere, nullam cunctationem perferre intelligebat hominum opinione; quippe pro contumeliæ acceptæ magnitudine, è Regis tanti dignitate non erat tyrannum illum ſinere diuturnum fructum violati juris gentium carpere. Et nihilô ſecius tamen Rex placidiſſimus, cum vellet Reip. potius, quam vel dolori proprio, vel dignitati morem geſtum, pedem domo non extulit, quamdiu Cæſar in Africa belligeravit,* &c. *Regii plane fuit animi & moris, quod aliquanto poſt Africanum bellum confectum, mortuo Sfortiâ, ne tum quidem Regem de ſententia caſus appoſitiſſimus, & tanquam cælitus oblatus deduxit. ſiquidem ea mors Sfortiæ omnem aditum in vacuam poſſeſſionem veluti caducam remigrandi Regi aperuerat, abſente præſertim, hoc eſt è Sicilia nondum egreſſo Cæſare, ubi tum etiam & incommoda valetudine & rerum inopia omnium ex Africa reverſus, premebatur. Neque vero erat tum in re improviſa, & repentina unde auxilium facile mitteretur Antonio Levæ, qui tum forte Mediolanum cum imperio ille quidem, verum ſine exercitu obtinebat; contra Regi præſto erant populorum ſtudia, ſi iis uti in animum induxiſſet, pleræque arces, præfectorum voluntate, per multa oppida Inſubrium munitiſſima patebant; jam vero Rex ipſe ad radices Alpium verſabatur, cum ab rebus cæteris omnibus, tum vero maxime ab exercitu paratiſſimus: cum tot tamen tantorumque rerum copia atque opportunitas in idem tempus illud incuriſſet, nihilo ille ſecius temperandum ſibi eſſe duxit, adhucque expectandum ecquid Dux ille Sabaudiæ pateretur ad æquitatem ſe adduci, apud quem jam decennium erat, cum aſſidue per internuncios Rex ageret, uti ablata per vim & retenta, moribus ſibi reſtituerentur,* &c. *Iterum atque iterum & ſæpius tentandum eſſe judicavit, ſi quô pactô hominis* (Cæſaris) *ingenium molliri poſſet, & mitigari; & ſi minus illum æquitatis & officii reſpectus, at hominum certe exiſtimatio & temporum communium ratio, eo adducere poſſet ut aliquando non invitus faceret, ut Mediolani poſſeſſione ſibi cederet. Id autem erat, ut alienum, quod per ſummam injuriam occuparat, juſto Domino redderet, non armis, quæ (ſi in armis jus poneret) promptiſſima erant, ſed jure, ſed legibus repetenti; hoc eſt, ut Chriſtianorum quieti provideret, cujus rei cauſa velle ſe omnia præ ſe ferebat, tum quidem certe; nam nunc ne ſimulat quidem. Neque vero fuit ulla tam iniqua conditio, quam non pro æquâ (ſi modo ratio ſui aliqua haberetur) Rex fuerit amplexurus. Acta autem res inter utrumque per Oratores fuit, ita ut fieri aliquid poſſe ſperaretur.*

A.D. 1535, ad finem.

à Ducis Philiberti morte.

Quid-

Quidnam igitur ille? Diem de die ex induſtriâ ducere, Regem pacis cupidiſſimum ſtudii ejus ſimulatione fruſtrari, dum ſacramento quoſcunque poteſt adigit, dum exercitus comparat, dum pecuniam ad ſtipendia militum undecunque cogit, dum locis opportunis munit oppida, dum quacunque poteſt ratione quorumvis hominum animos ſibi conciliat, alios etiam per fraudem ab Rege alienat. Denique dum populos Regi audientes ſollicitat ad defectionem, & Regis vero familiares, qua ſpe, quibus præmiis, quibus ſollicitationibus poteſt, calcata juſti, æqui, honeſtique reverentia corrumpit; ac ne pluribus, dum omnia omnium ingenia, qui unquam arte, diligentia, induſtria, labore, ad ambitionem valuere, non æquat modo, verumetiam vincit. Vbi autem hæc ex animi ſententia omnia ſucceſſere, tum impetu ſane incredibili viribuſque poſt hominum memoriam formidoloſiſſimis, Regem undique, à fronte, à tergo, à lateribus adoritur, &c. *Romam cum paulo ante veniſſet, ubi ad eam perniciem accommodatiſſimos hominum ſenſus invenerat, illiuſque ſententiæ ſuæ non fautores modo, verumetiam auctores, nequaquam adſpernandos; illo tamen in pontificio Senatu, illo principe orbis terrarum conſeſſu negare non auſus erat, ſua nihil intereſſe, quod Rex Duci Sabaudiæ bellum faceret, nec ſe ea re bello ab Rege laceſſitum; nec fœdera ideo violata videri. Equidem (etſi ut plerique audiſtis) nihil Regem tum prohibere poterat, quin exercitum, ſi vellet, in quoſvis promoveret Italiæ angulos; id tamen ut faceret tantum abfuit, ut etiam copias Vercellis oppido illius agri munitiſſimo, & momenti ſine dubio ad obtinendum Mediolani dominatum maximi, ſed tum imparati, retraheret, dum de omni controverſia, Cæſare ipſo rogante, & Pontifice Paulo urgente tranſigeretur, idque ſummi illius ordinis, vel potius Imperatoris (ut poſtea cognitum eſt) arbitratu,* &c. *Rex ſuperiores illas de pace leges, quas jure poterat repudiare* (poſt Cæſaris in Provinciam infelix molimem) *recepit; Cæſar, quas à ſe latas, ſine injuria ac ſcelere immutare, ne verbo quidem poterat, abrogavit,* &c. *Carporum Comes cum apud Romanum Pontificem Regis Chriſtianiſſimi Legatione injuſſu Imperatoris fungeretur, vir in Italia princeps, ſumma nobilitate, ſumma auctoritate, ſumma dignitate præditus, vir cujus vel humanam quamvis culpam valetudinis imbecillitas, debilitas membrorum omnium, ætas ante annos affecta, & ea ipſa tamen canicie matura venerabilis deprecari debuiſſet, vir qui & ingenii & morum ornamentis, qui vitæ per virtutem actæ patrocinio modicæ quoque pœnæ eximendus erat,* &c. *è lare ſuo familiari, ex avitis ſedibus, è patriis poſſeſſionibus, fortuniſque omnibus, in Regis invidiam ejicitur,* &c. *hic nummarius populi Romani Imperator, ducenta illa aureorum ducatorum millia, vel plus etiam aliquanto, quæ ex miſeri illius Comitis capite redegerat ſub publici nominis velamento, ſibimetipſe quaſi ſuo jure vindicavit,* &c. *Age nunc, viri Principes, judices illi feramus, quoſcunque æquitas veſtra prudentiaque cenſuerit, ni per eum factum ſit, quominus res nobis repetere judicio non licuerit, neminem ut iniquum nobis rejiciemus, qui æqui, bonique conſultus magis, quam juris iſtius Imperatorii ſit; id eſt juris quod Cæſar ſibi dixit; neque vero vos nobis eum judicem eſſe debere cenſebitis, qui Mediolanum nobis per ſummam injuriam abſtulit, & majore etiam nunc iniquitate retinet; nec ullum à nobis reditum in Italiam, in hæreditatem noſtram, non modo poſtulari, ſed ne ſperari quidem permittit; nam quid eô eſſet iniquius? Verum quid faceremus? ad vos, cum id maxime cuperemus, Legatos mittere non poteramus. Quid quod ne tabellarium quidem?* &c. *qui noſtros tali ac tantâ de re, tam neceſſaria,*

tam juſta literas ferebant, eorum partim aut Cæſaris, aut Ferdinandi edicto finibus veſtris prohibiti ſunt & excluſi: partim (ut non vaniſſimis cognitum eſt teſtimoniis) crudeliter vexati, &c. *Quod in direptione oppidi Montis Iuelli inita inter nos fœdera violata eſſe objiciunt, quod reos nonnullæ mercatorum veſtrorum à militibus direptæ ſunt; id vero totum eſt ejuſmodi, ut ab homine quopiam vaniloquo & ſycophanta confictum eſſe videatur, aut mendacio permiſſum, & vero quod exacte quæſitum non fraudi nobis apud vos, ſed laudi futurum ſit. Quem enim ea in re expoſtulandi locum Rex videri poteſt reliquiſſe, cum quicquid fuit, vel mercatoribus illis, vel negotiatoribus in direptione ereptum, id (ſicubi compareret) integrum Rex (ut reſtitueretur) curaverit; quicquid deperierat, vel fuerat corruptum, ut cujuſque de ſuo æſtimatio ad nummum perſolveretur; denique ut quicquid eſſet detrimenti acceptum, quanti cujuſque intereſſet, tantum ille auferret; ut meo quidem judicio, nec conſuetudini ſuæ, nec animo ſuo in vos, nec fidei ſuæ, nec conſtantiæ, nec gravitati potuerit cumulatius ſatiſfacere.*

Ex alio Apologetico. Quod Marchianus *ſibi militem ex Gallia eduxerit, hoc proculdubio & inſciente, & tum graviter ægrotante Rege fecit; qui poſtquam è morbo recreatus reſcivit, nihil prius habuit, quam ut Cæſaris ad ſe Legatum vocaret, ſeque non modo apud eum diligentiſſime purgaret, verum adverſus Marchianum quoque profiteretur, ſeſe, ubi rogaretur, auxilio Cæſaris ad futurum. Nec cunctatus (id quod omnibus, qui rem modo inveſtigare voluerint, ſatis conſtat) miſſo confeſtim (idque diſpoſitis equis) nuntio, Gallicum militem edicto graviſſimo revocavit, cum jam Virtonum oppidum, quod tum Marchianus oppugnabat, prope ut dederetur aut caperetur eſſet*, &c. Cæſariani *in Galliam irruperunt, & antequam Rex ſibi eſſe de bello cogitandum arbitraretur, Moſonem oppidum ad deditionem compulerunt, Macerias oppidum obſederunt*, &c. M. Freher. Tom. 3.

Ex Geſtis Pontificum Leodienſium Tom.3. cap.11. *Robertus Markanus, à fœdere, quod non ita pridem cum Brabantis pepigerat, receſſit; cujus hæc cauſa fuiſſe putatur, Markanus cum de temeratis, occaſione Domini* de Hierges, *privilegiis Bullionenſibus, ſæpe apud Cæſarem ipſiuſque Cancellariam querelam depoſuiſſet, videretque ſe oleum operamque perdere; quærendam aliunde opem ad vindicandam injuriam ratus, ſibi Galliæ Regem reconciliandum exiſtimavit. Quô haud difficulter impetrato, non ſolum fœderi renunciavit, ſed & miſſis Wormaciam, ubi Cæſar comitiis intererat, fæcialibus, ipſi bellum non minus infeliciter, quam temere indixit,* &c. Cum de eventu ex præcedentibus & Langæi Commentariis jam laudatis conſtet; eumque nonnulla fugiſſe videantur, quæ ex Archivo Sedanenſi erui poſſint, ea ad pleniorem dictorum fidem, velut in pugnum, contrahemus. A.D. 1486, Robertus Markanus cum Carolo VIII fœdus percuſſit; pactis Silvanectenſibus A.D. 1493, Maji 22, à Carolo & Maximiliano I ſcriptis inter fœderatos habitus eſt; A.D. 1496, Decemb.27, cum Philippo Archiduce pepigit. A.D. 1498, Aug.2, Lutetiæ à Ludovico XII Silvanectenſia pacta confirmata ſunt; Lancelottus Barlæmontius Hiergiarum Dynaſta, cujus ſoror Ægidia Aimeriarum Dynaſtæ nupſerat, Margaretæ Guillelmô Markanô Lumæô natæ, uxori Hiergias quas illa (quamdiu in vivis fuit) poſſedit, dotis nomine reliquit; Hiergiæ cum A.D 1510, Ioanni de Cowareſme, Langli Dynaſtæ oppignoratæ fuiſſent, judiciario ordine ipſi addictæ ſunt. Ægidiæ Lancelotti hæredis maritus Aime-

rius ejus in integrum reſtituendæ ſpe, litem Cowareſmio coram prætore Bullionenſi intendit, ab eo damnatas ad Bullonii Pares provocavit, eorum judicio depulſus Maximilianum I appellavit, qui mandatis ad Cancellarium & Concilium Brabantinum datis, ſupremum Parium Bullionenſium judicium refricari juſſit; dic Cowareſmio dicta Brabantinum tribunal declinavit, Maximilianus A.D. 1517, Aug.7, motu proprio reſciſſis Bullionenſium judiciis, totius cauſæ cognitionem Brabantinis tribuit. A.D. 1518, April.27, à fœdere Francico Markanus adnitente Erardo germano abductus Trudonopoli nova pacta, cum Carolo V tunc Hiſpaniarum Rege fecit. poſt Maximiliani I A.D. 1519, Ianu.12 denati obitum electus, Germanicum diadema ambiens Carolus, magnam pecuniæ vim Araſchotano ſponſore ab Aimerio mutuo ſumpſit, eumque, Araſchotano ſuadente, temeratiſque Bullionenſibus privilegiis, reſtituit; Markanus ſæpe apud Cæſarem de injuria queſtus fruſtra fuit; Cæſar A.D. 1520, Novembri menſe, ut Ianuarii ſequentis die ſexto, Wormaciæ ſibi præſto ſint omnes Imperii ordines jubet. A.D. 1521, Ianuarii 6, Romorantini titionis ictu Rex graviter vulneratus eſt; ipſi Feb.14, Marcanus reconciliatus, continuo poſt Cæſari ob violatum Bullonenſium privilegium bellum indicit; conſcripto clam Gallicano milite Virtonum oppugnat; revocato à Rege milite, Martii 22 obſidionem ſolvere, & ſaluti ſuæ conſulere coactus eſt. Ineunte vere Henricus Navarræ Rex nullam pacti Novioduni A.D. 1516 ſcripti rationem haberi indignatus, Andrea de Fuxo Duce, expeditionem Navarricam infelici exitu ſuſcepit; in Marcanum Gallicani militis præſidio deſtitutum irruit Henricus Naſſovius: de vicinorum concordia ſolicitus Anglus, Caleti ad Auguſti 4, conventum indicit, qui iniqua poſtulante Carolo nullo fructu ſolutus eſt, Septembri menſe Moſomagum cepit, Macerias oppugnavit Naſſovius, exinde bellum ad annum uſque 1529, duravit.

Engelbertus Marcæ Comes.

Adolfus Marcæ Comes Mariæ Clivenſis maritus. | Everardus Arembergii Dynaſta Mariæ Loſſenſis Lumæi Dominæ maritus. | Engelbertus Colon. Archiep.

Engelbertus. | Adolfus Marcæ Comes Margaretæ Iuliac. maritus. | Everardus II Mariæ Bracamontiæ Sedani Dominæ ac exinde Agnetis Dominæ Rupis fortis maritus.

1 *nupt.* Ioannes Agnetis Vernemburgicæ marit. | 2 *nupt.* Ludovicus Rupis fortis Dynaſta.

Everardus III Arembergii Comes. | Robertus I, Bullionii Dux, Sedani Dynaſta, Ioannæ de Marley, Saliceti Dominæ maritus. | Guillelmus Lumæi Dynaſta.

Robertus II Catharinæ Croiæ maritus, qui Cæſari bellum indixit. | Erardus Leodii Epiſcopus, qui fratris ſpolia retulit. | Guillelmus Agimontis Dynaſta Renatæ *du Fau* maritus prior. | Margareta Lanceloti Barlaimontii Hiergiarum Domini, Ægidiæ, (quæ Aimeriarum Dynaſtæ nupſit) germani uxor.

Robertus III Guillelmæ Sarapontanæ marit. qui Peronam propugnavit. | Renata Amedei Sarapontani Guillelmæ germani uxor.

Rurſus ex Apologetico. *Ego facile patior id accuſatorem objicere, quod ego defenſor poſſim ſine periculo confiteri, & quod accuſatus nunquam neque criminoſum, neque diſſimulandum eſſe vobis judicavit; acceperunt item & miſerunt*

ipſi

ipſi etiam Cæſar & Ferdinandus, ut mirum ſit, quod licere ſibi putant, cur in alio reprehendi velint: Neque vero illi Legatos acceperunt tantummodo, verum etiam munitiſſimas in Peloponneſo urbes, quæ ut Chriſtum liberius profiteri poſſent, ſeſe ultro Cæſari dediderant, ipſi iidem Solimanno Turcarum Regi ut aliquam ab eo bonam inirent gratiam tradiderunt, aut potius prodiderunt, &c. *Dico Solimannum ut Chriſtianiſſimum Regem aliquo ſibi demereretur beneficio, atque pacem eo facilius impetraret, ſuppetias ei & captivo & mox obſidibus datis filiis liberato, etiam atque etiam obtuliſſe, ita ut neminem unquam Rex infeſtiorem ſibi habuiſſe videatur Cæſare conſanguineo ſuo & cognato. Illud vero contenderim tam eſſe Regi glorioſum, quod in tantis rerum difficultatibus tam ſæpe conſtitutus, alienorum à religione auxilia non admiſit, quam eſt alteri cuidam (cujus ego nomini parco) ignominioſum ſtudioſe ambiviſſe, nec ut ſe in clientelam ille acciperet impetraſſe, quin potius ab illo magnifice deſpectum fuiſſe ac rejectum,* &c. *Cum memoria ipſe repeto, Cæſarem ſupra redemptionis pretium immanius, quam quô ante Francorum Reges ſe ab hoſtibus Saracenis redemerint, ampliſſimis Regem patrimoniis ſpoliaſſe, ornamentis regni*[2] *quamplurimis mulctaviſſe, atque alias conditiones adjeciſſe, partim quæ ignominioſæ ſint, partim quas ipſe Rex præſtare nec ſi debeat poſſit, nec ſi poſſit debeat, quaſque nemo ſimul ac intellexit, non iniquas, ut revera ſunt, judicavit; ego eum humaniter fuiſſe tractatum nego,* &c. *Iam erga Regis liberos ut ſe geſſerit, intellige. Optimates viros & matronas aliquot nobiles, qui*[3] *formandæ ac dirigendæ illorum ætati traditi erant, atque ipſum etiam eorum pædagogum, à quo literis inſtituebantur, procul ab illis amandavit; cæteros omnes minoris auctoritatis miniſtros, & in iis pleroſque non ignobiles, quibuſcum in Hiſpaniam accepta fide publica venerant, à famulatu illorum per vim atque injuriam abſtractos, contraque jus gentium ferreis compedibus & catenis vinctos in triremium ſuarum dedit remigia; audio etiam minimum abfuiſſe, quin pumilionem abſtraherent, quem unicum apud illos Gallum hominem reliquerunt, eum (uti fertur) quod vix cubitalem excederet altitudinem, remo trahendo imparem fore arbitrantes. Eos cum in triremibus duriſſima quæque & indigniſſima diu paſſos, ſaltem pretio pro Dominorum ſuorum liberatione perſoluto, una liberari decuiſſet, idque ut fieret cautum fuiſſet ex fœderis formula; tamen rogatus Cæſar, & per nobilem virum ejus rei cauſa illuc à Rege miſſum appellatus, non dimiſit; neque aliud cauſatus interim eſſe dicitur, quam triremes ſuas, ſi tum eos dimiſiſſet, ab remigum penuria adduci poſſe in periculum: quaſi vero non honeſtius fuiſſet mercenarios conducere, quam hanc ipſis tam inſignem injuriam facere. Verum eæ triremes, quibus miſeri illi, non ut Regiorum liberorum miniſtros decuit, ſed ut noxæ dedititii, tranſtris alligati tenebantur, à piratis Mauris captæ ſunt, & illi ipſi ex Chriſtianorum vinculis in Maurorum inciderunt manus, apud quos fœde quidam perierunt, quidam adhuc miſerabiliorem morte vitam trahunt, procul à parentum ab uxorum, à liberorum ſuorum complexibus; quibus felicius cecidit, ii Tunete oppido à Cæſare capto, ſeſe in Galliam ſemivivi, atque ſtipem emendicantes receperant, ne quadrante quidem à Cæſare (cujus per injuriam tam indigna paſſi erant) quo ſe domum reciperet ſublevati. Hæc eſt illa, quam adeo magnifice Cæſariani jactant, Cæſaris humanitas.*

Coronam, Pylon, Methonem, Naupliam.

[1] Neapoli Mediolano. Aſta. Genua.

[2] ſupremo in Flandriam & Attrebates jure.

[3] alter octennis alter ſeptennis erat.

abducti in Hiſpaniam A.D. 1526, Martii 18, Tunete A.D. 1535, æſtate capta liberati.

Ex tertio Apologetico A.D. 1544, Martii 5 à Ioanne Card. Bellajo ſcripto. *Cœpit Cæſar à Rege ea re* (cæde Legati) *graviter commoto, omni ratione, precibus*

precibus omnibus, omnibus pollicitationibus contendere (cauſam Reip. ſuis precibus prætexens) ut ſceleri ultionem in ſuum ex Africa reditum, quò ſe comparabat, differret; & ita contendit ut impetraret, &c. *ſed* poſt ſecundam Legatorum A.D. 1541 cædem, *expoſtulare Rex primum debuit, ſed admonere, ſed tentare potius omnia quam ad arma decurrere. Ille vero non admonuit? non expoſtulavit? Teſtis eſt hæc ipſa Germania, in qua agentem id temporis Cæſarem Franciſcus aliquando, tum ſuis promiſſis, tum loci genio ac religione adductum exiſtimavit, animum adjecturum fuiſſe ad facti animadverſionem: & credo adjeciſſet vel ſuâ ſponte, vel veſtris impulſus conſiliis, niſi abeuntem de ſinu veſtro Italia excepiſſet, provincia & multiplici ingenio cum varietate abundans, & in qua plurimum poterant ii, qui exiſtimabantur ab eo ſcelere, cujus quærebatur ultio, non eſſe alieni. Vbi Italiam Cæſar attigit, num Franciſcum ceſſaſſe putetis? num cœpta poſtulatione deſtitiſſe? At perſtitit, appellavit, urſit; neque unquam obteſtari, rogare, hortari deſiit, nunc per communes amicos, nunc per Legatos & homines certos, qui apud ipſum tanquam obſignatis tabulis agerent, futuros rerum motus, ingruere bella, niſi ſatisfactum eſſet demonſtrarent; qui Paulum Pont. Max. appellarent, qui jus hac in re ſuum apud præſentem Cæſarem tueretur, cum prius motor reconciliandæ gratiæ & paciſcendarum induciarum fuiſſet. Quid quod cum ſimulac ipſos Lucam conveniſſe audivit, diſerte iiſdem denunciavit, niſi brevi de interfectis Legatis & violato jure gentium ſibi ſatiſfactum eſſet, aut in culpa auctores animadverſum, ſeſe pacta irrita, violatas inducias ex eo tempore habiturum? Hoc erat amico inſidiari? hoc velle virum maximum, ſuum neceſſarium, nec opinantem aggredi? Cogitate, quæſo, apud animos veſtros, viri ampliſſimi, atque ante oculos vobis hoc proponite, ſi ea mens fuiſſet Francorum Regi, ſi ea voluntas, Cæſarem incautum, implicatum, irretitum opprimere (quod iſti eum voluiſſe faciunt) quando unquam facilius potuerit, quam tum, cum trajecit in Africam, eo fortunarum ſuarum diſcrimine, ut aliquando in Gallia, in Italia, in hac ipſa Germania apud pleroſque omnes, vel pro profligato, vel pro naufrago, (ut certe erat * naufragium paſſus) vel etiam pro extincto haberetur?* &c. *Igitur (ut uno tandem verbo abſolvam) quamdiu abeſſe Cæſar dictus eſt Reip. cauſa, vel quamdiu aliquid fuit ſpei purgandæ (abſque perturbatione rerum) ignominiæ, quievit Rex, nec quicquam interea vel movit, vel â ſuis moveri eſt paſſus; tametſi in hoſtem imparatum, impeditum, fortaſſe etiam exhauſtum, ipſe à viris, ab armis, à machinis, à pecunia, quantum antea nunquam fuerat, paratus & inſtructus eſſet;* &c. *Negamus Franciſco Francorum Regi cum Solimanno fœdus ullum intercedere, interceſſiſſeve, præter vulgare illud commerciorum & quietis publicæ ergo; quale Venetis, Polonis, & aliis quibuſdam Chriſtiani nominis gentibus eſſe omnes ſcimus, vel quale à quibuſdam maximis & præclariſſimis hoc tempore viris appetitum, nec impetratum eſſe audimus; neque ſatis perſpicimus, quid in eo aut à vobis, aut ab ullo mortalium improbari debeat: ſi fœdus ſancivimus eorum exemplo, quos probatis maxime: ſi in eo ſanciendô nemini nocuimus, ſed contra, vel adverſariorum, certe ipſorum rogatu, nonnullis profuimus; ſi nihil clam, ſed palam, ſed in luce hominum; ſi nihil precario fecimus, quod ad ineundum ſimus non ſemel invitati, fortaſſis etiam (ut mox dicemus) coacti; ſi viris in Rep. principibus, neque reclamantibus, cum præmonerentur, neque invitis, ſed omnibus approbantibus, pleriſque etiam ſuadentibus,* &c. *nec ad rem mediocriter pertinet, intelligere vos, nihil*

* A.D. 1541, Octob. 26.

nihil in cauſa hac omni Turcicâ, Regem Chriſtianiſſimum molitum eſſe unquam, nihil geſſiſſe, nihil tractaſſe, cujus antequam quicquam vel gereret, vel moliretur, vel tractaret, aut frequenter hoſce ampliſſimos ſacri Imperii Ordines non admoneret, aut ſententiam communiter ſuam, ſingulatim autem iis ad quos aditus ſuis Legatis patuerit, non diligentiſſime atque amiciſſime aperiret. Extant credo per univerſam Germaniam (ut multum ſuppreſſa ſint) non unarum adipſos Imperii ordines exempla literarum, quarum in quibuſdam demonſtrabat, ut Solimannus fœdus, ut amicitiam, ut opem ſibi ultro detuliſſet; cum eſſent, qui eandem magnis oblatis conditionibus ambirent, ejuſque vellent in clientelâ, &c. *Scitis, opinor, quantus noſter terreſtris exercitus annô ſuperiore agrum Ruſcinonenſem ad maris Hiſpanici oram ingreſſus ſit, utque ibi Perpinianum obſederit; quod re infectâ domum redierit, omnes exiſtimant in cauſa fuiſſe vires Cæſaris maritimas, quibus noſtra claſſis erat inferior. Si de Ænobarbo Rex cogitaverat, ſi accerſere voluerat, quando potius accerſere debuit, quam illo tam neceſſario tempore, quô per eum maris imperium hoſti adimere potuit? at conſtat tunc non fuiſſe: Dicat aliquis non accerſiſſe ſane, ſed ut eo anno veniret, efficere non potuiſſe. Quid tam ſit ridiculum? Nam ſi in annum ſequentem exſpectabatur, quod ſciri oportebat, non Regem putatis in eundem quoque annum illos Ruſcinonenſes conatus dilaturum fuiſſe?* &c. *illud commendandum quod quacunque navigavit Ænobarbus, factum eſt Paulini diligentia atque fide (qui ad iſtius apparatus famam id erat curare juſſus) ut quæcunque littora, quaſcunque oras ille attingeret, dempto tantum hoſticô, manibus ab omnibus abſtineret,* &c. *Nos ut maledictum, quod in nos hoc nomine confertur, adverſariis concedamus, minus tamen veſtris Imperatoribus ferimus. Inducias cum Solimanno, honeſtas tamen, & nemini pernicioſas, à viris maximis ambitas, bona veſtra venia, qui ſæpe à nobis ſententias (ut ita dicam) rogati non improbaveritis, pacti ſumus; eidem adverſum hoſtem communem noſtrum bellum gerenti copias noſtras quaſdam, & triremes paucas ad menſes aliquot, tum in noſtri patrimonii vindicationem, tum ut hac via Reip. caveretur, adjunximus,* &c.

Ex Regis epiſtola ad Papam, Cardinalium collegium & Legatos Principum A.D. 1536 ſcripta. *At hoc magis miror, non fuiſſe hoc loci à Cæſare prætermiſſum (de quô ego quam honeſte queri poſſit, non video) aliquot videlicet ejus ex ditione bellô à meis captos homines, diutius fuiſſe in triremibus aſſervatos; ſimul enim meminiſſe illum oportuit, quam indigne meos triremium ſuarum addixiſſet remigiis, præter æquum & honeſtum, ac per ſummam injuriam à liberorum meorum obſidum famulatu, comitatuque vi abſtractos; ſimul ſuos cum fateatur ipſe Cæſar ſtatim meis à ſe miſſis per me quoque fuiſſe liberatos, ignorare non potuit à ſeipſis moram fuiſſe, quo minus ipſe ſuos quoque maturius ex me reciperet,* &c. *Si mihi aliquot inſignes ex Italica nobilitate viri mereant, haud video quem ad modum Cæſar initorum in ſe conſiliorum aut violatorum fœderum inſimulare me hoc obtentu poſſit, qui ſi voluerit, dum tam creber eſt in commemoranda libertate Italiæ per ſe reſtituta, hoc interim Italicæ nobilitati jugum imponere, ut ab eo cum receſſerint, nulli hominum dare nomen audeant; hoc certe fuerit libertatem eorum ſimulatione propugnationis expugnare, ac reipſâ ſervitutem ementito nomine libertatis imponere,* &c. *Ego retinendæ pacis tam ſum & fui ſtudioſus, ut etiam ſuperiori tempore, quô nec mihi Cæſar, nec liberis meis Mediolani Principatum reſtituit, nihil adverſus eum molitus ſim, imo quo*

 tempore

tempore Turcicos exercitus in Auſtriam movit; non modo à bello quievi, ſed copias etiam meas obtuli. Et cum Cæſar expeditionem adornaret in Africam, ego, ut ipſe voluit, cum omnibus pacem colui, & quod facere tum poteram, minore quam nunc, obtinente Italiam Cæſare, impendio meo & periculo, à repetendis & recuperandis meis abſtinui; quâ in re tuam in primis conſcientiam Paule Pont. Max. implorare mihi libet, &c. *Quamobrem Beatiſſime Pater, voſque ampliſſimi Cardinales, & clariſſimi Legati, eâ omnibus notâ patientiâ, qua mihi factas injurias hujuſque tuli, hæreditaria mea & meorum filiorum bona, tot jam annos me ferente per alios occupata, interdictum, ne quid mei, quod in re, aut poſſeſſione Cæſaris eſſet attingerent; copiarum mearum à Vercellis de medio quaſi jam deſponſæ ac deſtinatæ victoriæ curſu, revocatio; & ſtativis in caſtris, ne quid tumultus excitaretur collocatio, conſtituendæ pacis ampliſſima & libera facultas Cardinali Lotharingio permiſſa; uſusfructus, de quô memini, ceſſio, ſatis declarant, pacene, an bello recuperare noſtra maluerim,* &c. *hoc video, quod ſatis mirari non poſſum, cæterorum factum, qui & ipſi armis in Sabaudienſis bona invaſerint, à Cæſare non reprehendi, duntaxat reprehendi meam, qui cum illo ſim maximis vinculis & propinquitatis & neceſſitudinis conjunctus; neque vindicare quicquam, in quô perſpicuum jus & clarius ipſa luce non habeam, voluerim; neque niſi rite repetitis rebus arma ceperim. Atque adeo, Beatiſſime Pater, paratus ſum Sanctitati tuæ (ſi hoc ita libuerit) rationes omnes meas ex tabulis authenticis comprobare, ut quæcunque dixerim, nihil omnino diſcrepare à vero intelligas,* &c.

Ex Caroli ipſius Cæſaris ad Imperii ordines Oratione, Ratisbonæ A.D. 1546, Iunii 9 habita, & à Ioanne Sleidano Commentariorum lib. 17 in compendium redactâ; *Deliberationem de inferendo Turcis bellô, in hoc tempus eſſe rejectam; ſed anno ſuperiori Galliæ Regem ſibi nunciaſſe, de induciis impetrandis eſſe ſpem, ad eamque rem procurandam ſuum ſtudium & operam eſſe pollicitum: & quia non ita pridem auxilia ſibi dederint Ordines, annona quoque multis in locis non reſpondeat expectationi, viſum ſibi fuiſſe Germaniam eſſe nonnihil recreandam, ut (cum opus erit) tolerare ſumptum poſſit, itaque per interceſſionem Galliæ Regis egiſſe cum Turca, & unius anni pactas eſſe inducias.* Aſperius eô, ejuſque miniſtris nemo, in Franciſco cum Solimanno anno circiter 1536 initum fœdus, quod perfidioſam adverſus Chriſtianam Remp. conjurationem, ex impotentis odii genio, interpretabantur, invectus antehac fuerat; ſimul ac id in ſuum commodum vertendi, & Franci piis officiis, in Germanicæ libertatis, imo Gallici regni perniciem, abutendi, occaſionem evidentem nactus eſt, eam avidius, ſuique quodammodo oblitus arripuit; nec exemplo ſuo confirmare dubitavit, quod ante biennium Card. Bellajus Regio nomine notaverat, fœdere Turcico *nemini nocuimus, ſed contra, vel adverſariorum certe ipſorum rogatu, nonnullis profuimus.* Profuerit etiam, non tam Francis, quibus *nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa* ſatis eſt, quam Chriſtiano orbi ex monimentorum ante annos centum editorum, & univerſis (ſi advetere dignarentur) obviorum ἀναντιῤῥήτῳ fide, quicquid calumniarum, in Regem optimum, Patrum memoria, Orcus evomuit, & cæcus Zypæorum furor ab annis aliquot incautis impudenter apponendum recoxit, revinci, eoque unde infeliciter prodierat detrudi rurſus poſſe. Re enim vera, fidei datæ & legitimorum fœderum obſervantiſſimus Franciſcus, nulli vim

intulit

intulit prior, arma nunquam niſi laceſſitus corripuit, Turcico fœderi niſi tuendi à Deo commiſſi regni, & aliis (etiam infenſioribus) *proficiendi* cauſa non conſenſit; quibus ſi bona fide à Solimanno *inducias impetravit*, iique *bonum factum* in celeberrimo Europæ theatro prædicarunt; quatriduo poſt, quô ſine Francicam opem poſtulaſſent eventus, manifeſtum fecit. *Cum* (inquit Sleidanus) *belligerare Cæſar omnino conſtituiſſet, nona die Iunii Tridentini Cardinalem celerrimo curſu Romam mittit, cum mandatis ad Pontificem auxilia promiſſa conquirendi cauſa. Biduo poſt Centuriones omnes, Tribunos, atque Duces cum pecunia dimittit, ut è veſtigio delectus habeant*, &c. Iulii ſequentis 10, à Suevis periculo impendenti occurrendum putantibus, belli initium factum: ex eoque Cæſari inducias roganti, non Germaniæ (in cujus viſceribus horrendum & ruinam late editurum incendium excitabat) *pacem*, ſed *ſervitutem* cordi fuiſſe, ut in ſua vulnera converſis veteribus Francorum amicis, per eoſdem calcatos in Francos ipſos, qui ſecurum à Turcis præſtiterant, toto impetu audentior pergeret.

Henrici II *bona fides.*

INdigniſſimis (tantiſperdum viveret) calumniis proſciſſum Franciſci Regis nomen evicimus; quâ rabie in Henricô filiô genuinum infigere conati ſint Hiſpanicæ cauſæ patroni deinceps ex Zypæo audiamus. *Henricus* (inquit) *rebus ab Imperatore in Germaniâ feliciter compoſitis, Duci Parmæ ad rebellionem miſit auxilia, Tripolim Mauritaniæ civitatem, junctis cum Draguto viribus, nec indictô quidem bello cepit; onerarias Belgarum ex Aquitaniâ in Hiſpaniam pacis fiducia tendentes abduxit, ſæviitque exinde palam ubique bellum: quod demum ſecutæ induciæ Nonis Februarii* 1556 *in quinquennium: Eas Francus annô ſequenti infregit, miſſis in Italiam copiis, interpretatus pro Belgis tantum pactas inducias, quas & paulo poſt ibi infregit, Duacum inſidiis tentans; poſt hac pax Cambreſienſis* 1559. Reſp. Bifidô criminatoris telo temere petitum Henrici caput protecturis, quæ ante, quæ poſt inducias apud Vallis cellas pactas evenerint, diſtincte ac ſigillatim trutinanda & ab inutilibus, falſis, abſurdis ſedulo ſecernenda veniunt. *feliciterne* an infeliciter *res in Germania* Carolus V geſſerit, ad cauſam nihil prorſus eſt; confectum noven menſium ſpatio bellum maximum edomitam (quod ante minatus erat) Germaniam, everſas fœderatorum contra ſtantium fortunas, omnia ab eo per quinquennium pro arbitrio *in Germania* decreta fatemur: *res* vel Germaniæ, vel Auſtriacis ſuis *feliciter compoſitas*, imo ullô modô *compoſitas*, eventu contrarium probante abſolute negamus; qui enim A.D. 1546 Saxone Aprilis 24 profligato, & cum Lantgravio mancipato, apices omnes dignitatum (ſummorum papaverum inſtar) decuſſiſſe, & ad pedes triumphales dejeciſſe videbatur, annô 1552, Maji 22, *noctu, maxima celeritate, tumultuarie Oeniponte cum Ferdinandô fratre, qui perſuadendæ pacis causâ nuper eo venerat, diſceſſiſſe per Alpes qua Tridentum itur, Villacum, quod eſt in Carnis oppidum ad Dravum flumen, ſeſe recipere*, & Iulii 31, quibus Mauricius elector voluit, ſed quas *nihil iniqui habere interceſſores judicabant*, conditionibus paciſci coactus, ac ſuo modo in ordinem redactus, quod *rerum*, quæ tam cito, tantâ facilitate (ſolo æqui bonique ut pax tuta ſanciretur intuitu) everſæ ſunt, *feliciter compoſitarum* indicium

[Margin: ab A.D. 1546, Iul. 10. ad 1547, April. 24.]

[Margin: Sleid. lib. 24.]

cium eſſe nemo, qui ſecum habitet, dixerit. Dux Parmæ, cujus patri anno 1547, Sept. 10 proditorie confoſſo, ex patrimonio Eccleſiaſtico à Paulo III Papa parente, hæreditario jure poſſidenda ditio A.D. 1545 tradita fuerat; ex quo (peracta miſeri cæde) Ferdinandi Gonzagæ Cæſaris Legati inſidiis, avulſa & præſidio munita Placentia fuerat, *Dux* (inquam) *Parmæ*, nec *rebellavit*, nec *rebellare*, ſed ſemet adverſus iniquam vim tueri in animo habuit; nec ei *ad rebellionem*, ſed ad tutelam inculpatam *auxilia miſit*, ab anno 1534, Paulo III totique familiæ Farneſianæ fœderatus Francus; nec auxiliorum ſummiſſione, afflictæque præter meritum gentis patrocinio, vel in Iulium III Papam, qui Parmam ei anno 1550 reſtitutam, paulo poſt nihil demerito (prout anno vertente reconciliatus agnovit) ereptam voluerat, vel in Cæſarem Ducis ſocerum, ſed iniquiorem, cuique nullum in Parmam, & Placentiam jus erat, peccavit: jam anno 1544 pactorum Criſpiacenſium capite 53, Paulum III ut fœderatum nominaverat Franciſcus; anno vero 1547, *Legatum Pontifex miſerat in Galliam Hieronymum Romanum Cardinalem cum ampliſſima poteſtate largiendi, multa quæ ſunt & legibus & Concilii Decretis interdicta. Galliæ Rex* Henricus nondum conſecratus, *filiolam ſuam notham* Dianam, *circiter novem annorum puellam, Horatio Farneſio Pontificis ex filio* (adhuc vivo) *nepoti ſponderat, majoris neceſſitudinis ineundæ cauſa,* Horatiique natu majorem germanum, *ſeſe* poſt patris cædem *velut in tutelam dantem conchyliati torquis honore ornaverat.* ab anno 1547 Septembris 10, quo Petrus Aloiſius cæſus eſt, ad 1549 Novemb. 10, qui vitæ ultimus fuit, Parmam ſibi, ſuis impenſis, Camillo Vrſino poſt Sanflorianum Præſide, adverſus clandeſtina Gonzagæ, & Cæſarianorum machinamenta retinuerat Paulus: eoque jam denato *Alexander* Farneſius *Card. literas Senatus nomine impetraverat, ad Camillum ſcriptas, quibus Parmam Octavio tradere jubebatur,* prout *ante Antonium Delium Polæ Epiſcopum cum diplomate, quaſi à moriente ſcriptô miſerat*; Electus A.D. 1550 Feb. 8 Iulius III, *ſtatim Pontificatus initiô ut ſe gratum erga Farneſios oſtenderet, Parmâm, uti receperat, Octavio reſtituerat, cumque eam non niſi præſidio teneri poſſe cenſeret, in eam rem initiô pecuniam libenter contulerat*; ſed paulo poſt (ſpretâ Regis, per Paulum Thermum Legatum, & Coſmi Ducis interceſſione) à Cæſarianis, & Ioanne Baptiſta Balduini fratris filio, prenſatus mutavit: Cum igitur Gonzaga, qui *ſicarios* à ſe ſubornatos *comprehenſos* dolebat, *quominus ad victum neceſſaria in urbem comportarentur, omnem trans Tarum regionem infeſto milite occuparet*; Papa *ſumptûs pertæſus amplius pecuniam in præſidium conferre recuſaret*; Octavio ipſi *per M. Antonium Vectorium* à Coſmi Legato *introductum, ad pedes provoluto & opem contra vim injuſtam imploranti, reſpondiſſet ſuas res non ferre, ut diutius ſublevandæ ſupplicis fortunæ commodare poſſet, ac licere per ſe, ut quod ipſi expedire videretur, id faceret*; is *liberum ſibi exiſtimans cum bona Pontificis gratia in clientelam, cujus vellet, Principis fortunas ſuas committere*, cum Rege veteri gentis amico, & Horatii germani ſocero, A.D. 1551, Maji 28 hac conditione pepigit, *ut nullum Pontifici, ſedive Rom. præjudictum fieret:* qui ſe perpetuo Iulii clientem faſſus, *ut in bonam partem*, quod urgente neceſſitate egerat, *acciperet* demiſſe *rogavit*, jura ejus univerſa illibata ſervavit, de ſola Parmæ, jam ejus beneficio reſtitutæ, innoxia poſſeſſione cogitavit, hoc uno fine ſe Regio patrocinio munivit; quis ſanus, & ex animo loquens, *rebellionis* accuſet?

Sleid. lib. 19.
Thuan. lib. 4.
lib. 6.
Sleid. lib. 22.
Thuan. lib. 8.

accuſet? Cæſari ſocero, qui Placentiam non ſuam ab anno 1547 occupaverat, qui Parmæ æque alienæ totus inhiabat, cui ipſe feudi jure obnoxius non erat, quem iniquiſſimum præter meritum experiebatur, *rebellare* non potuit, injuriam notôriam inferenti obniti jure potuit: potuit Henricus, Criſpiacenſis pacis vi, Pauli III fœderati poſteros, Romanæ ſedis clientes, in quos Cæſaris nullum jus erat, armata (ne quid eorum res detrimenti caperent) manu tueri, præſenti periculo eripere, eorum perniciem indignis modis molientem ſumma vi oppugnare: Eccleſiæ Romanæ feuda indignis artibus invadere, Pauli III (cujus copiis annô præcedente ſtipatus Germaniam ſubegerat) optime meritum nepotem, filiæ maritum, & perpetuum cultorem fortunis evertere ſine crimine Cæſar nequaquam potuit; nec ipſe procedente tempore contrario facto culpam eluere dubitavit, qui *ne pacis, quam ſe colere dicebat Rex, violator extitiſſe videretur*, ſed *omnem de Parmâ retinenda ſuſpicionem amoveret, privatô ſcriptô de Parma, ſi quô caſu in ſuas manus veniret, finito bello Pontifici reſtituenda fidem obligaverat*; annô enim 1556 ineunte, cum Octavio in gratiam rediit, reſtitutâ (quam ab anno 1547 tenuerat) Placentia, cujus (ut & Parmæ) dominium ſibi exinde, tanquam Romanæ ſedis, non Imperii, clientes, Alexander, Ranucius, Eduardus uſque nunc ſuperſtes, vindicarunt. ut vel ex hoſtium ipſorum confeſſione, nulla à Rege injuria Cæſarem affectum; nihil ab eo Octavium propugnante in fœdus admiſſum, vel ipſis lippis manifeſtum ſit, meminerit Lector Gonzagam Parmæ & Mirandulæ Franci tutelæ commiſſarum oppugnatorem, Thermo, vim ab illa propulſanti, *reſpondiſſe nihil agere Cæſarem, quod non ipſi ſalvo fœdere, quod cum Rege icerit liceat; eo enim Pontificem comprehendi, quem & ſedem Rom. ab injuria tueri teneatur*, id enim pro ſe regerere Franco promptum fuit: ſi Iulius III, quo tempore fœdus ictum eſt nondum Papa, eo *comprehendi* à Cæſare potuit, quanto magis Paulus III tunc & ultra quinquennium ſuperſtes, cum nepotibus in Francicum ſinum recumbentibus *comprehendi* ab Henrico debuerit? Si Columnios adverſus Paulum IV in ſpiritualibus patrem, in temporalibus Dominum, A.D. 1556 rebellantes, eique bellum inferre auſos, Carolus V (ob Siciliam utramque, Aragoniam, &c. ejuſdem Papæ Vaſallus) armata manu tueri potuit; quanto juſtius Octavium Pauli III (cui ſua omnia Iulius III debebat) nepotem, nihil demeritum, inculpata tutela adverſus patris homicidas, ſicarios in ejus caput ſubornantes, attributoque à Iulio III dominio inhiantes utentem, A.D. 1551 patrocinio ſuo Henricus II fovere potuerit?

cap. 53.

Thuan. lib. 17.

lib. 8.

Primum Zypæi in Henricum impetum brutum fuiſſe ad oculum (ut ſpero) demonſtratum cum ſit, à ſecundô qui (in ſomnis cum larvis luctantis angor videri jure poſſit) cauſæ Regiæ timendum nihil prorſus eſſe mox conſtabit: *Tripolim*, inquit, *Mauritaniæ civitatem, junctis cum Draguto viribus, nec indicto quidem bello cepit*; nos contra univerſa & ſingula iſta totidem ægri ſomnia eſſe contendimus. Nam 1, *Tripolis Mauritaniæ* nec erat, quando capta eſt, nec ante unquam fuerat. Quo tempore capta eſt, Africa, Europæ & Mediterraneo mari contermina in quinque præcipuas ditiones dividebatur, regna nimirum Feſſæ & Marochi per Mauritaniam Tingitanam porrecta; regnum Tremezeni, cujus caput *Argier*, Iulia Cæſarea olim dicta; regnum Tunetanum, in quo Tripolis: regnum Ægyptiacum, à Cyrenaica ora ad mare rubrum & Palæſtinam protenſum. Ea vero ſub Imperio Romano

 diverſi-

diverſimode diſtributa fuit, cum pars ejus maxime Orientalis, à mari rubro & Palæſtina ad Philænorum aras, Ægyptiacam diœceſim ad Imperium Orientale pertinentem conſtituerit; maxime Occidentalis, Mauritania nimirum Tingitana, ab Oceano Atlantico, & freto, ad Malvanam fluvium pertingens, Hiſpanicæ diœceſi tributa, præfecto prætorio Galliarum paruerit; media à Proconſule & Vicario Africæ, ſub Præfecto Prætorio Italiæ, adminiſtrata, ſex provincias complexa fuerit, Mauritanias Cæſarienſem & Sitifenſem à Malvana ad Ampſagam; Numidiam ab Ampſaga ad Tuſcam: Africam proprie dictam, ſeu proconſularem & Zeugitanam, in qua Tunis & Carthago; Byzacium, ad Syrtim uſque minorem protenſum; Tripolitanam denique provinciam cujus Orientalis in Philænorum aris terminus, Oeâ, Lepti magnâ, Girbâ, Tacape, & Sabrata Epiſcopatibus claram. 2 non proprie Draguti, ſed Sinanis, ſub quo Dragutus militabat, auſpiciis *capta* eſt. Thuan. lib. 17. 3 nullas, ſive *cum Draguto,* ſive cum Sinane ad eam capiendam *vires junxit,* multo minus eam, ſive *indicto,* ſive *non indicto bello, cepit* Rex; cujus claſſis ne portubus toto infelicis illius expeditionis tempore educta eſt; Legatus vero Gabriël Aramontius, qui Conſtantinopoli miſſus *Melitam venerat*, Ioannis Omedis Hiſpani, Hieroſolymitani ordinis Principis rogatu, Tripolim profectus, *Chriſtianiſſimi Principis auctoritatem interpoſuit, formidandumque à periclitantium obſeſſorum cervicibus hoſtem depellere*, bona fide, ſummo conatu annixus eſt. Quid diabolicæ furiatarum mentium ingratitudinini dignum imprecemur, qui Chriſtiana noſtrorum, iiſdem impenſa, & ab iis æternum prædicanda officia, non modo negant, ſed maledictorum plauſtris, ne in hominum à partium ſtudiis alienorum oculos incurrant, obruenda putant? Sed veritati à calumnia appetitæ nunquam defuere, vel ex hoſtibus, teſtes. *Cum Rex indigne ferret haud occultis Cæſarianorum vocibus Gallornm nomen invidioſe proſcindi, quaſi eorum atque adeo Aramontii ipſius operâ factum eſſet, ut Tripolis in Turcarum poteſtatem deveniſſet; ad ordinis Hieroſolymitani Principem pridie Kal. Octobris dat literas, eaſq; Bellojo nobili viro è domeſticis perferendas committit, quibus de rumore ſparſo conquerebatur, & petebat, ut ſiquidem Aramontius, eorum quæ contra eum divulgabantur reus eſſet, per ipſum tanquam melius ac certius de ea re inſtructum certior fieret, ut eum pro criminis magnitudine debita pœna afficeret; ſin innocens eſſet, ex ipſius teſtimonio publice de veritate apud exteras nationes conſtaret, quibus ab ordinis Magiſtrô reſcriptum* 15 *Kal. Decemb. in hæc verba*; ad ea quæ M.V. à nobis flagitat, quo ejus deſiderio & imperio, quantum in nobis eſt, ſatisfiat, reſpondemus ac dicimus, Kal. Sextil. ultimis Aramontium huc appuliſſe cum duabus triremibus & minore triremе; qui poſtquam à nobis pro merito convenienter exceptus, mandata ſua expoſuit, nimirum ut Conſtantinopolim proficiſcens in itinere nos adiret, ac veſtro nomine operam ſuam prolixe nobis deferret; à nobis rogatus eſt, ut Tripolim diverteret, & operam daret, ut Turcas ab obſidione illa, ſi forte nondum cœpta eſſet, averteret; aut ſi jam arx obſeſſa eſſet, Turcis, ut ab obſidione diſcederent, omni ratione perſuaderet: onus vero in ſe libenti animô ſuſcepiſſe Aramontium, eo cum celoce noſtra profectum, ſed cum nihil impetrare ab obſtinatis Turcis potuiſſet, re infecta ad nos rediiſſe, ac publice in conſeſſu ordinis teſtatum eſſe, quantô cum ſuô dolore accidiſſet, ut Tripolis amiſſa eſſet, quô in negotiô, nullum officium prætermiſiſſet, ut

ordini eâ in re noſtro gratificaretur, hoc enim à V.M. enixe ac religioſe ſibi injunctum. Præterea ut quorum culpa & clades accepta eſſet, certo cunctis conſtaret, undique probationes collegimus, & inquiſitione diligenti ſuper ea re habita, nihil comperimus, quô Aramòntium cladi cauſſam dediſſe, aut deditionis auctorem fuiſſe credi debeat. Quinimo ex equitibus captivis, poſtquam ad nos ipſius triremibus vecti rediere, didicimus eum non ſolum omni culpa vacare, ſed multis beneficiis totum ordinem ſibi devinxiſſe; ac proinde non recte, nec ſecundum rationem factum exiſtimamus, ut is rumor ſparſus ſit. *Eas literas, quarum, exemplum penes me habeo poſtea Rex per oratores ſuos paſſim publicari juſſit, quâ publicatione complexis Cæſarianorum querelis ac rumoribus, evulgata in Gallici nominis invidiam fama pariter conquievit.* Hucuſque Thuanus. Sed alia ante annos fere centum in Germania ipſa publici juris facta ſunt, ex quibus non modô purgatum, ſed in eorum qui diſſeminatum gaudebant, caput retortum, impactum Francis immerentibus crimen fuiſſe liquido appareat. *Turcica claſſis* (inquit Sleidanus) *cum arcem Melitæ fruſtra tentaſſet, Tripolim Africæ capit. Ejus autem rei culpam Cæſar in Galliæ Regem conferens, ipſius dolô factum eſſe dicebat, ad Germaniæ Principes atque Civitates miſſa legatione; Rex vero ſimulac reſcivit, excuſat, & Turcici belli cauſam eſſe dicit, quod Africam urbem Cæſar ipſis non reſtituat, ex promiſſo; quod Zolnocum arcem ad Hungariæ fines poſitam, Turcicæ ditionis, Ferdinandus Rex occuparit & muniat: quod tributum annuum ei perſolvere recuſet; ac per Tranſſylvaniam res novas moliatur. Deinde narrationem Cæſaris, quâ demonſtratur, quomodo Gallici Legati Aremontii perfidia ſit amiſſa Tripolis, contraria narratione refutat, eamque Turcarum Cæſaris epiſtola confirmat.* Cum hæc ita ſint, nec multiplicis, ſed imperite confícti mendacii indignum viro probo dedecus eluere arte poſſit Zypæus, modeſtiam in poſterum monitus diſcet. Demus nunc Henricum Draguti claſſe eô modô anno 1551 Tripolim expugnaſſe, quo Corſicam annis 1553, 1554, 1555 Genuenſibus aperta rebellione à Franciсô dominiô ſeſe ſubducere auſis, ſubditam eripere conatum fuiſſe; quâ fronte ſocietatem Turcicam ut Franciſco A.D. 1543, ſic Henrico ſua repetentibus exprobrabunt, qui flagitioſo auxiliorum ex fœdere cum Venetis inito debitorum, ſed maligne dilatorum ludibrio, Cyprum Chriſtianorum inſulam A.D. 1571 Turcis prodiderunt; nunc vero ſervilem in modum Turcis (non ſua vel tutandi, vel vindicandi, ſed Reip. Venetæ tam iniquo quam diuturno bello vexatæ, in eas anguſtias ut Adriatrici maris dominio excidere cogatur, conjiciendi ſpe) blandiuntur? Viderint ipſi; quodque fronti propriæ, alienorum (ſi Deo placet) criminum cœlo delapſi cenſores, infamiæ elogium ſcientes prudentes inurant, ſedatis animis ſecum perpendere dignentur: quod enim Francis noſtris bis eveniſſe notant, iræ juſtæ & ultionis ardentiori deſiderio, quantum quantum eſt, imputandum venit; quod eorum criminatores, quos exagitata à ſemet exempla ad meliorem frugem revocare debuiſſent, impræſentiarum moliuntur, meditato ſceleri, turpique ac nefandæ nundinationi communis univerſe orbis ſenſus imputabit. Lib. 22.

Vnica, deterſis prioribus, ex maledica Zypæi in Henricum noſtrum actione criminatio ſupereſt, quæ nonnulla famam ejus adſpergere labe videatur; *onerarias*, inquit, *Belgarum ex Aquitania in Hiſpaniam pacis fiduciâ tendentes*

 obdu-

obduxit. ubi, & quando quicquid id eſt evenerit, indicare debuerat, ut inde injuriamne inferens (quod ipſe tam temere, quam falſo contendit) an vero illicitam propulſans, Belgarum navigia abduci juſſerit (quod nos cum bonô Deô mox demonſtrabimus) Lectori fides fieret, utrumque φιλαληθῶν omnium causâ inveſtigabimus. Ioannes Sleidanus Commentariorum lib. 22 *pulſi* Auguſta Vindelicorum A. D. 1551 Auguſti 26, Proteſtantium *miniſtri, partim ad Helvetios, partim ad alios confugerunt; ejus rei fama cum increbuiſſet, multos perterrefecit; nam quod ibi contigiſſet, quin idem aliis etiam in locis fieret, nemo dubitabat. Sed dum in eô metu ſunt omnes* * *bellum Cæſari Galliæ Rex fecit, & ſimul naves Belgicas invadit, captaſque trahit in portum, & diripit, & per Pedemontium atque Taurinos oppida multa capit, & in his Cherium atque Sandamianum ductore Briſſaco. De navibus interceptis editô ſcripto, Cæſariani ferunt, cum nihil minus quam bellum Cæſar expectaret, ac ſuis, ut eſſent pacati, mandaſſet; Gallicum Ducem Polinum in has incidiſſe, & quaſi Reginam Scotiæ veheret, nunciaſſe illis, ut honoris cauſſa, pro more antiquô, atque receptô, ponerent antennas, vela demitterent, eamque tormentorum tonitru ſalutarent, id cum feciſſent inermes fuiſſe per fraudem circumventas & abductas.* Thuanus lib. 8. *Huc uſque pro Parmæ defenſione bellum geſtum inter Regem & Pontificem: deinceps inter ipſum Cæſarem & Regem exarſit; principium à Poliniô in mari Oceano factum, interceptis Belgarum negotiatorum navibus, & magna ac locuplete prædâ factâ.* Nihil prorſus ad cauſæ ſummam facit, quod *in Hiſpaniam tetendiſſe* à Zypæo *Belgarum onerariæ* dicantur, ſive enim in Britannico Oceano, ſive alibi captæ ſint, interceptas eas fuiſſe conſtat: nec refert, ſi non vi, ſed dolo eas imparatas aggreſſus ſit Polinus, ſi modo hoſtium jam infeſtorum fuerant, *dolus an virtus, quis in hoſte requirat?* quis ſtratagemata in bellis etiam juſtiſſimis, ſimulationibus, inſidiis, fraudibus potiſſimum conſtare, neſcit aut negat? ſed hinc Zypæi oſcitantia coargui poteſt, quod abducta ab iis qui Scotiæ Reginam vehebant Belgica navigia ferantur: cum enim ea Dieppam anni 1550 menſe Septembris appulerit, inde anni ſequentis Octobri domum revecta ſit, Aquitanicum mare ne quidem viderit, dum reveheretur *in* Belgica *navigia inciderit*, in freti Britannici anguſtiis, quæ ipſi Angliam peragraturæ, trajiciendæ erant, non in Aquitanico Oceano, quem non pererravit, imo à quô longe tum abfuit Polinus, *intercepta* fuerint: non ergo *ex Aquitania*, quo nondum pervenerant, ſed vel ex proximâ Flandriâ, vel ex ulteriore Belgii ora vela fecerant, ut *in Hiſpaniam tenderent*, quô tempore *intercepta ſunt*.

* Octobri circiter menſe.

Quô jure intercepta ſint quærenti, reſponſio in promptu erit, belli non ultro, ſed neceſſitate (poſtquam læſa ſæpius patientia furor facta eſt) ſuſcepti jure à Polino Regio juſſu abducta fuiſſe. Sebaſtianus Vogelsbergus (inquit Sleid. lib. 20.) *decem ſigna peditum ad Galliæ Regem* (A. D. 1547, Iulii 26 conſecrandum) *è Germania duxerat, in Autumni tempore domum redierat, dimiſſis copiis. Quod Gallo militaſſet, graviter & acerbe Cæſar tulit, & occaſionem expectans, Lazaro Schuendio dat negotium ejus comprehendendi. Venit is Wiſſeburgum, ubi domicilium ille habebat, & comprehenſum Auguſtam abducit; Mox habetur quæſtio per tormenta, & de nonnullis qui jam ante venerant in ſuſpicionem ſocietatis Gallicæ, interrogatur; & quanquam magnô quodam robore corporis ac animi, per cruciatum nihil dixerit, tamen, quod in ſocietate rebellium*

bellium fuiſſe, quod Cæſaris edicta violaſſe, quod inſidioſa conſilia tractaſſe diceretur, capitis damnatur, & cum eo Centuriones duo Iacobus Mantellus & Wolfſius Thomas. Itaque productus fuit in forum Febr. die ſeptimô, cum ante quatriduum eò veniſſet, &c. *Cum in ſupplicii locum editiorem veniſſet, animô præſenti & intrepido circumſpiciens, quoniam ex feneſtris & ædibus undique ſpectabant omnis ordinis viri magnifici, honorifice illos affatur, & de ſuô vitæ genere locutus, quomodo Cæſari ante militarit, exponit; & nullam ſuæ necis cauſam eſſe dicit aliam, quam quod ante annum Galliæ Regi copias abduxerit, cum ille regni diadema de more ſuſciperet.* Cum alta mente repoſtum per quadriennium judicium manſiſſet, erupit tandem A.D. 1552 Regis indignatio; *nondum* (inquit) *oblitus ſum quam indigne Vogelſpergus vir nobili loco natus, ſed virtute nobilior, ab amicô ſummâ perfidiâ circumventus, & crudeliſſimis tormentis, ſubjectus, cum nihil ab eô extorqueri potuiſſet, quod in invidiam noſtram recideret, à caſtrenſibus poſtremo judicibus fuerit damnatus, cum non aliud crimini daretur, quam quod nobis militaſſet. Id quomodo (ſtante inter Cæſarem, & me pace) fieri potuerit, aut debuerit, omnibus æſtimandum relinquo, qui citra odium aut amorem de hac cauſa judicaturi ſunt. Quid Rheingravium, Recrodum, Riſebergum & Schertelium commemorem, quos Cæſar proſcripſit, & in quorum capita (non aliam ob cauſam, quam quod mihi militarent) pretium percuſſoribus conſtituit, peſſimo exemplo hominibus ad cædes ex inſidiis faciendas invitatis?* Thuan. lib. 9. in bello Scotico A.D. 1548 & 49.

Cœperat A.D. 1547, paucis à Franciſci Regis obitu menſibus, Conſi in Santonibus, Veſunæ in Petracoriis, Aquitanicæ turbæ; *poſtquam* de iis *cognovit* Cæſar; *miſſô* (inquit Rex) *in Angliam Maximiliano Egmondano Burano, qui Regis tutores ad arma contra me capeſſenda eâ occaſione incitaturus, peſſimum exemplum in ſuum commodum convertere, quantum in ipſo fuit, & voluit, & tentavit. ut vero illuſtri indicio ſe male erga nos affectum proderet Cæſar, Chriſtianæ Franciſci Lotharingiæ Ducis viduæ, ac ipſius ſororis filiæ auctor fuit, ut Barrenſis principatus, qui ſine controverſiâ Gallicæ juriſdictionis eſt, nomine fidem mihi, quam debet, quamque ſuperiores Lotharingiæ Duces hactenus præſtiterunt, præſtare recuſaret.* Cum annô 1549, Iunii 7, Soloduri pacta inter Francos & Helvetios fœdera fuiſſent; Rex, quantumvis læſus, & Cæſarem *Helvetios* (*quo minus cum Rege fœdus renovarent*) *ſollicitaſſe* certus, *Imperium*; Helvetii *Imperium, domumque Auſtriacam ac Burgundicam exceperant*: annoque ſequenti ineunte, Francis cum Anglis paciſcentibus, *Carolus Cæſar eô fœdere ab utraque parte comprehenſus* fuerat; quô fructu? *Santandreanus, qui torquem in Angliam pertulerat, cum rediret, in itinere periclitatus eſt, diſpoſitis à Maria Pannoniæ Reginâ inſidiis, quo eum interciperet; quod ubi Rex intellexit, quicquid Dieppæ navium Belgicarum erat, quoad Santandreanus rediiſſet, retineri juſſit; idem à Reginâ de noſtris factum. Eodemque tempore Adrianus Crojus Rutii Comes, Ioannem Tuttavillam Villabonium, quo minus Taruennam commeatum inferre poſſet, interturbavit: quod eo gravius Regi accidit, quod paulo ante in Cæſaris gratiam, Lincantium Rognaci viri fortiſſimi in Arduenna ſylva caſtellum funditus everti curaverat, quod ex eô Cæſariani aſſiduis ſe excurſionibus infeſtari quererentur: id adeo munitum erat, ut olim Cæſaris ac Franciſci (conjunctis viribus illud oppugnantium) impetus per quindecim dies ſuſtinere potuerit; eas munitiones Rognacus poſtea magna operum vi firmaverat. Hæc* angina deceſſit A.D. 1548 Decemb. Thuan. lib. 6.

prima initia bellorum, quæ ſequenti annô inter Cæſarem & Regem exarſerunt. * lib. 8. * *Cum de interceptis in Belgio quorumdam negotiatorum navibus apud Mariam Pannoniæ Reginam querimonia inſtitueretur, Legatos eo Regis nomine miſſus jure gentium violato in carcerem conjectus, & perverſo ordine bona noſtrorum Antverpiæ fiſco adjudicata ſunt; Cæſar Carolo Marillaco Venetorum Epiſcopo apud ipſum Oratori injurioſe interminatus eſt, fore ſi res ad arma devenirent, ut Regem ad minimi ex ſuis conditionem redigeret. Hucuſque aſtu & fraude* lib. 9. *hoſtes graſſati, nuper* ideſt ab anni 1551 Maji 28 *aperta vi* (inquit Rex) *in nos invaſerunt, Farneſiis fœderatis indicto bello, & Mirandula oppugnata, quam in Regum Galliæ clientela,* † ab anno 1537. † *jam à multô tempore eſſe cum non ignorent, cum eam armis petunt, injuriam mihi fieri minime dubitare poſſunt. Acceſſere adhæc Principum Germanorum graves nec minus juſtæ querimoniæ, qui nos pro veteri neceſſitudine & amicitiâ rogarunt, ut in communi cauſſa ipſis adeſſe &* lib. 8. *conjunctis opibus publicum periculum propulſare vellemus.* flagrante à menſibus quatuor bello Parmenſi, poſt pacta illa Octobris 9 inita, eodemque menſe vim repulſurus Rex, *Belgicas naves* in freto Britannico à Polino *abduci* juſſit, diverſa parte Briſſacus Claraſco tentato, Sandamianum & Clerium occupavit, Leo Strozzius cujus *conatus contra Auriam non ſucceſſerat, curſum Hiſpaniam verſus intendit, Auriam ſe eſſe, qui cum claſſe ad Maximilianum tranſportandum veniſſet, ſimulans; eaque ſimulatione tantum effecit, ut triremem unam recens inſtructam, quæ ejus ſalutandi gratia obviam Barcinone miſſa fuerat, ceperit: continuoque promota claſſe, & diſploſis tormentis, tantum terrorem effuſo circa portum ad ſpectaculum populo injecit, ut ſi ſtatim militem in terram expoſuiſſet, urbem procul dubiô occupare potuerit; verum hoc facinore contentus, captis præterea ſeptem mercatorum navibus, Maſſiliam multa præda onuſtus, retro ſe contulit.* Sleidanus, lib. 23. *ab Hiſpaniis Genuam appulit, cum liberis & uxore Maximilianus gener Cæſaris. Galli Maſſiliâ profecti, & quoſdam naves ejus adorti, prædam fecerunt, cujus rei cauſa ferebatur, quod equites illi quos Ferdinandus Rex miſerat in Italiam, ut filium ex Hiſpania redeuntem exciperent ac deducerent, Ferdinando Gonzagæ quadam in expeditione militari ſuam operam commendaſſent; Verum antea quoque Galli, per ſimulationem amicitiæ in Barcinonæ portum uſque provecti, triremem unam, & ſex naves onerarias rebus omnibus inſtructas, in uſum & navigationem Maximiliani, abduxerant, ut quidem Cæſariani quadam in invectivâ recitant, de Gallorum injuriis, & violata pace conqueſti.* Nos vero qui expeditiones gentis noſtræ, inſidiaſque ab ea hoſtibus ſtructas ultro agnoſcimus, *injurias* & *fœdifragia* eſſe non poſſe, ſed *juſtas* illatarum ante à fœdifragis injuriarum *pœnas*, (quod vel ſola temporum notatio Zypæorum ingratiis convincit) haberi & dici debere contendimus: fieri enim nullo modo poteſt, ut qui annô demum 1551 jam affecto arma laceſſiti corripuerunt, *violatæ* fidei & *pacis* rei cenſeantur, ii vero qui fraudibus, contumeliis, maledictiſque, machinamento in illos ipſos ſolido ante quadriennio graſſati ſunt, fœdifragii, quo ſe toties impiarunt, crimen vitent.

Vt violatarum induciarum probrum eos ſolos, qui ſibi id demerito ſuô acciverant, maneat, quædam nobis præſtituenda ſunt, ex quorum attenta conſideratione penes quos culpa ſit dignoſcere cuilibet promptum ſit; Paulus IV Marcello II annô 1553, Maji 23 ſuffectus, manu in Pallianum, aliaſque in ditione Eccleſiaſtica Columniorum dynaſtias injuſſu ſuo muniri cœptas

ptas injecta cum ſibi à gente illa ab antiquo Pontificibus infeſta, & Hiſpanis quorum ea partes ſequebatur timeret, Henricum Regem de fœdere per Hannibalem Oricellarium in Galliam Roma hoc unô fine miſſum appellavit, idque cum Lotharingo & Turnonio Cardinalibus Regis delegatis Decembris 16 percuſſit, cujus hæc præcipua Capita; *Rex Chriſtianiſſimus fidem obliget, protecturum ſe Paulum* I V *& ſanctam ſedem, contra omnes vim inferentes, cujuſcunque conditionis ſint, etiam ſupremæ: & hanc præcipuam in belli per Italiam gerendi aut ſuſcipiendi ratione curam ſibi fore promittat. Cardinalem Carafam, Ioannem Montorii Comitem, & Antonium Carafam ac eorum hæredes in clientelam ſuam ſuſcipiat, & loco bonorum iis ob hujus belli cauſam ademptorum, idoneas poſſeſſiones in Italia aut Francia attribuat. Fœdus perpetuum ſit inter Regem, Pontificem & ſanctam ſedem, tam ad inferendum, quam ad ſuſtinendum bellum, excepta Subalpina regione,* &c. Februarii ſequentis quinto apud Vallis cellas, cœnobium Cameraco vicinum, induciæ inter Cæſarem & Regem pactæ ſunt, quarum capite I X *Papa Romana*que *ſedes comprehendebantur,* ſuaque pactis à Rege Decembri præcedente conventis firmitas, quantum in ipſo erat, relinquebatur; *id tamen Pontifex, & qui ejus partes ſequebantur*, eo *minime monito* factum *moleſte ferebant, graviter in aula Somæ regulus conqueſtus eſt, contra fœdus initum, inſciis ſociis, proditam Pontificis cauſam & deſertos Carafas, Regemque obteſtatus eſt, ne conditionibus ſubſcriberet; mox & literis 3 Nonas Martias ad eum datis, cum de eadem re expoſtulaſſet* Cardinalis Carafa, *poſtremo petiit, ut ſi Rex ſervare inducias conſtituiſſet, ſaltem in Pontificis manus oppida quæ in Etruria tenebat, conſignaret*; Sarriæ Marchioni Cæſaris Oratori *ad venationem ſummo mane ituro, cum præfectus urbis portam* reſerare *recuſaſſet, iſque vi facta & ſtatione repulſa eam effregiſſet, graviſſime de injuria, qua violatam Majeſtatem querebatur, cum apud Regem per Somæ regulum expoſtulaſſet, Columnios ut impios*, infidos, novarum rerum cupidos *proſcripſit, & diris devotos ſacræ cenſuræ ſubjecit*; Carolum nepotem ad Regem cum *gladio ſacrato, ei ut Eccleſiæ Romanæ defenſori porrigendo*, legavit; *detectiſque ſeu veris, ſeu falſis in urbe conjurationibus irritatior*, Cæſari & Philippo *tanquam rebellium fautoribus, adeoque rebellibus*, de utriſque Siciliæ regnis Eccleſiæ Romanæ beneficiariis, *à Silveſtro Alexandrino fiſci procuratore litem intendi juſſit* Papa: Caldora Neapolitanus, qui longo tempore in Gallia fuerat, cum Romæ *à Monlucio* (*utpote induciarum tempore*) *commeatus diplomate accepto Senas pertranſiret*, à Franciſco Mendoza, Cardinali *Burgenſi, comprehenſus & tormentis ſubjectus eſt in Monlucii caput; quô factô parum abfuit, quin noſtri, qui jus gentium violatum cauſabantur, ad arma devenirent.* Carafa Legatus *de Bononia, Ancona, Palliano, Centumcellis, atque ipſa Romæ arce, quæ S. Angeli vulgo appellatur, pignoris loco Regi tradendis facta ſpe*, cum *jurisjurandi induciarum pactis interpoſiti religione, poteſtate ſibi à Pontifice tradita ſolvit, libertatemque fecit, in Cæſarem & ejus filium, etiam ſine præcedenti belli denunciatione, impetum facere; mox* annitente Guiſianorum factione pervicit, *ut ſecundum pacta* Romæ ſub anni præcedentis exitum inita, *bellum pro Pontificis defenſione* Iunio menſe jam affecto *decerneretur, delectis ad id gerendum in Italia Regis nomine Petro Strozzio & Blaſio Monlucio, tantiſperdum exercitus in Italiam Duce Guiſio Pontificis & Carafarum auxilio mitteretur. Albano & Philippo Rege ſtatim mandatum, ut non expectato, dum auxiliares copiæ noſtræ adve-*

Thuan. lib. 16.

Thuan. lib. 17.

advenirent, ipſe exercitum educeret, & hoſtili manu munitiones Palliani cœptas interpellaret; ſic enim judicabat, ſi mature exercitus egrederetur, & caſtra ad urbis uſque portas promoverentur, fore ut Pontificem viribus imparem ſuſcepti temere à ſuis belli pœniteret, & antequam auxilia noſtra conveniſſent, ſoluto fœdere, æquis & honeſtis conditionibus tranſigeretur. Is itaque Sept. 5 Fregellas ad Lirim, Pontificiæ ditionis oppidum, ac exinde Falvaterram caſtrum, Ripium, Verulum, Baucum, Anagniam, Fruſinonem, Lavicum, Segniam, Tibur, Valerium, Neptunum, Palumbaram, Tuſculum, occupavit; Venetorum Legatum (ut Pontificiam ditionem bello infeſtare defineret, rogantem) repulit; Tuſculo, Papæ arce, Ardea, Porciliano in poteſtatem redactis, Tiberina Oſtia Novembris 18 ad deditionem coëgit; *Mox inducias Sanfloriani Cardinalis interventu* fecit, *quæ in 3 Kal. Decemb: exibant; ſed cum biduo poſt in inſula, quæ media inter duos exercitus erat*, cum Carafa Cardinali conveniſſet, *poſt amicum in ſpeciem colloquium, in* X L *dies, eas rurſus prorogavit; intra quod tempus conditiones à Pontifice & Carafis propoſitæ ad Regem Angliæ perferrentur, & accedente ipſius conſenſu pax inter eum & Pontificem firmaretur:* cujus *ſupra modum deſideriô flagrabat Albanus, quod è re Principis ſui eſſe cerneret, pace cum Pontifice factâ res ea parte tranquillas relinqueret, ut ſi induciæ inter utrumque Principem factæ, rumperentur, quod prope diem factum iri apparebat, à tergo ſecurus, vires totas in Inſubres & Subalpinam regionem immitteret*, &c. *nec ingratæ Carafis induciæ fuere, ab omni re imparatis, & in dies Guiſii auxiliares copias præſtolantibus.* lib. 18. *Rex* ab iis *ſollicitatus*, Iulio menſe *Oratores ad Cæſarem, qui adhuc in Belgio erat, & Philippum (injuriam à Pontifice deprecaturus) miſerat*, iiſque fruſtrata interceſſione reverſis, *Franciſcum Lotharingum Guiſium, familiæ ſuæ apud nos Principem, cum exercitu in Italiam exeunte annô ablegaverat, ut ſecundum nuper initum fœdus, Pontifici adverſus Albanum, qui jam in Latio bellum gerebat, præſto eſſet: Is ſuperatis aſperrima hyeme Alpibus*, retuſoque Pontis Sturæ præſidii in noſtros erumpere auſi conatu, Valentium (*commeatu negato, diſploſiſque in exercitum* ad Pontificem feſtinato itinere tendentem ſclopetis, hoſtilia molitum) Ianuarii xx expugnavit: Cardinalis Tridentinus ad eum, *qui oppidum per inducias captum cauſati repeterent, cum miſiſſet; ruptas, diſploſis contra ſuos ſclopetis, ac pleriſque ſauciatis, à Cæſarianis inducias; Pontificis has, non Regis copias eſſe; & Pontifici, qui iniquo bello in Latio ab Hiſpanis opprimatur, cum iis hoſtiliter agere licuiſſe* reſpondit. Diverſa parte, cum in Belgico limite omnia à noſtris tuta eſſent, plura inciderunt, quæ eos (vel ingratiis ſuis) ad arma reſumenda cogerent: *Robertus Markanus* equitum Tribunus, qui Hedino A.D. 1533, Iulii 18 expugnato in poteſtatem hoſtium devenerat, poſt inducias dimittendus, veneno contra pactorum fidem potus eſt, *ex quô mox domum reverſus* Decembri menſe *deceſſit: de Burdigalâ intercipienda à Barlaimontio ærarii præfectô occulta conſilia inita & deprehenſa* ſunt; *Iacobus Flectia muniendorum locorum peritus prope Faram Veromanduorum captus eſt, qui ſe à Sabaudo Philippi* Legato, pecunia acceptâ, miſſum tormentis adhibitis confeſſus *eſt, ut munita Gallici limitis loca, atque in primis* Monaſteriolum, Dorolanium, Auguſtam Veromanduorum, Ruam, Macerias inſpiceret, & poſitum eorum exacte deſcriberet: *nefanda idem fraude corruptus ſubalpinus quidam* Gallicarum partium, *qui puteos & aquas omnes* Mariamburgi veneno inficeret:

ficeret: Cumque Menilii præſidiarii, quaſi *in ſuo vivere non poſſent, ad Abbatis uſque villam* & Ruam; *Cimacenſes & Avenenſes Capellam verſus, Roſetum, & Albentonum* in agro Tiracenſi, ſi ſe occaſio *daret, in oppida illa hoſtili animo procul dubio invaſuri excurrerent; Rex qui* nullam induciarum ab hoſtibus rationem haberi indignabatur, *eaſ*que *Guiſii in Italiam profectione ruptum iri animo providebat, ne ſine aliquô operæ pretio bellum rurſus recrudeſceret, negotium Colinio maris præfecto & Picardiæ Præſidi dedit, ut in hoſtico ex improviſo aliquid conaretur,* &c. *itaque noctu, cum prope Duacum* 8 *Idus Ianuarii marcentibus vino oppidanis inſidias ſtruxiſſet, à vetula tamen inſomni proditus eſt, quæ vix tandem improbo clamore excitatis vigiliis conatum noſtrorum irritum reddidit. Inde Colinius Helenem caſtrum inter Inſulas & Nemetacum Attrebatum medium vi cepit, diripuit, & licentioſe habitum poſtremo incendit, ingentique præda abacta, cum pluſculos dies in limite excurriſſet, ad ſuos reverſus eſt. Hinc ruptarum induciarum initium factum* vult, ejuſque *in noſtros culpam*, ut Cæſariani olim, ſic hodiè eorum exemplo, ſed æque mala fide, rejicit Zypæus; qui dignô ſe pigmento, recoctam aliorum priorum calumniam incruſtavit, *pro Belgis tantum pactas inducias Regem interpretatum, ab eodemque miſſis in Italiam copiis infractas* fingens: utrumque enim & falſum & impudenter confictum eſſe vel hinc patet: 1, tam Regi Pauli IV fœderati cauſam armata manu per induciarum pacta propugnare licuit; quam Cæſari Iulium III, in Octavium Farneſium Margaretæ filiæ naturalis maritum irruentem, copiis ſuis inſtruere, ac munire, per Criſpiacenſis pacis tabulas, Ferdinandus Gonzaga Cæſaris per Inſubres Legatus, Octaviique infeſtiſſimus oppugnator, licuiſſe annô 1551 cenſuerat. 2 non *pro* ſolis *Belgis*, ſed pro univerſis Cæſareæ ditionis hominibus *factas inducias* hoc ipſo ſe Rex credidiſſe teſtatus eſt, quod ſuos ubique in officio continuit, nec ante *copias in Italiam miſit*, quam Legatos ſuos pacem rogantes repulſam paſſos audiit. 3 *miſſis in Italiam copiis*, nec *inducias* violaſſe cenſeri potuit, qui non ad inferendam, ſed ad propulſandam à capite fœderato (quod pactis nullis vetabatur) injuriam eas miſit: nec violare in animo habuit, qui ſuos armatos à Cæſarianis *commeatum petere*, nullos niſi adverſus Papam ſuſceptum in acie ſtantes aggredi juſſit. 4 Duaco ſtructis inſidiis, Helenes & Valentii expugnatione nec *fidem fregit*, nec *inducias violavit*, ſed juſtas perfidiæ multiplicis pœnas ab adverſariis coactus repopoſcit, gentiumque jus à Burgenſi Cardinali, Barlaimontio, Sabaudo, Menilii, Cimaci, & Avennarum præſidiariis, aliquot ante menſibus, à Pontis Sturæ & Valentii milite eodem fere tempore violatum, ſevere, ſed non ſupra meritum, ex communi belli lege, per Guiſium & Colinium ultus eſt. Si quod ſerio (& ex intimo animi, tam veri, quam patriæ amantis ſenſu, magnus Thuanus deploravit) *annus* 1557 *Galliæ funeſtiſſimus* fuit, ſi *res per inducias in tuto collocatæ in manifeſtum exitium præcipitatæ ſunt*; ſi quid fuit quod in Henrico Rege improbandum cenſeret Europa, *fœdifragium* (cujus labes ac reatus alios urget) non modo non fuit, ſed eſſe nequaquam potuit; ſincerâ enim & optimâ fide cum Paulô IV fœdus iniit, intempeſtive tamen, cum jam de induciis agi cœpiſſet, earumque ſpem certam faceret Caroli V de abdicando Imperio conſtans decretum: incidit autem, magno ſuo totiuſque gentis infortunio, magnus Romanæ Eccleſiæ venerator in Carolos alios duos, vaſti, ſed inquieti & impotentis

animi Cardinales; Caraſam, quem patrui infulæ in altum ea tantum gratia extulerunt, ut poſt biennium lapſu graviore rueret, A.D. 1559, Ianuarii 27 ab ipſo dignitatis auctore deturbatus, & 1561 Martii 6, Pii ex ei ſuffecti juſſu ſtrangulatus: & Lotharingum, qui gloriæ ſupra omnem modum cupidus, ad annum uſque 1574 Decemb. 23 ſuperſtes, Regem benevolentiſſimum nolentem bello non neceſſario implicuit, & regnum (quantum in ipſo fuit) Philippi II (quem annô 1556, de eventu ſecurus, oppugnandum cenſuerat) *prædæ & ludibrio* objecit, conventus Nanceii A.D. 1564, Martii 29 indicti, unde factio henotica primum emerſit, præcipuus machinator. In horum caſſes infeliciter pertractus infucatæ generoſitatis, & apertæ ſimplicitatis Princeps, eorum male tenacibus ſpiris adeo innexus eſt, ut ſe noxiis illarum nodis expedire exinde ſine manifeſto ſuo ſuorumque diſpendio nunquam potuerit; ſed quo majoribus difficultatibus conflictatus eſt, eò evidentius docuit, ſe ab omni *pactorum violatione* ſemper abhorruiſſe; quandoquidem fidei Caraſis ſemel datæ memor, regnum præcipuo ſuo robore, eorum cauſa nudare, extrema omnia experiri, hoſti quem illi à cervicibus longe depulſum volebant, induciarum paulò poſt pactarum faſtidium movere, quam ſpes eorum immodicas (vel tantillum pedem retrahendo) deſtituere maluerit.

Franciſci II, *Caroli* IX, *Henrici* III *bona fides.*

ZYP. *Poſt eam* (pacem Cameracenſem 1559) *intra non ita multos annos plures regnavere in Francia Reges; qui (cum domi ſuæ, quod agerent, ſat haberent) externa bella non ſunt commentati; donec Ducis, ac deinde Cardinalis Guiſii cædem, Henrici* III *parricidium excepit, & Cardinalis Borbonii, & Henrici Navarræi, illius à Catholicis, hujus ab hæreticis eſt facta proclamatio; natumque ſanguinarium in Gallia (nomine Liguæ ſacræ) bellum, per annos amplius decem geſtum; ubi religioni Catholicæ dum Hiſpaniarum Rex vires accommodat, gravis deinde belli moles in eum incubuit; quod Vervinianâ demum pace ſopitum.* Reſp. Henrici II ab omni fœdifragii probro vindicata memoriâ, quæ de ejus poſteris ſecutoque ſub ipſis regni ſtatu ſcripſit Zypæus, ordine ſuo trutinanda veniunt. 1 revera *non ita multos annos regnavere* Henrico II nati, ſiquidem ab anno 1559 Iul.10, quo is deceſſit ad 1589 Auguſti 2, quo Henricus III animam exhalavit, anni tantûm 30, dies 23 effluxere, eoque temporis intervallo quatuor Regum ſuorum immatura funera deploravit Gallia; patris poſt annorum 40, menſium 3, dierum 12; primogeniti poſt annorum 16, menſium 10, dierum 17; ſecundogeniti poſt annorum 27, menſium 10, dierum 3; tertiogeniti poſt annorum 37, menſium 10, dierum 14 vitam breviorem, nec ſine frequenti triſtium miſtura tranſactam. 2 etiamſi tres Henrici II filios à fœdifragio in ſpeciem abſolvat Zypæus, quæ tamen ejus intemperies eſt, à culpa vix immunes præſtare audet, eos quia *habebant, quod domi ſuæ agerent, externa bella non commentatos* ſuſpicatus; quaſi vero cum vicinis æquô jure, non ſponte, ſed neceſſitate faciente, vixerint; eorumque non virtuti, ſed calamitati ſecuritatem ſuam Philippus II debuerit; qua cogitatione imodeſtius nihil, aut mendacius, Chriſtianoque nomine indignius eſſe poſſit: ipſe Dominus diſcipulos [1] *judicare* vetuit, ejuſque exemplô pios à [2] *judicandis ſervis alienis, qui ſuo Domino ſtant aut cadunt;* abſtinere docuit Apoſto-

1560 Decem. 5, 1574 Maji 30.

[1] Matth. 7.1.

[2] Rom. 14.4.

Apoſtolus; at neſcio quis *Officialis* (forte ab *officiendo* dictus) de Regum, quos ad ſe jamdudum ſæculorum Rex evocavit, quique ei ſoli ſuberant, uni ipſi notis cordibus ſibi judicium, idque adeo iniquum, vindicare non dubitat, ut eos, ceu totidem *ſingulares feros*, orbem depaſcere natos, averſandos eſſe, eorumque conſortium ſocietatem leoninam credi debere ſuadeat. 3 Sed cum rogatum velim, unde illi *domi habuere*, quæ ipſos ad *bella externa* pronos, ab iis *commentandis* procul arcuerunt? annon à Philippi II & emiſſariorum per cuniculos eos adorientium, imiſque ubique ſumma per annos 40. miſcentium tragicis ludis? 4 Franciſci II adoleſcentia, vita languida, & alieno arbitrio acta, & eorum ipſorum qui innocenti ejus nomine abutebatur, in ſuggeſtis ipſi dum animam efflaret monitis, dum ipſi *ſæpius inſinuarent, ut Deum oraret, ne ſibi ſuorum miniſtrorum errata imputaret*, aperta confeſſio, ab omni cum ἀλλοτριοεπισκοπίας, & perfidiæ crimine liberant. Carolum totô regni tempore ab Hiſpanicâ aulâ excitatæ procellæ adeo vexarunt, ut tranquillandis fluctibus impar, de rependenda turbonibus, quos triſtibus annorum quatuordecim experimentis excitatus, & noſſe & odiſſe didicerat, mercede certi nihil ſecum ſtatuere potuerit. Henrico pari calamitate conflictato, & per ſe à vicinis exagitandis alieno, *præter expectationem* accidit, ut anno 1584 Ianuario menſe, *Silvanecti* ab ordinum delegatis, *Belgium* (ſi conſentiret) *regno Galliæ ſubmitteretur:* Hiſpano jam ab iis abdicato (conſentiendo, pulchraque quæ ſponte offerebat occaſionem non utendo) diſplicere noluiſſe, maximi beneficii loco eſſe debuerat, ſed pro innato in ſororios affectu, debitaque benemerito gratitudine, maturata ab eo henotica conjuratio, quæ poſt quinquennium pacis ſtudioſiſſimum Principem cæde indigniſſimâ ſuſtulit. 5 Quod eam *parricidium* Zypæus vocat, recte, ſed imprudenter facit? quô enim laniſtâ commiſſi cum concivibus henotici, faceſque furiis, à quibus in tantum eſt nefas actus parricida, ſubditæ ſunt? an non *Bernardino Mendozâ qui res Philippi jam Lutetiæ procurabat, & nullâ denunciatione prius factâ, communientis cum perduellibus conſiliis, hoſtiliter cum Rege agebat?* Quod rurſus Henricum IV, quô tempore agnato ſucceſſit, *Navarræum* nuncupat, ex verô eſt, ſed non in Philippi IV rem, cujus avus Philippus II Navarræ regnum à Ferdinando proavo, A.D. 1512 nullo jure occupatum, ad mortem uſque uſurpavit, & poſteris uſurpandum reliquit. 7 Confeſtim à *Guiſii & Cardinalis* germani juſtâ *cæde, bellum* Hiſpano denunciatum non eſt, ſed poſt ſexennium; cæſi enim anno 1588 Decemb. 23 & 24 Guiſii; belli denunciatio A.D. 1595, Ianuarii 17, ab Henrico Magno facta eſt. 8 à belli denunciatione ad pacem Vervini A.D. 1598, Maji 2 ſancitam, non *anni amplius decem*, ſed tres tantum, cum trimeſtri, & diebus ſedecim decurrerunt. 9 *Ligua* non à *proclamatione Regum* (continuo poſt *Henrici* III *parricidium*) *factâ nata* eſt; ſed quadriennio integro, & ſeptimeſtri ante; *proclamatio* enim *Regum* à partibus A.D. 1589 poſt Auguſti ſecundum *facta* eſt, anno vero 1584 Decemb. 31, Ionevillæ *ligæ* pacta ſcripta fuerant. 10 etſi *ligæ* factio, velut ex ipſis cunis, ad arma A.D. 1585 ineunte ſumpta proſilierit, nec ante anni 1598 Martii 26, quo fœderatorum poſtremus Mercurianus, Regi legitimo reconciliatus, ad fidem & officium reverſus eſt, deſiiſſe videatur; non per annos illos tredecim continuum bellum fuit: quandoquidem arma annô 1581 (Bernardino inſtigante) ab Henoticis correpta, Iulio menſe poſita fuerant; nec ante

Thuan. lib. 26.

lib. 80. & 81.

lib. 95.

tumultum Pariſienſem A.D. 1588 Maji 12 ad paucos dies reſumpta; ſed
annô ſequenti, rebellantibus per univerſum regnum populis, cruentiſſimum
bellum exortum eſt, quod non *annos amplius decem*, ſed integrum fere no-
vennium duravit, cum annô 1589 inchoatum, 1598 ineunte deſierit, medio
tempore paulatim ſubducta depaſcenti incendio alimenta ſint, factionis
pertæſis ejuſdem capitibus, Guiſio cum fratribus anno 1594 Novemb.29,
Lotharingiæ Duce anni 1591 Martio menſe, Meduanio 1596 Ianuario, Ne-
moroſio Majo ſequente, ac tandem Mercuriano 1598 Mart.26. 11 Cum
Francorum regnum hæreditarium ſit, *Regem*que in eo *vivum mortuus ſaiſiat*,
ut loquuntur practici; qui defuncto ſufficiendus venit, jus ſuum (quantum
quantum eſt) uni natalium propriorum prærogativæ, non populorum regium
nomen deferentium beneficio debet; qui enim *Regem proclamant* ſubditi,
nihil illi prorſus dignationis addunt, ſed jus ejus ſibi compertum eſſe, idque
ſe ex officio agnoſcere *proclamatione* ſuâ profitentur. 12 Carolo Cardinali
nullum niſi ſecundum fratris primogeniti filium, eum antiquo more repre-
ſentantem, Navarrum jus fuit, aut eſſe potuit. 13 Carolum *à Catholicis*, Na-
varrum *ab hæreticis proclamatum* fuiſſe falſum eſt; illius enim à ſolis henoti-
cis vitio adverſus leges; hujus ab univerſis Regii ſanguinis principibus, Ro-
manæ Eccleſiæ addictiſſimis; à Vindocino & Gondio Cardinalibus; à præci-
pua nobilitate; à fidelibus ubique, & patriæ ſtudioſis per regnum, ex lege *facta
proclamatio.* 14 Non *religioni Catholicæ*, ſed *factioni* in regni & religionis per-
niciem flagitioſe graſſanti *vires Hiſpaniarum Rex accommodavit*; factioſos
per Bernardinum Mendozam quæſivit, illexit, ſibi colligavit, ad nefaria ar-
ma, prætenta religionis (quam in ſinu deridebant) larva, compulit; ſi *gravis
deinde belli moles in eum incubuit*; ipſe ſibimet, prophetici oraculi memor,
Eſai. 33. 1. imputare debuit. *Væ qui prædaris nonne ipſe prædaberis? & qui ſpernis nonne
& ipſe ſperneris? cum conſummaveris deprædationem, deprædaberis, cum fatiga-
tus deſieris contemnere, contemneris*; nec enim annorum tammultorum ἀλλο-
τριοεπισκοπίας & κακοπραγίας impune cuiquam cedere æquum fuiſſet; quod
aliis improbo labore ſeminaverat, ſibi ſuiſque meſſuit.

Henrici IV *bona fides.*

QVanto fundandæ ubique pacis ac ſecuritatis ſtudiô flagraverit, quantum
ab injuriâ cuiquam, vel meritiſſimo, inferenda abhorruerit, ſæculo major
Princeps, jam manifeſtum fecimus; dum illatarum heroicô animo obliviſci,
quam debitas pœnas in noxium laceſſentium ſinum refundendo ultioni in-
dulgere maluiſſe docuimus; eam tamen (prehenſa proteſtationis A.D.1635,
ſub Ferdinandi Cardinalis Infantis nomine editæ laciniâ) tanquam turbo-
nem & fœdifragum aggreditur Zypæus. Hæc proteſtationis verba fuerant.
*Notorium eſt pace Verviniana vix publicatâ, Franciam, ut domi ſuæ fructum
pacis ſola decerperet, tranſtuliſſe bellum in Belgium, per continuationem veterum
tractatuum, & concluſionem aliorum novorum contrariorum Verviniano; quos
ſecuta ſunt continua hominum pecuniarumque ſubſidia miſſa rebellibus Deo &
ſuæ Majeſtati.* ex quibus concludit adverſarius, *Henricus* IV, *quod (mox ab
ipſô fœdere Vervinianô) Batavis, Regis Hiſpaniæ rebellibus, fidei orthodoxæ ini-
micis ſuppetias continuavit, & rebus domi pacatis, potentiores tulit, binarumque*

poſt

poſt paulo legionum auxilia ad exercitum illorum ſubmiſit, quarum in primis robore Gravia expugnata eſt Catholica, ſimul Regi & religioni ſubtracta. Quâ de re, quamprimum Clemens VIII *legatum Regis juſta cum querimonia graviter monuit, non tantum id adverſari juratæ paci, ſed etiam vergere in perniciem fidei orthodoxæ.* Oſſat.*ep.*327. Hucuſque criminatio; cujus meritum ne quenquam lateat, tria nobis enarranda veniunt. 1 quid ante pacem Vervinianam geſtum ſit. 2 quid pace illa utrinque à Regibus promiſſum. 3 quid exinde ſecutum.

A primis Henrici IV auſpiciis, nunquam fœderati Belgii ordines de eô, totoque regno bene mereri deſiiſſe, Thuanus expreſſe lib. 116 notat. Ancellus A.D. 1596, *mandata ad Buzenvallium à Bullionio & Sancio Graveſinda 5 Kal. Iunii data attulit, quorum ſumma erat, ut pro tot cumulatis in Regem beneficiis gratias ordinibus ageret, & ad belli contra hoſtem communem gerendi ſocietatem eos invitaret,* &c. *poſtulare juſſus Buzenvallius, ut quatuor peditum millia, quos Iuſtino Naſſovio Duce ſummiſerant, & quoüſque Faræ obſidio duraret, ut Regi militarent, tantum permiſerant, porro in caſtris manere paterentur, & qui numero deerant ab iis ſupplerentur,* &c. *ut pulvere tormentario (quod eòdem, quô nuper convenit, pretio, æſtimetur) & ſex ſariſſarum millibus juvetur,* &c. *in Bataviam appulſo* (Bullionio) *Senatus Hagæ datus 4 Kal. Octob. hic ante omnia ſolennibus actis gratiis ſe à Rege miſſum dicit, ut Ordines ſuæ egregiæ, neque unquam immemoris erga ipſos voluntatis certiores faceret,* &c. *nec memoriâ excidiſſe, quam parato eos ſemper erga ſe animo ſit expertus, ſemel atque iterum miſſis in tempore, ac nuper in obſidione Rotomagenſi tam opportune ſuppetiis,* &c. *Lævinum Colvartium, ipſorum apud Regem Oratorem, actioni* (cum Anglis) *intereſſe, ut eum teſtem apud ipſos haberet, quam propenſa voluntate & ſinarâ fide in communi negotio, quod eorum ſalutem proprie ſpectat, verſatus eſſet,* &c. *petere ut ad petitas jam à Buzenvallio copias,* CCCC *equitum ſubſidium eorum benignitate, addantur,* &c. *pridie Kal. Novemb. conventum,* &c. *ad legiones ſuas quibus Odetus Lanovius & Rignacus tribuni imperant, & ex ordinum pecunia ſtipendium procedit, præterea bis mille addentur; &* CCCL *florenorum ex eorumdem ærario ſuppeditabuntur, quibus imperabunt Vicarii aut caſtrorum præfecti à Rege impoſiti. Rex quatuor illa peditum millia ad Ordines ad primam interpellationem remittere tenebitur; ſi quidem contingat eos ab Hiſpanis in provinciis à ſe poſſeſſis peti,* &c. *Rex, Bullionio in Galliam reverſo, menſe Ianuario, cum adhuc Rotomagi eſſet, conditiones ratas habuit, & ad Ordines tranſmiſit, 16 Kal. Mart. traditæ ſunt,* &c. menſe, poſtquam Alexander Mediceus Clementis IIX Legatus in Galliam appulerat, octavô, &c. *exercitum regium in Picardia & Attrebatum finibus exeunte Martio proximô compariturum* convenerat; ejuſdem menſis die undecima intercepta, Septembris ſequentis 25 deditionem Samarobriga fecit, eaque Francico Imperio reſtituta; *cum Rex ad Durlanii obſidionem hæreret, Villaregius & Ioannes Richardotus ab Alberto miſſus, ſecuritate utrinque accepta, loco in finibus condicto, collocuti ſunt, placuitque inter eos, ut primo quoque tempore delegati ab utraque parte mitterentur, qui de pacis conditionibus ſerio agerent; conventui locus & dies indictus eſt; ad Ianuarium menſem Vervini in Veromanduis,* &c. *Rex, ne contra fœdus nuper cum Anglia Regina, & Belgicis ordinibus quicquam facere videretur, ad Elizabetham Andream Huraltum Meſſium miſerat, qui negotii rationes explicaret,* &c.

A.D. 1591.

Thuan. lib. 118.

lib. 120.

xij ✱ 3 *reſpon-*

reſponſum ab Elizabetha, brevi ſe Legatum ad Regem miſſuram, mandatis & rationibus inſtructum, à quibus ſibi & ordinibus caveri cupiat, & æquum putet. Is fuit Robertus Cacilius, qui Andegavi Regem nactus, eum Condivicinum uſque ſecutus eſt; venit & diverſò itinere Iuſtinus Naſſovius, & Ioannes Barneveltius primarius Hollandiæ, & Occidentalis Friſiæ Conſiliarius, ab Ordinibus miſſi, ut ex compactò conjunctis cum Elizabethâ conſiliis, de eô negotio agerent; tandem convenit, ut Rex grande æs, quod & Elizabethæ & ordinibus, hujus belli ultimi ratione, ob ſummiſſa tam opportune auxilia deberet, certis penſionibus exſolveret, & ordinibus non ſolum ex eô, quod ab ipſo eis debebatur, ſed & ex eo quod Elizabetha debebat, ad ſuſtinenda belli onera in tempore ſatisfaceret, quô factô erga Elizabetham tantumdem liberaretur, &c. *feriis Paſchalibus Andegavi exactis, Rex navigiis devectus, Condivicinum venerat*, dumque per delegatos Vervini cum Hiſpanis, ab ipſo fere anni exordio, ageret, cum Anglis & Belgis fœderatis per (ſe poſt Paſchalis in Martii 22 incidentis ſolenne) Condivicini Nannetum de ære antea contracto commode *diſſolvendo* tranſegit; *Cacilio & Iuſtino Naſſovio dimiſſis* (*cum Idibus Aprilis edictum Nannetenſe* dictum *regio ſigillo firmatum eſſet*) Vervini 6 *Nonas Majas præſcriptæ pacis conditiones. Cum delegati ſubſcripſiſſent, infra menſem ſe documenta authentica manu & ſigillo Regis, Archiducis, Sabaudi, ſubſcripta ac firmata invicem tradituros polliciti ſunt, & Archidux intra trimeſtre approbatorias à Philippo literas traditurum promiſit:* pax Bruxellis *ſeptimo*, Lutetiæ *quartô Idus Iunias promulgata*; utrinque Regis & Archiducis ſacramento *exeunte Iunio*, corâm delegatis confirmata eſt; ejuſdem *pactionibus* 4 *Idus Iulias Philippus ipſe ſubſcripſit*, ac tandem Septembris ſequentis Idibus vivere deſiit. Hactenus hiſtoriæ ſeriem ſecundum diſtincta ſua momenta fideliter perſecuti, evicimus, pacatâ Galliâ *in Belgium* (cui nulla ab anno 1567 requies fuerat) bellum nec *tranſlatum* fuiſſe, nec de eo, quod jam erat, *transferendo*, cogitare ſanum quemquam potuiſſe. *tractatuum* veterum *continuationem* nullam fuiſſe; cum enim ante pacem de armis adverſus Hiſpanum ſociandis perpetuo actum eſſet, ubi ad pacem cum eo inclinavit animus, paulo ante quam ſancita fuiſſet, ad mutuæ amicitiæ & gratitudinis pacta deventum, quæ *veteribus* antiquatis exinde ſervari placuit. 3 *novi* nihil ad annum uſque 1608 inductum fuiſſe. 4 ſubſidia nulla, ſive hominum, ſive pecuniarum, ante annum 1608 miſſa, ſed expuncta paulatim per penſiones conventas vetera debita fuiſſe. 5 ante annum 1598 nullas Regem ordinibus ſuppetias miſiſſe, ſed ſæpius ut mitterentur rogaviſſe. 6 cum nullas ante miſerit, etiamſi poſt mittere decreviſſet, *potentiores* eas dici nequaquam debuiſſe. 7 nulla ſive ante, ſive poſt, *legionum auxilia ad exercitum illorum ſubmiſſa*, ſed binas Lanovii & Rignaci legiones, Regio permiſſu longe ante pacem conſcriptas, non Regia, ſed ordinum ſtipendia meruiſſe. 8 eas ſe ante decennium ordinum militiæ addixiſſe cum conſtet, ſi (quod Zypæus vult) earum *inprimis robore Gravia expugnata eſt*, non Francicis, quæ tum nulla erant, ſed Hollandicis armis forte illud facinus, quod ſuo milite Belgæ fœderati peregerunt, adſcribendum fuiſſe.

Sed forte in pacis Vervinienſis conditiones aliquo modô Henricus Magnus impegerit: eas ergo audiamus. *D'orenavant du jour & date du preſent traitté, entre les dits Seigneurs Rois, leurs enfans néz & a naiſtre, leurs ſucceſſeurs & heritiers, leurs Royaumes, pays, & ſujets, y aura bonne, ſeure, ferme &*

ſtable

ſtable paix, confederation, & perpetuelle alliance & amitié, s'entraimeront comme freres, procurans de tout leur pouvoir, le bien, honneur, & reputation l'un de l'autre; & eviteront, tant qu'ils pourront, loyaument, le dommage l'un de l'autre; ne ſouſtiendront, ne favoriſeront perſonne, quelle qu'elle ſoit, l'un au prejudice de l'autre; & des maintenant ceſſeront toutes hoſtilitéz, oublians toutes choſes cy devant mal paſsées, quelles qu'elles ſoyent, qui demeureront abolies & eſteintes, ſans que jamais ils en facent reſſentiment quelconque; renonçans par ce preſent traitté a toutes practiques, ligues, & intelligences qui pourroyent en quelque ſorte redonder au prejudice l'un de l'autre; avec promeſſe de jamais ne faire ne pourchaſſer par l'un, choſe qui puiſſe tourner au dommage de l'autre; ni ſouffrir que leurs Vaſſaux & ſujets le facent directement, ou indirectement. Et ſi aucuns d'iceux, de quelque qualité ou condition qu'ils ſoyent, y contrevenoyent cy apres, pour aller ſervir par mer, ou par terre, ou autrement aider & aſſiſter, en choſe qui, en ſorte que ce ſoit, pourroit prejudicier à l'un deſdits Seigneurs Rois; l'autre ſera obligé de s'y oppoſer & l'empecher, & les chaſtier ſeverement, comme infracteurs de ce Traitté & perturbateurs du repos public. Id eſt: *Deinceps à præſentis tractatus die & data, inter dictos Dominos Reges, eorum liberos natos & naſcituros, ſucceſſores & hæredes, regna, ditiones & ſubditos, bona ſecura, firma, & ſtabilis, pax, confœderatio, perpetuaque alligatio & amicitia erit; ſe mutuo tanquam fratres amabunt, toto ſuo poſſe alter alterius commodum, decus, famam procurando; alter alterius (quantum poterunt) fideliter damnum vitabunt; alter in alterius detrimentum nulli, qualiſcunque ſit, patrocinium aut favorem impendent; quin &, ab ipſo nunc, hoſtilia omnia deſinent, univerſis male ante actis, qualiacunque ſint, oblivioni traditis, quæ abolita & extincta manebunt, adeo ut ipſi eorum nunquam ſenſu ullo afficiantur; præſenti tractatu univerſis practicis, ligis & intelligentiis (quæ in mutuum eorum detrimentum redundare quomodocunque poſſent) abrenunciantes; ſponſione facta, nihil unquam ab altero moliendum, vel procurandum, quod in alterius damnum cedere poſſit; nec laturos ſi Vaſſalli & ſubditi eorum, id ſive directe, ſive indirecte audeant. Si vero eorum quiſpiam, cujuſcunque gradus aut ſortis ſit, in poſterum contraierit, terra vel mari militaturus, aut alias ſuppetias laturus, reique interfuturus quæ quomodocunque alteri dictorum Dominorum Regum nocere poſſit, alter intercedere idque impedire, imo eos tanquam Tractatus hujus infractores, & publicæ quietis perturbatores ſevere coercere tenebitur.*

Sic hoſtilia in ſe invicem, quomodocunque ſpirare Reges ſuo tempore maximos, nec hoſtiles modo animos exuere conſultum putarunt; ſed fraternam ſibi benevolentiam, ſinceraque omnia mutui amoris officia ſpoponderunt; populos ad concordiam exempli ſui lege provocarunt; redintegratam concordiam vel tantillum violaturos pœna dignos pronunciaverunt: an hoc ipſo, quod reconciliati ſunt, eoſdem & amicos & inimicos habere decreverint, univerſarum (quas ante coluerant) caritatum ſpontaneam jacturam, vel reipſa fecerint, vel facere parati fuerint; eaque mente in pacem conſentire debuerint, ut benevolum experiendi ſpe, quem prius infeſtiſſimum patiebantur, optime meritis ingratiſſimi (eos ſuis fraudando) evaderent? Henrico cum Philippo in gratiam redire propoſitum fuiſſe certum eſt: ſancita pace ab omni omnino in eum injuria abſtinere, ſuoſque omnes (intentato pœnæ metu) abſterrere debuit: ante pacem Vervini ſancitam, adverſus eum cum Angla &

gla & Belgis fœderatis, in acie ſtabat, imo ſtare vi pactorum cogebatur: pacta pace *amicus*, imo *frater*, jurato prius hoſti factus eſt: fratrem ut bona fide præſtaret, à *fœdere offenſivo* ante biennium inito diſceſſit, nec ſibi deinceps Anglam & Ordines adverſus eum accendere, cum iis arma ſociare, utroſque milite ſuo & pecunia ad eum oppugnandum inſtruere fas putavit: ab iis, quos rebus in arctis conſtantiſſimos, fidiſſimos, commodiſſimos amicos nunquam non ſenſerat, ut amica in futurum ſperare jubente, necdum præſtante, placatiore uteretur, ipſi diſcedere vel ad momentum licuiſſe, rationis compos quis dixerit? in illos igitur toties expertos, ſummaque omnia meritos (ex boni, cordati, beneficiorum acceptorum & fidei datæ memoria Principis indiſpenſabili officio) gratus, in eouſque noxium, ſed fraterna in futurum ſpondentem (ex charitatis *omnia probantis* genio) pronus, omnibus bene, nulli male velle, ſe unicuique (ſine alterius injuriâ) commodum exhibere debuit; At quiſquis eum, niſi Hiſpanis addictus, & in eorum gratiam adverſus antiquos fœderatos conjuratus eſſet, pacis Vervinienſis conditionibus ſtare nequaquam potuiſſe putaverit, ad deliramenta converſus, falſa, improbabilia, quæque ipſa Hiſpanorum confeſſio, & ſole clariora juris ubique recepti principia refellant, ſibi cerebro emoto comminiſcitur; ſi *ſocii mei ſocius ſocius meus non eſt*, cui probabile fiat, amici mei hoſtem, meum ex neceſſitate hoſtem fieri? ante annos circiter 82 fœdus adverſus Turcam, cum Papa & Hiſpano Veneti percuſſerant, quod paulo poſt Selimo reconciliati ſolverunt; an quod in Turcicam pacem conſenſiſſent, Papa & Hiſpani, cum quibus pacem conſtanter colerent, amici eſſe deſierunt, aut amicos eſſe deſinere, ut ipſo placato fruerentur, Turca juſſit? Belgis fœderatis, quæ ſemper faverat, Angla, eos ab anno 1585 ad 1603, quo deceſſit, patrocinio ſui fovit, & ab injuria Hiſpanica protexit: anno 1604 Iacobus Hiſpanis placatus, Belgas à quorum patrocinio deſiſtebat, nec pro hoſtibus habuit, nec hoſtibus antiquis prodidit, nec ex fœderatorum laterculo expunxit; anno 1635 fœdere offenſivo inter Francos, & fœderatos ordines pacto, Hiſpanum juncto virium robore oppugnari placuerat; pace Monaſterii fœdus illud refixum eſt, nec tamen vel concordes cum Hiſpano antea hoſte ordines, Francorum bene meritorum *veteres*, & *fidos*, *amicos* eſſe & dici pudet; vel Hiſpanus Francis (quibuſcum manus uſque nunc conſerit) antiquo eoſdem more uti queritur. Quidni Henrico IV per Philippum II licuerit, quod Iacobo per Philippum III licuit, & fœderatis Belgis per Philippum IV licet? pace ergo Verviniana amicos veteres non mutavit, de ullo eorum deferendô ne cogitavit; ſed illo ipſo inter amicos aſcitô, quem nunquam propitium habuerat, eorum numerum auxit; novumque, cui parum cum veteribus conveniebat, iiſdem adjectum voluit; ac ne cui ex adjectione illa fraus fieret, pactô Nannetenſe, publice, ſub ipſis (ut ſic dicam) Vervini congregatorum, quos non offendit, oculis cavit.

Quid utrinque exinde ſecutum? Reges *pro virili, quod alter alterius commodum, decus, famam ſpectaret, procuraturos* anno 1598, Maji 2 convenerat; at eodem, ac proxime ſecuto tempore tanta fuit, Henricum noſtrùm publice per Philippi ditionem proſcindentium, rabies, ut Carolum Ridicovium Gandavenſem, Dominicanæ diſciplinæ addictum afflaverit, & ad ſacrilega de optimo Rege necando conſilia compulerit, de quibus à judicibus reſpon-

ſpondere juſſus; *frequentibus ex ambone concionibus, & aſſiduis in ſchola diſputationibus, ad hæc ubique perſonantibus, non ſolum ad templa, ſed fora, compita, convivia, Iacobi Clementis (qui ſe pro Francorum libertate devoviſſet) tanquam glorioſi martyris laudibus facile ſibi perſuaſum* dixit, *rem Deo gratam facturum qui diriſſimum uſurpatorem, & nullo jure Chriſtianiſſimum regnum, cum tot animarum diſpendio, lacerantem de medio tolleret:* quo merito *Lutetiæ* A.D. 1599 April. 3, *membris confractis rotæ impoſitus eſt*, *fraterni* in Philippo *amoris* ejuſque, de *fratris fama*, curæ inſigne monumentum. Poſt promulgata annô 1598, Iun. 10 pacis Vervinienſis capitula, quibus hoſtilia omnia utrinque vetabantur; cum militiæ aſſuetos omnes abjectis armis, ad civium ſe modum componere neceſſe eſſet; plurimi otii illius (quod ignobile reputabant) impatientes, ac vere φιλοκίνδυνοι ſibi campum in quo exercerentur, in regni limite apertum gaudentes, in eum ſua quiſque via certatim irruerunt; nonnulli ſub Archiducibus, alii (etiam Romanæ Eccleſiæ obſequentiſſimi) ſub fœderatis Ordinibus, prævalente paſſim Hiſpanicæ factionis odio, & acerbo injuriarum Regi; regno, privatis, per tot annos illatarum ſenſu; qui enim huic ſe militiæ addicebant, juſtas ab auctoribus ipſis pœnas legitime repoſcere ſibi videbantur, nec venia ulla Regia (ut veterum ejus amicorum ſigna ſequerentur) opus eſſe contendebant; *itaque cum crebræ à Philippo & Alberto Archiduce querimoniæ venirent; pacem verbo in ſpeciem factam, re vera bellum diriſſimum inter ipſos geri, ſummiſſa pecunia & milite perduelles juvari, nec occulta in eos gratia Regem propendere. Quantum ad pecuniam ſpectabat, ſic reſponſum, Quamdiu Franciæ Regnum & Rex ipſe ab Hiſpanis ac Belgicis viribus, aliiſque externis copiis oppugnatus eſt, fœderatos Ordines nec pecuniæ, nec militi peperciſſe, ut rem Gallicam juvarent; proinde æquum eſſe, ut Rex tanti beneficii memor (amicis populis pecuniam, quam ab iis tam neceſſario tempore accepit, repoſcentibus) bona fide reddat. Id nullis pacis conditionibus prohiberi, neque concordiæ & amicitiæ nuper ſolenni jurejurando ſancitæ adverſari. Porro optare Regem pro jure amicitiæ, ut Alberto æquis rationibus cum illis conveniat; neque interim commiſſurum, ut fidem eâ in re ſuam, aut officium amici aut fœderati Principis deſiderare poſſit. Secundum hæc edicto vetitum, ne qui milites, (aliive cujuſcunque conditionis eſſent) in Belgium abirent, contra Albertum militaturi; ſi qui contra facerent, in eos tanquam perduelles legibus ageretur.*

Ne nobis quicquam, quod ad pleniorem veri aſſertionem quomodocunque facere poſſit, ſubduci patiamur; de tempore primum, quô *querimoniæ* ad Regem *venere*, ipſumque exinde à Rege edictum conditum eſt; poſtea de reipſa (ex Regis ipſius Hiſpanorumque mente) pauca notabimus: temporis exordium à pacis promulgatione, & mutuâ per ſacramenta Principum confirmatione, duci debere clarum cum ſit; ei non ſine veriſimilitudine, octimeſtre plus minus ſpatium aſſignamus, cum enim Iun. 10 promulgatio pacis facta ſit, ac exinde domum remitti eorum, qui eouſque ſub ſignis conſtiterant, pars maxima cœperit; fieri facile poteſt, ut nonnulli ex militia ſolutis, ad ordines (ſub iiſdem merendi ſpe) Auguſto menſe tranſierint, aliiſque ante hyemem navigationi incommodam, ac poſt hyemem vere ſequenti tranſeundi auctores fuerint: anno 1599 ante Aprilis 3, quo Carolus Ridicovius meritas pœnas luit, Fonte Blaudi Bleſas Rex conceſſerat, ubi *querimoniis* Archi-

ducum permotus edictum condidit, antequam *Philippus Huraltus Cancellarius ad Cevernium arcem ſuam* ſe conferret, in quâ aliquanto poſt, Iulii 30 deceſſit; edictum ergo Majo vel Iunio conditum, antequam trimeſtre integrum à miſeri Ridicovii ſupplicio effluxiſſet; quod maxime ad cauſam noſtram & immortale Henrici Magni decus pertinet; cum vel invitis glorioſæ ejus memoriæ obtrectatoribus extorqueat, eos qui exquiſitis & ad invidiam coloratis *querimoniis* ipſum vellicabant, digniſſimos fuiſſe, qui *querimonias* ſuas *crebras*, jam tum veras,& in perpetuum damno ſuo experirentur. Quid enim ſævius, immanius, Principibus Chriſtianum nomen profeſſis, fideque ab ipſis compari data indignius admitti potuit, quam ut continuis diris devoveri, & ſicariorum (quos publicæ *conciones, diſputationes, in foris, compitis, conviviis*, colloquia) ceu totidem ex orco raptæ Eumenidum faces ſuccendebant, & ad ſcelus auctorabant, furori eundem paſſim per ditionem ſubditam exponi ſinerent, cui poſt infinitas injurias porrecta manu *fraternum amorem*, ſanctamque de *fama, decore, commodo curam* ſpoponderant? pedem hîc ſi placet figamus, qui fratrem pacatum ſuo vel crimine, vel faſtidio ac neglectu adeo demerebantur, ut ipſi de vita ac dignitate ad ſingula momenta periclitari neceſſe eſſet,an non ſummo ejus,totiuſque orbis odio digniſſimi,eô ipſum, ſi ſe reſpexiſſet, vel nolentem adducebant, ut amicitiæ & concordiæ peſſime affectis promiſſæ pœniteret, rurſuſque vel ad arma palam curreret, vel antiquis ſociis ſummiſſo milite,pecunia etiam largius fusâ, additis hortamentis animos faceret?

Atqui nec arma reſumpſit, nec veteres amicos, adverſus novos (quod hi *crebris* ſuis *querimoniis* cauſabantur) juvit. quotquot enim ab anni 1598 Iunio menſe arma Hollandica ſecuti ſunt Franci, nec jubente, nec conſcio principe, ſed clam, motu proprio, quietioris vitæ tædio, Mauritianæ fortitudinis admiratione, & Hiſpanicarum partium odio novæ huic militiæ nomen dederunt: Lanovii & Rignaci legiones longe ante conſcriptæ, cum (ex illo quo conſcriptæ fuerant tempore) eorum fuiſſent, quibus ſacramentum dixerant, non Regis proprie, ſed Ordinum & cenſitæ ſunt à Regibus, & cenſeri debuerunt, nec de iis in Galliam revocandis, (quod iniquum & inutile fuiſſet) per pacis conditiones actum: ſed Francis reliquis in futurum, *terra, mari*, Hiſpanos oppugnandi libertas omnis adempta eſt; cumque illam annô 1598 adimi placuiſſet, ne quis in turbidos quoſcunque auſus præter fidem datam prorumperet, novo ex Archiducum mente anno 1599, à Rege edicto ſcripto cautum: quid ultra pacis amor & promiſſorum memoria ſuadere potuit?

Numeratam ordinibus à Rege poſt pacem pecuniam ſi quis obtenderit, eam non Regis, qui bonâ fide refundendam mutuo ſumpſerat, ſed ordinum quibus refundi eam ex pactis oportuit, fuiſſe meminerit; quid ad fœdifragii criminationem, ſi poſtquam Rex debita legitima expungere cœpit, & creditoribus fecit ex parte ſatis, illi recepto ære ſuo (proüt res ferebant) uſi ſint, novoque (ut ſic dicam) nervô aucti, protenſum in hoſtem ferrum fortius ſtrinxerint, eum exinde altius ferituri? Regine cui hoc unum propoſitum fuit, ut (quod nullis pactis prohiberi poterat) æs alienum diſſolveret, adſcribendum erit, quod alii exinde machinati ſunt,& ex mero eorum arbitriô abſolute pependit? ſed Ordines pecunia refusâ in Hiſpani damnum uſuros, qui

qui ignorare non potuit, ne quid amico novo incommodi quomodocunque creare videretur, vel negatâ, vel certe dilatâ in aliud tempus ſolutione cavere facile potuiſſet. eſto; an debuit? quis univerſa hæc mera ludibria eſſe neget? paulo ante pacem de *certis penſionibus exolvendo, quod Elizabethæ & ordinibus ob ſummiſſa auxilia debebat grandi ære*, Rex convenerat; nec ei deinceps liberum fuit conditiones bonâ fide & ſcriptas & ſervandas mutare. etſi vero de *certis penſionibus* nihil decretum fuiſſet, cum quicquid in ſubſidia depenſum à ſociis erat, eis (etiam non repoſcentibus) refundendum fuerit; ubi id ipſis repoſcere viſum eſt, denegari nullo alio jure potuit, quam decoctorum & prædonum, qui aliena invadere & obligurire amant, nec ut à mutuatitiis, aut injuſte invaſis (eorumque poſtquam repoſci cœperunt) illegitimo uſu, niſi vis major urgeat, abſtineant, à ſe impetrare ſolent. At Regem æqui bonique ſtudioſum, eo devenire minime oportuit, ut benemeritis injurius eſſet, ne forte illi (recuperatis, quas amice crediderant, pecuniis) inſtructiores facti, in commodum ſuum, male meritos male mulctaturi, verterent. unô verbo; Rex æs alienum quandocunque potuit diluens; ordines, propria re (ſimulac ad eos rediit) proüt ſe occaſio ferebat, uſi; nihil præter officium fecerunt, quandoquidem *nemini injuriam facit, qui jure ſuo utitur.*

Vix, edictô ſuô, Archiducibus milite ſe Gallicanô peti ſubinde querentibus caverat, pacemque annô præcedenti ſancitam novô firmamentô munierat Rex Maximus; antequam annus exiret, in ipſo (ut ſic dicam) Regis ſinu, Hiſpani ſororius, cui Hiſpanicâ indole incoctum pectus, Sabaudus, è limite; Petrus Henrici Guſmannus Fontanus, Philippi III in Mediolanenſi Ducatu Vicarius, Bironi vaſtum (ſed ſe non capiens) ingenium crimine Majeſtatis obligarunt. annô 1600 cum ad Salucienſis Marchionatus reſtitutionem propediem cogendus eſſet Sabaudus, *Carolus Lotharingus Guiſius in Provinciam deſcendere juſſus, ut ſi quid Sabaudus & Hiſpani, qui Teloni & Maſſiliæ inſidias ſtruere nunciabantur, moverent, ad omnes caſus præſto eſſet*, &c. Thuan. lib. 125.
Petrus Aldobrandinus Cardinalis, pacis pararius, *in itinere* ad Regem, *Mediolani Fontanum convenit, quem præcipuum hujus belli incentorem ſciebat, à patruo ut id faceret monitus*, &c. Fontanus *jam magnô numero copias undique coegerat, & nihil niſi bellicum ſpirabat*, &c. *Ioannes Baptiſta Taxis Orator Philippicus*, *Regi* Lugduni *denunciavit, niſi hoc cum Sabaudo diſſidium pace quam primum finiretur, Regem Hiſpaniæ ſororii ſui, & ſororis filiorum periculum non diutius neglecturum; cui à Rege fiducia reſponſum, minis nihil à ſe obtineri poſſe; in quibus ſi pergeretur, ſe brevi tot homines armatos in Philippi ditiones immiſſurum, ut iis pellendis, plus negotii habiturus ſit, quam ut alieno negotio ſe implicare debeat; minime ignorare ſe, plus animi Sabaudo quam virium, niſi Hiſpanorum conſiliis & opibus in occulto juvaretur, ad tam injuſtum bellum ſuſcipiendum, eſſe: itaque decreviſſe leonis animos, adverſus vulpinas fraudes induere*, &c. Sabaudi delegati, licet *mandatum* ab eo *haberent, contrario* (*tertio poſt die dato*) paci *ſubſcribere vetiti ſunt, antequam ipſe Fontanum conſuluiſſet*; Herminius Avenione ad Papam miſſus, Somæ Sabaudum & Fontanum *à pace*, jam ſubſcripta, *alieniſſimos nactus eſt*, &c. *Fontanus deſpicienti ſimilis, pacem ſe minime curare dixit; neque vero ſe ejus conditionibus teneri, copias quas penes ſe haberet, magno ſumptu paratas, atque alio deſtinatas, nequaquam juxta conditiones, ſed arbitrio ſuo dimiſſurum*, &c. *homo ambitioſus, qui belli occa-*

ſionem quæreret, quadraginta armatorum millia, & quadraginta machinarum apparatum, inutiliter ſibi perire impatientiſſime ferebat, Sabaudo ſubinde exprobrans tantos ſumptus ejus cauſâ factos, ac per eum ſtetiſſe, quominus Hiſpani arma in Galliam intulerint, & Regem intra Lugduni mœnia compulerint,&c. *non ignorabat Pontifex Fontanum à pace alienum, nihil non per ſuggeſtiones ſuas in aula Hiſpanica facturum, ut principem in juventutis ardore ad ſpecioſa proclivem à belli conſilio inflecteret,*&c.*cum copias, ſpecie belli Sabaudici inſtructas, etiam poſt pacificationem, poſtquam eas dimitti Aldobrandino Pontificio Legato inſtante placuerat, cum ſine anxia principum vicinorum, quô conſilio id fieret incertorum formidine diu ſub ſignis retinuiſſet, tandem* anno 1601 Iunio menſe, *conatu contra Algeriam evaneſcente, diſſipatæ ſunt:* nec ante Vervinienſis pacis inſtrumento ſubſcripſit Philippus III, prout ex Cardinalis Oſſati epiſtola 270, ad Regem ipſum; Iunii 11, feria 2 data conſtat: in quâ hæc etiam Hiſpanicæ in promiſſis conſtantiæ monumenta habemus, uſque tunc, ideſt ſolido à pace Vervinienſi triennio, *dire & inhumane, adverſus commerciorum libertatem pace illa promiſſam & conceſſam, iterataque ſæpius tam Legati* Francici *in aula* Hiſpanica, *ad Regem ipſum ejuſque Conſiliarios,* quam in Francica *Conſiliariorum* Regiorum *ad Legatum* ipſum Hiſpanicum *monita, Francos in Hiſpaniam commeantes tortos, & cæſos*, Maſſiliam à Fontano & Sabaudo, Metim ab Alberto Archiduce & Mansfeldio Comite tentatas, *reorum confeſſione, totius familiæ Auſtriacæ adverſus Franciam ipſumque Regem odio* comprobatum.

Iam tum de Francis ad caſtra Hollandica profectis, Hiſpanorum continuis ſuſurris incitatus, Papa queri cœperat; ſed fidem Regiam ex officio, ipſaque veri conſcientia, egregie tutatus eſt, Regii nominis obſervantiſſimus Præſul; *jam ut,* inquit, *ipſi dixeram, adverſus Majeſtatis veſtræ voluntatem id factum dixi, prout ſanctitas ſua (cujus ſubditi nuper ſe Principibus aliis ea invita addixerant) de aliis ex ſemet judicare poterat; quod mihi confeſſa eſt: Addidi etiam longe plures Francos ad Archiducis caſtra (quo etiam ſe paulo ante Princeps Ionevillanus contulerat) profectos fuiſſe, in alia parte inſignem neminem reperiri, præter nobilem nomine Lanovium à patre inter eos alitum & educatum, adeo ut tam Hollandus quam Francus dici poſſit,* &c. *Eſto Rex Principem iſtum eo ſe conferre noluerit, nihil hac in re, niſi ex probi fœderati & ſocii officio egerit; qui (ſepoſito religionis capite) nihil non rebus in arctis ab Ordinibus ſubſidii & obſequii, ab aliis verò nihil unquam niſi moleſtiam & damnum retulit,*&c. *Id unum mihi perſuaſum eſt, principis illius iter, brevi ſanctitati veſtræ novam querendi occaſionem daturum, quandoquidem ejus exemplum plures, quam antea, ad partem aliam compulſurum ſit*, &c. *Tunc Papa dixit, Majeſtatem veſtram temperamentum aliquid hoc in negotio invenire poſſe, imo concordiæ aliquid inter eos procurare. Dixi Majeſtatem veſtram id ab initio voluiſſe, Archiducem vero diffiſum; cum probitatem ſinceramque Majeſtatis veſtræ fidem capere non poſſet, quam ex vulgi Principum pede metiebatur; huc etiam veniſſe quendam ex præcipuis Belgii magnatibus qui D. Sillerio confeſſus ſit, Archiduci ſi Majeſtatis veſtræ conſilium ſecutus eſſet, melius futurum fuiſſe.* & epiſt. 276 Iul. 23 feria 2 ad Villaregium data. *allegavi rurſus proprios milites eô invitô ad alios principes, ut ſub iis mererent, profectos; regeſſit à ſe demonſtratum id ſibi diſplicere, idipſum Regem imitari debere. Dixi à Rege, ſi ab his ſe alieniorem demonſtraret, reliquis Francis, Archiducibus militantibus, eorumque caſtra, in quibus*

Prin-

Principes duo in Francia (in qua omnes eorum opes) nati reperiantur; ſequentibus ſuccenſendum, &c. *quod ad auxilia ſpectat, ea Regem Zelandis & Hollandis nec miſiſſe, nec miſſurum dixi.*

Ejuſdem menſis die 17, cum Pinciæ nobiles ex Francici Legati Comitatu, diris, nec ferendis convitiis aggreſſi Hiſpani, ab ipſis pro merito excepti fuiſſent; Legati hoſpitium admotis ſcalis, effractis foribus, vi hoſtili undequaque adhibita & jure gentium violato expugnatum, domeſticis male mulctatis, ac univerſa ſuppellectile direpta, Legato inſultatum; quem Rex ad ſe revocare coactus eſt, interdicto populis omni cum noxia gente commercio; ne tamen retinendæ pacis minore deſiderio flagrare videretur, convictos & damnatos à Senatu Pariſienſi, qui de Meti intercipienda cogitaverant, Archiducibus eorum arbitrio plectendos condonavit; Quid benignitate tanta, quæ ex rerum propriarum vel oblivione, vel certe neglectu, & ἀπαθείᾳ pluſquam Stoica profecta videri poterat, promotum eſt? Archiducibus militaturus Ionevillanus, ad eos anno 1601 ſe contulerat, perduellis (ceu peſtilenti inter exteros halitu afflatus) protinus reverſus eſt; nec meritas pœnas effugiſſet, niſi Rex, qui eum *pernicioſa cum Philippo Anglurio Ionvellano Sequano conſilia agitaſſe* noverat, & *Guiſii fratris fidei in cuſtodiam tradiderat, juveniliter peccaſſe convictum, & quod res erat confeſſum, totius* familiæ precibus exoratus, *in gratiam recipere* maluiſſet. Iam *Sabaudus* (*antequam* annô 1600 Febr. 27, aula Francica *diſcederet*) *Cancellarium ſuum in Hiſpaniam miſerat, ut quid cum Birono egiſſet, plenius Regem edoceret*; poſtea *per Renazeum, multoties Birono & Luxio mandata data, ut Regem, quâ ratione poſſent, aut inter venandum, aut alia re intentum interciperent, & captum ſub cuſtodia in Hiſpaniam mitterent*, &c. *idem à Fontano Caſali ſæpius inculcatum, ac poſtremo Somæ ad Padum, extremo Ianuario anni* 1601, Birono optio data, *an prior cum fœderatis & ſociis arma ſumeret, an Rex Hiſpaniæ ſex ante ipſum menſibus bellum denuntiaret*; quin etiam convenit, *Hiſpanum de pace nunquam cum Rege acturum, niſi ex Bironi & ſociorum conſenſu; omnia loca, quæ in regno armis caperet, in manus eorum quos Bironus nominaret traditurum, ut à ducibus ex Gallica nobilitate tenerentur, excepta Maſſiliâ, quam ſibi ad triremium receptum ſervaret*; CIↃIↃ CCC *aureorum millia annuatim in illud bellum exſolveret, quorum diſpenſatio à Bironô fieret. Vicarius generalis per totas Hiſpani ditiones conſtitueretur; & ut inſolubili cum Hiſpanis nodo vinciretur, unam è filiabus Sabaudi uxorem, Burgundiæ inſuper principatum, ſibi ac ſuis cum pleno proprietatis jure, immenſis præterea penſionibus, acciperet: & ſiquidem conatus non ſuccederet; nihilominus Hiſpaniæ Regem Birono, in omnem eventum* CXX *aureorum millia annui reditus aſſignaturum, &* CIↃ CC *aureorum millia, præſenti pecunia, in Germania, aut Italia, aut ubicunque commodius videretur, depenſurum; Inſertum conditionibus, ſi res exitum ſortiretur, Bironus daret operam cum ſuis fœderatis, ut regnum per Pares adminiſtraretur, & Regis in eo, electio (inſtar Romanorum Imperatoris) conſtitueretur.* his illecebris ineſcatus, præceps in ſcelus actus cum eſſet; anno 1602, Iunii 14, cum Averno comprehenſus, Iulii ſequentis 31 ſupplicio affectus eſt; *ante* ejus *mortem Ioannes Baptiſta Taxis Philippicus Orator, ſtatim ad Regem venerat, & ex fœdere tranſitum per Greſinium pontem Rhodano impoſitum copiis in Belgium deſcendentibus petierat, ſuique Regis nomine rogaverat, ſibi perſuaderet, Philippum nullatenus Bironi poſtulati conſiliis participare, aut*

Oſſat. epiſt. 281.

epiſt. 285.

Thuan. lib. 128.

 cauſam

cauſam dediſſe. Ad quæ Rex ita reſpondit, ut commercii libertatem nolle ſe impedire oſtenderet; cæterum haud ſibi facile perſuadere poſſe, Philippum ignoraſſe conſilia à Fontano Comite cum Birono inita, neque vero ſimile fieri, pecuniam ſuam, ipſius injuſſu, tam large ab eo profuſam fuiſſe: Die à Bironi ſupplicio 19, Septembris nimirum 27, Guido Ederus Fontanella Hiſpanico auro redemptus regni proditor, *membris confractis rotæ impoſitus eſt*; & Marcellus Andreas Calaber eodem judicio damnatus, *pœna pro tempore*, juſſu Regis ad miſericordiam ſemper proni, *exemptus.* Arvernus & Luxius (*molitionibus ac conſciis detectis*) Octobri menſe *in gratiam recepti.*

Die à capto Birono 31, Iulii nimirum 14, Gravia ab ordinibus obſideri cœpta, Septembris ſequentis 20, ante Fontanellæ ſupplicium ſeptima, deditionem fecit; Decembris vero ſecunda hæc ad Regem, manu propria Clemens I I X Papa ſcripſit, Hiſpanos & Archiducem contra queri, *in Belgio Regem perpetuo intelligentias habere, de intercipiendis ibidem oppidis conſilia miſcere; palam ejuſdem regionis rebellibus favere, magnaque auri & militum vi opitulari; adeo ut in Mauritii Comitis caſtris Francorum Legiones duæ vexillis explicatis, cum numeroſo equitatu, adverſus exercitum Catholicum ſteterint, unde Graviæ, tanti momenti loci, jactura ſecuta ſit.* Hoc forteſortuna obvio telô ferox, in Regium caput calumniarum fœcundus Zypæus fertur, falſiſque falſa & inepte conficta cumulans addit, *Rebellibus, fidei Orthodoxæ inimicis, ſuppetias continuavit, & rebus domi pacatis potentiores tulit, binarumque poſt paulo legionum auxilia ad exercitum illorum ſubmiſit, quorum imprimis robore Gravia expugnata eſt.* ſed brutum Regi laudatiſſimo adlatrantis convitiatoris impetum ſiſtere facile eſt. de *orthodoxæ fidei* impugnatione, quod obtendit; ordines ipſi, ſua præſtare idonei, quandocunque & quomodocunque libuerit, à ſe depellent; nobis, quibus fœdus inter eos & Francos nullum de religione, ſed de Republica una, utrinque (niſi amice inter ſe conſpirarent) periclitante, fuiſſe compertum eſt, ad cauſam obtinendam ſatis eſt; 1 *fœdus* illud, hoc ipſo quod *neceſſarium* fuit, & ſecuritati publicæ nulla cujuſquam cum injuria providit, *juſtum, legitimum, ſanctum* ab initio fuiſſe, & uſque nunc eſſe. 2 *Rebellionis* elogio, quod ipſa pars adverſa, publica confeſſione, factiſque omni ſermone valentioribus, non ſemel delevit, immerentes eos inurere, inſanum fuit, eſt, & erit ſemper: 3 *ſuppetias* qui nullas ante proprie (prout ante notavimus) tulerat, ſed rogaverat, poſt pacem vel *continuaſſe*, vel *potentiores tuliſſe* dici nequaquam debet; quandoquidem *non ens* (cum nec præcedanea, nec conſectaria, quæ ex neceſſitate & aliquid & alicujus ſunt, habere aptum natum ſit) rei nulli *continuari* potuit. 4 quod *potentius* dici meretur, rei vel actu præſentis, vel præteritæ quæ eſſe jam deſierit; vel futuræ, quæ nondum ſit, comparatione & proportione (quæ nulla inter *ens* & *non ens* datur) quicquid ideſt denominationis ſortitur. 5 *legiones quarum in primis robore Gravia expugnata* eſt, non poſt pacem, ſed longe ante conſcriptæ ſunt. 6 eædem à Rege proprie conſcriptæ, aut ejus ære auctoratæ non ſunt, ſed permittente ipſo ab ordinibus, ex quorum ære ipſis ſtipendia ſemper proceſſere, conductæ ſunt. 7 qui aliud Archiducum nomine Pontifici perſuaſum voluerunt, ſtrenue mentiti ſunt: ecquod enim Archiducum oppidum habuere, cui inſidias vel à Rege, vel ejus nomine ſtructas cauſarentur? nullum plane; qui enim ad Maſſiliam, Metim, Narbonem, Triſtanni Inſulam

apud Oſſatum epiſt. 327.

(dum

(dum eas auctionarentur) deprehenſi fuerant; quod unum ad manum ſupererat, vagam, quæque nulli tempori ac loco conveniret, querelam, velut deſperabundi, machinati ſunt; eoque Papam publicæ quietis ſtudioſiſſimum importunitate ſuâ compulerunt, ut quos ex imô Orcô exciverant fumos, indignam à ſceleratis fabulatoribus impoſturam paſſus, vænales, eorum (quæ nulla prorſus erat) fide venditare non dubitaret.

Sed quicquid calumnia eorum effinxit, verum fuiſſe, Regemque pecuniæ vel gratis numeratæ, vel mutuo ſaltem datæ erogatione, & copiarum ſubmiſſarum robore, Vervinianam pacem indirecte læſiſſe largiamur: eamne priorem læſiſſe ſenſit, & confeſſus eſt, cujus auctoritate fretus videri Zypæus volebat? Imo contra palam proteſtatus eſt, *Ego* (inquit) *ſemper credidi, & hîc dixi, pacis violationem à Sabaudiæ Duce, & Hiſpanis, qui cum hac in parte foverant & juverant, ac exinde ea omnia (quæ melius noſti) peregerant, proveniſſe. Ideo in ea cum Domino Legato ſententia fui, Regis jus coram Papa proſequi nos oportere, Sanctitatemque ejus ab errore liberare, & alios qui conſimilem opinionem imbibiſſe poſſunt*, &c. *Hucuſque in ſanctitatis ejus ſententiam abſolute tranſii, ſi modo id unum excipiatur, quod Regem priorem paci contraiiſſe credere videtur*, &c. *Ecce, Domine, quo præter pacis obſervationem, referendæ ſint conſiderationes illæ, quid fieri oportere exiſtimem, circa ea quæ Papa vobis propoſuit; quod in ſummâ eſt, ſanctitatem ejus ab errore liberare, ea ex parte quâ de nobis injuria credit, ſincere, bonaque fide (ex parte noſtra) ſancitam cum Hiſpaniæ Rege & Archiducibus pacem (dummodo illi ex parte ſua, prout ipſi ore manuque Sanctitatis ejus offerunt, eam ſervent) ſervare, imo eandem cujuſcunque generis, & honorificis, & utilibus vinculis arctius ſtringere paratos, ita tamen ut pluſquam ratio exigit, non fidamus, minuſque vigilemus ac provideamus; cæterum Hiſpaniæ Regem & Archiduces eo in ſtatu, quo nunc ſunt, cum aliis relinquere; nullo malo affectu aut propoſito, ſed propriæ conſervationis noſtræ gratia, ac ne ei, qui id ſibi in votis eſſe jam declaravit, totis in Franciam viribus irruendi viam aperiamus.* Hæc oculatiſſimus, & purpurâ digniſſimus ſenex A.D. 1603, Feb. 10. Eſto ergo Belgas fœderatos ab anno 1598 ære ſuo locupletaverit, & copiis quibuſque juverit Rex; annon fidiſſimos, conſtantiſſimos, ad obſequia paratiſſimos amicos, adverſus infeſtiſſimos ab antiquô hoſtes, qui nihil intentatum vel ante reliquerant, vel exinde relictum volebant, quo ipſi regnoque periculum crearetur, ne ſibi ſuiſque deeſſet, jure tueri potuit? quid deliquiſſet, ſi continuis inſidiis petitus, de capite, dignitate, fortunis univerſis ad ſingula momenta periclitans, & maledictorum plauſtris obrutus, pactis (quorum reverentia nulla tangebantur æmuli) ſe nequaquam teneri publice proteſtatus eſſet, apertoque bellô infidæ paci generoſe prælato, vel cum veteribus ſociis arma reſumpta ſocians, vel in eorum partes totus (ut ſic dicam) tranſiens, læſam ſæpius patientiam furorem fieri ſiviſſet? Sed, quod heroïcæ mentis erat, manifeſte & ſæpius læſus, animum in poteſtate habuit, & pœnam (quandocunque tuto potuit) donavit, ubi non potuit temperavit, juſti etiam doloris ſtimulis exagitatus, non extra ſe proſiliit; magni animi eſſe injurias in ſumma poteſtate pati, nec quicquam eſſe glorioſius principe impune læſo certus. urgeat quantum libuerit Zypæus, *Clementem* VIII (poſtquam Gravia à legionibus Francicis expugnata eſt) *Legatum Regis juſtâ cum querimonia graviter monuiſſe, non tantum id adverſari juratæ paci, ſed etiam vergere*

in per-

in perniciem fidei Orthodoxæ; modo ex illa ipſa quam laudat *Oſſati epiſtola* 327 conſtet, falſa audiſſe, & ad tempus credidiſſe Papam, quem veriora docere neceſſe fuit, ne deinceps ad Hiſpanorum fabulas nimium facilis, Regem juratæ paci, fideique orthodoxæ vel tantillum adverſatum perperam putaret: re enim vera ad Graviæ expugnationem à Rege Francus nemo miſſus eſt, quotquot Ordinibus tunc fortem operam navarunt, ante pacem ſe eorum militiæ addixerant; à pacis juratæ conditionibus Rex ne latum unguem receſſit; ſi recedere libuiſſet, ultio in recedere prius auſos juſtiſſima, non injuria, factum ejus cenſeri debuiſſet.

Thuan. lib. 129. Anno 1602, nocte feriæ 7, quæ inter 21 & 22 Decembris interceſſit, cum Genevenſes imparatos, & vana à Roqueto Præſide ſpe lactatos adortus Sabaudus fruſtra fuiſſet, eorumque à deceſſore ſuſceptorum periculum Rex negligere non poſſet; maligno nomen ejus dente arrodere cœpere æmuli, quaſi à pace alienior in eadem de religione cum Genevenſibus conſpiraret: epiſt. 341. A.D. 1603 Iul. 14. ſed calumniam fortiter depulit Oſſatus Cardinalis, *Quandoquidem hunc regni aditum ſibi adimi, & ab alio occupari Rex non ſinet, nihil præter ſui & coronæ defenſionem, regnique commoda ac neceſſaria molietur, quæ quocunque jure, divino, naturali, humano, Regum Chriſtianiſſimorum anteceſſorum exemplo, univerſiſque decori ac famæ legibus procurare tenetur*, &c. *quandoquidem aditus illius commoditas non hæretica magis eſt quam Catholica, utiliſque ac neceſſaria Franciæ nihilominus eſt; Rex univerſis denuntiatum vult, ſe nunquam adeo ſimplicem, aut remiſſo animo futurum, ut ſibi regni commoda & neceſſaria è manibus auferri ſinat, ne ea quam ſibi & coronæ debet defenſio, à Sabaudiæ Duce, & adhærentibus, hæreticorum fœdus & protectio vocetur.* quanta epiſt 319. Iun. 16. fuerit eorum iniquitas hinc diſce, *quamvis* (inquit Oſſatus) *bellum apertum fuerit, & à Corona adverſus Coronam uſque nunc geratur, Anglorum naves ad oras Hiſpanicas admittuntur, invitantur, comiter excipiuntur,* ut ut *noſtræ poſt ſancitam & juratam pacem, prout ipſe noſti, habitæ ſint. Hiſpani majore nos quam Anglos & Scotos odiô proſequuntur, & à nobis mari, ubi eorum præcipuus* Thuan. lib. 132. *metus, ſibi minus metuunt.* Ejuſdem iniquitatis, mentiſque, Regi, regno, paci ex æquo infeſtæ, corruptis A.D. 1604 Nicolao Hoſta, Arverno, Entraguio; anno 1605 Merargio, & Lugaſſiis fratribus, tam ſtupenda quam pudenda lib. 134. exempla ediderunt, qui hoc ipſo tempore, nullam bello cum Ordinibus ſuſcepto ſalutem eſſe experti, de iis quomodocunque reconciliandis, editis lib. 133. libellis, interpoſitaque Rudolfi Cæſaris auctoritate cogitabant; Anno 1606 Baudius de induc. lib. 1. cum *exhauſtum ſumptibus ærarium, conſumptam fidem*, ſubditam cum vicinia *ditionem, multos ſe deſertoribus adjungere, omnia late territare, ordinum naves Hiſpanicam oram infeſtare* dolerent, Walravium *Wittenhorſtium Hagam* (*velut ad prætentandum vadum*) ſolum Maji 6, cum Ioanne Gevartio Decemb. 23 miſerunt, quos anni 1607 Martio ineunte ſecutus P. Ioannes Ney, inchoatum negotium eo acrius urſit, quod Aprili ſequente à Iacobo Heemskerkio Thuan. lib. 138. ordinum thalaſſiarcha Hiſpanica *claſſis quæ fretum Gaditanum innatabat, aut flammis conſumpta, aut ictibus tormentorum ita quaſſata* fuerit, *ut pauci myoparones & naves uſui deinceps eſſe poſſent:* pactæ ergo octo menſium (à Maji 4 inchoandorum) induciæ, quas poſtea in ſeſquimenſem, tantiſperdum delegati convenirent; ubi convenere, in ſequentes Kalendas Ianuarias, tertio in Februarii 11, ac tandem in Aprilis 9 prorogari placuit; eaque die adnitentibus

Franci

Franci & Britanni legatis Antverpiæ aliæ duodecennales, de communi partium ſententia,decretæ ſunt; verba ſibi tunc ab Archiducum delegatis (ut ab aliis olim) dari, ne Ordines majorum experimentis diffidentiores facti crederent, Maximos Reges ut *conſilii auctores*, ſic *fidei ſponſores, & periculorum participes* eſſe oportuit: anno ergo 1608,defenſivum fœdus cum iis Henricus Magnus pepigit, noviſque appoſitis conditionibus ſecuritati eorum cavit; quâ in re, Vervinenſis pacis tabulis derogatum (prout prima fronte videri poterat) non eſt, ſed novum robur additum; cum enim hac una lege, ordinum in inducias, quas Hiſpani enixius rogabant, conſenſus impetrari potuerit, ſi ſe Rex Chriſtianiſſimus novis pactis illigaret, quorum vi deinceps audentiores & inſtructiores, adverſus inopinatos hoſtium impetus ſtarent; quod Hiſpanorum rogatu, & cauſa, imo in ſummum eorum commodum, ut voti compotes evaderent, amico & benevolo animo Rex fecit, non ipſis Vervini datæ fidei tædium in eo ullum indicavit, aut pacti religioſe ibidem ſanciti nervos ſuccidit, ſed bonam ejus fidem magis aſſeruit, & ſanctè promiſſorum religionem re ipſa confirmavit; cum enim *fraternum* ſibi invicem *amorem*, quô *alter alterius pro virili commoda procuraret*, ſpopondiſſent Reges, nec alia annô 1608 ulla (Hiſpani ipſius judicio) quam ſibi ſuiſque ſitientius optabat, pacem procurandi ſpes ſupereſſet, quam ſi Ordines quavis ſponſione deliniti in eam inclinarent; qui quod unum in hunc finem præſtandum erat, ex animo præſtitit, fraterno officio functus, optime de compare meritus eſt; nec fidem ordinibus obſtringendo, iiſque (prout volebant) cavendo,peccaſſe aut (fratrem idipſum,ne pacis, hac una via aſſequendæ bono careret cogeretur, poſcentem) crimine ullo demeruiſſe cenſeri debuit: ſatius enim, ex Hiſpani ipſius mente, fuit,ordinum, à concordia alienorum, mentem beneficio aliquo permulcere; quam Hiſpanicæ ſpei, idipſum denegando, quomodocunque illudere: Regis ergo fide, in quam hinc inde partes inclinabant, utrinque actum; Eum (Belgis ipſis fatentibus) *magnitudinis ſuæ ſecurum,ſola benevolæ mentis indole hortante*; ut,quemadmodum anno 1596, *Lævinum Colvartium Ordinum Belgicorum* apud nos Oratorem, *fœderis* cum Anglis *actioni intereſſe voluerat*; ut in *eo fœdere*, quod cum Anglis inibat, *inter eos qui ad illud invitabantur*, *Belgii ordines comprehenderentur*, pervicerat; quantumvis id *Angli nollent,quod eos patrocinio Reginæ defenſos ex ipſius voluntate omnino pendere æquum eſſe ducerent*; *id etiam Cæcilius maxime urgeret*, vixque *Regina tandem aſſentiretur, ut generale Ordinum ſive Statuum nomen principibus adjiceretur*;quô officii genere *actum eſt ut ipſi à ſervitio Anglorum,quod illi in Ordines patrocinii prætextu uſurpaverant,per illam clauſulam eximerentur*, & æquo cum patronis jure componerentur; *eum rurſus* anno 1607, &c. *idem animus incitaret*, ut eoſdem *ſalvos eſſe vellet*, *etiam invitos ac reluctantes,quod optimum eſt miſericordiæ genus*; annoque 1608, Iunio menſe, *recens exſtare ſpecimen ac teſtimonium vellet ſui erga Ordines favoris & affectus*, *quod in eorum gratiam conditiones ſibi ac regno glorioſas ultro oblatas adſpernatus eſſet*, *ne quid fieret unde ſuſcepta negotiatio pacis aut induciarum retardaretur.* quin & Toletano Hiſpani Legato, *fata fortunamque unitarum Provinciarum pendere à nutu & arbitrio* ejus aſſeveranti, in hæc ipſa verba reſponderet; *tota erras via*, *nihil in ea re poſſum*, *nec poſſe volo, quam quod in commodum utriuſque partis ſit, Regis tui nimirum & Ordinum confœderatorum.*

Thuan. lib. 116.

Baudius de induc. lib. 2.

Mea non aliud refert, quam ut Chriſtianus orbis tranquilla pace fruatur. Ex adverſo ne Hiſpanis conciliatis deeſſet, Ianninum Præſidem Legatum, à quo *quicquid erat geſtum inter Ordines fœderatos & Archiducum Legatos cognoverat, continuo remitteret cum mandatis, ut totis Regiæ auctoritatis viribus uterentur, ad pacem aut inducias longi temporis inter eos conciliandum, id enim communiter expedire, nec ex uſu tantum eſſe, verum etiam neceſſarium.* Quare *delectis id curæ & oneris* ab Ordinibus *impoſitum eſt, ut cum Legatis Galliarum conſilia conferrent, eoſque publico nomine rogarent, ut Regis vicem præſentia ſuâ ſupplerent, & rebus gerendis lucem auxilii, gratiæ atque auctoritatis commodare dignarentur, dum negotiatio illa pacis atque induciarum diſceptaretur.* ipſi Hiſpanorum delegati proteſtati ſunt, ſe *non intelligere quæ juſta cauſa poſſet intercedere, cùr ab hoſtilitate ceſſare non oporteret, cum Legati magnorum Regem ac Principum fidem ſuorum Dominorum obligarent, rata fore quæ*
p. 116. *promitterentur.* iidem à delegantibus *in eam potiſſimum curam incumbere*
p. 119. juſſi ſunt, *ut Præſes* Ianninus Gallicæ Legationis caput, *extra ordinem ſciret ſibi fidem haberi ſine ulla exceptione; ſatis conſtare quantum Rex auctoritate & gratiâ polleret apud Ordines, quorum mentes ejus nutum tanquam alicujus è Cœlô delapſi Numinis intuerentur: nihil denegatum iri ſi totas animi conſiliique vires explicaret, ut ſummis & imis exploratum eſſet Regi rem tam eſſe cordi,*
p. 181. *ut nullo magis pignore gratiam & benevolentiam ejus demereri poſſent.* ubi vero quæ jam Regum Franci & Britanni Legati Ordinibus propoſuerant, *Archiducum Legatis propoſuere, conſilium minime rejiciendum eſſe, remque ſibi*
p. 190. *curæ futuram, addita gratiarum actione, reſponderunt.* Cum igitur Hiſpani *gratos* ſe profiterentur; Ordines (quod ante nolle videbantur) *feriæ interceſſioni, gratiæ & auctoritati Legatorum* Francicorum & Britannicorum, *quibus nefas eſſe ducebant quicquam denegare propter ingentia merita, ſtudia atque officia, quibus ſe erga Dominos eorum in æternum devinctos eſſe confitebantur,*
lib. 3. p. 230. Septembris 13 dediſſent, qui jam Auguſti præcedentis 27 fidam & efficacem partibus operam, ex Hiſpanorum præſentium voto detulerant; poſtquam ii Haga Septembris 30 diſceſſere, *magis ac magis in eam curam incumbere cœperunt, ut quando pacis ad præſens obtinendæ ratio plane ſublata eſſet, ſaltem lon-*
p. 277. *gi temporis induciæ maturarentur.* Octobris 16, cum literis & mandatis ad Archiduces Carolus Albaſpineus miſſus eſt, ut quid animi haberent liquido cognoſceretur. Octob. 20 Angli nomine Winvoodius, Novemb. 20 pro Francô & Anglô Ianninus verba fecit; paulo poſt cum collegis, aliiſque Legatis, Antverpiam cum Hiſpanis acturus, & exinde ad Ordines relaturus conceſſit: Martii denique 14, ſcripto Ordinibus oblato, diſſentientes expugnavit, eoque
lib. 1. p. 33. perduxit ut in Induciarum pacta Aprilis 9 ſubſcripta conſentirent. Si eorum
A.D. 1607. tam ſuſpecta conſilia, quam odioſæ & fraudulentæ initio Hiſpanorum artes erant, quorum *largitionibus & ingentibus jacturis, tanquam illitis hamo cibis, & opertis prædâ laqueis, eorum, quorum fidelitati commiſſa erant arcana dominationis, ineſcare conantium mentes, præpoſteram & ſplendide, ſordidam rationem* publicè *accuſare* neceſſe fuit; cur iis quorum (ex hypotheſi) fides, vel ſublæſta, vel prorſus nulla erat, adeo fidebant, ut iis quibus ſine ſponſore, tutoque nihil credi poſſet, in cauſa omnium graviſſima ſponſoribus uterentur? Sed optima fide egerunt, & egiſſe ab illis ipſis crediti ſunt, quorum nunc (curarum ab iis in commune Europæ bonum ſuſceptarum ope) in tuto collocatorum

poſte-

poſteros, pro innatô ingratitudinis vitio (ne ſummô, quo indigni erant, beneficio affecti viderentur) glorioſam eorum famam per immanem calumniam ſugillare non pudet.

Eos falſi cum convicerimus, infrunitæ impudentiæ & αἰσχρολογίας damnare ſani cujuſvis fuerit: Henricum Magnum, quem fidum & beneficum ipſimet longe aliud meriti experiebantur, infidum & pactorum Vervinienſium temeratorem fuiſſe volunt; quô argumento probant? apertô mendaciô, quô tamen impudens eorum convitiandi libido invicte refellatur. *tractatus* inquiunt, cum Ordinibus *veteres continuavit*; falſum id eſſe docuimus, totoque fingere auſos campo excedere coëgimus; eos tamen nihil finxiſſe ſtatuamus; quid conſequentur? an Henricum noſtrum ἀλλοπρόσαλλον, promiſſorumque ac fidei ſemel datæ parum memorem fuiſſe? imo contrarium volentes nolentes demonſtraverint; ſi enim tam alte in regio pectore fœderis cum Ordinibus ante annos aliquot initi memoria manſit, ut ab eo, licet in aliud pertractus, recedere nequaquam potuerit: quis deponendarum amicitiârum, refigendorumque fœderum prorſus incapacem, juratæ concordiæ retinentiſſimum, cujus promiſſis plena fides haberetur digniſſimum fuiſſe neget?

Sub finem vitæ (inquit Zypæus) *certum eſt animô magna molimina volviſſe, à Principibus Belgii tranſitum per agrum Luxenburgenſem petiiſſe; multorum eſt opinio, ea meditatum quæ Palatinus poſtea conatus eſt; quod quia mihi non liquet, benignius lubet præſumere illud Sap. c.4.* raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, *&c. dicit tamen Declaratio* Regem in procinctu fuiſſe ad totam Europam turbandam, *&c.* Reſp. *Declarationem* pro reis, ab addictis, & affectu partium cæcatis, manifeſta cum injuriâ, editam, hilum neque nos, neque quotquot res ipſas ſpectant moramur: Clivenſium Ducum ditioni cum ab A.D. 1590 perpetuo inhiaſſent, 1595 Iacobâ Badenſi poſtremi eorum uxore, cujus inconſulto zelô abutebantur, ſubornatâ, nihil non (ut legitimi ejus hæredes à ſpe legitimæ ad ſe devolvendæ ſucceſſionis arcerentur) egerant: ubi annô 1609, Martii 25 (antequam induciarum Belgicarum pacta ſancita eſſent die 16) defuncto Ioanne Guillelmo Principe, ad eam via aperta eſt, in eam ſubita vi irruperunt, Iuliacô occupato, validoque præſidio munito; eandem 1599 Franciſco Mendoza Duce, harpyarum cum more expilaſſent ſui late terrorem ſparſerunt, & ex limite propinquo hæreditatem, jure ſanguinis delatam, cernere paratis bellum oſtentarunt Hiſpani; Ad inſolens exempli tanti ſpectaculum Germania univerſa cohorruit, arrectis animis vicini juſta indignatione exarſerunt; quique ſe iniqua vi ſpoliatos querebantur, rogatis amicorum conſiliis, arma conſenſu magno ſumpſerunt; Iurene an injuria ex ſubjecta cauſæ Clivenſis ὑποτυπώσει manifeſtius apparebit.

Thuan. hiſt. 124.

1 Philippus Audax Burgund. Dux Margaretæ Flandricæ maritus.

2 Ioannes Dux Margaretæ Brabantinæ maritus.
2 Philippus Niverni Comes Bonæ Attrebat. maritus.
Albertus Saxoniæ Dux Zedenæ Georgio Podiebrachio Bohemiæ Rege natæ maritus, A. D. 1500 denatus, cui & poſteris Clivenſis hæreditas in caſu ſi Maſculi deficerent à Maximiliano I donata eſt.

3 Philippus Bonus Iſabellæ Portugal. maritus.
Agnes Caroli Borbon. uxor.
Maria Adolfi I Clivenſis uxor.
3 Ioannes Iacobæ de Alliaco maritus.
Henricus Catharinæ Mekelburgicæ maritus.

4 Carolus Dux.
Iſabella.
Ioannes I Dux.
Iſabella. 4
Auguſtus Elector Annæ Danicæ maritus.

5 Maria Maximiliani I uxor 1, qui ſcripto circa an. 1496 diplomate Clivenſium uxoris propinquorum (ſi mares in eorum familia deficerent) hæredem Albertum Saxonem pronunciavit.
Ioannes II Matthildis Haſſicæ maritus. 5
Chriſtianus Sophiæ Brandeburgicæ maritus.

6 Philippus I Ioannæ Caſtell. maritus.
Ioannes III Mariæ Iuliacenſis maritus. 6
Ioannes Georgius nunc ſuperſtes, an. 1609 Clivenſem hæreditatem ad ſe devolutum contendit, & ab Alberto Archiduce in ædium Clivenſium Bruxellis ſitarum poſſeſſionem miſſus eſt.

7 Carolus V Iſabellæ Portug. maritus.
Ferdinandus I Annæ Hungar. maritus.
Guillelmus Mariæ Ferdin. natæ, A.D. 1592, Ianuar. ineunte denatus.
Sibylla Ioannis Friderici Saxoniæ Electoris uxor, Vinarienſium omnium parens. 7

8 Maria.
Maximilianus II.
Ferdinandus Philippinæ Velſeræ marit.
Carolus Stiriæ Dux Mariæ ſorore natæ marit.
Maria Guilelmi Ducis uxor.
Anna Alberti Bavar. Ducis uxor.
Carolus ante patrem denatus.
Ioannes Guillelm. Iacobæ Badenſis, ac exinde Antoniæ Lothar. maritus, an. 1609, Mart. 25, ſine liberis denat.
Maria Leonora Alberti Frider. Brandeburgici Boruſſiæ Ducis uxor ante fratrem denata.
Anna Philippi Palatini Neoburgici uxor an. 1609 ſuperſtes fratris ex aſſe hæres haberi voluit.
Magdalena Ioannis Palatini Bipontini uxor, ſibi A.D. 1609 legitimam in hæreditate fraterna portionem vindicavit.
Sibylla Caroli Auſtriaci Burgoviæ Marchionis uxor, A.D. 1609 legitimam in hæreditate fraterna portionem vindicavit. 8

9 Rudolphus II qui mandatum de invadenda ſequeſtri ſpecie Clivenſi ditione dedit.
Albertus qui Saxoniæ Duci ut eam cum Ioannis Guillelmi hæredibus committeret Bruxell. eorum ædes tradidit.
Carolus Borgoviæ Marchio Sibyllæ Cliv. mar.
Leopoldus qui Rudolfi de hæreditate Clivenſi invadenda mandatum ſuſcepit.
Maria Caroli avunculi uxor.
9 Anna Ioannis Sigiſmundi Electoris Brandeburg. uxor jure matris inter ſorores primogenitæ avunculi hæres ex aſſe haberi voluit.
Wolfgangus hodie Iuliacenſis Ducatus poſſeſſor.

10 Georgius Guillelmus Elector Elizabethæ Carlotæ Palatinæ maritus.

11 Fridericus Guillelmus nunc Clivenſis Ducatus poſſeſſor.

Cum inofficioſam & affinibus injuriam Maximiliani 1 donationem, quorum intererat, quererentur; & Leopoldi invaſio Auſtriacos Principes alienis inhiare fidem facere videretur; Palatina, & Brandeburgica familiæ, iniquæ ſuorum ſpoliationi aperto Marte obſiſtere paratæ, ſocios ex vetuſtorum fœderum lege advocarent, eorumque & fidem implorarent, & opem rogarent; præ aliis omnibus Henricum Magnum optimæ cauſæ vindicem opta-

optaverunt, qui juſta eorum vota (antiquæ amicitiæ & Vervinenſis pacis memor) nequaquam fruſtratus, ſed conſilia ſe & eorum expectatione digna ſecutus, de reſtituendis in integrum vim paſſis ſociis, compeſcendiſque Europæ pacatæ turbinibus ſerio cogitavit. Ne Vervinenſium pactorum dicis tantum cauſa meminiſſe videamur, XXXI eorum caput Lectori expendendum proferemus, *En cette paix, alliance & amitié ſeront compris de commun accord & conſentement deſdits Roys Treſchreſtien & Catholique, ſi compris y veulent eſtre, premierement de la part dudit Seigneur Roy Treſchreſtien, noſtre Sainct Pere le Pape, le Saint ſiege Apoſtolique, l'Empereur, les Electeurs, Princes Eccleſiaſtiques & ſeculiers, Villes, Communautéz & Eſtats du Sainct Empire, & par ſpecial Meſſieurs le Comte Palatin Electeur, le Marquis de Brandebourg, le Duc de Wirtemberg, le Lantgrave de Heſſen, le Marquis d'OnoltZbach, les Comtes de Friſe Orientale, les villes maritimes, ſelon les anciennes alliances: le Roy & Royaume d'Eſcoſſe, ſelon les anciens traittés, alliances & confederations, qui ſont entre les Royaumes de France & d'Eſcoſſe, les Roys de Pologne, Danemark & Suede, le Duc & Seigneurie de Veniſe, les treiZe Cantons des Ligues de Suiſſe, les Seigneurs des trois Ligues Griſes, l'Eveſque & Seigneur du pays de Valley, l'Abbé & ville de S.Gall, Tockemberg, Mulhauſen, le Comte de Neufchaſtel & autres alliéz & confederéz deſdits Seigneurs des Ligues, Monſieur le Duc de Lorraine, Monſieur le grand Duc de Toſcane, Monſieur le Duc de Mantoüe, la Republique de Luques, les Eveſques & Chapitres de MetZ, Toul, & Verdun, l'Abbé de Gorze, le Seigneur de Sedan, le Comte de la Mirande. Bien entendu, que le conſentement, que ledit Seigneur Roy Catholique donne, à la comprehenſion des Comtes de Friſe Orientale, ſoit ſans prejudice du droit, que ſa Majeſté Catholique pretend ſur les pays d'iceux; comme auſſy demeurent reſervéz a l'encontre les defenſes, droits & exceptions deſdits Comtes. Le tout avec declaration que ledit Seigneur Roy Catholique, ne pourra directement ou indirectement, travailler par ſoy, ou par autre, aucun de ceux, qui de la part dudit Seigneur Roy Treſchreſtien, ont cy-deſſus eſté compris; & que ſi ledit Seigneur Roy Catholique, pretend aucune choſe à l'endroit d'eux, il les pourra ſeulement pourſuivre par droit, par devant les juges competens & non par la force en maniere que ce ſoit.* Edit. Pariſ. anni 1598, 1637 &c.

Id eſt: *Hac in pace, fœdere, & amicitia, de commune dictorum Dominorum Regum Chriſtianiſſimi & Catholici placito, & conſenſu, ſi comprehendi velint, comprehendentur primum ex parte dicti Domini Regis Chriſtianiſſimi, Sanctus Pater noſter Papa, ſancta ſedes Apoſtolica, Imperator, Electores, Principes Eccleſiaſtici & ſeculares, urbes, Communitates, & ſtatus ſancti Imperii; in ſpecie Domini Comes Palatinus Elector, Marchio Brandeburgicus, Dux Wirtembergicus, Lantgravius Haſſiæ, Marchio OnoltZbachii, Comites Friſiæ Orientalis, urbes maritimæ ſecundum vetuſta fœdera; Rex & Regnum Scotiæ ſecundum tractatus, pacta & fœdera inter regna Franciæ & Scotiæ inita; Reges Poloniæ, Daniæ & Sueciæ; Dux & Dominium Venetiarum, Cantones fœderum Helveticorum tredecim, tres Ligæ Rhæticæ, Epiſcopus & Dominus pagi Valleſiani, Abbas & urbs S. Galli, Tockemberga, & Mulhuſium, Comes Novi caſtri, aliique ſocii & fœderati dictorum Dominorum Ligarum, Dominus Dux Lotharingiæ, Dominus Dux Magnus Tuſciæ, Dominus Dux Mantuæ, Reſp. Lucæ, Epiſcopi & Capitula Mettis, Tulli, & Virduni, Abbas Gorziæ, Dynaſta Sedani, Comes Mirandulæ. Probe intellecto, conſenſum, quem Rex Catholicus Comitum Friſiæ Orientalis*

comprehenſioni dat, ſine juris quem Catholica ejus Majeſtas in regionem eorum prætendit præjudicio ſit, reſervataſque ex adverſô dictorum Comitum defenſiones, jura, & exceptiones manere. Eoque univerſo cum declaratione, quod dictus Dominus Rex Catholicus nullum ex dicti Domini Regis Chriſtianiſſimi parte ſupra comprehenſorum directe vel indirecte, per ſe vel per alios, laceſſere poterit. quodque dictus Dominus Rex Catholicus, ſi quicquam eorum prætendat; jure ſolum, coram Iudicibus competentibus, non vi, cujuſcunque modi ea ſit, eos convenire poterit.

Quam ſibi legem dixerint, in fœdus coeuntes magni Reges audivimus; eventum nunc conſulamus. Palatinam & Brandeburgicam familias ſingulari benevolentia complexus Henricus noſter, ne qua ipſis ab Hiſpano quomodocunque vis inferretur ſedulo caverat; poſt annos undecim (ab eodem & propinquis occupato Iuliaco) in Clivenſis nuper defuncti ditionem (ne eam ſibi legitimi hæredes vindicarent) manus, in pactorum fraudem, illata eſt, eamque vim contraria propulſare neceſſe fuit; non ergo (quod poſt annos viginti quinque calumnia effinxit) *Rex*, à ſociis injuria affectis legitime advocatus, *in procinctu fuit ad totam Europam turbandam*, ſed ad *pacandam*, cum jam à Leopoldo Hiſpanicorum conſiliorum miniſtro, propinquorum indignam ſpoliationem machinante, *turbata* eſſet: quodque *tranſitum per agrum Luxenburgenſem* ab illis ipſis *petiit*, qui primi turbarum auctores fuerant, eum animo ad univerſorum pacem & quietem compoſito, ad ſociorum auxilia properaſſe, nec in alium finem caniciem galeâ premere paratum fuiſſe invicte demonſtrat, quam ut ſua cuique redderentur, vimque iniquam paſſi in integrum (ſine cæde ac ſanguine, ſi fieri poſſet) reſtituerentur; ſi vero ad certaminis neceſſitatem deduceretur, quam forti pectori & armis eſſet damno ſuô experirentur, quotquot in aliena involando pacem Vervinenſem refigere auſi, ſeſe fulminanti dextræ dejiciendos objeciſſent: Quam *multorum opinio fuerit, ea meditatum, quæ Palatinus poſtea conatus eſt*, non quærimus; ſed quanta ratione nitantur, quibus monſtra parere volupe eſt: nobis, qui belli Bohemici cauſas, ſolido poſt Henrici cædem ſeptennio exortas eſſe, eumque nulli ſponte nocuiſſe novimus, monſtroſius nihil effingi potuiſſe certum. *Imperatorem, Imperium, alios domus Auſtriacæ Principes Vervinianâ pace* comprehenſos, cum Zypæo monere ſupervacaneum eſt, tale nihil negamus; hoc unum in quæſtione eſt, an ulli ex comprehenſis vim propinquis facere, eos & legitimâ hæreditate ſpoliare, & armata manu à repetendâ arcere, & perduellionis reatum ſi (armis fraudulentis rapta, juſto bello vindicare animus ferret) ipſis immeritis impingere vel licuerit unquam, vel in futurum licere debeat: hæc enim univerſa & ſingula, ut falſa & abſurda, cum pernegemus; injuſte ſpoliatis de injuria proteſtari, eamque amicorum in tempore advocatorum ope propulſare; Francis iniqua vi oppreſſos, & fida auxilia rogantes, quos antea nominatim pace comprehendi & indemnes eſſe voluerant, exerta manu ſublevare, ad eoſque ſublevandos, per calcatos adverſarios quoſcunque jus faſque (ex cujuſcunque pacis, ac præcipue Vervinenſis præſcripto) hactenus fuiſſe, & ſemper futurum merito contendimus, actionemque hanc hoſtium petulantiſſimorum famoſam auſpicatô fine concludimus. Audiat Europa, cujus auribus portenta calumniarum ingerunt; audiant ſocii, quorum juſtas preces invicti Principis amica mens nunquam deſtituit,

terit; illum nunc (poſtquam in meliorem vitam, & Francicô longe potius regnum tranſlatus eſt) fidei ipſis religioſæ ſervatæ reum, à maleferiatis ei id unum vitio verti, quod in damna ipſorum nunquam conſenſerit, nulli labori aut impenſæ ut ipſis bene eſſet pepercerit, huic conſilio immoriens glorioſam animam efflaverit, pace ipſa Vervinenſi eorundem ſecuritati cautum voluerit, cujus (dum inter homines laboraret) bene de univerſis meritam Majeſtatem comiter coluêre, æternam memoriam magis ac magis colant; inſanum herois cineribus inſultare auſorum molimen indignabundi certatim averſentur, nepotem avita veſtigia glorioſe preſſurum, prout memores & gratos decet, paribus officiis proſequantur, ſicaſque, inſidias, Ligas fraudes, non Francorum Regum, ſed rapto (dum Curios ſimulant) vivere ſuetorum inſtrumenta propria eſſe æternum mente recolant.

Ludovici XIII *bona fides.*

IPſa ſe Zypæi actio, cum hoc ipsô impugnet, quod qui Henrico Magno *Vervinianæ pacis infractionem* (diſſimulatis adverſæ partis flagitiis) libri 3 capite 2 gratis, illiberaliter tamen, imputavit; libri 2 capite XI, *infractæ* pacis ejuſdem, & *redintegrati gravis* (quod *illâ ſopitum fuerat*) *belli* culpam univerſam in Ludovicum (quaſi parentem abſoluturus) rejicere videatur; contemptu magis, vanaque delirantis miſeratione, quam confutatione ex profeſſo inſtitutâ digna haberi poſſit: ne cui tamen verisimile quippiam tricis ejus ineſſe perſuaſum ſit, eas excutere nequaquam pigebit; Ludovici geſtis in compendium præfationis hujus initio redactis, & ob oculos Lectorum poſitis, qua Henrici Magni hæres ſemper ante bellum mente fuerit, plus ſatis demonſtravimus. Eum nunc non modo nihil adverſus pacem Vervinenſem à parente bona fide juratam & ſervatam, à ſe vero, quantum neceſſe erat, confirmatam molitum, ſed ejus (capitibus tanquam immotis, ſuorum de ſociis eorumque rebus conſiliorum fundamentis) perpetuo innixum fuiſſe demonſtrandum venit. Capite 31. Papam, Eccleſiam Romanam, Imperatorem, Imperium, Electores omnes & Principes, tam Eccleſiaſticos quam ſæculares, ac nominatim Palatinum, Brandeburgicum, Wirtembergicum, Haſſum, Onoltzbachium, Friſionem; urbes maritimas; Scotiæ, Poloniæ, Daniæ, Succiæ Reges; Helvetios, Rhætos, eorum fœderatos; Lotharingiæ, Tuſciæ, Mantuæ Duces; Lucenſem Remp. Metis, Tulli, Virduni, Gorziæ Eccleſias; Sedani Dynaſtam & Mirandulæ Comitem amicos & ſocios non modo declaraverat, ſed ne Hiſpano per ſe aut per alios eorum ullum bello aggredi, aut vi quacunque laceſſere fas eſſet, expreſſe caverat; vice verſa Hiſpanus præter prædictos fere omnes, Archiduces, Bajoariæ & Cliviæ Duces, Leodienſem Præſulem & ditionem, Genuenſem Remp. Parmæ, Vrbini, Sermonetæ Duces, Columnenſium & Vrſinorum capita, Finalii & Maſſæ Marchiones, Plombini Dynaſtam, Salæ & Colurui Comites, amicis (eadem per omnia adhibita cautione) accenſuerat. Quin imo *abrenuntiaverant* utrinque Reges *moliminibus univerſis, nihilque ſe deinceps ſive intra Chriſtianum orbem, quocunque loco aggreſſuros, quod Imperatori, membris, & ſtatibus Imperii noxium eſſe poſſet, ſed pro virili, commoda ejus & quietem ejus procuraturos promiſerant; modo dicti Dominus Imperator, & Status ſe cum iiſdem*

Dominis

Dominis Regibus Chriſtianiſſimo & Catholico gererent, nihilque in eorum noxam aggrederentur. Quis fidem fefellit? non certe Francus, qui nunquam ab illis ipſis, de quibus (quicquid litis intercedere poſſet) nullo modo ab Hiſpano aut ſociis vexandis, varie tamen reipſa vexatis, & vim præter meritum paſſis, expreſſe ſtipulatus erat, cum aliis vocatus, & quodammodo coactus, arma, hoc ipſo quod neceſſaria eſſent, juſta ſumpſit. Neminem odio dignum vellicavit prior; univerſis, etiam ſuo merito ſuſpectis, quantum ex officio potuit beneficus, quietem ubique publicam fundavit. Quamprimum Bohemici incendii vis Imperatorem afflavit, ei (cum affinis infortunio ex animo indoleret) manum amicam porrexit; quæ perperam à ſingulis geſta judicabat, corrigi; offenſas mutuas oblivioni dari, univerſa utrinque in integrum reſtitui, pacem ab omnibus bona fide redintegrari, ac deinceps ſancte coli, precibus obnixis, non ſine minarum aculeo, conſtanter poſtulavit; nec ſe medium interponere deſtitit, donec periculo vicinorum communi, regnique proprio, continuis illorum ipſorum, quorum in Germania, Rhætia, Langobardia ſecuritati cautum voluerat pater; quoſque in pactorum Vervinenſium deſpectum bello vexatos deplorabat, clamoribus; vindicum injuriæ propulſandæ intentorum interpellationibus; & odioſo, machinatæ ab annis fere 130 monarchiæ univerſalis, ſingulorum oculos feriente ſpectro excitatus, de ſe aliiſque armata manu in tutô collocandis, aſſerendiſque Vervinianæ pacis conditionibus, adverſus eos qui violatas dicis causâ nunc queruntur, cogitare tandem aliquando compulſus eſt.

Ne violatum ab hoſtibus, non *latius* tantum, ſed *ubique* regnandi causâ, jus ullum quiſquam in animum inducat, Zypæus 1 epiſtolam A. D. 1526, Octob. 16. ad Cardinalium Collegium à Cæſare datam, profert; qua ſe in culmine conſtitutum, *non ut Imperii limites cum Chriſtiani ſanguinis jactura extenderet, ſed quo Imperialis dignitas obſervaretur* confeſſus, *à victis hoſtibus primum ſe pacem flagitaviſſe*, idque *tantum petiiſſe, ut quæ à prædeceſſorum manibus eripuerant, & contra jus, faſque occupabant, reſtituerentur*, proteſtari opportunum ducebat; eaque mox poſtulata, pro decretorio arbitrio, *æquiſſima* lib. 3. cap. 7. *ſimul & veriſſima* pronuntiat; ſed tam *vera* fuerunt, quam *ſincerus* ille quem obtendebat epiſtolæ ſcriptor Cardinalium *cultus:* is enim quos anni 1526 Octobri menſe demulcebat, poſt ſemeſtre, quaſi victimas „ rabidi Guicciard. lib. 18. exercitus immanitati objecit: fuere anno 1527 Maji 6, *palatia univerſorum Cardinalium in prædam data; iis exceptis, quæ mercatores aliique multi ibidem cum rebus ſuis in perfugium recepti, ut cladi eximerent, grandem pecuniæ penſionem Hiſpanis erogarunt, ac exinde à Teutonibus expilata, vel novâ penſione redempta ſunt*, &c. *Senenſis Cardinalis avito jure Imperiali nomini devotus, poſtquam de ſe & palatio cum Hiſpanis tranſegit, à Teutonibus mancipatus, ubi ii palatim deprædati ſunt, & ipſe in Burgum nudo capite, multo cum certamine deductus eſt, in capitis pretium quinque Ducatorum millia perſolvit. Infortunio conſimili Minervæ & Ponzetta Cardinales mactati ſunt, qui Teutonum captivi (cum prius uterque fœdum in modum per Romam totam circumductus fuiſſet) tributum penderunt; Hiſpani & Teutones Prælati & Cardinales, qui ſe à gentilium ſuorum injuriis tutos reputabant, capti; nec aliis minus acerbe habiti ſunt.* Papa ipſe, cujus captivitate auditâ *pullas* (tanquam in luctu pu- Tarcagnota. blico) *veſtes* ſumpſerat, *ludoſ*que ac *ſpectacula, quæ propter recens natum*

filium

filium Philippum edebantur, ceſſare juſſerat Imperator; Papa, inquam, ignominioſo ab exercitu carcere clauſus, & Alarconis, cui commiſſus erat, parricidialibus manibus vix ſubductus, ab Imperatore ipſo, qui ſecreto gaudio perfuſus, & traducendi in Hiſpaniam captivi cupidus, moleſtiſſimi doloris larvam populis oſtentabat, Rei inſtar à Maji exitu ad Octobris 31 ſub arctiſſima poſitus eſt, nec univerſa pecunia emunctus, traditis præcipuis munitionibus alienæ poteſtatis factus, vere liber ante 6 Idus Decembris dici potuit, quô *clam, ſumpto ſub noctis initium mercatoris habitu, ex S. Angeli caſtello exceſſit*, & per Montem Flaſconis, *ne uno Cardinali ſtipatus*, Vrbem veterem ſe contulit; longe alium, quam videri volebat, Cæſarem, cum toto Collegio, & urbe expertus; Captivum Regem tantum abeſt, uti eum (*pacem prior*, & victor *flagitans*) ad ſpem ullam erexerit, ut jacentem, totoque trimeſtri nihil quod cum dignitate præſtare poſſet, non offerentem, nec alloquio, nec adſpectu dignatus, diritate ſuâ pæne confecerit: hæc ſcilicet *pacem à victo* (ſi Deo placet) *flagitantis* moderatio; non diſpar conditionum propoſitarum indoles fuit. Si *id tantum petere* decreviſſet, *ut quæ à prædeceſſorum manibus eripuerant, & contra jus faſque occupabant reſtituerent* Franci; cum nihil prorſus, vel ante *eripuerint*, vel tunc *contra jus faſque occupaverint*; nihil quod jure *peteret*, habuiſſet, tam aviti ad ſe legitime devoluti, quam Francicorum in Italia quomodocunque occupatorum potens; nec Cardinales proteſtationi cum factis adverſa fronte concurrenti attendere æquum fuiſſet, nec ipſe Burgundici Ducatus, quem poſt Caroli Ducis cædem Rex jure tenuit, prout ſuô locô ad Vindiciarum Chiffletianarum cap. 8. (Deo dante) demonſtrabimus, *reſtitutionem*, quam poſſeſſio nulla præceſſit, aut præcedere jure potuit, ſibi fieri petere debuit; nec denique id tantum, quod à Francis contra jus faſque occupari putabat, petiit; ſed alia multa, quæ tanta vi, invito eaque ſupra vires eſſe, ſemel atque iterum proteſtanti extorſit, ut eum in illicita velut obtorto collo pertrahere conatus ſit.

Sleidan. lib. 6.

Iunii 14 ad Octob.

Quærit Zypæus, *ſitne aliquis in Europa angulus, quem nunc Hiſpani Auſtriacive poſſideant, quem Carolus* V *ejuſque frater Ferdinandus non acceperit ab avo paterno Maximiliano* I *Imp. Romano, aviave illius uxore, vel avo materno Ferdinando Rege Catholico, præter Luſitaniam & Mediolanum*. Reſp. Supremum in Flandriam, & Attrebates Imperium, ut & in Tornaci, & Cameraci ditione, cum utili Tornaci dominio ad ſe A.D. 1526 traxerunt; armata manu Cameracum & Cameraceſium anno 1595 ſibi vindicaverunt; Plombinum quod uſque ad annum 1645 tenuerunt, & nuper cum Portu Longonis denuo ſubegerunt, Appianis (quibus per annos 150 paruerat) anno 1548 ſubduxerunt; Senenſem ditionem, quam paulo ante ſub jugum miſerant, Anno 1553 (pactis cum Coſmo Medicæo Tuſcorum Duce conventis reſciſſis) Philippo II filio Carolus V conceſſit; hic vero (cum anno 1559 novam Coſmo poſſeſſionem tranſcriberet) maritima univerſa Herculis portum, Telamonem, Orbitellum, Argentarium montem, ſibi ſuiſque, qui hac ex parte Tuſciæ Medicæis traditæ, & dominio Eccleſiaſtico è proximo imminent, retinuit; anno 1547 Placentiam à Paulo III Papa, Petro Ludovico filio & poſteris donatam occuparunt. nec Octavio Petri filio Margaretæ Cæſaris filiæ quam patri æquiores fuerunt, nec [1] aliô fine ac lege anno 1556 ablata reſtituerunt, quàm ut cum Francis ſub quorum umbra tutus vixerat committerent:

[1] Freher, Tom. 3. rer. Germ.

Finalium Carrectis legitimis Dominis, Maximiliani Cæſaris ingratiis, anno 1571 extorſerunt; & 1602 cum Medeſimo portu ſibi vindicarunt. quomodo *Auſtriæ clientelâ* Imperium jamdudum *defraudarant*; *Vltrajectenſi Epiſcopo patrimonium omne ſubduxerant*; Ludovico XII Franciſci ſocero, Franciſcoque ipſi in fidem Imperii receptis, Mediolanum nulla belli denuntione facta ademerant, *Wirtembergenſem provinciam de Imperii clientela* annô 1534 *exemerunt, juſque antiquum* ita *interverterunt, ut totum in gentilitatem Auſtriacam, pactone an peccato! certe contra jus tranſcriberent.*

Franciæ regno inhiantes, continuis illud ab anno 1521 molitionibus divexarunt; Angliam, Scotiam, Hiberniam, Mariæ Reginæ, cujus non erant, teſtamento (ſi Deo placet) relictas mentiti, de iis invadendis dum anxie laborarent, largaque aurum Peruvianorum manu profunderent, quam invictam putabant claſſem miſeranda iratis ventis ludibria anno 1588 objecerunt: de fraudandis propinquis Clivenſium Principum hæredibus ab anno 1590 ad 1609 perpetuo egerunt; Hungariam, quam annô 1526 ſui juris facere cœperant, Turcis devaſtandam aperuerunt; Poloniam anno 1587 ad ſe trahere conati ſunt; Saluciarum Marchionatus intercipiendi anno 1587, Sabaudo qui illum trienniô poſt occupavit, mandata dederunt; Bohemiam ſtatu priſco abrogato, ſervitutem duriſſimam ſervire coëgerunt; Veſuntioni, Vicecomitatus Cabiloniorum proprii occaſione, inſidias anno 1597 ſtruxerunt; Malaſpinas alioſque Liguriæ Regulos (univerſa Italia ſtupente) vexarunt; Rhætos fœderatos, Mantuanum, Sabaudum, poſt annum 1620 injuſtis armis adorti, Papas, Reges, Reſpublicas ad ſocianda adverſus βελιμία inauditâ laborantis, & univerſa ſpe devorantis gentis, effrænem audaciam conſilia & arma (ut olim anno 1526) ſic noſtrâ ætate adegerunt; quid enim intactum reliquerant, quid non ſuum annis 130 reputaverant Europæ ſub jugum mittendæ intenti? ſi quicquid ideſt *conſilii, animis illorum radicitùs infixum* eſſe, *eò actiones tendere, eò bella moveri, cantilena vetus eſt*; an Zypæi, qui *cantilenam* vocant, *nunquam veram* fuiſſe protinùs effecerint? quis conſtans Paparum, Regum, Principum, Rerumpublicarum à ſeſquiſæculô judicium gerras germanas; Hiſpanicorum mancipiorum placita immotæ veritatis effata reputet; aut Clementem VII, Paulos III & IV, Sixtum V, Vrbanum IIX Pontifices; Francorum, Anglorum, Danorum, Suecorum Reges, Imperii Germanici Electores, reliquoſque ordines; Venetam, Helveticam, Rhæticam, (quæ vix uncos Hiſpanicos nuper effugit) Reſpublicas; Italiæ denique univerſæ Principes ἀῤῥωςία mentis laborare; ſolos Hiſpanis addictos ſapere crediderit? ſi affectatæ ab ipſis Monarchiæ accuſatio falſa eſt, quî factum ut uno (ut ſic dicam) ore falſum ſapientiſſimi, experientiſſimi, rerum ſuarum callentiſſimi ſpiraverint? ſed forte Panico terrore perculſi, in communi omnium causâ judiciô aberrarunt: quis tantam mentis infirmitatem fortiſſimis, adverſaque, per ſe ſolos, cum Monarchiæ affectatoribus, fronte concurrere auſis Regibus; aut Venetis contra Papam, Imperatorem, Francum, Aragonem conjuratos, in acie ſtare, anno 1509 non dubitantibus, tribuat? non ergo quid attoniti metuerent, ſed quid ab Hiſpanici typhi intemperie ſe ſuaque negligentibus merito metuendum eſſet, cautione ſua docuerunt, vim Imperatorum cervicibus impendentem ὁμοθυμαδὸν propulſare certi. Quid ad nos ſi *Deo ſuperbis reſiſtente*, in irritum fere ſemper cecidêre Iberici faſtus

faſtus molimina? an excitata, quia infeliciter auctoribus ceſſerunt, hoc ipſo fine fuiſſe, Solemque meridie lucere, quia oculos ab adverſariis comprimere jubeamur negaverimus? ne (ſi velimus) ipſimet ſinant: quandoquidem inſanas ſuas de Monarchia univerſali ſpes, dum ſe capere non poſſunt, anno 1525 & ſequentibus prodiderunt. Fridericus Toletanus Albanus oratione ad Carolum V anno 1525 Mantuæ Carpetanorum pronuntiata. *Quæ à multis pendent, nunquam feliciter cedere experientia ſemper demonſtravit, ipſaque ratio demonſtrat; quare neſcio, an qui multorum Principum unione, hæreticos extinguere, aut infideles domare ſperant, orbis indolem recte metiantur: hæc enim molimina ſunt, quæ tantum Principem exigunt, qui aliis regulam præſcribat; hic ſi deſit, id in futurum eo ſucceſſu tractabitur & fiet, quo antea tractatum & factum eſt; ea de cauſa Deum tot te victoriis mactare credo; ea de cauſa Deum tibi ad Monarchiam, quà ſolâ tam ſancta facinora patrari poſſint, viam aperire credo.* Guicciardinus ipſe; *ubi* Franciſcum *in Hiſpaniam proficiſci viſum eſt, eumque à ſemet ſpebus vanis deluſum inimicis eum ad ſecuram cuſtodiam deducendi poteſtatem dediſſe; adverterunt* Papa & Veneti, *quicquid tractabatur ſub Cæſaris manu abſolute eſſe, nec in Francorum actis & promiſſis certi quicquam ſtatui poſſe; quocirca creſcente quotidie Cæſaris fama, ex aula illa rerum univerſarum leges expectari cœpere,* &c. *Italiam univerſam, quæ ſe quotieſcunque Cæſar Mediolani & Neapolis potens eſſet, in manifeſtam ſervitutem trahi noverat, Mediolanenſis Ducatus occupatio perterruit.* Carolus Lanoius regni Neapolitani Cæſaris vice Præſes, oratione ad eundem anno 1526 ineunte habita, *ad Chriſtianorum Principatum viam tibi victoria hæc glorioſiſſime aperuit,* &c. *Mediolano & Neapoli à nutu tuo pendentibus, Pontifices ab Imperatoribus (prout ante ſolebant) pendere, Tuſciam univerſam, Ferrariæ Ducem, Mantuæ Marchionem tibi ſubdi oportebit: Veneti Langobardiâ & Germania circumſeſſi, ad leges tuas acceptandas cogentur. Sic Italiæ univerſæ, non armis dixerim, aut exercitibus, ſed nominis tui fama, unico duntaxat feciali, Imperialibus inſignibus imperabis,* &c. *Satius eſt, Cæſar, & dignitati Imperiali, tuæque magnitudini convenientius, temet fortunæ denuo committere, univerſaque rurſus periculo objicere, quam gradus tui, auctoritatis quæ ſupremo Principum univerſorum Principi competat, Cæſarei nominis, & toties potentiſſimi Regis victoris oblivisci.* Cum Friderici Toletani, & Caroli Lanoii præcipua in aula Hiſpanica gratia & auctoritas fuerit, eorumque conſilium Carolus; Caroli Philippi, filius, nepos, pronepos, tota vita ſecuti, juſtam reliquarum per Europam poteſtatum indignationem accenderint; nec primi, quandoquidem poſt Hiſpanos, quos imitati ſunt; nec ſoli, quandoquidem paria Papa, Reges, Principes, ordines univerſi libertatis amantes fecere; nec falſo, quandoquidem eos in ejuſmodi ſententiam ſeſquiſæculi experimenta compulerunt, Hiſpanos toto, eodemque irremiſſo, impetu, ad Monarchiam univerſalem mente ſe non capiente ferri, dixêre & credidêre Franci. Quantumvis eos ſemper deſtituit, nec porro (Deo dante) deſtituturus ſit eventus; nunquam præter officium agent, qui de retundenda tam pervicaci ambitione, fruſtrandiſque communi univerſorum dignitati ac ſecuritati noxiis conſiliis ſeriò cogitaverint, ſeque ac ſuos ope omni ab injuria quacunque tutos præſtiterint.

Guicciard. lib. 16.

Quam ſæpe Vervinenſis pacis fundamentis arietem admoverit, Hiſpanica

nica δοξομανία, ne quem pium quid illa mereatur in poſterum lateat, paucis ob
cap. 31. Chriſtiani orbis oculos, quos fallaci exquiſitarum adverſus Francos criminationum colore perſtringunt, ponamus. Imperatorem, totiuſque Imperii ordines univerſos, pace illa ſub conditione comprehenſos, ſi, ſcilicet, *ſe reſpective erga Chriſtianiſſimum & Catholicum Reges amice gererent, nihilque in damnum eorum molirentur* Imperatores: Rudolfum vero annô 1609, Henrici Magni fœderatos Clivenſes pace ex æquo comprehenſos præter meritum vexaſſe: & 1620 Ferdinandi II juſſu, Savellum Ducem, illo ipſo tempore quo Ludovicus XIII Auſtriacæ genti amica omnia, per ſe & Legatos, rogatus præſtabat, iſque exoptatum fraternorum ejus officiorum fructum capiebat, Marchioni Cœuvræo Francico ad Gregorium XV Legato locum cultumque ſolitum contumelioſe & hoſtiliter denegaſſe diximus; poterat igitur uterque parum *amice* ſe gerentes, imo noxia ſpirantes, & reipsâ molientes, hoſtium (quod erant) loco habere; & alienato à prioribus officiis animo generoſe aggredi: quis enim iis ſe conditionibus obliget, ut ſponte laceſſentibus, quicquid ipſis animus ſuadeat, blandiri ſemper, illatas injurias nunquam propulſare teneatur? In Vervinenſia pacta ſuo poſterorumque nomine conſentiens, de *non vexandis ſive per ſe, ſive per alios, ſive directe, ſive indirecte, ſed jure tantum*, ſepoſitaque *vi, conveniendis* Henrici Magni ſociis Imperii Germanici Electoribus, aliiſque Principibus, Rhætis, Mantuano Duce, *&c.* quos ipſemet amicis (quorum dignitati & ſecuritati proſpectum vellet) accenſebat, fidem interpoſuerat Philippus II; in eos omnes, nulla juris actione uſus, ſola vi fretus Philippus IV irruit: an ex fide ab avô data? Francorum, Britannorum, Danorum Regibus reſtituendos in integrum Friderici V Electoris, à Ferdinando II in æmulum concitatiore, proſcripti impuberes, eoque nulli culpæ obnoxios liberos expreſſis verbis promiſerat; non modo non præſtitit, Philippum Ludovicum eorum patruum, Bipontinum, &c. alios propinquos à partibus alieniſſimos, nullis turbis implicitos, nullo proſcriptionis fulmine percullos, aviti patrimonii legitima poſſeſſione expulſos, extorres egit, nec uſque nunc, quantumvis in pace Monaſterienſi ab Imperatore, Imperio, Regibus, diſerte cautum ſit, Francothallio Harpyas ſuas eduxit. ſiccine Verviniana pacta voluerunt? Rhætis avi fœderatis, cum ſolito more comiter colentibus, priſca innocentia fretis, ſuo jure utentibus, adeoque nulli injuriis, antequam ſibi quicquam, quod quereretur eſſe denuntiaſſet, eoſque culpæ in quemquam affines deprehendiſſet, carnifices qui fœdam late ſtragem ferino more ederent immiſit, Curiam, Mejenfeldiam, Pretigaviam, utramque Engadinam, Clavennam, Pregalliam, Tellinam vallem, Bormium, Vallem Meſolcinam, Muſoccum, nullo jure ſubdita aut obnoxia territoria, munitionibus, ubicunque viſum eſt, excitatis, armata manu occupavit, nec ante legitimis Dominis reliquit, quam Francorum, Venetorum, Helveticorum junctis viribus ad incitas redactus ſit; eine fœderatos victimarum more cædere, ſuperſtites quibuſcum (ſi quid litis exortum eſſet) jure agi oportuit, mancipare; & libera capita ſub indignum jugum mittere licuerit, Ludovico noſtro veteres amicos ex pactorum lege indemnes præſtate nefas fuerit? Sed alieni à Romanæ Eccleſiæ communione erant. Quid tum? annon ante pacem anno 1598 cum Francis ſancitam ei repudium miſerant? an pro fœderatis (ut ut à Pontificum cultu abhorrentes

Coire. Meyenfeld. Pretigau. Chiavenna. Fregaglia. Bormio. Val. Meſolcina. Muſoceo.

rentes

rentes habere, eorumque ſecuritati cavere Philippus II dedignatus eſt? quó jure, quos ille amicis & ſociis accenſuit, Philippus IV hoſtiliter invaſit? *Catholicos* (ſi Zypæis fidem habeamus) *perſecuti hæreſim in Valle Tellina propagarunt*, ſed Catholico ulli ob ſuam de religione ſententiam vim factam fuiſſe, aut libertatem cultus Proteſtantibus (quibuſcum Rhæti, Supremi regiunculæ totius Domini ſentiebant) tunc primum cum ab Hiſpanis invaſi ſunt, datam fuiſſe falſiſſimum eſt; ſi data fuiſſet, à poteſtatem habentibus, nec Hiſpano ulla in re ſubditis, pro jure ſupremi dominii dari potuiſſet, nec ulli ſive externo, ſive civi reclamare licuiſſet; ſed ubi Rudolfus Planta aliique ejuſdem commatis homines, meritæ pœnæ, à legitimis Dominis addicti, ejuſque metu transfugæ, Mediolanum conceſſerunt, in patriæ perniciem à Præſide ſubornati ſunt, nec eum ἀποφράδας (quorum cauſa Rhætiam fœderatam, proditoria cæde compleret, & adverſus fidem Vervini datam vaſtaret) ſuſcipere Francoſque & Venetos ad juſta pro ſociis injuriam paſſis arma cogere puduit. Mantuano, quem Verviniana pax ſociis nulli injuriæ exponendis accenſuerat, & ſanguinis lex ad principatus hæreditatem vocabat, id criminis loco fuit, quod in Gallia natus, caritatis in patriam memor, Hiſpanicæ libidini ſeſe mancipandi incapax habitus ſit; cum nec hominium facere, nec Ferdinandi II (cujus armis oppreſſus eſt) cultum, Majorum more debitum exhibere (quod Zypæus mentitur) detrectaverit; cum igitur ab Hiſpanis iniquiſſime oppugnatum (ex Vervinenſis pacis præſcripto) Franci Venetique tutati ſunt. Subita, quam belli denuntiatio nulla præceſſerat, Trevirorum occupatione, Francici præſidii, cui commiſſa à legitimo principe fuerant, jugulatione, Electoriſque ipſius captivitate fœdius nihil, aut fidei publicæ & pacis Vervinenſis formulæ adverſum magis eſſe potuit. Imperii Germanici membrum, eoque Imperatori, ut capiti, suo modo ſubjectum (quod Zypæus cauſatur) Electorem & fuiſſe ſemper, & nunc eſſe, nec ille unquam, nec impræſentiarum nos negamus; de *Ducis Luxemburgici, qui nunc eſt Rex Hiſpanorum*, in Treviros *protectionis jure, cenſuque centum florenorum aureorum honorario, ei quotannis ab urbe perſolvendo* litigare nobis cum quoquam neceſſe non eſt; alia ſunt quæ urgeamus, quæque adverſarii ipſi intenſiſſimi negare (cum ubique in confeſſo ſint) etſi velint nequeant; eis enim *obſcurum non eſt, Electores*, adeoque Trevirenſem [1] *eminentes habere dignitates, decoratas multis notis à Majeſtate communicatis*, &c. *plurimarum prærogativarum notis illuſtres*, &c. *reſpectu ſuorum ſubditorum fere* Soveranos, &c. *legum condendarum, monetæ cudendæ, pecuniæ imperandæ, belli ac fœderum ſuper pace terrarum*, ([2] prout Bulla ipsâ aurea c. 15 cautum eſt) *poteſtate* pollere, Regum externorum (illius nominatim, qui *civitatis Trevirenſis*, Ducatus Lucemburgenſis jure, *protector* audit) cum Imperatore à quo, ceu capite, nobilium membrorum inſtar pendent, *ſociis* ac *fœderatis* adnumerari: eo nomine æquô cum *Imperatore* jure, pactis inter eos de pace, ubicunque conventis *comprehendi*: fideque utrinque à paciſcentibus data adeo muniri, ut neutri ex partibus *ullo caſu*, vi cum ipſis *experiri* liceat. Cum hæc Trevirenſis ἐξοχὴ fuerit, & ab ejus capite ac fortunis Hiſpanica cujuſcunque generis arma procul Verviniana pax arcuerit; cui ignotum eſſe poſſit; nihil in eum Hiſpano *Lucemburgici Ducatus* poſſeſſori, & *Trevirenſis urbis protectori* (fatente ipſomet) juris eſſe, nec patronatus illius occaſione arma ulla, niſi contra pa-

Zyp. lib. 3. c. 13.

[1] Zyp. lib. 9. cap. 15.

[2] addit Zypæus ipſe c. 14. *confœderationes ad propulſandam injuriam* (qualis Trevirenſis cum Franco erat) *licitas eſſe*.

ctorum religionem expediri ab eo potuiſſe? Ne ſine cauſa maximô mactatus infortunio videatur, exquiſitis eum criminationibus impetit Zypæus, quaſi *fœdus* cum Francis *percutiens in alieni Regis clientelam ac protectionem, ſemet, Imperatore inſcio, non excepto,* imo *adverſus ipſum dediderit*; ſed has univerſas & ſingulas (eodem [1] fatente) impetitus ipſemet refellit, *ſe de facto unquam in protectionem Regis Franciæ,* ita ut ab Imperio ſe Germanico divelleret, aut *antiquo Domino ſe vaſallum ſubtraheret, aut in aliam ditionem ſe dederet*, aut in Imperatorem quicquam moliretur, aut *eum* pactis ullis nequaquam exciperet, *dediſſe* palam & expreſſe negans: re enim verâ nihil horum admiſit, imo ne fœderatus Francorum, quibuſcum hæreditarium ab antiquo cum Imperio univerſo fœdus fuerat, tunc eſſe cœpit; ſed aviti [2] fœderis fibulam, ut ejus bonis tutius frueretur, (quod per leges patrias licebat) magis ac magis adſtrinxit: ſi Zypæo ipſi cum *auxiliis ex Galliis advocatis adverſus Suecicam tempeſtatem, nihil in jure* ſive ſuo, *ſive Imperatoris, ſive Ducis Lucemburgenſis mutaſſe conſtat*; ſi eum timere *ei licuerit, noluit auxilia Franci Sueco fœderati aliter implorare, quam ut ſub amici clypeo ſecurior eſſet*; ſi denique *nihil ſecus, quam Imperii leges velint, egit.* quo (niſi forte prædonum) jure ab Hiſpanis, bonis *Trevirorum protectoribus*, præditorie invaſus, domô violenter extractus, ſub cuſtodia rei modô habitus eſt, qui nihil peccaverat, imo quem nihil peccaviſſe ſciebant, & uſque nunc prædicant invadentes, eorumque patroni? Sed eum *antiquo ſe Domino ſubtraxiſſe, in alienam ſe ditionem dediſſe, adverſus Imperatorem* ipſum conjuraſſe, & *perduellionis* legitime convictum fuiſſe fingamus. Cujus fuit eum vel plectere, vel in ordinem quomodocunque cogere? an non illius unius, cujus *vaſallus* erat? cur ergo *ad ſe non pertinenti* rei ſemet (quod ſine *culpa* non poterat) Hiſpanus *immiſcuit?* ab Imperatore, ad quem pertinebat, ſe mandatum, quod nunquam prolatum eſt, accepiſſe ſi dixerit; præter officium, fidemque Vervini datam (eo ipsô reus, quod ſuſceptum cauſatur) ſuſceperit; qui eum nihil ſe, *ſive directe, ſive indirecte, per ſe vel per alios*, vi adverſus eum moliturum in avo promiſiſſet, *quicquid adverſus eum* deinceps quomodocunque *habuit, jure tantum coram competenti judice, non vi* (*cujuſcunque modi ea eſſet*) *proſequi potuit:* qui vim, juris actione omiſſa, reipsâ adhibuit; quî ſe pactorum Vervinianorum ſcienter prudenter in Archiepiſcopi, cui contraria ſpoponderat, causâ violatorum crimine liberabit?

Manifeſtæ & intolerandæ injuriæ in præſidii Trevirenſis proditoria cæde Francis illatæ poſtulatus, his facti diritatem coloribus incruſtat, [3] *hoſtile jam præſidium illud fuiſſe, hoſtiliter* [4] *Treveris egiſſe, leoninam exercuiſſe ſocietatem,* [5] *hoſtilem morem induiſſe, Archiepiſcopum à maligna tractatione & inſolentia Francorum liberatum, laudare Deum*; ſed immanis flagitii, nulla belli denunciatione, vel denunciationis prævia querela, admiſſi auctores, eo cum Francis, publica fide nixis, modo agere decuit, quo lupum agnum inviſum adortum Nyſſenus epiſtola ad Euſtathium refert, ut *jure inferiores, dentibus vincere* conati, ſua immeritis & ſubinde laceſſitis crimina impingere auſi ſint: ſub amicorum ſcuto ab omni, concurrentium in Germania partium, injuria tuti, concuſſa undique omnia ſine periculo & noxa videbant Treviri; eos impendenti calamitati, ne tanquam victimæ cum collimitaneis caderent, ſubductos indignati, qui nunc *protectorum* titulum uſurpant, inquieta quæque ingenia

[1] c. 14.
[2] c. 16.
[3] c. 13.
[4] c. 14.
[5] c. 16.
[6] c. 17.

ingenia ſubornarunt, malignis ſuſurris rixandi rabiem inſpirarunt, poſtquam in partes ſenſim ſine ſenſu pellectos adeo dementarunt, ut ſua bona noſſe deſinerent; Francos nihil hoſtile vel ſpirantes, vel metuentes, cuneis clam in agro Lucemburgico factis, intempeſta nocte invaſerunt, oppreſſerunt, ferro demeſſuerunt, Princeps, qui eos ad inculpatam tutelam advocaverat, velut addictus in vincula conjectus, tota ditione extorris, quo illi voluêre abductus eſt; eique ſub Hiſpanica tyrannide gementi, ad ſummum orbis ludibrium affictum, quod ſe *inſolentia Francorum* (cujus jamdudum pertæſus eſſet) *liberatum* ſibimet à fumo in ignem præter ſpem votumque prolapſo gratularetur. Quis inauditam iſtam quidlibet mendaciſſime & impudentiſſime effutiendi audaciam ferat? Eos tamen ab omni procul calumnia fuiſſe, *Franco*ſque *leonin amcum Treviris ſocietatem exercuiſſe* & digniſſimos, qui exigerentur, bonis omnibus viſos demus. Cujus fuit exigere? annon illius, qui acciverat, ſeque indigne (quod adverſarii fingunt) habitum queri poterat? Cur ne hiſcere adverſus eos unquam deprehenſus eſt, qui eos (præſidio eſſe juſſos) auctoritate ſua, Regiſque, cui militabant, imperio, frangere, ſi tale quid animus tuliſſet, ad manum habebat? cur ad vicinos *protectores*, ſi quidem ab iis *liberandus* erat, non recurrit? ſi vero illi de eo *liberando* cogitabant, quî factum ut ad vilis mancipii modum, jam dejectum plecterent? ſiccine ſuſceptos ſuos *liberant* Hiſpani, ut de vinculis *libertatem*, quâ abſolute carent, ſibimet dicis cauſa arrogare cogantur? Statuamus denique Hiſpanos opem imploranti Archiepiſcopo & Treviris ſubditis, velut è machinâ Deos, ut Francorum peſſime meritorum ſubitam ſtragem ederent, adfuiſſe; quô jure in alienô ſolô, extra proprios fines ediderint, quibus ne in ſubdita ditione, per pacta Verviniana, eam edere nequaquam licuit? Annon capite pactorum illorum 21 & 22, Reges *jura ſua armis aliaque quam amicâ aut juridicâ via proſequi*; capite vero 27, *alter in alterius ditiones & ſubditos quacunque de cauſa ac prætextu moliri quicquam* vetantur? quando, ubi, quomodo, in ditiones, populoſque Hiſpanicos ante Trevirenſis præſidii cladem, ſecutamque è veſtigio clarigationem, inſurrexerint Franci, dicant ſi poſſunt, qui Francos (præſidii, non offendendi cujuſquam cauſa) Auguſtæ Trevirorum totaque ditione Archiepiſcopali conſtitutos, extra ſuos fines, nulla eorum incurſione impetitos, armis antequam vel de iis conqueſti eſſent, vel juſtam conquerendi cauſam nacti eſſent, vel fæcialem ullum clarigatum miſiſſent, vel denique legatis aut ſcriptô ullô, ſive privatô, ſive publicô, quid animi ſui eſſet, vel directe vel indirecte patefeciſſent, inopina & ſubita vi adorti, per calcatas non uno modo Vervinianæ pacis fideique datæ formulas, ad indignam eorum internecionem perrexerunt. violatam ab iis ſacramenti ſolennis in pactorum juratorum confirmationem adhibiti religionem, fœdifragiique multiplex quod ſapone nullô elui poſſit, crimen admiſſum, non nobis unis, qui læſi ſæpius, obtortoque (ut ſic dicam) collo ad juſta belli neceſſarii conſilia pertracti, ultricia arma tandem corripuimus; ſed univerſis illis, quibus Hiſpanica facinora comperta ſunt, perſuaſiſſimum eſt.

Cum optimô & notiſſimo jure freti, meritas ab adverſariis violatæ humanitatis & communis gentium ſocietatis pœnas repoſcere A.D. 1535 decreviſſemus; jamque ad Avenium eorum exercitum in Francicam ditionem irrum-

irrumpere parantem profligaſſemus, anno 1636 in Burgundos *Neutralitatis* (quam à nobis temeratam falſo ſcribit Zypæus) pactis ſtare dedignantes, univerſaque in vicinia turbantes, ut limitem ab injuriâ vindicaremus, ducere coacti ſumus; annô vero 1640 Catalaunos (antiquam Francici regni ab anno 778 ad 1258 appendicem, Hiſpanici jugi pertæſam & manus porrigentem) adverſus communem hoſtem tueri cœpimus; ac tandem anno 1642 cum Ioanne IV Portugalenſium ante biennium Rege electo, quod is Capetinæ gentis Princeps, jure potior videretur, eundem nobiſcum hoſtem pateretur, opemque noſtram rogaret, arma ſociavimus; ne cui autem, quô jure vel ille nitatur, vel nos ei faveamus, obſcurum deinceps maneat, en totius ſucceſſionis Portugalenſis ſtatum.

Manuël Rex Mariæ Caſtellenſis maritus, A. D. 1521, Decemb. 13 denatus.

Ioannes III Catharinæ Auſtriacæ marit. A.D. 1557, Ianu. 11 denatus.	Ludovicus Bejæ Dux, A.D. 1555 denatus, cui ex Violanta natus,	Henricus ex Cardinali Rex ab an. 1578, Iul. 24. A. D. 1581, Ianuarii 31 denatus.	Eduardus Barcellorum Dux Iſabellæ Bragant. maritus, A. D. 1540, Octob. 20 denatus.	Iſabella Caroli V Imper. uxor.	Beatrix Caroli III Sabaudiæ Ducis uxor.
Ioannes Princeps Ioannæ conſobrinæ maritus, A.D. 1554, Ianuarii 2 denatus.	Antonius ex Crati priore Rex, A.D. 1580, Iul. 24 electus, armis Philippi II, Auguſti ſequentis 20 profligatus & anni 1581, Iunio menſe exactus eſt.	Maria Alexandri Farneſii Parmæ Ducis uxor, A. D. 1577, Iunio menſe denata.	Catharina Ioannis Bragantini uxor, cui ut ſanguine proximæ, & jure patris fretæ conditiones obtulit Philippus II.	Philippus II Annæ neptis maritus, qui ut ſanguine proximus, eoque fœminæ anteferendus, repudiatis quas Catharinæ offerebat conditionibus, regnum ſubegit.	Philibertus Emmanuël, qui poſt Philippum ſe ſanguine proximum marem, eoque fœminæ anteferendum contendit.
Sebaſtianus, A. D. 1578, Auguſt. 5 cæſus.	Rannucius qui regnum ad ſe pertinere avi materni jure contendit, A D. 1578.		Theodoſius Annæ de Velaſco maritus.	Philippus III Margaretæ Auſtriacæ maritus.	
		Ioannes IV proavi & aviæ jure nixus, Rex A. D. 1640, Decemb. 1 ſalutatus.		Philippus IV poſt annos 60 menſes 5 dies 6 Portugalia excluſus.	

lib. 3. c. 7. ut ſentinam ſuam tandem aliquando exhauriat Zypæus, Francos ob præſidia in Rhætorum, Sabaudi, Mantuani, quorum iniquiſſime ab Hiſpanis vexatorum cauſam propugnabant, durante bello occupata perinde criminatur, ac ſi reſtituta pace, ſuos domum revocare (quod eventus docuit) nunquam animus fuiſſet; Metim, Virdunum, Tullum (volentibus & conſulentibus Germanis fœderatis) publicæ ſecuritatis cauſa ab Henrico II ſub manum poſitas, hodieque ab univerſo Imperio in jus Francicum tranſcriptas indignabundus refert; Pinarolium à Ludovico XIII emptum, quaſi Sabaudo ereptum, Francici juris eſſe queritur; Britanniæ Ducatum, qui poſt unionem coronæ (à qua nullo deinceps caſu divellendus eſſet) anno 1532 poſtulantibus provinciæ ordinibus factam, annoque 1535 confirmatam, unius Regis eſſe poterat, Margaretæ Valeſiæ Reginæ, cujus nunquam fuit aut eſſe debuit, cum anno demum poſt unionem illam viceſimo, Iſabellamque & Claudiam exinde natas germanas utero materno fuſa ſit, nec ſibi glebulam in tota illa regione ſibi vindicaverit, perperam adſcribit; nec judicio meliore dynaſtias in Arvernis ex hæreditate materna, ad eam unam parenti ſuperſtitem jure ſanguinis devolutas, grandi ære contracto oneratas, ab ea in Ludovicum noſtrum XIII (qui poſtea, ære illo diſſoluto, emptor verius,

quam

quam legatarius haberi debuit, tranſcriptas ferre nequaquam poteſt; adeoque à vero aberrat, ut eum, quo nemo tot modis Valeſio ſanguine imbutus, *ex ſtirpe Valeſia eſſe & deſcendere* non ſemel, inconſiderate tamen & imperite neget; quod ex tabulâ ſubjecta, nulli, qui oculis ſuis uti dignatus ſit, incompertum erit.

I. *Ludovici* XIV *Stemma Valeſium.*

Carolus Valeſiæ Comes, &c. Margaretæ Carolo II Siciliæ Rege. 2 Catharinæ Philippo de Curtiniaco Conſtantinop. Imper. 3 Mathildis Guidone III S. Pauli Comite natæ maritus.

Philippus VI Rex Ioannæ de Burgundia maritus. — Carolus. — Ioanna. — 1 *nupt.* Margareta. — 2 *nupt.* Ioanna. — 3 *nupt.* Iſabella.

Ioannes II Bonæ Lucemburg. maritus.

Carolus V Ioannæ Borboniæ marit. — Ludovicus Andegav. Dux Mariæ Bleſenſis maritus. — Ioannes Bituri-gum Dux Ioannæ Armeniacæ marit. — Philippus Burgund. Dux Margaretæ Flandr. marit. — Ioanna Caroli II Navarræ Regis uxor. — Maria Roberti Barri Ducis uxor.

Carolus VI Iſabellæ Bavaricæ maritus. — Ludovicus Aurel. Dux Valentinæ Mediolan. maritus. — Ludovicus II Yolendis Aragon. maritus. — Bona Amedei VII ac exinde Bernardi Armeniaci uxor. — Maria Ioannis I Borbon. uxor. — Maria Amedei VIII Sabaudi uxor. — Ioannes Margaretæ Brabant. maritus. — Carolus III Leonoræ Caſtel. marit. — Ioanna Ioannis V Britan. Ducis uxor. — Henricus Mariæ de Codiciaco marit. — Yolendis Ioannis Arag. Regis uxor.

Carolus VII Mariæ Andeg. marit. — Ioannes Engoliſ. Comes Margaretæ Rohanæ maritus. — Maria Caroli VII uxor. — Renatus Iſabellæ Lotharing. marit. — 2 *nupt.* Anna Caroli II Labretani uxor. — Agnes Caroli I Borbon. uxor. — Philippus Iſabellæ Portugal. mar. — Blanca Regina Ioannis Arag. uxor 1. — Maria Ioannis II Alenconii uxor. — Blanca Ioannis IV Armeniaci uxor. — Margareta Alani IX Rohani uxor. — Robertus Ioannæ de Bethuniâ maritus. — Yolendis Ludovici II Andeg. uxor.

Magdalena Gaſtonis de Fuxo Vianæ Principis uxor. — Carolus Ludovicæ Sabaudicæ maritus. — Yolendis Friderici Comitis de Vadonis monte uxor. — Carolus Iſabellæ Borboniæ maritus. — Leonora Gaſtonis IV de Fuxo uxor. — Catharina Alani Labretani uxor. — Margareta Ioannis Engoliſin. uxor. — Ioanna Ludovici Lucemburg. uxor 1.

Margareta Henrici II Navarr. Regis uxor. — Maria Maximiliani I Auſtriaci Imper. uxor 1. — Gaſto Vianæ Princeps Magdalenæ Franc. maritus. — Catharina Ioannis de Fuxo Candalæ uxor. — Petrus Margaretæ Sabaud. maritus.

Philippus I Ioannæ Caſtell. maritus. — Catharina Regina Ioannis Labret. uxor. — Anna Ladiſlai Hungariæ Regis uxor. — Maria Franciſci Borbon. Vindocin. uxor.


Carolus V Imper. Iſabellæ Portugal. maritus. — Ferdinandus I Annæ Hungar. maritus. — Anna Ferdinandi I uxor.

Philippus II Annæ ſorore natæ maritus. — Maria. — Maximilianus II. — Anna Alberti Bavari uxor. — Ioanna Franciſci Medicæi Tuſci uxor. — Carolus Stiriæ Archidux Mariæ ſorore natæ marit.

Philippus III Margaretæ Auſtriacæ maritus. — Anna Philippi II patrui uxor 3. — Maria Caroli avunculi uxor. — Maria Henrici IV uxor. — Margareta Philippi III uxor.

Anna Ludovici XIII uxor.


II. *Ludovici* XIV *Stemma Valeſium.*



Burgundiæ Ducatum, qui vi ſtatuti anno 1314 conditi, & à Philippo Audaci Mariæ Caroli poſtremi Ducis unigenitæ abavo anno 1366 confirmati, fœminæ (prout ante diximus) hæreditatis titulo obvenire non potuit, Francicæ uſque nunc ditionis eſſe improbat; Normanniam, Aquitaniam, Pictaviam,

viam, aliaſque Anglorum Regum hæreditarias olim ditiones, ipſis illo (quod tam inique quam infeliciter intulerant) bello ereptas dolet: Provinciam, quæ Beatrici, Raimundo Berengario poſtremo familiæ Barcinonenſis Comite natæ anno 1245 in dotem, Sancto Ludovico (cujus uxori Margaretæ Beatricis primogenitæ univerſa Aragoniorum omnium in Provinciam jura A.D. 1259 Iacobus I attribuerat) permittente ceſſit; à Ioanna prima Beatricis abnepte Ludovico I Andegavorum Duci anno 1380 in poſſeſſionem miſſo donata; à Renato Ludovici nepote Caroli fratris filio A.D. 1374 legata eſt, ac tandem à Carolo Ludovici pronepote Renati Legatario, anno 1481 Decemb. 10 Teſtamento Ludovico XI *ejuſque ſucceſſoribus Regibus*, Margaretæ, quæ Beatricis germana natu major fuit, & Margaretæ Carolo Valeſio nuptæ, Beatricis vero neptis, jure potioribus poſteris relicta eſt, *Hiſpaniarum Regi nunc etiam deberi* ridicule garrit; nec videt Aragonios Reges, ex quo Alfonſus II Giſleberti Provinciæ Comitis per Dulciam aviam hæres factis conceſſit, Comitatumque Giſleberti, Alfonſo ſecundogenito, cujus uſque nunc progenies in familia Francica durat, portionis hæreditariæ titulo aſſignavit, ideſt ab A.D. 1596 Aprilis 25, ne hilum *Hiſpaniæ Reges* habuiſſe, quod ſibi in *Provincia* quærerent, aut hæreditario jure *debitum* ex vero putarent. Quam libri I cap. 40 lectori ſuo appoſuerat cramben p. 179 recoquens, *Petrum* III Aragonum Regem *Conradino ſanguine junctum & hæredem ab eo in theatro nuncupatum, in ſignum traditionis regni projecta in populum chirotheca; quæ ab equite quodam excepta, & ad Petrum perlata ſit*; Imo *Aragonios omnis dominationis Siculæ inſtitutos* fuiſſe, tam confidenter quam imperite fabulatur. Hæc enim univerſa & ſingula falſa ſunt. Nam 1 Petrus Conradini nec *conſanguineus*, nec *cognatus* fuit, ſed *affinis* tantum ob ductam Manfredo notho progenitam Conſtantiam. 2 Petrum nec *hæredem nuncupavit*, nec de eo *in theatro* cogitavit Conradinus. 3 *Nuncupatum* veterum (quorum monumenta extant) nemo dixit. 4 Monachus Paduanus, Henricus Stero, Ptolomæus Lucenſis, vel coætanei, vel ſuppares cum Blondo recentiore id ignoraverunt. 5 Hiſpani ipſi recentiores, quorum aliquod nomen eſt, Zurita in *Indicibus*, Blanca in *Commentariis*, Mariana in Hiſtoria inane commentum ſpreverunt. 6 Pandulfus Collenutius, qui ſæculo XV deſinente *hæredem* à Conradino *nuncupatum* notavit; dum Conradinum ultores cognatos ſperaviſſe retuliſſet, hæc addidit; *Chirothecam ex altera manu tractam, veluti ſignum legati, verſus populum projecit, & aſſeruit inſtituere Fridericum Caſtellanum amitæ ſuæ filium, atque hæc Chirotheca, ut teſtatur Pius Pontifex, excepta, ac Petro Aragonio poſtea allata fuit*; ex quibus non Petrum Aragonium ab anno 1262 Iunii 15 affinem, ſed Fridericum Caſtellenſem ab A.D. 1220 propinquum Conradino ad mortem ſe componenti, & hæredes inſtituenti in mentem veniſſe, nec ex ejus *nuncupatione* (ſi factam demus) juris ad Aragonios quicquam ſed ad Caſtellenſes ſolos Friderici A.D. 1279 ſtrangulati hæredes devolutum fuiſſe. 7 Pandulfus ipſe, quicquid de Conradini hæreditate factum ſit, hac in parte erravit, quod Fridericum Caſtellenſem *amitâ Conradini* natum putavit; proprie enim *amita* non fuit Beatrix Friderici mater. 8 neſcio ubi *Pius Pontifex allatam Petro Conradini chirothecam teſtatus* ſit; ſed ſive *allata*, ſive non *allata* ſit, eodem res recidit; ad eum quem Conradini *hæreditas* (ex ejus mente) non tangebat, lib. 4. hiſt.

perlata eſt; nec ei quicquam ex rei ad ſe non deſtinatæ, aut ullo modo pertinentis traditione quicquam acceſſit, ex quô ei Siciliam (juris alieni regnum) ſibi vindicare jus faſve eſſet. 9 Blondus, Zurita, Blanca, Mariana, Siculos ejus patrocinium implorantes, ac ſemet ei permittentes, protexiſſe, nec alio jure regnaſſe volunt. 10 Ptolemæi Lucenſis A.D. 1282 verba ſunt. *Siculi rebellaverunt contra Regem Carolum, occiſis multis Gallicis, propter injurias & violentias, quas faciebant in terra, favente Domino Petro Rege Aragonum, qui in uxorem habebat filiam Manfredi, vocatam Dominam Conſtantiam ab abavia ſua, quam quidem codicillo allegabat Rex Aragonum ad ipſum pertinere*; ſed nec *abavia* dici debuit, quæ *proavia* fuerat; nec *codicillum* habuit, vel Petrus, vel Petri ſocer Manfredus, quo ad Siciliæ regnum vocaretur. 11 Teſtamentum Friderici II à Matthæo Paris & Pandulfo exſcriptum, hæc de Manfredo tantum habuerat, *Manfredum filium meum relinquo Ballivum Conradi in Imperio, à Papia & citra, & regno Siciliæ, uſque ad decem annos, excepto quando Conradus erit præſens.* quæ cum Manfredum non ad regni ſpem, ſed ad curam ejus ſub Conrado legitimo hærede vocaverint, nihil vel ipſi, vel filiæ, vel ejuſdem cauſa Petro genero juris contulerunt. Blondus *à Manfredo ſuppreſſum Conradi* Conradinum hæredem ſcribentis *teſtamentum* notat, quod *codicilli* in Manfredi & liberorum gratiam ſcripti fabulam una litura inducit. 12 ut Conſtantiæ ejuſque patri Manfredo Friderici II filio naturali, in paterna hæreditate juris quicquam tribuere libeat, Friderici legitimi liberi, eorumque poſteri, illegitimo, eodemque natis anteferendi fuerint; proüt ex ſubjecta tabella attento cuivis facile patebit.



Subdit denique falſa & calumnioſa veris abſurdiſſime involvens, *Maximiliani conceſſionem factam Ludovico* XII *ea lege fuiſſe, ut Claudia filia ejus, atque hæres futura, nuberet Carolo illius nepoti poſtea Imperatori, At hanc datam Franciſco Comiti Engoleſmi poſtea Regi, eô ſolutam illam pactionem fuiſſe; pactum in pace factum à Carolo* V, *mox concidiſſe pace infracta à Franciſco* I *ejuſque liberis, quibus ſi quid ex pacto juris eſſet, felonia abſtuliſſet.* verum ergo

à falſo

a falſo ſecernamus, ne cui calumniæ militare videatur. Revera [a] A.D. 1501 *Tridenti urbe in faucibus Alpium ſita, quà montes inter ſe coëunt, Cæſarem inter præſentem & Gallum Regem miſſo ea cauſa Legato pax facta, ea potiſſimum lege eſt, ut Carolo Philippi Belgæ filio Claudia nuberet, Galli major filia.* ſed quod vel ignoravit, vel conſulto (quia res ejus evertebat) omiſit Zypæus; A.D. 1508 Cameraci alia pacta inita ſunt, *Cameraci* (inquit Guicciardinus libro 8) [b] *paucisſimis diebus ultima determinatio facta eſt*, &c. *ſequentique die, quæ Decembris decima erat, ceremoniis ſolennibus confirmata*, &c. *Inveſtiat Cæſar Franciæ Regem, pro ſe & Franciſco Engoliſmenſi, eorumque poſteris maſculis, de Ducatu Mediolanenſi, cujus inveſtituræ cauſa ei Rex centum Ducatorum millia perſolvat.* Cum igitur & inveſtituræ diploma datum, & pecunia (prout ex Regis epiſtolis ante notavimus, numerata ſit; nec Maximiliano, nec Carolo nepoti, Franciſcum rerum legitime pactarum & jure hæreditario devolutarum poſſeſſione ſine cauſa dejicere licuit; nam quod Zypæus *de infracta à Franciſco ejuſque liberis* (ad annum uſque 1533 impuberibus, adeoque *feloniæ* incapacibus) *pace*, pudore omni decocto nugatur, jam ante mendaciter confictum fuiſſe evicimus. Nunc vero quia ab A.D. 1559 controverſia Mediolanenſis ſiluit; cujus meriti ſit, quos proprie, & quantum, quove jure tangat, ad oculum ſubjecta tabella demonſtrabit.

[a] Mariana lib. 29. c. 10. Guicciard. lib. 5.

[b] Vide Marian. lib. 29. c. 15.

Verus Mediolanenſis ſucceſſionis ſtatus, ſi quis naturalem legitimi ſanguinis traducem, ejuſque jura propria attendat.

I.

- Valentina Vicecomes Ludovici Aurelian. Ducis uxor à Ioanne Galeatio Duce parente fratribus ſuffecta.
  - Carolus.
  - Ioannes Engoliſmæ Comes Margaretæ Rohaniæ maritus.
    - Carolus Ludovicæ Sabaud. maritus.
      - Franciſcus I Claudiæ maritus, à Maximiliano I, A. D. 1508 cum Ludovico XII inveſtitus.
        - Henricus II Catharinæ Medicææ maritus.
          - Iſabella Philippi II Hiſpaniæ uxor tertia.
            - Catharina Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis uxor.
              - Victor Amedeus Chriſtinæ Franciæ maritus.
                - Carolus Emmanuel.
                - Maria Mauritii patrui uxor.
                - Agnes Bavariæ Ducis uxor.
              - Mauricius Mariæ fratre natæ maritus.
              - Thomas Mariæ Borboniæ maritus.
                - Emmanuel Philibertus Amedeus.
                - Ioſeph Emmanuel Ioannes.
                - Eugenius Mauritius.
                - Amedeus.
                - Ferdinandus.
                - Carlota Chriſtina.
                - Ludovica Chriſtina.
              - Margareta Franciſci II Mantuæ Ducis uxor.
                - Maria Caroli propinqui uxor.
                  - N. Mantuæ Dux.
                  - Ferdinandi III uxor 3.
              - Iſabella Alfonſi Ateſtini Mutinæ Ducis uxor.
          - Claudia Caroli II Lothar. Ducis uxor.
            - Henricus Margaretę Gonzagæ maritus.
              - Nicolaa.
              - Claudia.
                - Ferdinandus.
                - Leopoldus.
            - Franciſcus Chriſtinæ Salmenſis maritus.
              - Carolus III Nicolaæ maritus.
              - Nicolaus Franciſcus Claudiæ maritus.
              - Henrica Andreæ de Moura uxor cum liberis.
              - Margareta Gaſtonis Francici uxor 2.
                - Dux Valeſiæ cum ſororibus.
            - Chriſtina Ferdinandi Medicei Tuſciæ Ducis uxor.
              - Coſmus II Mariæ Magdalenæ Auſtriacæ marit.
                - Ferdinandus II.
                - Ioannes Carolus.
                - Matthias.
                - Franciſcus.
                - Leopoldus.
              - Franciſcus.
              - Carolus Cardin.
              - Philippus.
              - Laurentius.
              - Claudia Leopoldi Archiducis uxor.
                - Ferdinandus Carolus.
                - Sigiſmundus Franciſcus.
                - Maria Leopoldina Ferdinandi III uxor 2.
        - Margareta Philiberti Emmanuelis Sabaudiæ Ducis uxor.
          - Carolus Emmanuel Catharinæ Auſtriacæ maritus.
      - Margareta.

II.

- Valentina Vicecomes Ludovici Aurelian. Ducis uxor à Ioanne Galeatio Duce parente fratribus ſuffecta.
  - Carolus Mariæ Clivenſis maritus.
    - Ludovicus XII Annæ Britannicæ maritus poſterior, A. D. 1508 à Maximiliano I inveſtitus.
      - Claudia Franciſci I uxor prima.
      - Renata Herculis II Ateſtini Ferrariæ Ducis uxor.
        - Anna Franciſci Lotharing. Guiſiæ Ducis ac exinde Iacobi Sabaudi Nemoroſii Ducis uxor.
          - Henricus Guiſiæ Dux Catharinæ Clivenſis maritus 2.
            - Carolus Henricæ de Gaudioſa maritus poſterior.
              - Henricus Guiſiæ Dux.
              - Carolus Ludovicus Dux Gaudioſæ.
              - Ludovicus.
              - Rogerius.
            - Claudius Mariæ Rohaniæ maritus poſterior Caproſiæ Dux.
              - Maria.
          - 1 *nupt.* Carolus Meduaniæ Dux Henricæ Sabaud. maritus.
            - Catharina Caroli Gonzagæ Mantuæ Ducis uxor.
              - Carolus Mariæ propinquæ maritus.
                - N. Mantuæ Dux.
                - Ferdinandi III uxor 3.
              - Maria Ludovica Ladiſlai, ac exinde Caſimiri Poloniæ Regum uxor.
              - Anna Eduardi Palatini uxor.
            - Renata Marii Sforciæ S. Floris Ducis uxor.
          - 2 *nupt.* Henricus Nemoroſii Dux Annæ Lothar. maritus.
            - Ludovicus Iſabellæ Vindocinenſis maritus.
  - Ioannes.

III.

- Valentina Vicecomes Ludovici Aurelian. Ducis uxor à Ioanne Galeatio Duce parente fratribus ſuffecta.
  - Carolus.
  - Ioannes Engoliſmæ Comes Margaretæ Rohaniæ maritus.
    - Carolus Ludovicæ Sabaud. maritus.
      - Franciſcus I.
      - Margareta Henrici Labretani Navarræ Regis uxor.
        - Ioanna Regina Antonii Borbonii Vindocini Ducis uxor.
          - Henricus IV Mariæ Mediceæ maritus.
            - Ludovicus XIII Annæ Auſtriacæ maritus.
              - Ludovicus XIV.
              - Philippus.
            - Gaſto Aurel. Dux Mariæ Borboniæ ac exinde Margaretæ Lotharing. maritus.
              - 1 *nupt.* Maria Montiſpenſerii Dux.
              - 2 *nupt.* N. Valeſiæ Dux.
              - 2 *nupt.* N. N. filiæ.
            - Iſabella Philippi IV Hiſpan. Regis uxor.
              - Maria Infans.
            - Chriſtina Victoris Amedei Sabaud. Ducis uxor.
            - Henrica Maria Caroli I Magnæ Britanniæ Regis uxor.
              - Carolus II.
              - Iacobus Eboraci Dux.
              - Henrica Maria Guilielmi Naſſov. Arauſicæ Principis uxor.
                - Guilielmus.

Vindicata Chriſtianiſſimorum Regum fama, abſterſo criminationum à Zypæo aliiſque odioſe & inſolenter congeſtarum cœno, refuſaque in eorum qui vere deliquerant, caput, perfidiæ infamia, pii civis munere defuncti videri poteramus: ſed ad pleniorem adverſariorum convictionem gradu pauliſper (ut fortius pedem figere liceat) cedamus, nihilque adverſus noſtros injuria impactum fingamus; fuerint (ſi placet) Franci fœdifragii multis modis rei: Meliores ne aut innocentiores, aut à culpa, vel graviori, vel ſaltem pari, immunes eorum adverſarii fuerint? quantâ fide egerint, non noſtrorum qui gratiæ ſuſpecti & parti addicti, videri poſſint; ſed aliorum, quos noſtris favoris nihil tribuiſſe conſtat, attendamus.

Exte-

Exterorum de adverſariis luculenta teſtimonia.

ILle ipſe Guicciardinus (qui lib.12 de Ludovico XII *Rex juſtus, ſuiſque multum dilectus populis,* ſcripſerat) lib.1 ad A.D. 1493, *pacto illo* (Caroli cum Ferdinando & Iſabella) *ſolenniter admodum, & ſacramentis publice utrinque in templis ſacris præſtitis expreſſum eſt, Ferdinandum & Iſabellam* (*Hiſpania communi nomine regebatur*) *nec directe, nec indirecte Aragoniis auxilio futuros, novam cum iis affinitatem non contracturos, nullo modo Carolo in Neapolis defenſionem obſtituros,* &c. *Maximilianus in matrimonio iſto* (Blancæ Mariæ) *pecuniam potius, quam affinitatis vinculum ſecutus, ad concedendam* (*in Ioannis Galeatii novi affinis præjudicium*) *Ludovico pro ſe, filiis, & poſteris, quaſi poſt Philippi Mariæ Vicecomitis obitum, Dux legitimus ſemper vocatus fuiſſet, Ducatus Mediolanenſis inveſtituram ſemet obligavit.* lib.2 ad A.D. 1494 *qui non alio fine quam ut Ruſcinonis Comitatum recuperarent, Carolo de non impedienda Neapolis acquiſitione fidem dederant, liberam ſibi contraveniendi* (*ſi quod publicarunt verum ſit*) *facultatem uſque tunc aſtute retinuerant Hiſpani.* lib.3 ad A.D. 1496, *naturali ſua varietate uſus* Maximilianus, *parte equitum & peditum relicta, in Germaniam abiit, cum parum ex Imperialis nominis dignitate Italiæ debilitatem ſuam oſtentaſſet,* &c. A.D. 1497 *Hiſpaniæ Reges cum alia nulla de cauſa ſibi voluntati*(Caroli VIII)*conſentire difficile eſſe demonſtrarent, quam honoris proprii reſpectu, ut Italiæ res induciarum pactis comprehenderentur inſtabant; quandoquidem,* (*conſilio communi ſtante ut induciæ pangerentur, quo facilius de pace ageretur*) *honeſtius à fœdere cum Italis inito recedere facultas dabatur,* &c. *Ad hujus anni finem cum ob immoderata Hiſpaniæ Regis poſtulata, conventus qui Monte peſſulano Narbonem tranſlatus erat, prius interruptus fuiſſet, ad nova inter Reges iſtos conſilia reditum eſt.* lib.4. A.D. 1499 *Spes à Maximiliano Sforciis fratribus datæ ob indolis variam mobilitatem, quodque conceptus ſuos male fundatos alium cum alio confundere ſolitus eſſet, in dies vanæ magis ac magis deprehendebantur, quin ſolita penuria preſſus, pecuniam ſæpius ab ipſis poſcere non deſinebat.* lib.5 ad A.D. 1501. *non minus quam prudentia in Francô, integritas & fides in Ferdinando ab univerſis deſiderabatur, mirantibus omnibus, eum obtinendæ partis regni Neapolitani cupidine, adverſus Regem conſanguineum conjuraſſe, eum quo facilius ſubverteret, promiſſis fallacibus, ſemper paviſſe, titulique Catholici Regis ſplendorem obſcuraſſe.* lib.6 ad A.D. 1503. Philippus primus *Archidux* (cui Ferdinandus *amplam poteſtatem & libera mandata dederat*) *cum ſine culpa eſſet; maxime inſtabat, ut ſocer pacis quam ejus nomine pepigerat, violationi remedium quæreret, ſupra modum ægre ferens hunc rerum eventum tanta cum infamiâ ſua in totius orbis conſpectu contigiſſe,* &c. *Fridericus* regno Neapolitano ſpoliatus, *cum ipſi à Rege Hiſpaniæ perſuaſum eſſet, ſe ex ejus conſenſu reſtituendum in regno Neapolitano,* &c. *negotium pacis introduxit; cujus gratia* (*tantiſperdum bellum in Italia flagrabat*) *Hiſpaniæ Regis Legati in Franciam venere, qui tantô artificio uſi ſunt, ut Fridericus in animum induxerit, reſtitutionis, cui ſumma contentione partis Aragoniæ Barones contradicebant, difficultatem in Regis Franciæ averſo* animo *potiſſimum conſiſtere,* &c. ad A.D. 1504 *His fere diebus obiit Fridericus recuperandi regni Neapolitani ſpe omni abjecta,* &c. *qui non cogitaverat ab omni veri*

ſimili-

ſimilitudine alienum eſſe, cum qui tot inſidiis uſus erat, ut dimidium occuparet, tunc integrum conſecutum eo ſe privare, &c. A.D. 1505. conventum Regem Germanæ in dotem daturum regni Neapolitani portionem quæ ipſi obtigerat, Hiſpaniæ Regem 700 Ducatorum millia in expenſarum levamentum intra decennium perſoluturum, &c. dotalem portionem poſt mortem Ferdinandi ſuperſtite Germana ad Franciæ coronam reverſuram. lib.7 ad A.D. 1507. Inveſtituram ſibi regni totius dari nomine proprio Ferdinandus petiit, &c. quantumvis capitulis pacis cum Rege Franciæ initæ diſpoſitum eſſet, ut quantum terram Laboris & Aprutium ſpectat, una Reginæ nomen agnoſceretur. Ibid. Savonæ Reges de reformando Eccleſiæ ſtatu, & convocando in hunc finem Concilio egerunt, quâ in re multa ſinceritate non utebatur Ferdinandus, ſed hac ſpe Cardinalem Rotomagenſem pontificatus cupidiſſimum alere ſatagebat; quibus artibus ejus mentem adeo illigavit, ut non modico forſan rerum Regis ſui incommodo, poſt multa contrarium demonſtrantia ſigna ſero adverterit, quantum in hoc Rege opera à verbis diſcreparent, &c. Piſanos in fidem ſuam receptos, quantumvis id falſum eſſet, dicebat. lib.8 ad A.D. 1508 pacta Cameracenſia ejus quod in animo ſentiebat, contrarium promptitudine ſuâ demonſtrare conatus, iiſdem ſolennibus uſus rata Ferdinandus habuit, &c. Venetos adverſus extremum, quo oppreſſi erant, terrorem, Regis Franciæ de ſervando bona fide fœdere Cameraci cum Cæſare percuſſo deliberatio ſecuros fecit, &c. Cæſar, qui ad condictum locum non venerat, Regem rogavit, ut Cremonæ ſubſiſteret, quandoquidem brevi reverſurus ad colloquium erat, quam varietatem (ſi tamen in Principe adeo inſtabili verum reperiri poſſit) multi ſuſpicioni tribuebant. lib.9 ad A.D. 1509, ad oppugnandum Francum eodem modo, ſed occulte admodum, à Rege Aragonum (ejuſdem fœderato) impellebatur Anglus. Ibid. à Rege Catholico occulta potius conſilia, quam aperta auxilia Papæ ſubminiſtrabantur, quia pro aſtutia ſua cum Maximiliano, & Rege Franciæ (cui varia multis conditionibus & dilationibus ſuſpenſa pollicebatur) ex adverſo agebat. Ibid. ad A.D. 1510 Mutinæ occupandæ conſilio, aſtutia & occulta conſilia Aragonum Regis Francis obſtitêre magis quam arma Pontificis. lib.10. Artes & ſimulationes Aragonii tales erant, ut Rex minorem factis quam verbis fidem habuerit. Ibid. ad A.D. 1511 Octobris 5 præſente Pontifice ſolenniter publicata eſt inter eum, Regem Catholicum & Senatum Venetum adverſus Regem confœderatio. Ibid. A.D. 1512 etiamſi Andreas Burgenſis referret Cæſarem prono ad perſeverandum in confœderatione animô eſſe, duras nihilominus conditiones proponebat, &c. has conditiones graviſſimas, & per ſe fere intolerabiles, longe Regi graviores reddebat, quod noſſet ſibi non licere ſecurum eſſe, tantis rebus conceſſis; Maximilianum ſive pro occaſionibus, ſive pro conſuetudine deinceps non variaturum; quin imo conditionum propoſitarum iniquitas argumentum fere manifeſtum dabat, eam à Franciæ Rege diſcedendi certam occaſionem quærere, quod ſecum decreverat aliquo cum colore exequendi, cum maxime non in verbis ſolum, ſed in factis etiam mali animi ſigna deprehenderentur, quandoquidem toties promiſſi procuratores cum Burgenſi non venerant, &c. Franciæ Rex ob mutabilitatem Cæſaris, duraſque quas ille proponebat leges, antequam prælium committeretur voluntati Pontificis in multis tandem cedere certus erat. Ibid. poſt longas dubitationes inducias cum Venetis (Franci fœderati tunc temporis hoſtibus) ratas habuit, &c. ſupervenêre Cæſaris ad pedites Germanos epiſtolæ & mandata, ut confeſtim à Regis ſtipendiis

pendiis recederent, qui cum ſere omnes ex territorio Tirolenſi eſſent, nec Domino proprio contumaces eſſe vellent, illa ipſa die in viam ſe dederunt; quorum diſceſſu, Palliſſius aliique Duces univerſa propugnandi Mediolanenſis Ducatus ſpe exciderunt. lib.11.*per Vitfruſtium Regienſes Cæſar Ferrarienſi fœderato ſubducere* conatus eſt. Ibid. *Rex Aragonum cum alio titulo Navarram ſe legitime poſſidere, aſſerere non poſſet, auctoritate ſedis Apoſtolicæ juridice occupatum eſſe allegavit:* quam vere vidimus. Ibid. ad A.D. 1513. *fere omnes Conſiſtorii* Regii *principes, experimentum præſens tanto cum damno, Cæſaris inconſtantiam, odium adverſus Regem conceptum, & vindictæ deſiderium demonſtraſſe allegabant; cum maxime à non levis notæ auctoribus reſciviſſent, hæc ejus aliquando tempore iſtô verba fuiſſe, infixam animo injuriarum ſeptemdecim à Francis illatarum memoriam, dataque univerſas ulciſcendi poteſtate, nolle occaſioni deeſſe, nec alio ab eo fine hæc agi, quam ut fraudulentæ reconciliationis ope, commodius noceret, vel ſaltem quod cum Venetis tractari noverat interrumperetur, aut bellicorum apparatuum fervor refrigeſceret.* Ibid. *promittebat Rex, Catholicus, ſi Papa Mediolani defenſionem ſuſciperet, ſe nullo ad inducias pactas reſpectu, bellum Franciæ illaturum, quod ſibi ſine fidei datæ violatione licitum dicebat.* lib.12 ad A.D. 1514. *In his difficultatibus, tantaque rerum perplexitate, ad ſecuritatem ſpemque revertendi ad priſtinam poteſtatem ac famam, Regi viam aperuit indignatio incredibilis, qua Angliæ Rex exarſit, ubi inducias à ſocero, in promiſſi de nullis deinceps pactis cum Franciæ Rege, ſe non conſentiente ineundis ſæpius iterati fraudem renovatas audiit; quâ de injuria publice cum lamentis queſtus, terque ſe à ſocero deluſum aſſerens, quotidie à cogitatione belli adverſus Francos renovandi alienior fiebat,* &c. *Cardinali Eboracenſi, ut Regi ſuo auctor eſſet, ne ultra armis Franciæ regnum vexaret, partâ gloria contentus, quamque in Cæſare, Catholico Rege, & Helvetiis fidei correſpondentiam inveniſſet, memor animos addidit.* Ibid. *Novarum injuriarum ſenſu crevit Angliæ Regis ad pacem propenſio; quia Cæſar, qui ei promiſerat, ſe inducias à Rege Catholico conventas, abſque eo ratas nequaquam habiturum, ad Regem illum inſtrumentum ratihabitionis miſit, qui (miſſo ad Franciæ Regem ſcripto ſuo) Cæſaris nomine ratas habuit; retento ſibi inſtrumento, quo poſſet ſimulationibus & artibus ſuis uti,* &c. *ab univerſis Aulæ ſuæ principibus, ad amplectendam vel conditione iſta pacem Francus adductus eſt, quantumvis iiſdem temporibus Rex Catholicus interrumpendæ tota mentis induſtria intentus, multas ei conditiones offerret,* &c. *ab utroque Rege, Rex Scotiæ, Archidux & Imperium nominati ſunt, ſed nec Cæſaris, nec Regis Catholici nomina addita ſunt;* Ibid. ad A.D. 1515. *nonnulli affirmant conventum* (Pariſiis inter Franciſcum & Carolum) *ut intra tres menſes ad Aragonum Regem utriuſque nomine Legati proficiſcerentur, qui poſcerent ut à populis Archiduci tanquam iſtorum Regnorum Principi ſacramentum dici procuraret, Navarræ regnum reſtitueret, & à Mediolani* (à Maximiliano Sforcia occupati) *defenſione abſtineret.* Ibid. ad A.D. 1516 *menſe Ianuario obiit Rex Aragonum, excellentiſſimi conſilii, & virtutis, in quo (ſi in promiſſis conſtans fuiſſet) nihil facile reprehendi potuiſſet.* lib.13 ad A.D. 1516. *in Cæſare non minor ſe demonſtrabat alacritas, qui præterquam quod Veronam reſtituit, duos ad Franciæ Regem Legatos miſerat, qui pacem initam confirmarent ac jurarent,* &c. *Cæſar jam ex antiquo odio ſuaque inconſtantia à Franciæ Rege alienatus, ſe novo cum Angliæ Rege fœdere colligaverat, & cum nepote prope Antver-*

piam congreſſus, eum à Colloquio cum Franciæ Rege dimoverat. Ibid. ad A.D. 1519. *à Cardinali Sedunenſi, aliiſque univerſis, qui Francorum poteſtatem metuebant & timebant,* Maximiliano I *dicebatur, tot, taliaque Caroli magnitudinis fundamenta eſſe, ut adjuncta ei Imperiali dignitate, ſperari poſſet eam Italiam univerſam, magnamque Chriſtiani orbis partem in unam Monarchiam redacturum; quod non tantum ad poſterorum dignitatem, ſed etiam ad ſubditorum quietem ſpectaret, habitoque ad res infidelium reſpectu, in Chriſtianæ Reip. beneficium cederet; proinde ex officio ejus ac debito eſſe, de incremento, & exaltatione dignitatis Imperialis cogitare, quæ tot annis in perſona ejus & familia Auſtriacâ reſederat, in illam uſque diem (ob ejus, majorumque impotentiam) titulô ac nomine, quam re ipſa & effectis majore,* &c. *jam Electores magna ex parte in Cæſaris ſententiam pertracti, ac velut de pecunia certi, quæ ob electionem iſtam ab Hiſpaniæ Rege promittebatur, qui ducenta ducatorum millia ea de cauſa in Germaniam miſerat,* &c. *Lintſii in Auſtriæ confinio poſito loco obiit, ferarum venationibus, ut ante ſemper intentus, eaque, qua perpetuo vixerat, fortuna uſus, quæ cum ei benigniſſima maximis occaſionibus oblatis fuiſſet, annon ex æquo adverſa fuerit neſcio, dum nihil ex illis conſecutus eſt, vel eo, quod in propriam uſque domum à fortuna illatum erat, ipſum inconſtantia propria, immoderatique ac ſæpe à cæterorum hominum judicio diſcrepantes conceptus privavere,* &c.

Tuſci ante annos fere 120 denati, & Francis parum propitii, teſtimonium (cui hactenus Europa plurimum detulit) audivimus; Ioannem Marianam Toletanum, inter Societatis patres clarum, cujus hiſtoria Conſilii Regii auctoritate publicâ munita A.D. 1591 edi cœpit, deinceps attendamus. lib.25 cap.11 ad A.D. 1488. *Cum ſupplice Alano, neque ullas pacis conditiones recuſante, fœdus eſt* (à Ferdinando) *factum, ſocietaſque armorum conſtituta, adverſus omnes Principes, uno excepto Rege Gallô; cui fidem fallere, neque tutum erat, neque fas, quod Labreti ditio ſubdita univerſa Gallico Imperio eſſet, atque finitima. Verum ea ſpecioſa verba erant, rebus vacua, quando præſidia externa contra Gallum* (Ferdinandi & Iſabellæ fœderatum) *maxime quærebantur.* cap.18 ad A.D. 1491. *Callido* (Ferdinandum) *ingenio fuiſſe, fidemque ex commodô nonnunquam mutaſſe externi auctores accuſant, an ex invidia gentis? non diſputo.* lib.26 cap.2 ad A.D. 1492 (Ferdinandus) *in Vicecomitis Narbonenſis causâ, ſe Regibus* (Navarræ) *non defuturum indicavit, quaſi potioribus jure, neque paſſurum uti injuriâ avitô regnô pellerentur à patruô. Ea tunc mens fuit.* cap.4 ad A.D. 1493, *In ea urbe* (Narbone) *ad 15 Kal. Febr. conſenſu hæ conditiones ſancitæ ſunt. Pax Regibus Gallô & Hiſpano eſto, fœduſque adverſus omnes Principes, unô excepto Pontifice Romano. Filias ne Ferdinandus Rex cuiquam Principi jungito, niſi ex Galli Regis voluntate.* cap.5. *Confecto Granatenſi bello, cum parum jam terroris ab hoſte eſſet,* (ordinibus Hiſpaniæ militaribus) *pro gratiâ odium redditum.* cap.6. *Cupiebat Ferdinandus Aragonios Principes propinquos & neceſſarios periculo eripere, vera eſſe quæ prædicabant non ignorabat, memoriâ tamen recentis fœderis & ſacramenti religione detinebatur, ne in Gallum arma ſumeret.* cap.7 ad A.D. 1494. *Cum* (Ludovico Mauro) *Alfonſus Silva* (Ferdinandi Legatus) *per literas egit, ut ruptô Gallicô fœdere, ad Aragonias partes fœduſque tranſiret,* &c. Ibid. ad A.D. 1495. *fœdere* (cum Pontifice) *factô, Gallus ad 5 Kal. Febr. Roma diſceſſit, petiturus Neapolim,* &c. *Ferdinandus Rex cognitis rebus quæ in Italia gerebantur, Gallum adverſus*

verſus Neapolitanos Principes feſtinare , ac pro eô ſtudiô Pontificis Majeſtatem contemptui habitam , Gallicis conatibus obſiſtere palam conſtituit. cap.9. *Ergo Ferdinandus Rex alios principes de jungendis contra Gallum viribus ultro appellare ; ut cui pares ſinguli non erant , communicatis opibus ſuperiores evaderent.* cap. 16 ad A.D. 1497. *Vaſconum Reges habere ſuſpectos Ferdinandus cœperat. Labretis & Fuxenſibus , uti natura cogebat , ad Gallos nimium propenſis.* lib.27 cap.6 A.D. 1500. *De Vaſconum Regibus multa Rex Catholicus ſuſpicari , accipiendis delationibus pronus , in eos Principes maxime ; amicitia cum Gallo multis officiis culta , magnæque eum eâ gente neceſſitudines vereri cogebant , ne monſtri aliquid Hiſpaniæ parerent. Ita annis ſuperioribus præter ſacramentum ab arcium præfectis in verba Regis Catholici universâ ditione factum , Sangueſſam & Vianam quaſi fidei pignora , penes ſequeſtrum eſſe conſtitutum fuerat , deſignato quinque annorum ſpatio ; eô decursô tempore Vaſcones ea oppida repetebant , neque reſtituebat Hiſpanus , aliam ex alia cauſam obtendens ; ut controverſias componeret , Rex Vaſconum Hiſpalim adiit menſe Aprili , ubi Reges Catholici morabantur ; eâ diligentiâ Magdalenaque filia unicâ fidei pignore in Caſtellam amandata , ut in Aula Reginæ creſceret , litibus tunc quidem finis eſt impoſitus , eaque oppida reſtituta de quibus erat diſceptatio.* cap.7. *pax tandem inter Reges Gallum & Catholicum facta eſt. Conditiones aliæ honeſtæ fuerunt , de Neapolitano regno ſancitum ut facta diviſione Apuli & Brutii Hiſpano cederent, reliqua obtineret Gallus,* &c. *Fridericum , cui cum Turcica gente fœdus erat & juncta amicitia, quemque auxilio evocare decreverat , ne pro religione ſuſceptos conatus impediret , ditione ſpoliare viſum eſt ; Idonea ſpecies ſcilicet , magis quam vera cauſa conſona juri, & æquitati.*

Ferdinandus Aragonum Rex Leonoræ Albuquerquiæ maritus.

Alfonſus Aragon. Rex Neapolitano regno donatus, id tanquam rem propriam filio naturali legavit. | Ioannes Aragon. Rex poſt fratrem, Ioannæ Henriquez maritus.

Ferdinandus I ex Vilardonæ Carlinæ contubernio ſuſceptus, Iſabellæ Claramontiæ ac exinde Ioannæ propinquæ maritus patris legatarius. | Ferdinandus *Catholicus* Iſabellæ Caſtel. maritus, qui Fridericum propinquum , ſororii filium, fidem implorantem exegit. | Ioanna Ferdinandi I Neapolit. uxor 2.

Alfonſus II Rex poſt patrem. | 1 *nupt.* Fridericus Rex poſt nepotem à Ferdinando *Catholico* exactus. | 2 *nupt.* Ioanna Ferdinandi II uxor.

Ferdinandus II Ioannæ Amitæ maritus Rex poſt patrem. | Ferdinandus Calabriæ Dux contra pacta in Hiſpaniam miſſus.

Cap.8. *ut Calabriæ Duci Ioanna Regina , quæ Ferdinando* II *Neapolitano Regi fuerat juncta, uxor daretur, Rex Catholicus curabat, in eâ provinciâ relicta, quadringentis aureorum millibus patris teſtamento dotalibus ; non diſplicebat ea conditio Friderico Regi , grave ducenti eam pecuniæ ſummam ſorori viduæ numerare ; cupiebat tamen inter connubiales leges paciſci , ut Rex Catholicus res Neapolitanas in clientelam ſuſciperet , in ſponſæ gratiam ex ſorore natæ ; quod ille detrectabat facere , molitionum conſcius & particeps , id regnum per conditiones dividendi cum Gallo , ac vero eo fœdere maturato (Friderico quamvis ad id quod ante offerebatur , propenſo) ſimpliciter conjugium coïre non eſt paſſus.* Cap.9 ad A.D. 1501. *Neapolis defenſione deſperatâ in tanta gentis conſternatione, tam lubricâ fide , Fridericus non jam præſidium rebus , ſed belli causâ , cum Gallis Ducibus pepigit Iulio extremo.* Cap.10. *Fridericus Rex ex Ænariâ inſula, in*

la, in quam per conditiones trajecerat, Regi Catholico inſenſus maxime, à quô ſe everſum videbat, nullô propinquitatis reſpectu, in Galliam trajicere conſtituit, triginta annua Francorum millia ab eo Rege in alimenta pactus, unde vitam calamitoſam toleraret in exilio. Cap.12 ad A.D. 1502 Tarento dedita, *Dux Calabriæ (conceſſa eundi quô vellet facultate) Barim migravit,* &c. *Eum promerendi cura, Regis Catholici nomine denuo conjugium offerebatur, cum Ioanna Neapolitana vidua ex Regis Catholici ſorore nata; aut cum filia ejus Catharina Arturi Walliæ Principis item viduâ; conditiones honeſtiſſimæ, voto, ſpeque majores: quando rebus perditis dabatur, quod integris vix ſperaret. An ludus erat? juvenem vanis promiſſis lactabant,* &c. *Duci perſuaſum tandem, effectumque prorſus uti Tarentum rediret. Inde in Hiſpaniam mitti conſultum fore viſum eſt,* &c. *Coram facilius de re totâ & conventionibus conventurum diſputabant,* &c. *Id velamen obtendebatur, ea ſpecies pollicitis haud ſatis ſincera fide ſervatis. In bellô promiſſorum conſtantiam quis requirat? an in re militari tantum, & non etiam inter principes in pace, præſertim cum de Imperio proferendo aut conſervando quacunque ratione agitur? quæ magna perverſitas eſt; ſed tanti libido dominandi:* Cap.19 ad A.D. 1503, *Gallus ne facta quidem conveniendi poteſtate, Legatum* (Ferdinandi) *cum ignominia compulit, pactæ* (à Philippo Archiduce ejus mandatorum vi) *concordiæ Hiſpanos non ſtare tulit ægerrime.* Lib.28 cap.7 ad A.D. 1505. *Sex tantum oppida eaque procul à mari in univerſo Neapolitano regno Gallis relicta ſunt; magnâ Regis Galli offenſione, oppida contendentis poſt diem induciis vulgandis præfixum ab Hiſpanis capta reſtitui æquum eſſe; ac vero initi fœderis evulgatione dilatâ fraudem ſuſceptam interpretabatur, quæ noxa patrocinari non deberet.* Cap.8. *Præ aliis Regi Gallo grave extitit Ducem Valentinum vinctum teneri, quo rebus ſuis certiſſimum in Italia præſidium expectabat; ad nuncium vero fuiſſe in Hiſpaniam abductum dixiſſe fertur;* Deinceps pro fide Punica merito ſubſtituamus Hiſpanicam, nihilô illa conſtantior, *&c.* Cap.14 ad A.D. 1505 Ferdinandus *Auſtriacis infenſus nulla affinitatis cum iis initæ memoria, ad Galli Regis occupandam gratiam adjecit animum, ſuis rebus ex eo præſidium parans, quemcunque curſum cœptæ offenſiones tenerent. Has cogitationes verſanti, aliud atque aliud ſubjiciente animô, fore optimum viſum eſt cum Germana Fuxenſi conjugium, quoniam ejus Regis ex ſorore nata erat, caritate filiæ inſtar. Eo conſilio Ioannem Enguerram è Ciſtercienſi ordine Inquiſitorem in Catalaunis, quo occultior eſſet conatus, ablegavit in Galliam, cum mandatis & in eam ſententiam literis. Gratum in primis id poſtulatum Gallo accidit, atque ita ut jura regni Neapolitani in Germanam ejuſque filios transferret quaſi dotalia, additâ tantum lege, ut nulla ſuſceptâ prole ex eô connubio id imperium abſque controverſiâ ad ſe & hæredes rediret, quingenta præterea aureorum millia decem annorum ſpatio, æquis penſionibus Ferdinandus numeraret pro impenſa in ſuperioribus bellis facta,* &c. Cap.17 ad A.D. 1506. *In eo municipio* (Valliſoleto) *Rex novo ſacramentô ſuô & ſucceſſorum nomine initi nuper cum Gallo fœderis capita omnia rata fore confirmavit, ſi falleret, dira omnia in ſuum caput precatus.* Cap.18. *Philippo aulici & amicorum princeps multa in Ferdinando accuſabant, novo maxime conjugio irritati cum Germanâ, quo filiis & nepotibus atrocem factam injuriam ſcilicet interpretabantur, regno Neapolitano detracto; in quô jure ac meritô reprehendi poterat, niſi præpoſtera ipſorum ratio coegiſſet ad patrocinium Galli*

Regis

Regis, ut dignitatem tueretur, quacunque conditione confugere, artemque eludere arte. cap.18. *Cæſarauguſtano Præſuli mandavit* Ferdinandus, *ut Neapolim profectus curam rerum ipſe deſumeret in Gonſalvi locum, confectis in eam ſententiam tabulis; conſilium arte juvare viſum eſt; Ioanni Lupo Vergaræ Gonſalvi à ſecretis data ab Rege ſcheda, qua jurejurando pollicebatur Divi Iacobi Magiſterium ſe illi ceſſurum, cum primum in Hiſpaniam eſſet appulſus; vere atque ex animo id promitti ut crederetur, ingentia Gonſalvi merita faciebant: falſo & fraude eventus docuit; & quoniam ſimul Petro Navarro, quem Oliviti Comitem dixerat, cuique multum credebat, ut filium Cæſarauguſtanum præſulem ſecutus Gonſalvo in arce nova manus injiceret, arcano mandavit; metu ſe ſuſpecti hominis liberaret: quod ejus dexteritate & audacia ſucceſſurum confidebat. Decretum inſolens prorſus & immane numina diſturbarunt, ne ea injuria obſcuraretur æternum Hiſpaniæ decus, clariſſimum orbis ſidus.* lib.29 cap.2 ad A.D. 1506. *ad generales regni conventus Neapolim edicto omnes regni ordines evocantur; in iis conventibus Ferdinandi & Ioannæ filiæ atque ſucceſſorum ſacramentum à cunctis qui intererant eſt ſuſceptum, non alios Reges fore. Germanæ Reginæ nulla mentio, magno multorum miraculo, fœderis cum Gallo icti legibus in eo non ſtari, Germanæ tamen valetudo excuſata, & jam Vallisoleti Reginam Neapolitanam fuiſſe proclamatam; honeſta videlicet ſpecies, ſed quam non omnibus probaret.* cap.7 ad A.D. 1507 oblatas à Papa *honeſtiſſimas conditiones arte occupavit Ferdinandus, promiſſo ei rurſus Divi Iacobi Magiſterio; & ne verba viderentur inania, rebus vacua, Antonio Auguſtino, cum Romam miſſus eſt, mandavit, uti à Pontifice impetraret poteſtatem Archiepiſcopis Toletano & Hiſpalenſi, atque Palentino Epiſcopo eſſe, ipſius ceſſione eum honorem transferendi cum primum in Caſtellam ventum eſſet; Id ne continuo faceret multa impedire, ac præſertim tumultus ſe abſente ne propterea exiſterent, non ſine cauſa vereri. Pontifex ut continuo Regis ceſſione Magiſterium Gonſalvo daret facile adducebatur; ut aliis antiſtitibus vicariam ad id delegaret poteſtatem perſuaderi non potuit. Sic in præſenti dilatus honor eſt, non ſine ſuſpicione Regis artibus virum inſignem ludibrio habitum; quo ex Italiâ eâ fraude deduceretur. Opinionem vulgo ſuſceptam confirmavit eventus; nunquam eo dato honore, ac ne aliis quidem præmiis. An ſumus in timore benigni, poſt victoriam parci, quod vitium late patet, & eſt in multis?* Ibid. Ferdinandi *poſtulatis ſurdas aures Rex Gallus præbebat, offenſus ſacramento, quod Ioannæ Reginæ & poſteris Neapoli dictum erat, nullâ Germanæ ex ſorore natæ mentione, contra quam in ſuperiore fœdere caverant, haud dubium mutatæ voluntatis & fidei argumentum.* cap.8. *Vaſconem metus proprie ſolicitabat, non quieturum Ferdinandum niſi eô regnô occupato, ſeu præſagit animus urgentem calamitatem atque inſtantem, ſeu ex conſcientiâ iram veritus.* cap.11. *Ferdinando ea res* (Cæſaris ſuſpicio) *curæ admodum non erat, quippe Mediolani principatus jacturam regni Neapolitani ſucceſſore Carolo nepote relicto, ſatagebat compenſare fœdus violatum alterius fœderis mota fide.* cap.24 ad A.D. 1510. *Ad artes converſô animô pronunciare viſum eſt, Pontificium beneficium irritum videri redditum dupliciter, honorario vectigali ab eo Rege* (Ludovico) *uti erat juſſum, nunquam repræſentato; præterea abſque Pontificis veniâ, cujus eæ partes erant, de regno Neapolitano ſuperiori fœdere cum Ferdinando facto. Dignum videlicet abdicatione facinus,* &c. *Gallo Regi grave accidit Neapolitana jura ea indulgentia à ſe in Hiſpanum tranſlata:*

Ferdinandi ſe fraude deluſum, Pontificis iracundia violatum accuſare; vindicaturum ferro niſi eſſet id decretum abrogatum; de quo ejus Legatus coram Ferdinando Rege graviſſime expoſtulavit Montione, ubi Aragonii conventus erant, diras minaſque deteſtatus. lib.30 cap.11 ad A.D. 1512: *Ferdinandus belli cauſas adverſus Vaſconem quærere videbatur, ſatis ſibi dari damni eâ parte illati, ſi qua vis ex Gallia ingrueret poſtulans,* &c. *ut Pompelo primum peteretur viſum eſt, capite dempto reliqua prona fore. Idem ut Anglus faceret, quamvis de eâ appellatus* [1] *adduci non potuit: ſine ſui Regis mandatis bellum Vaſconi inferre nefas putare. Ac vero Ferdinandum conquerebatur ad invadendam Aquitaniam copias paratas non habere; occaſionem prætervolaſſe; certe in aditu provinciæ Bajonam occupandi tunc præſidio nudatam urbem, mora effeciſſe ut milite & rebus omnibus inſtructa difficilior oppugnatio foret, ſic ex ſuo commodo Hiſpanum bella gerere; ad ſociorum præſidium præter nomen nihil opis afferre ſolitum, ac ludibrio potius præ faſtu habere cæteros, vilia arbitrari capita.* cap.12. *nuncupatis conditionibus urbs dedita eſt ad* 8 *Kal. Auguſti ipſo Iacobi Apoſtoli memoriâ ſacrô die. Cætera eo regno oppida Pompelonis exemplô incitata, metuque hoſtium ſecutura videbantur. Vaſco in ea ſuorum conſternatione conſilii inops tres viros idoneos ad Albanum mittit cum mandatis, facturum ſe quæcunque eſſent imperata. Reſponſum uti Ferdinandi voluntas expectaretur, ab ea non diſcederet. Miſſi de totâ re Legati acerbas conditiones retulere, Vaſconum regnum traderet, univerſum in poteſtate Ferdinandi futurum dum bellum ſociale eſſet, & Eccleſiæ diſſidia componerentur, ac deinde quamdiu eſſet viſum; fidei pignus eſſet Henricus filius in Caſtella educandus; Erat iniquum filium & regnum poſtulare, neque definire ante quem diem redditurus eſſet, ut ſi in omne tempus retineret, nullâ tamen mendacii religione obſtringeretur. Ergo ea ſeveritate imperandi irritatus Vaſco, & alioqui de ſumma rerum diffiſus, in Galliam tranſcendit,* &c. *Ferdinandus imperio recens capto ſtabiliendo dabat operam diligentem; ac nominatim à Pompelonis civibus ſacramenta exegit, non jam quaſi ſequeſter, ſed Regis nomine; facto ſpecies* [1] *prætenta Ioannem Regem pactis conditionibus non ſtetiſſe; ſic regnum victori cedere belli jure quo quæ optimo.*

[1] Hinc patet Vaſconem ex Anglorum mente, nec *excommunicatum*, nec *excommunicationem promeritum*, nec armis ullis cuiquam noxium *oppugnandum* fuiſſe.

[1] Stetiſſe vel hoc ipſo evincitur, quod A.D. 1412 Iulii 13 cum Francis paciſcens vetera cum Hiſpanis pacta confirmavit.

Totius

Totius cauſæ Navarrenæ ſtatus.

Ioannes Blancæ Navarræ Reginæ ac exinde Ioannæ Henriquez maritus, A. D. 1479, Ianuar. 19, feriâ 3 denatus.

Carolus Dux Aurel. Mariæ Clivenſis maritus, A.D. 1464, Ianuarii 4 denatus.

1 nupt.

Carolus, A. D. 1461, Sept. 23, fer. 4 lento veneno ſublatus.

Blanca, A. D. 1464 denata.

Leonora Regina ab avo matre, fratre, ſorori ſuffecta Gaſtonis IV Fuxenſis uxor, A. D. 1479, Febr. 12 denata.

2. nupt.

Ferdinandus *Catholicus* Iſabellæ Caſtellæ Reginæ maritus qui A. D. 1492 Catharinæ Reginæ cauſam propugnavit.

Ludovicus XII, qui A.D. 1502 & ſequentibus uſque ad an. 1512, Iul. 13, Catharinæ adverſatus, A. D. 1515, Ianuar. 1 deceſſit.

Maria.

Ioannes Narbonę Vicecomes, qui maternam hæreditatem ad ſe ſanguine proximum devolutam contendit, ac tandem ſuo & filii nomine tranſegit, A. D. 1497, Sept.

Gaſto Vianæ Princeps Magdalenæ Francicæ maritus, A. D. 1470, Nov. 23 denatus.

Ioannes Infans an. 1478, Iulii 18 natus, an. 1497, Oct. 4 denatus; quod ejus ætas impar eſſet, Catharinam non duxit.

Ioanna Philippi I Auſtriaci uxor.

Gaſto Nemoroſii Dux qui an. 1502, April. 15 lite Catharinam pulſavit, & A. D. 1512, Aprilis 11 in Paſchate ad Ravennam cæſus eſt.

Germana Ferdinandi Catholici uxor 2, quæ A. D. 1513 litem fraternam renovavit, & A. D. 1518, Octob. 7 cauſa cecidit.

Franciſcus Phœbus Rex, an. 1483, Ianu. 30 denatus.

Catharina circa A D. 1458 nata, poſt fratrem Regina, Ioannis Labretani ad an. 1484 uxor, an. 1424, Ian. 10, fer. 1, Pompelone cum marito Caſtellę Legatis præſentibus coronata, an. 1512, Iulii 25 ſpoliata, an. 1518, Feb. 13, feria 6 denata.

Carolus V qui ſibi ſuiſque Navarram retinuit; licet A. D. 1515, Martii 31 Pariſienſi pacto Legatos ad avum qui Navarri ſatisfactionem urgerent mittere. Noviodunenſi, A.D. 1516, Auguſt. 13 ipſemet intra octimeſtre ſatisfacere debuiſſet.

Magdalena, A.D. 1500 obſes data.

Henricus quem anno 1512 Ferdinando *Catholico* committere parentes noluere lite ab Odeto de Fuxo, A. D. 1513, Mart. 20 pulſatus, an. 1518, Octob. 7 cauſam obtinuit.

Ludovici, ejuſque partes ſequentium diris à Iulio A.D. 1512, Indict. 15 cum Pontificatus 9 concurrente, Aug. 13 feria 6 devotum caput, à Leone vero x, Iulio A.D. 1513 Mart. 11 feria 6 ſuffecto, totoque Lateranenſi Concilio, nullam dirarum illarum habitam rationem fuiſſe conſtat. An Ioannes Navarræ Rex excommunicatus unquam, & excommunicationis vi regno (non ſuo, ſed uxoris inſontis proprio) exactus fuerit, merito quæritur. aſſerunt conſenſu ſummo Hiſpani, in circumſtantia temporis diſcordes, quandoquidem Zurita & Mariana Febr. 18, Prudentius Sandovallius Mart. 1. Ælius Antonius Nebriſſ. lib. 1 c. 3 poſt prælium Ravennenſe, *miſſaſ*que à *Britanno* Majo menſe *in Baſtulorum collimitiô copias*, imo poſt *pignora* à Ferdinando in Aquitaniam per Navarros irrumpere parante *petita*, excommunicationis bullam, quam non exhibent, datam volunt. Inſtrumento incorporationis Navarræ, Burgis A.D. 1515 Iunii 11 ſcriptô, *Ioannem & Catharinam à Iulio Papa Navarræ regno, quod Ludovicum Francorum Regem, ſecuti ipſi opem tulerint privatos fuiſſe* diſerte aſſeritur; ſed ſpoliatos *Ludovicum ſecutos regnoque à Iulio*, quem nec re nec verbo unquam provocarunt, *privatos* fuiſſe, tam falſo & impudenter confictum, quam abſurde & inconſiderate deliratum eſt, ſi ob nomen Ludovici partibus datum excommunicati ſint, id anno 1512 Februario aut Martio, quo Ludovicum (à Papa nondum fulminatum) adverſarium patiebantur, Ferdinando in ſpeciem propitio utebantur, id quantum quantum eſt contingere potuiſſe. Commenti totius *ἀσυστασίαν*, hæc evincunt. Gaſto Nemoroſii Dux Ludovici Regis avunculi, patrocinio fretus, ab anno 1502 Aprilis 15 ad 1512 Aprilis 11, quô cæſus eſt, Catharinam Reginam lite pulſa-

pulſavit. 2 Toloſæ Senatus Benearnum anni 1509 à Paſchate antecedente inchoati Ianuar. 15 fiſci viribus adjunxerat. 3 Catharina Regina, Aragonum Maji ſequentis 26 patrocinſum adverſus Francos imploraverat. 4 Ludovicus ipſe 12 Iulii ſequentis ſubditis univerſis, ne quis Navarræ Regibus militaret, edixerat. 5 Labretanum Dynaſtam è Navarra evocatum Drocis ad annum uſque 1512 ſe continere juſſerat. 6 Ferdinandus Rex Martio exeunte Navarros per Hontanonem Legatum ad fœdus arctius invitaverat, amicitiamque ipſis prolixe obtulerat. 7 Cæſo ad Ravennam Aprilis 11 in Paſchate Gaſtone, invaſoque jam ab Anglis Aquitanico limite, Navarros conciliandi gratia, ad eos Majo menſe Ludovicus Rex Labretanum, Ioannis Regis parentem miſerat. *Guicciard. lib.* 11, *Petri de Biax* Catharinæ Legati oratio Bruxellis A.D. 1516 Aug. 25 habita. 8 *ad fœdus* inter Francum & Navarros ineundum *commodiſſime acciderat, quod Gaſto, cujus* (Navarræ *regnum, non ad fœminas ſed ad ſe proximum ex Fuxenſi familia maſculum pertinere contendentis*) *cauſa Franciæ Rex Ioannem perſecutus erat, fatis conceſſiſſet.* Guicciard. lib. 11. 9 Concilio Piſano A.D. 1511 Maji 16 fer. 6 ad Septembris ſequentis 1 indicto, Novembris vero 5 inchoato nunquam ſe adhæſiſſe, ſed Iulio 11 quamdiu in vivis fuit ejuſque literis obſecutam fuiſſe, A.D. 1516 Iulii 10 Pali Catharina Regina proteſtata eſt. 10 Lateranenſe Concilium A.D. 1511 Iulii 18 indixit, anno 1512 Maji 10 fer. 2 inchoavit Iulius 11. 11 poſt Ravennatenſe prælium cum Rex mandata de pace ad Cardinalenſes Nannetenſem & Strigonienſem dediſſet, ea Papa non reſpuit. *Guicciard. lib.* 10: 12 idem tamen pacis propoſitas conditiones poſtea (Helvetiis & Anglis arma ſociantibus) recuſavit. *Guicciard. Ibid.* 13 Maji 7 Ioannes & Catharina, Stephanum Labretanæ familiæ nothum, Alexandrum de S. Gelaſio, Raimundum de Petrario, & Petrum de Biax mandato Tudelæ ſcripto ad Ludovicum XII delegarunt, qui Gaſtonis morte ſublatis jurgiorum occaſionibus veterem concordiam inſtaurarent, & Renatam Regis ſecundogenitam Henrico Principi uxorem poſcerent. 14 Maji 11 iidem de Raimundo de Petrario & Petro de Biax, controverſiæ Benearnenſis arbitrium permiſerunt. 15 Ludovicus Iulii 9 Stephano Poncherio Pariſ. Epiſcopo, & Petro de Vernada libellorum Magiſtro de tota illa controverſia, cum Navarrorum delegatis ſtatuendi poteſtatem dedit. 16 Iulii 17 inter Regem & Navarrorum delegatos hæc pacta inita ſunt, ut Navarri ob feuda in regnô Francorum ſita regem regnumque ab invaſione externa defenderent, fœdus ab iis cum Caſtellenſibus & Aragoniis antea ſancitum eatenus valeret, ut nec Francis ad Aragonios & Caſtellenſes oppugnandos, nec Caſtellenſibus & Aragoniis ad Francorum injuriam Navarra pateret. 17 Antequam pacta illa rata habuiſſent, aut habere potuiſſent, Aragonius exercitus, qui aliquamdiu *ad Victoriam* oppidum hæſerat, Albano Duce *ad Vaſconum fines pervenit die Mercurii ad* 13 *Kal. Auguſti* ſeu Iulii 20, à pactorum Bleſenſium ſubſcriptione die 4. *Vaſcone,* qui *uxorem cum filiis in Benearnum amandaverat, Lumbierrem oppidum profecto, urbs* Pompelo *dedita eſt ad* 8 *Kal. Auguſti ipſo Iacobi Apoſtoli memoriæ ſacro die. Vaſco conſilii inops, cum facturum ſe quæcunque imperata eſſent,* fruſtra obtuliſſet, *in Galliam tranſcendit; Stellæ tantum arx & Eſcuæ vallis incolæ in fide veteri* tunc *perſtitere.* 18 Papa *literas* ſuas *per quas (propter receptiones, favores, adhærentiam & auxilium per Regem Franciæ & nonnullos alios regni*

Franciæ

Franciæ Prælatos, officiales, nobiles & Barones in Piſani Concilii à ſe A.D. 1511 Iulii 18 *damnati & reprobati proſecutione notorie præſtitâ, regnum Franciæ*, &c. *ſub data, Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Dominicæ* 1512 *Idibus Auguſti*, à capta Pompelone die 20, *Eccleſiaſtico ſubjecit interdicto*, prout ipſemet teſtatur Bulla 3 Seſſionis Concilii Lateran. Decembris ſequentis 3 data: ſi nonniſi 5 à prælio Ravennenſe menſe, jam ſubactâ ab Albano Navarrâ, Francorum ditio ſub interdicto poſita, & in prædam Anglis, Hiſpanis & Helvetiis objecta eſt, ipſaque Navarra (ex adverſariorum hypotheſi) infortunii tanti appendix fuit; quî fieri potuerit, ut ejus immerentis, nec fœdere Francicô, quod ipſi in crimen vertitur obligatæ, Iulii Pontificis fulmine ditio prior afflaretur? Petrus Martyr Mediolanenſis in cujuſdam, qui à Navarri ſecretis fuerat, loculis exemplum ejus cum Franco pactorum Iulii 18 repertum refert; ex eoque deprehenſum Navarrum de invadendâ (quandocunque Francis liberet) Hiſpania fidem dediſſe; ſed contrarium pacta ipſa evincunt; nec potuit Ioannis Regis miniſter Iulii 18 Pompelone reſcire, quod pridie *Bleſis* à delegatis tractari cœpiſſet: nec dubium eſt, exemplum illud, quod à Michaële Presbytero Pompelonenſi primum prolatum dicitur, à ſceleſtô Regis proprii & patriæ proditore tam nequiter quam temere confictum fuiſſe. Ferdinandus ipſe, ubi Navarrus ſeſe ejus arbitrio permiſit, Burgis Iulii 31 id unum ei crimini dedit, quod auxiliares copias Ludovico ad Bajonæ defenſionem promiſiſſet, & fœdus Hiſpaniæ noxium cum eo percuſſiſſet. ſed fœdus illud, quo vetera cum Hiſpanis pacta confirmabantur, ipſis noxium fuiſſe tam falſo finxit, quam iniquę vaſſallum feudi Domino ſubſidia promiſiſſe queſtus eſt: abſurdum etiam fuit, fœderis, quod Iulii demum 17 pactum eſt, nec ſequenti 20, quo Albanus in Navarram irrupit, Ferdinando notum eſſe poterat, quaſi jam tum innotuerit, meminiſſe: quin imo putidum fuit, Ferdinando vi fœderis, quæcunque occuparet à Papa data fuiſſe: hoc enim Auguſti 12, decimaquarta die poſtquam Ioannis Regis Legatos diri reſponſi barbarie Ferdinandus abegit, a Papa primum decretum eſt; nec Navarri, qui ne latum unguem à ſolito Iulii cultu abſceſſerat, ſed unius Franci eum oppugnare auſi ditio primo occupanti expoſita eſt. Vbi excommunicatum A.D. 1512 Febr. 19 Navarrum, ſive fingens, ſive aliis credens ſcripſit Mariana; hæc addit, *Suſpecta Ferdinandi Regis fraus erat, & paulatim in plures cœpit manare rumor, eo annitente ſeverum decretum & grave prodiiſſe*; *conjectura probabilis, quoniam diu penes ſe in arcano id diploma Pontificium occultavit, dum variæ cogitationes recurrunt animo, ſcilicet, quid fama locutura eſſet, ſanandique eos Principes rationem mitiorem inſtituere ſatagit.* lib. 25 c. 5 ad A.D. 1484 Vaſconum, poſt Catharinæ Reginæ nuptias, *calamitatem ad occaſionem Imperii proferendi repulſæque dolorem vindicandi vertiſſe* dixerat; ne cui odii tenaciſſimum Principem nunquam exinde (quicquid ſimularet) cicurari potuiſſe, eoque peſſima fide egiſſe dubium eſſe poſſet; ſed cum nullum, quod *occultaret diploma Pontificis* habuerit; nullum, quod uſque nunc proferant, habeant adverſarii; nullum revera in Vaſcones *prodierit*; eorum univerſa ditiô antequam de Francica decerneretur, occupata fuerit; nihil adverſus antiqua cum Hiſpanis pacta fœdere Bleſenſi conventum fuerit; neminem *ad prædam* Navarricam Papa *invitaverit*; nihil quod in Ioannâ & Catharinâ (quorum mens nullo perfidiæ morbo laborabat) *ſanandis*, ſive *mitiorem*, ſive

aliam *rationem inſtituere Ferdinandus ſatageret*, fuit; nullum adverſus eos *Senatus decretum* (*in quod* Cardinales *omnes pedibus*, *manibuſ*que irent) factum eſt: *ſchiſmatici, ac proinde hæretici* nec fuerunt nec *declarati* ſunt: eorum *filii cum omni poſteritate ſua regno & fortunis omnibus mulctati* non ſunt: nihil denique *in Hiſpanum tranſlatum* eſt, à quoquam aut jure *transferri* potuit. Quocirca (procul facere juſſis, Ludovici Correæ, Ælii Antonii Nebriſſenſis, Petri Martyris, Hieronymi Zuritæ, Ioannis Marianæ, Prudentii Sandovallii, *&c.* à ſe invicem diſcordantibus commentis) uſurpatum per nefas à Ferdinando propinquorum regnum; majore flagitio calumniarum plauſtra in ſpoliatos congeſta fuiſſe; *quæ ab initio vitioſa fuerant, tractu temporis convaleſcere nequam potuiſſe*, æqui bonique amans nemo negaverit. Anglos certe à Ferdinando advocatos *bellum Vaſconi inferre nefas putaſſe*; *Orſeti Marchionem denuo ſolicitatum, ut ſuis copiis ad Hiſpanicas adjunctis in Aquitaniæ ſaltem fines irrumperet*, &c. *præciſe facturum negaviſſe*; Ferdinando (qui *ludibrio gentem habuiſſet, atque dum Vaſcones imperio adjiceret, de Aquitania nihil curaſſet*) *infenſum*, eum *omnibus ſermonibus accuſaſſe*, notare lib.30 cap.12 Mariana coactus eſt. Idem cap.14. *Gonſalvus literis expoſtulationum plenis tum ad Regem, tum ad amicos datis, aulæ fraudes conqueſtus eſt*, &c. *iis qui, ut ſe proſequerentur, magnos ſumptus tolerarant, nullam compenſationem abs Rege eſſe, nullam gratiam*, &c. *ad hæc Rex longo uſu edoctus fallaci vultu verbiſque blandis ſedare iras, reſpondit*, &c. *præclara verba ſi cætera reſponderent, ſed alienati animi atque offenſi multa deinde argumenta extitere.* cap.18 ad A.D. 1513 *moleſtum* Ferdinandi cum Gallo *fœdus Cæſari extitit, ſe præſertim inſcio feſtinatum. Ferdinandi artes accuſabat; an id eſſet, quod omnibus ſermonibus uſurpabat, communem ſecum fortunam habere, ſejunctum nihil?* Cap.20. *Ferdinandus*, &c. *de pace Gallum ultro appellavit, utrique concordiam quam bellum magis ſalutarem fore. De Ferdinandi Infantis & Renatæ minoris Galli filiæ connubio actum eſt, fœderis ſtabile vinculum quærebatur. Gallus in puellæ dotem cultumque Mediolanenſes & Genuenſes daret; Ferdinandus nepoti Neapolitanum regnum concederet lege perpetua; non incommoda ratio; niſi mera ludibria eſſent votis verba contraria, inani ſpe adverſariis, ne nocerent diſtinendis*, &c. *Delegata poteſtate, Cæſaris, Angli, & Ferdinandi* Regum *Legati, conſilio inter ſe communicato, conſenſu ſanxere, ut quiſque trium Principum, cum primum induciarum tempus exiiſſet, per ſuos fines Galliam invaderet; ac nominatim Aquitanos impugnandi cura eſt impoſita, ſuo ſumptu & periculo, Angli compendio. An id erat pacem facere cum Gallo?* Cap.22 ad A.D. 1514. *Inter propinquos violata caritate acris ſequitur indignatio*, &c. *notatum, ab Anglo in fœderis tabulis inter ſuos confœderatos, ne nominatum quidem Ferdinandum ſocerum eſſe.*

Hæc ad ſpecimen ex ipſo (ut ſic dicam) vel hoſtium, vel certe hoſtibus addictiorum, & noſtris non amicorum, Hiſpanis minime ſuſpectô ſinu deprompta, ad plenam fidem faciendam, quanto animi candore, quanta religione & famæ cura præ noſtris nobilitati fuerint, quibuſcum manus conſeruimus, plus ſatis erunt: quis enim in omnem partem ac formam verſabiles, ubique anguillarum more lubricos, meroſque Vertumnos ac Loxias nactorum noſtrorum ſortem non deploraverit, quos ſubinde diræ neceſſitatis ineluctabilis vis exclamare coëgit, *Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?* plura infidæ, novique ac monſtroſi aliquid ſemper parturientis mentis exempla

conge-

congerere ad manum fuiſſet, ſi quotquot ſuperſunt proxime præteriti ſæculi monumenta hiſtorica ruſpari, ea ad invidiam proferre, aut adverſariorum probrum ac infamiam per ſe ac directe quærere, non criminatorum væcordem maledicentiam retundere proprie libuiſſet; ſingula Guicciardini & Marianæ dicta exaggerare, urgere, facta univerſa ab iis deſcripta ad vivum reſecare facile fuiſſet; conſulto tamen abſtinuimus, ne ex eorum,qui aliorum turpia delicias ſuas faciunt, pudendo cenſu eſſe videremur. Æque promptum erat Carolum v, Ferdinandum I, Philippos II, III & IV egregie patrizaſſe, vel invitis hoſtibus extorquere; cum alii aliorum exemplo, maximi ſimulandi artifices, nunquam non ſuſpenſo,ancipiti, eoque inſidioſo ſermone uſi, tota propemodum vita ſub perſona latuerint; in ipſorum lipporum oculos,factorum, tam factis, quam verbis è diametro oppoſitorum, ſeque mutuo perimentium deformitas incurriſſet; vivâ uſque nunc dramatis ad univerſi orbis ludibrium Madriti A.D. 1527 Majo menſe acti memoriâ, illoque ipsô pullas veſtes (ut in ſummo luctu) ad capti Pontificis nuncium ſumente, qui eum, cum nutu liberare potuiſſet, à ſuis ſub cuſtodia poſitum non modo non miſeratus eſt, ſed ſeptimeſtri cuſtodia maceratum, & duris conditionibus tortum, vix Decembris nona die ſui juris eſſe ſivit: verba Franciſci I ludificatoria A.D. 1539 ab eodem Montmorantio data, ſe nimirum, *quod Rex frater vellet, velle*; in hanc uſque diem ſtuporem fraudis non conſciis, eaque ex rogantis mente interpretantibus, incutiunt; cum is eorum,qui prima fronte videbatur, ut eſſe debebat, ſenſus non fuerit, *Cæſarem ſororio Mediolanum repoſcenti morem geſturum*; ſed oppoſitus, *Cæſarem idipſum quod ſororius volebat, ſibimet* eo deluſo *velle.* nemo, niſi qui nondum ære lavatur, unde natum A.D. 1547 Iunii 18, Lantgravio fide publica nixo, infortunium ignorat; interpolatâ pacis conventæ formulâ, inſertaque ejus inſtrumento *ewig* pro *einig* vocula, parum ſi literarum ductum, immane ſi ſenſum ſpectes diſcrepante; Attrebatenſis & Notarii culpa factum dixeris; cur ergo eam arripuit, & in commodum vertit, miniſtrorum perfidia circumvento, ſponſoribus, interceſſoribus non ſemel illudens Cæſar? cur ad anni 1552 Sept. 4 ſub cuſtodia tenuit,nec in ejus libertatem niſi victus conſenſit,tantaque iniquitate præter meritum afflicto inſultavit,ut cum,captivi rogatu, filii ſponſores *juxta literas obligationis citarent*; *Lazarum Schuendium ad eos miſerit, ut non modo non citarent & urgerent* obligatos, *verum etiam ut ejus generis literas omnes, ad ſe mitterent & actioni renunciarent mandans*; *niſi parcerent maximas pœnas comminatus?* etiamſi extorſiſſet, an ſe ſolutos reputaſſent, qui ſponte ſemet ſolenni juramento obſtrinxerant? qui aliis, ne fidem datam ſervarent, quantum potuit obſtitit, quî ſemet à perfidia abſolverit? Similia alia parum ſinceri animi indicia, cuivis hiſtoriarum Hiſpanicarum ab anno 1500 ad 1650 perito deprehendere obvium ſemper fuerit; nobis, quibus (Francorum decore famaque ſalvis) Hiſpanis ſua, ſive bona,ſive mala ſinere propoſitum eſt; eorum, aliorumque quorumvis dedecus in publicum conſpectum protraxiſſe nunquam niſi invitis evenerit. Regibus (etiam exteris) convitium facere auſos, qui deteſtamur, vel hoc nomine Zypæis male velle cogimur, quod importunitate ſua, ea de ſuis à nobis extorqueant, quæ ſepulta mallemus; noſque in eum neceſſitatis articulum trudunt, ut Chriſtianiſſimi Regis paternos avos, regnique Francici Majeſtatem, ſine quadam Auſtriacorum & Hiſpano-

Sleid. lib. 24

ſpanorum, quibus maternam originem debet, ſugillatione vindicare, noſtraque (prout φιλοπατρίδας decet) aſſerere, ſine aliorum (quibus parcitum vellemus) probro nequeamus. quanto cum impetu Francici militis laſciviem ab annis fere 160 exagitarunt? at Guicciardino lib. 11 teſte, eam A.D. 1513 Itali æmulorum noſtrorum rapaci diritati longe prætulere; *Franciæ Rex* (inquit ille) *ubi inducias fecit, exercitum in Italiam mittere decrevit, ſpem victoriæ facientibus, quas ante protulimus, rationibus; quibus adjungebatur, quod noverat ſtatus Mediolanenſis populos, tot Helvetiorum exactionibus & rapinis, militaribus hoſpitiis, & erogationibus in Hiſpanorum commodum factis vexatos, ſub ejus dominium reverti ardenter cupere; cum ex aliorum acerbitatis experimento cognoviſſent, eorum comparatione Francorum Imperium deſiderabile eſſe; Imo nobiles multi privatim, per ſuos ſive ad Regem miſſos, ſive ad Trivulcium, quem Rex (ut è loco propinquiore cum Mediolanenſibus paciſceretur, Lugdunum amandaverat) urgebant ne exercitum mittere differret, ſe ſimulac montes tranſcendiſſet, arma aperte cum eo ſociaturos pollicentes.*

Quantâ cum rabie in Henricum II (quod poſt pactas anno 1556 inducias Paulum IV propugnaſſet) debacchati ſunt? Regem ab induciarum violatarum crimine liberavimus; demus tamen à culpa immunem non fuiſſe: quô exemplo, quibus auctoribus in delictum prolapſus fuerit? an Francis à turbis tunc temporis alieniſſimis? minime gentium; ſed Maximiliani I & Ferdinandi Catholici fallentia veſtigia preſſerit. Ille poſt ſubſcriptum induciarum cum Venetis pactum, hoc expreſſe A.D. 1508 Cameraci ſpopondit, & paulo poſt (Guicciardino lib. 8 referente) tenuit, *ut Cæſar induciarum pactarum non obſervandarum juſtam cauſam habeat, ab eo ut Eccleſiæ Advocato Papa auxilium poſcat; poſt eas preces, unum ſaltem militum ductorem ad eum mittat Cæſar, idemque quadrageſimo, ab eo, quo Franciæ Rex bellum inchoaverit, die per ſe Venetorum ditionem impugnare teneatur.* Quid Henrici contumelioſiſſimi obtrectatores ei (ex hypotheſi propria) impegerint, quod Maximiliani delictum æquiparare valeat? Rogatus à Papa jam fœderato, & ab Hiſpanis & Columniis oppugnatô Henricus auxilia ſubmiſit, & (quod adverſarii injuria volunt) induciarum pactum refixit; Maximilianus ut inducias violaret, Iulio II Venetos invaſuro animos addidit, & ſimulari ab eo auxiliorum (quibus non indigebat) petitionem voluit; quanto Henrico noſtro implorato, nihil ſimulanti, aut ab aliis ſimulari credenti, ſed bona fide agenti deterior? Ferdinandus ut Leonem X à pacis cum Francis ineundæ conſiliis abduceret, ſola iis nocendi, eorumque res in Italia evertendi ſpe inductus, juratas inducias ſe abrupturum A.D. 1513 obtulit, Guicciardinus lib. 11 *Aliter Hieronymus Vichus ad Pontificem orator loquebatur, in id animum obfirmans; hoc ipſo, quod Rex ejus (ſi Pontifex Mediolani defenſionem ſuſciperet) ſe nullo induciarum jam pactarum reſpectu; bellum in Francia moturum promittebat.* Quid rurſus Henrico noſtro à Papa ad bellum injecta, ut ſic dicam, manu quantumvis induciarum retinendarum cupidus obniteretur, pertracto ſimile habent, quod objiciant Hiſpanicæ gentis palpones? *ô major tandem parcas inſane minori.* Si prout fere ſemper evenit, *Iliacos intra muros & extra peccatum eſt*, quid alii aliis, quæ communia omnium cenſentur, exprobramus? Eligite, Zypæi, rei vel ſumus, vel non ſumus. Si (quod maligne confingitis) rei ſumus; quid vobis in pari, imo longe majori (quod ad oculum

ex ve-

ex veſtris monumentis demonſtravimus) delicto ſtultius eſſe poteſt? veſtro exemplo, quicquid à nobis admiſſum fuiſſe ſomniatis, deliquimus; *quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?* ſi (quod certiſſimum eſt) non reos, perfidiæ multiplicis rei accuſatis; quid vobis ſcabiem veſtram ſanis (ne quod ſunt eſſe videantur) affricare auſis ſceleſtius & impudentius eſſe poſſit? periſſene de rebus frontem putatis, ut veſtri *introrſus turpes ſpecioſi pelle decorâ*, quandocunque ipſis libuerit, bonum *malum*, lucem *tenebras*, fidem *perfidiam* impune nuncupent; unuſquiſque veſtrum, pro re nata, *lingua juratus mentem injuratam gerens*, in hæc impia vota prorumpat, *Sancta Laverna, da mihi fallere, da ſanctum juſtumque videri, noctem peccatis, & fraudibus objice nubem?* vobiſne nobiſcum in perpetuum meretricum more agere decretum eſt, quæ (cum *audacius nihil* ſit *deprehenſis*) *animos ex crimine* ſumunt? vos falſi convictos ubique (ſive de veſtris, ſive de noſtris verba faciatis) tenemus; quid ultra muſſatis, nihil, niſi quod in caput male affectum non recaſurum ſit, ſub recturi? Quanto ſatius eſſet, humanitatis memores, qui contendunt, una virtute in factis, veritate in verbis certare, ubique bona fide agere; quam fraudibus, calumniis, caninâ facundiâ pollere; defunctorumque Regum cineres (ſuperſtites violandi deſperatione oborta) velut in Dei, & mortalium univerſorum deſpectum, permingere? Quid ad rerum præſentium ſtatum facit, ſi (quod inculcatum vultis) Francus ullus, vel Iberus fidem fefellit? annon fieri poteſt, ut fœdifragorum poſteri ſincere; in fide conſtantiorum liberi degeneres perfidioſe impræſentiarum agant? Magno nunc & horrendo duello Ludovicus XIV, & Philippus IV concurrunt; quid vel ad vos ſi Ludovici noſtri (cujus animum nulla perfidiæ labe contaminatum, nulli uſque nunc injurium fuiſſe fatemini) Majores ulli fidem violaſſe credantur? vel ad nos ſi Philippus veſter, vel primus, vel patrum exemplo parum ex fide egerit? quid ad rei ſummam faciet, ſi utrinque (lixarum vilium, ſoloque tumultu, & maledictorum boatu fortium inſtar) ſolo linguæ convitiatricis mucrone exerto in invicem graſſemur? an minus vapulabunt, qui juſtæ pugnæ impares, nihil præter fœtentium fumorum globos habuerint, quod in imminentes torqueant? calumniarum veſtrarum nodis noſtros heroas expedire, adſperſamque vomicarum veſtrarum ſaniem abſtergere, (ut ut tædioſum fuiſſe non diffiteamur) quam facile fuerit, & in perpetuum futurum ſit, videtis; *Diſcite juſtitiam moniti & non temnere Divos.* Si Chriſtianam non poteſtis, humanam ſaltem mente induite; quo ſpiritu acti in aliud regnum tranſlatorum Regum & nomen laceratis, & quietem ſollicitatis, in vivos & defunctos, quos ob ſummam dignitatem colere comiter officii veſtri fuerat, ex æquo injurii? quô commodo veſtro, intentata adverſus omnes lite famoſa, eo nos adegiſtis, ut volentes nolentes ſerram contentioſam, in re omnium maxime odioſa reciprocaremus? Cur per vos non licuit, à ſummorum in orbe capitum, quibuſcunque obnoxii ſuo tempore fuerunt, probris publicandis (quod ex animo optabamus) abſtinere? Quâ ſpe, adverſus divina oracula, *Reges honore proſequendos, populorum principibus non maledicendum, maledicos è Dei regno excludendos* ſciſcentia, feroces, velut in fermento toti, nihil niſi maledicta crepatis, quæ ne in dæmoniorum Principem torquenda Michaël Archangelus putavit? Si falſis opinionibus faſcinati eſtis, inanium querelarum; ſi in compertum verum conjurati, crudarum calumniarum deſinite. Modeſtiam, quæ

1 Pet. 2, 17. Exod. 22, 28. 1 Cor. 6, 15. Iudæ 9.

viros graves,& famæ ſtudioſos decent,amate; & principum veſtrorum,veſtraque cauſa,poſt juſtas vindicias in preces deſinentem audite. Veſtra cauſa dixi, non noſtra; quid enim noſtris Regibus,univerſæque genti decedet,ſi deſipere & publicum odium mereri pergatis; ut qui (de felle veſtro ad ultimam uſque ſtillam fundendo, & indignis modis in immeritos evomendo cogitantes) pudenda ac turpia locuti eſtis, quæ indicta vellemus ingratiis veſtris audiatis? Si in alia ſententia eſtis, ſi AgarenicoPunicam, ubique infidam, progeniem, quam ſinceros Chriſti (ad maledicta muti) diſcipulos, referre; ſi denique ex veterum Iberorum, impoſturæ deditorum genio vivere mavultis; veſtro (qui bonorum non poteſtis) more vivite. Inſoleſcite, maledicite, Bacchantium inſtar, inſanite quantum libuerit. Nunquam Regibus Capetinis deerunt, qui meritas à vobis pœnas exigant, rabida & fluentia tabô ora occludant, efficiantque ut vos Camarinam nulli ſano movendam moviſſe æternum pœniteat. forte etiam Reges veſtri, quorum cauſa vos in furorem actos videri vultis, quid ſuo & Comparium (quorum famam, & decus temeranda duxiſtis) nomini & apici debeant ſecum reputantes, in juſtas adverſus intemperias veſtras iras exardeſcent,voſque vel ex pœnitentiâ (quod Deus opt.max.velit) ad meliora & ſæculo Chriſtiano digniora, vel ex deſperatione (quod à vobis avertere dignetur) ad reſtim qua digni eſtis vos agent. Quid malitis, eventus cum tempore docebit.

Librorum à Ioanne Iacobo Chifſletio adverſus Francos editorum ſeries & meritum.

POſt Zypæum, Scironis alicujus,aut Caci rebus noſtris infeſti inſtar, in calumniarum ſuarum ſcopulis, & mendaciorum latibulis, cum bonô Deô oppreſſum; eorum qui (Caſſani occaſione)Francicam gentem oppugnarunt, poſtremus Chiffletius in ordinem cogendus venit. Ejus nomen, nobis hoſtile nihil ſuſpicantibus, in pretio erat; memineramus enim Aubertum Chiffletium Novicaſtri ad Moſam civem, pro Majeſtate Francica adverſus Carolum I Lotharingiæ Ducem, Novi Caſtri Dynaſtam ſub Campaniæ noſtræ Comite beneficiarium, A.D. 1409, &c. fortiter ſtetiſſe, eoque nomine de Rege & patria optime meritum fuiſſe. Anno 1636 Ioannis Iacobi germanus Petrus Franciſcus, inter Societatis patres ob eruditionem, quæ nobis nuper Ferrandi Diaconi pleniorem & emaculatiorem editionem procudit, notus, Marii Aventicenſis optimæ notæ Chronicon à ſe è ſitu & tenebris erutum publici juris fecerat. Ab ipſo etiam Ioanne Iacobo Veſuntionem habueramus ſuo merito æſtimandam; ſive is eam ſuo Marte primus molitus ſit, ſive (quod alii rerum ejus callentiores volunt) eam fere univerſam Aurivallii in Clero Veſuntionenſi ſuo tempore clari bona fide communicatis ſchedis debeat; pariaque ab eo, varia lectione inſtructo, & diſerto,quam de ejus in Galliâ noſtrâ diutius verſati, plurimorumque ex noſtris familiaritate uſi, indole conceperamus, opinio expectare jubebat; eam tamen A.D. 1643 deſtituere cœpit eventus; Cum enim operam ſuam Franciſco de Mello Belgii Hiſpanici Præfecto venditare cœpiſſet; is Decembris 19 literas ad Philippum IV commendatitias dedit,quæ reſponſum elicuerunt Cæſarauguſtæ A.D. 1644 Mart.6 datum, & à Chiffletio ipſo A.D. 1650 in *Alſatiæ vindicatæ* limine editum; quo Rex

Rex collectos ab eo *pacis*, *induciarum & Neutralitatis* aliquot tractatus probavit; ſit igitur primus ejus in nos impetus.

Tractatuum pacis, &c. *farrago.*

HVjus farraginis editio innocens, & plauſum ubique merita videri primâ fronte poterat, ſed plura ſunt, quæ jure in ea deſideremus. Nam cum Franciſco de Mello, quæcunque inter Francos & Hiſpanos Auſtriacos Reges pacta fuerant, publici juris facere propoſitum fuiſſet; ejus ſpem ille ipſe, cujus curæ totum id commiſſum fuit, ſciens prudens diverſimode fruſtratus eſt, Iſabellæ Caſtellæ Reginæ A.D. 1504 Novemb. 26. denatæ hæreditas univerſa ad Auſtriacos Principes devoluta cum fuiſſet, pacta ab iis exinde cum Francis inita præteriti nequaquam debuerant; plura tamen, Pariſinum ſcilicet A.D. 1515 Mart. 24, &c. Noviodunenſe A.D. 1516 Aug. 13, Montiſpeſſulani A.D. 1519 Auguſto menſe ſancitum omiſſa ſunt; an caſu? non id ferunt præfationis Chiffletianæ collectioni præfixa verba hæc, *ob notitiam quam magnam habet hiſtoriarum Principum noſtrorum præteriti temporis* (Chiffletius) *ab Excellentia ſuâ* Franciſco de Mello *electus eſt*, *qui huic volumini manum imponeret*, *idque in ordinem pulchrum digereret*, *conquiſitis quæcunque ad hoc conſilium faciunt inſtrumentis:* ſciens igitur prudens omiſit. quô fine? ſedulo cavendum duxit ne in puplicâ luce conſtituerentur, quæ cauſam Hiſpanicam funditus everterent; cum enim Hiſpanos *primo* ubique loco ceſſiſſe, & Majeſtatem Francicam majorum more comiter coluiſſe, Carolum Regem Catholicum (qui poſtea in Germania imperavit) ſummo ſibi honori Capetinam, per aviam, originem eſſe faſſum, de urgenda occupatæ ante triennium, avi materni fraudibus & injuſtis armis, *Navarræ* reſtitutione anno 1515 fidem dediſſe, nec tantum ſe Legatos cum mandatis ad avum ea de cauſa ſe miſſurum promiſiſſe, ſed anno ſequenti, quo avi hæreditatem crevit, ſe intra octimeſtre Catharinæ Reginæ ex ejuſdem voto ſatisfacturum ſpopondiſſe ex pactorum illorum inſtrumentis conſtet; nec poſtea vel Navarra (deluſis ſpoliatis) retineri, nec de *primo loco* uſurpando ab Hiſpanorum quoquam cogitari debuit. Ne cui id in mentem venire poſſet; à Madritenſibus pactis Regi captivo per nefas extortis (ut infortunii Regii luctuoſam hiſtoriam rurſus ad invidiam publicaret) exorſus, Caroli primas (ob Imperatorium apicem) obtinentis, quaſi ejuſdem hæredes Hiſpanos poſteros reliquiſſet, aut relinquere potuiſſet, nomen Regio conſtaret prælatum incautis Lectoribus, ludionum more, oſtentavit; ereptumque vi & injuria Henrico, qui *Labretanus* tantum *Dynaſta* cap. 20 audit, Navarreni regni titulum, & *Ducis Burgundiæ* nomen Carolo & hæredibus, eadem vi (in legum Francicarum fraudem) faciente, capitibus 3, 4, 5, 6, 10, 32, ut & in præfatione relictum gloriatus eſt.

Sed *audi*, Lector, *facinus majoris abollæ.* Inſtrumenta pacis ab Henricis, ſecundo A.D. 1559 April. 3 apud Caſtellum Cameraceſii, & quarto A.D. 1598 Maji 2 apud Vervinum Tiraſſenſis pagi oppidum ſancitæ, à capite ad calcem vel primus interpolavit, vel ab aliis ejuſdem commatis fœde corrupta editioni ſuæ inſeruit: prioris enim præfationem, & cap. 1, 7, 11, 20, 21, 45, 46, 47: poſterioris præfationem, cum capitibus 1, 21, 22, 31, 32 ſi quis percurrat

dejectos

dejectos (invadente per interpolatores ſuos Hiſpano) primæ inter Chriſtianos Reges dignitatis gradu, & antiqua πρωτείων ſuorum poſſeſſione noſtros ſtupebit, & inauditum antehac molimen nobiſcum exhorrebit: Chifletium vero, ex quô inter Philippi IV ſoldurios in conjurationem adverſus Francos [1] epiſt. ad Philippum 4 *Alſatiæ vindicatæ* præfixa. nomen dedit, quod [1] *veritatis*, tam odioſe vexatæ *odium non pertimeſcere*; imo *neminem vereri pulchrum* ſibi *& glorioſum ducat*, nemo deinceps mirabitur: quid enim vel tremendum, vel certe venerandum credere aptus ſit, quem in ſummorum Regem rebus, indigne chartis publicis, & omnium manu verſatis illudere, famæ projectâ curâ, impoſturam vix credibilem facere, aut à neſcio quibus jam factæ obſtetricari non puduit? Nobis ad Archetyporum, editionumque (quotquot in hanc uſque diem Gallia noſtra habuit) fidem provocantibus, adverſus paracharactas, monumentorum regiorum ſacrilegos adulteratores (quicunque illi ſint, in tantô falſi crimine quomodocunque deprehenſi) palam ſub ipſis Europæ oculis, totius regni nomine proteſtandi neceſſitatem ab ipſis impoſitam meminerint rei. controverſiæ de [2] Hiſt.Concil. Trid. lib.3. primo inter Reges locô movendæ primam [2] occaſiónem anno 1557, Venetiis à Varga Caroli V, ac exinde (eo abdicante) Philippi II legato, dum ſibi priorem locum ſervandum infelici ſucceſſu contendit, captatam; ſecundam anno 1560, ab Henrici II dormitione menſe XI ineunte, Iunii 3 Romæ ſumptam; tertiam Hiſpanicæ factionis adverſus noſtram priſcam, à nemine eouſ- [3] lib. 7. que in dubium revocatam dignitatem conatum [3] Tridenti anno 1562 Novembris 6 deprehenſum fuiſſe, univerſi veri ſtudioſi notabunt. Ante tempora illa, quibus henotica factio excitari cœpit, nihil prorſus extat, ex quô Hiſpanorum Regum quiſquam (ne exceptis iis qui Imperatores dici voluerunt) de Regem Capetinorum πρωτείοις invadendis cogitaviſſe conjicere poſſimus; ſi adverſarii refragari audeant, exempla vel teſtimonia proferant, quibus nitantur; ſi ſibi in vado hærendum ſentiant, vel ringentes ſileant. Quantum autem à vero abſint, ex ipſo Neutralitatis pacto, à Chifletio edito, inſertis tam Franciſci Regis, quam Margaretæ Auſtriacæ Ioannis Hiſpaniarum Principis, & Philiberti Pulchri Sabaudiæ Ducis viduæ, mandatis A.D. 1522 Iun. 14 & April. 22 datis, plus ſatis conſtabit: Rex enim Ducem, Imperatorum trium, filiam, neptim, amitam, avunculi viduam, *cariſſimam & dilectiſſimam cognatam*, ac exinde ter *cognatam*, nullo adjectô epithetô vocavit. Hæc priſci cultus Regibus noſtris impendi ſoliti memor, Regem *Dominum meum Chriſtianiſſimum Regem* ter (cum nondum in fermento, quo nunc turgere videtur, Auſtriacæ gentis faſtus eſſet) nuncupavit.

Tertium Chifletianæ editionis vitium diſſimulare, nec (ſi velimus) poſſumus; eam præfatione typographi nomine Antverpiæ A.D. 1643 Mart. 3 ſcripta, *ex collocatione monumentorum exacta*, *plenam* promittebat; quid reipſa præſtitum? *Amphora cœpit inſtitui, currente rota* tandem *urceus exiit.* tot mendis ſcatet nupera illa farrago, ut Chifletius vel exemplaribus authenticis, vel oculis caruiſſe videatur: certe tantumdem præſtitiſſet, non *hiſtoriarum præteritæ ætatis* (ſi Deo placet) *callentiſſimus* editor, ſed exſcriptorum infantiſſimus, in apographa contaminatiſſima incidens. Exemplis non ſingulis, ſed (prout feſtinanti occurrerunt) hinc inde petitis, de nihilo querelam non eſſe demonſtrandum venit. cujum pecus in Italiæ portubus *Branouſe* p.39 memoratum? p.4 *Roche en Ravier*, & *Greniers*, *de Verres*, pro

Roche

Roche en Rainier, *Greniers de Verre*. p.64 & 65, *Sardaigne* ter pro *Cerdaigne*, Cæretania *non Sardinia*. p.69 *Turſon & Gabiardan & Gavaret*, pro *Turſan*, *Gabardan & Gavaret*. *Gabardan* enim pagi ſeu territorii. *Gabaret* aut *Gavaret* præcipui in eo loci nomen eſt. p.71 *Dompierre*, *Terclus*, &c. *Succuir & Touſſon*, Chiffletius pro libitu ad oram corrigit, *Dorperie*, *Trechſus*, *Succino*; ſed legendum *d'Orpierre* in Vapincenſi diœceſi, *Treclus*, *Secheries*, *Touſſou*. p.73 lege *Cormici*, Flodoardo *Culmiſciacum*. p.76 *Frederic de Bauge*, Chifflетius ad oram corrigit *Borſelle*, legendum *Bozzolo* Friderici Gonzagæ, qui Franciſci Regis partes ſecutus, & bonorum ac in primis *Bozzoli* noſtri ad ſiniſtram Ollii ripam in territorio Brixienſi poſiti poſſeſſione mulctatus, in integrum pacti Madritenſis vi reſtitutus eſt. vide Leandrum Albertum in Cenomanis. Ibid. *Grace* pro *Graſſe*. p.83 lege *Romont*, *Beugey*, *Villars*. p.21, 96, 99, 186 *l'Iſle* p.106 *Nedonchel*, *Clanleu*, *Thienbronne*. p.116 *Engelbert*. p.118 & 201, 208, 340, 385 *Limbourg*. p.134 *Bouſſac*. p.138 *Conſerans*. p.149 *Iſſelſteen*, *Sint Martinsdijke*. p.159, 236 & 253 *Foruſcides*. p.161 *Surſiſes*. p.179 *Mendon*, *Trunauldaje*. p.174 *Molfeta*. p.28, 281, 343 *Beuges*, *Valromey*. 282 *Coconas*, *Var*. 293 & 326. *Colorno*. p. 294 *Hans. Frideric*. p. 295 *Torcquemborg*. p.296 *Petiliano*. p.306 *leurs ſucceſſeurs & heritiers*. p. 326 *Sermoneta*, p.327 *Onolsbach*. Alii alia obſervabunt, nos interim fœtum adulterinum Europa univerſa cui malâ fide obtruſum eſt, proſcribendum ἐς Κυνόσαργες amandabimus.

Vindiciæ Hiſpanicæ.

CVm *exeunte anno* 1643 *Didacus Saavedra Faxiardus*, Hiſpanici *Regis Plenipotentarius*, Bruxellis *gravi invaletudine tentatus*, medicam Chifflеtii opem rogaſſet; ille qui decumbentem falſis morbi cauſis (cùm veras ignoraret) aſſignatis, certæ morti addicere non dubitaret, de regnorum Europæorum diutino bello vexatorum ægritudine egregie, ſuo judicio, philoſophari cœpit; nec Faxiardum unum, de quo à verô alieniſſima judicans, & à propriæ artis regulis turpiſſime aberrans, peſſime merebatur, ſed Turris Lacunæ & Caſtelli Roderici Marchiones fabularum ſuarum faſcino ita corrupit, ut certatim ei Hiſpanicæ cauſæ patrocinium deferrent; evaſit felicitate ſua Faxiardus, non Chifflетii induſtria, quam plane nullam fuiſſe eventus Protomedici noſtri judicio contrarius evicit, ſed ſolâ Numinis benignitate præter vota ſervatus: ſed mente affecta, & credulitate nimia in craſſos errores pellecta, tantoque infortunio mactatus eſt, ut qui præconiorum prodigus Chifflеtium ſibi arctius devinxiſſe videbatur, parum gratum exinde expertus, malignis ejus delationibus in aula Hiſpanica, ante & poſt reditum infeſtatus ſit: hoc primo hortatore ad ſcribendas Vindicias animum Chifflеtius appulit, laborantem Regi commendavit Turris Lacunæ Marchio, Rex ipſe in laudes conſentiens, laborem ſuſceptum ea conditione A.D. 1644 Martii 6 probavit, ſi ante editionem *ipſi videndus* offerretur; oblatus & poſt Hiſpanorum in re ſibi minime comperta plaudentium anno ſequenti editus eſt, non ſine Cenſorum & Erycii Puteani ſtudio partium cæcutientium ſervilibus blandimentis verius quam judiciis ad Nonas Martii, Bruxellis, Iulii 19 Antverpiæ, 4 Idus Auguſti Lovanii ſcriptis: Faxiardo etiam qui animos à ſe

Chiffletio magis ac magis additos, & ſpem largam præmiorum factam referentis Rex A.D. 1644 Aug. 12 Ilerda, Turris Lacunæ Marchioni honorarii laboranti tribuendi plenam poteſtatem datam ſcripſerat. Has ferre Hiſpanicæ aulæ ventô afflatus, jamque natura ſui plenus, audacius in gentem Capetinam trifidum telum contorſit, Capeti Carolinam per matres originem, Regiæ ſucceſſionis legem, & Regum Francicorum πρωτεῖον, ſumma, ſed conſilii experte vi oppugnans. Quid enim ad Monaſterii congregatos proceres, ſi impurum Caroli ſanguinem traxit, & regnum Caroli Ducis hæreditarium ante annos 66 invaſit & poſteris reliquit; ſi lex fœminas à regni ſucceſſione arcens, nupera ſit, & à noſtris conficta; ſi denique primatum inter Reges Europæos injuriâ ſibi Franci vindicent. an hoc fine convenerant, ut genealogicum de digladiantium ſive nobilitate, ſive obſcuritate certamen audirent, aut legum noſtrarum, ſive priſcarum, ſive recentium pro arbitrio refigendarum ſibi poteſtatem arrogarent; aut denique de Regum regnorumque, vel majore, vel minore dignitate, quicquam in alieno curioſi ſtatuerent? Quis eorum vel ante, vel poſt editas Chiffletii *Vindicias* hoc ſui muneris eſſe putavit, ut poſita de Germaniæ ſalute, & Chriſtiani orbis pace cura, Chiffletiana ſomnia levibus ventis paria ad trutinam revocaret, & nugis meris pondus addendum putaret? Nemo certe in his tempus teri operæ pretium duxit, imo Chiffletiani moliminis primus hortator Faxardus, in eo perditum oleum & operam expertus eſt.

Suam tamen cauſam (de Monaſterienſi conventu ſecuri) deferendam, aut adverſarii in Regum regnique injuriam, ab antiquis hoſtibus ſubornati temeritatem ferendam minime cenſuere Franci; ſimul ac contumelioſus liber Vindiciarum prodiit, ejuſdem deartuandi & pro merito (aſſerta Regum totiuſque gentis dignitate) excipiendi provinciam familiari ſuo Marco Antonio Dominici Iuris & hiſtoriæ noſtræ perito, Illuſtriſſimus Cancellarius demandavit. Quartô poſt menſe *Aſſertorem* ſuum *Gallicum* elucubravit, quodque expreſſe juſſus erat, præſtantiſſimo viro, cujus merita nulla ſive eruditionis omnigenæ, ſive probitatis ſanctioris, ſive eximiæ in patriam caritatis, ſive in literatos, tam concives, quam exteros omnes, qui tantum decus Franciæ ereptum nunc deflent, propenſiſſimæ humanitatis laus æquaverit, Petro Puteano, Conſiliario ſtatus, recenſendum obtulit Dominicus; ubi vero avidis oculis oblatum librum perluſtravit, cum *Vindiciis* contulit, auctorem quid videretur certiorem fecit, confeſtim Excellentiſſimum Cancellarium convenit, ſibi uni injuncti muneris invidiam deprecatus, de me quid animo verſaret ignorante, ut ſecum quicquid in me eſſet publico darem, allegendo non cogitavit modo, ſed interpoſito ſuperiorum decreto & Dominici ipſius rogatu reipsâ allegit; manuque (ut ſic dicam) per ſubjectam epiſtolam quam felicis memoriæ Claudius Sarravius in Parium Parlamento Senator, dum viveret, graviſſimus, & integerrimus deferendam ſuſcepit, injectâ, in arenam protraxit.

Monſieur,

L'Autheur du livre que je vous envoye, n'ayant pas l'honneur de voſtre connoiſſance, m'a prié ſuivant le conſeil que je luy ay donné, de vous ſupplier de vouloir lire ſon livre qu'il a fait contre celuy de Chifflet, & cela par ordre des ſuperieurs; vous m'obligerez extremement de vouloir prendre cette peine pour le

ſervice

ſervice du Public & de l'Eſtat. Il importe qu'il ne paſſe rien dans un tel eſcrit qui ne ſoit vray & bon. Ie ne croi pas, apres que vous l'aurez veu, que l'on y trouve rien à redire. Ie vous prie ſi vous aveZ à y noter quelque choſe de le vouloir faire ſur une fueille à part, & marquer les pages ſuivant qu'elles le ſont au bas du livre. L'on attend voſtre jugement au plus toſt, que voſtre loiſir le pourra permettre. I'ai voulu joindre le livre de Chifflet, afin que vous voyez ſi la reſponſe eſt ſuffiſante. ExcuſeZ moy ſi je vous donne cette peine. Ie ne croirois pas qu'un livre de cette ſorte peuſt avoir ſon approbation ſans voſtre cenſure & voſtre jugement. Ie ſuis Monſieur

Voſtre tresh. ſerv. DU PUY.

Id eſt, *Cum tibi ignotus ſit libri quem ad te mitto, Auctor; is conſilio à me ipſi dato uſus, rogavit, ut te ad lectionem libri, quem adverſus Chiffletianum ſuperiorum juſſu elucubravit, precibus meis invitarem; mihi beneficii ſummi loco erit, ſi id in te laboris pro Republica ſuſcipias. Ne quid in ejuſmodi ſcriptum non verum aut probatum irrepat intereſt. Poſtquam videris, quicquam reprehenſioni obnoxium occurſurum non credo. Si quid adnotandum habeas, ut folio ſeparato (paginis prout ad imam libri oram notantur indicatis) adſcribas rogo. Quam primum per otium licebit, judicium tuum expectatur. Chiffletii librum ut videas an reſponſum faciat ſatis adjungendum putavi. Quod te hoc laborè onerem excuſatum me habeto. Iſtiuſmodi librum ſine Cenſura tua ac judicio probari poſſe non crederem. Tuus,* &c.

Vix lectione *Vindiciarum* abſolutâ, *Aſſertoris* prima capita delibaveram, cum is ad me Celeberrimo viro Chriſtophoro Iuſtello, nunc ad meliorem vitam tranſlato, comitatus, venit, operam qualemcunque meam humaniter popoſcit, arbitrium prono animo detulit. Tunc vero non diſſimulavi, id mihi non probari (quod ante Ampliſſimus Puteanus notaverat) eum auctorum ab adverſario laudatorum teſtimonia non excutere, cum alterutrum horum præſtandum fuiſſet, ut vel teſtimoniorum illorum fidem idoneis argumentis convelleret, vel iiſdem Chiffletium abuti evinceret: nemini tam civi quam extero ſatisfacturum reſponſum neceſſariis hiſce tibicinibus deſtitutum: neque ſperandum homini novo & paucis noto, ut nominis ſui tunc primum exoriente ſplendore, tam veterum Errici Autiſſiodorenſis, Abbonis, Reginonis, Odonis Cluniacenſis, Flodoardi, Aimoini, Odoranni, Glabri, Baldrici, Guilhelmi Gemmeticenſis, Guiberti Abbatis, Hugonis Floriacenſis, Andreæ Marcianenſis, Guidonis de Bazochiis, Alberici, Chronici Turonenſis, Guilhelmi de Nangiis, &c. quam recentiorum, Roberti Guaguini Pauli Æmylii, Claudii Falceti, Iacobi Cujacii, Petri Pithœi, Nicolai Vignerii, Papyrii Maſſoni, Iacobi Auguſti Thuani, Andreæ Cheſnæi, Ioannis Beſly, Sammarthanorum fratrum, &c. aliorum denique extra regnum noſtrum ſuo tempore celeberrimorum, ubique fere diffuſum lumen obſcuraret. Cum illæ feſtinatæ operæ laudem ſibi eripi, laborioſi examinis tædium ferre, reſponſi ſui corpus in molem majorem creſcere, me vero ſuo nomine, & Illuſtriſſimi Cancellarii auctoritate, ut quæ in rem eſſe viderentur ſupplerem, urgere non deſineret, idipſum cum Ampliſſimis Hieronymo Bignonio, Fiſci patrono, admirandi judicii immenſæ lectionis viro, & Petro Puteano, alii maximæ auctoritatis plurimi efflagitarent, non quid ferre valerent humeri anxie penſitare, ſed quantum Regi, patriæ, proborum de me judicio de-

berem meminiſſe, meque cum Chiffletio committere coactus ſum, quæcunque corrigenda videbantur, Dominico ex animo indicavi, quæ non urgerent, ſuo loco (ne nimium in opere alienô mihi ſumere viderer) reliqui; quorumdam, quæ mihi merito diſplicebant, teſtimoniorum, exempli gratia, laciniæ ex Virdunenſi Chronico pag. 59 aſſutæ, in qua quinque errata deprehendebam, auctoritati *aſſertorem* deferre abſolute diſſuaſi, ei denique bene precatus manuſcriptum ſuum reſtitui, quod paulo poſt novis additamentis minus conſideratis auctum ſub prælum miſit; ego certe ab eo Boſonis epitaphium, quale à Lepore & Saxio proſodiæ (quod res ipſa clamat) parum peritis editum fuerat, paginæ 216 inſeri, ſi me audire dignatus eſſet, non ſiviſſem.

Secunda Vindiciarum editio, cum Luminibus & Faculis. 1647.

QVod ab initiô præſagieram Dominicus expertus eſt, Chiffletium κατὰ πόδας ſequi & accurate refellere cum noluiſſet, ad novam injuriam invitavit; non modo Vindicias ſuas nobis (ceu cramben recoctam) repoſuit, ſed *lumina* (ſi Deo placet) *& faculas*, cum *appendice de Ansberti & Blithildis* poſt A.D. 850 confictô *matrimonio* adjecit; paludatum ſe (Imperatorum antiquorum more) cum ventoſo *Hiſpanici vindicis* titulô (quaſi triumphatis Francis) oſtentavit; Philippum IV Regem compellans, *Francos*que *homines inquietos* queſtus, *Regum ſuorum originem à Carolo Magno perperam repetiiſſe, futilia Salicæ Legis decreta adjunxiſſe*, à ſe *Vindice vivo*, *utriuſque fundamenti vanitatem detectam*, *vetuſtis novitatem*, *novis auctoritatem*, *arcanis lucem*, *dubiis fidem abſque omni ſpecie adulationis datam*; Francos rei à ſe tractatæ *veritate perculſos, Magni Cæſaris, quam tot retro ſæculis tantopere prædicarant relicta ſtirpe, tranſverſam à Childebrando magno propatruo genealogiam finxiſſe*; eos *non ſecus ac immerſi aquis obruti & perturbati* ſolent; *in verticoſum gurgitem præcipites ferri*; *nec ex primogenio trunco, nec ab ejus ſurculis exortos ſuos Reges nanciſci*; *Legem Salicam nihil amplius eſſe quam larvam & ſpectrum*; *prærogativas* Regis ſui (*ægre ferentibus Francis*) *radiare jam magis & coruſcare*, tam inepte, quam falſo gloriatus eſt: nec aliud (præter ſymbolum à ſe uſurpatum) quod vere venditaret, habuit, *avia peragro loca*; cum enim ſe non capiens, extra ſe ſemper rapiatur; nunquam ſecum habitans, ubique peregrinus ſit; etiam in ipſa regia via inopinato conſtitutus, *avia* ſibi *peragranda* putet; ignota fertur regione viarum, quemque nota pudet ire via, nihil prorſus pudet. Largum Aſſertori campum aperuerat, quem (ſi vellet) inoffenſo pede percurrens, Rodomontem novum, totum *luminibus* & *faculis* collucentem, vel minimo digito protruderet; ſed genio, ut ante, indulgens, ſua potius protulit, quam aliena refutavit; duobus parietibus una fidelia dealbandis intentus, in *Ansberti familia rediviva*, una Clariſſimum & patriæ amantiſſimum Fabrum cum Chiffletio, à quô hic longiſſime diſcedit, oppugnandum ſuſcepit: mandati (de ſubjiciendis Ampliſſimi Puteani cenſuræ ſuis adverſus Chiffletium ſcriptis) immemor, ſuô uno periculô, quicquid chartis illeverat edidit; quodque vel amiciſſimi mirentur, adeo de conſiliorum eventu ſecurus fuit, ut undecunque, quomodocunque, quæ in rem ſuam videbantur corradere non dubitaverit. Me in examinandis hortatu ſuo *Vindiciis* occupatum

tum noverat; quantum promoverem, quidve meditarer; per alios expiſcari, quam per ſe rogare maluit: cumque quid moliretur nos celaret, Clariſſimo & veri ſtudioſiſſimo Herovallio ſurripuit, quoque modo voluit, ex iis quæ adverſus Chiffletium jam ſcripſeram, nonnulla in uſum ſuum convertit; exempli causâ, quæ de Pipini Italiæ Regis cum Berta Toloſana matrimonio mihimet paraveram.

Ad Vindicias Lampades hiſtoricæ. 1648.

QVemadmodum Dominici *Aſſertor*, à Chiffletio cenſuræ impatiente *Nova lumina* & *faculas* elicuerat; *Ansberti familia rediviva*, eum ad *Lampades hiſtoricas* concinnandas compulit: eas A.D. 1648 Novemb.1 Comiti Duci dedicavit, quô paulo ante procurante, Iulius Chiffletius *Metropolis Veſuntinæ Canonicus & Vicarius generalis, ad ordinis aurei velleris purpuratam Cancellarii dignitatem evectus* eſt, cum Comes Penarandæ A.D. 1647 Octob.14, diſputatorem, (ſuo judicio, & præconio publico *ſtrenuum*) Regi commendaſſet, Rex vero Ianuarii ſequentis ſexto ſerio ſe de ejus honorario cogitaturum reſpondiſſet. In Lampadibus illis, quibus Dominicus vita functus nihil repoſuit, adverſarius in deterius proficiens, ἀπεράντους (ideſt, quæ extremum non habent, & ad finem perduci nequeunt) Iudæorum *genealogias* ab Apoſtolo, dici putat, tanquam *exordio carentes*; quod nec voci Paulinæ convenire poteſt, à περαίνω deductæ, quod *finire* proprie ſignificat; nullo vero modo *inchoare* ſignificare poteſt; nec hypotheſi communi Iſraëlitarum, qui tribuum ſuarum Capita ex Iacobo oriunda; mundum creatum, & à Noacho (quem Chiffletius Noemum, nullo prævio, ridicule & contra analogiam vocat) reſtitutum noverant; nec denique ſpeciali Iudæorum picturis & ſtatuis carentium; quis enim aliquid ex Iconibus & ſimulachris, quæ nunquam fuerunt, ſive genealogicum, ſive aliud quippiam deducat? ejuſne, qui pro fine exordium, pro omega alpha, pro pedibus caput nobis obtrudere poteſt, in conceptibus rationis ordinem, atque (ut ſic dicam) caput & pedes quæſierit? 1 Tim.1,4.

Iam moleſtum fuerat retractare, quæ ad *Vindiciarum* everſionem mihi lucubraveram; acceſſit novum incommodum, quod unicum Lampadum exemplar Lutetiam ad Clariſſimum Hoſerium perlatum fuerit; quod univerſis Chiffletiana commenta noſſe cupientibus ſucceſſive pervolutandum eſſet: hinc factum ut, qui ex pagina 13 mihi ea, quæ adverſarius de *adoptivorum fraternitate* properanter excerpſit, ab ejus mente recedens, Neronem Claudio & Agrippina ortum ſcripſerit; quod aſperius exagitavi, nec antequam confutationis meæ impreſſio abſoluta fuerit, erratum deprehendi: nunc vero ſponte Chiffletium hac ex parte abſolvo, utut ſine culpa non fuerit; qui de ſola *germani* ſignificatione diſputans, ad *fratres*, quorum nonnulli tantum *germani* ſunt; & *adoptivos*, quorum nulli *germani* dici poſſunt, ſermonem deflectens ἀπροσδιόνυσα locutus ſit. quid enim ad cauſam ſi *adoptivi* & *affines* (de quibus nihil locis citatis Fredegarius habet) fratres dici cum naturalibus mereantur? an ad quoſcunque vox *fratris* trahi conſuevit, *germani* appellatio aptari poſſit & debeat? hæc ergo Chiffletio nullius prorſus uſus ſunt.

De univerſa nunc ſuſceptæ à me diſputationis compage nonnulla præmo-

nenda ſunt. *Vindicias* initio aggredi juſſus, ubi eas penitius introſpexi, Augiæ ſtabuli purgandi tædioſum laborem, ab iis quibus imperandi legitima poteſtas eſſet, erat injunctum, mihi cui nihil præter obſequii gloriam relictum ſenſi, totuſque in opus incubui. Sed antequam publici juris quæ elaborare cœperam fieri potuiſſent, ecce in *Novis Luminibus* adverſus cauſam & dignitatem regiam à pervicaciſſimo cavillatore accenſis novum mihi penſum paratum; mea ut ſic dicam veſtigia relegere, orſam telam redordiri quodammodo neceſſe fuit. Nec dum deſieram cum me *Lampades* ad tertium laborem vocaverunt, ex quibus, uti & ex luminibus & faculis, nihil præter fumum & putorem manare adjectis ad priora everſarum *Vindiciarum* capita, Appendicibus, materias meas ſecundum titulos ſuos digeſſi. Nolui autem à priorum quatuor capitum, quæ tota genealogica ſunt, tractatione, decimi & *luminum* ad illud pertinentium examen ſejungere, cum plurimum intereſſe ſcirem Capetinam & Auſtriacam familias inter ſe velut ἐκ παραλλήλου componere, quanta tam in Capetinis odioſe & maligne exagitandis, quam in æmulis plus æquo attollendis, adverſarii iniquitas, inſcitia, ἀβελτερία, quanta Hiſpanorum qui ſibi pro theſauris carbones, pro gemmis nitentibus oblimem glaream, pro pretioſis margaritis viles teſtas & calculos, pro luminibus caliginem, pro rebus promiſſis verba nuda dari paſſi ſunt, & febrientis deliramenta tanquam ex tripode oracula ſuſceperunt, ἀκρισία appareat, neminem latere. Veros Capeti Majores vindicavi, quatuor in genealogia ejus impugnatos à Chiffletio gradus confirmavi, Hugone Caroli Magni filio naturali (quod aliquando nonnulli ex noſtris ſuſpicati erant) progenitum non fuiſſe, ut Conrado Adelhaidis marito priori natales ſuos debeat, fieri nequaquam poſſe, ut Adelhais quæ poſt Conradi dormitionem Ruperto nupſit, Hugonis filia fuerit: Carolum Martellum & Bernardum Italiæ Regem ejus abnepotem, nothos nec fuiſſe nec haberi debere evici. Capetum regni alieni invaſi injuriâ poſtulari (calumniæ convictis, quotquot criminis, teſtes Chiffletius, advocavit magni Principis obtrectatoribus) demonſtravi. In Hiſpanos, qui longe pluribus modis Capetini ſint quam Carolini, quicquid in Capeti probrum Chiffletii maledicentia congeſſit, recidere: totamque de *prærogativa* litem ab ipſis ante annos circiter 87 motam, hoc ipſo iniquitatis damnari, manifeſtiſſimum feci.

Excreviſſe in immenſum operis mei molem præter votum evenit; ſed cum ſua adverſus nos ſcripta tot hallucinationibus, figmentis, portentis (quæ pro totidem miraculis habent imperiti) conſpurcaverit Chiffletius, ut vix quicquam in iis ſanum, & minime detortum occurrat; mihi (vellem nollem) neceſſe fuit, ut verum firmius ſtatuminarem univerſa hæc malæ cauſæ machinamenta, admoto rationis & hiſtoriæ fidei ariete quatere & dejicere. hinc factum, ut ſolis genealogicis Tomus primus conſtet, ſecundus fere ad umbilicum perductus, *Salica* & *prærogativa* in *Vindiciis*, *Luminibus* & *Lampadibus* vexata Francis Deo dante, ſimulac Chifletianæ ſecundæ, quas promittit curæ, nos quid porro velit docuerint, vindicabit; ejuſque hæc erit ſumma, 1 ubicunque veterum Francorum ſedes fuerit, quomodocunque ſeſe per Gallias, Germaniam, Italiam diffuderint, univerſi *Salici* fuerunt, & dicti ſunt, eorumque jus ſive ſcriptum, ſive non ſcriptum *Salicum* fuit. 2 lege ſcriptâ, quæ *Salica* dicitur, regi conſuevere. 3 Lege illa etſi jura ſola privatorum contine-

nean-

neantur, vetus mos fœminas à regni ſucceſſione arcens confirmatur.. Exempla 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 10, 12 in Vindiciis, & tria in Lumine 6 *Salico* à Chiffletio prolata, non hanc, quam oppugnandam in fœminarum gratiam ſuſcepit, juris noſtri partem ſpectant, ſed aliam regnum hæreditarium ſtatuentem recta petunt, eoque ipſi in cauſa ſuſcepta inutilia ſunt; nonum, 11, 13 & 14 totidem figmenta ſunt, ab hiſtoriæ noſtræ minus peritis temere diſſeminata; decimum quintum, 16, 17, 18 & 19, cum unanimi Francorum conſenſu exploſa ſint, totidem juris noſtri fœminas à ſceptri jure repellentis, totidem confirmationes cenſeri debent, eoque adverſarii molimen quantum quantum eſt ſubruunt. Sub prima & ſecundâ Regum noſtrorum familia Ducatus, Comitatus, Marchionatus, nec *terræ* abſolute & in genere, nec *terræ Salicæ* in ſpecie fuerunt, ſed præfecturæ tantum; nec ante *dominia patrimonialia* & *hæreditaria* magnatum eſſe cœperunt, quam antiquato *terrarum Salicarum* à cæteris diſcrimine, *Salica lex* ſcripta paulatim novis conſuetudinibus per ſingulos fere pagos, procerum arbitrio introductis, tam in Orientali quam Occidentali Franciâ locum fecit. Burgundiæ Ducatus communi regni jure A.D. 1314 ſancito, annô 1477 ad coronam rediit. Duplici alio jure à Regibus vindicari potuit. *Dignitas Imperialis*, quam Sancius Magnus, Ferdinandus I, Alfonſus VI, Alfonſus VII ſexti gener, & octavus ſeptimi privignus, Hiſpaniæ Imperatores dicti, ad ſe inter A.D. 1030 & 1157, ad ſe traxerunt, ipſis prærogativam nonnullam ſi tribuit, in Hiſpania tantum, multis tunc Regulis coætaneis ſubdita, & in partes diſciſſa, tribuit, non extra; *Hiſpaniæ Imperatores* ab A.D. 1157 nulli audierunt; ſi titulus *Imperatoris Hiſpaniarum* hæreditarius fuiſſet, jure natalium inter Sancii Magni poſteros ad Ludovicum XIV tranſiiſſet. Ius S. Ludovicus in Caſtellam habuit ab A.D. 1217, eo ſub conditione A.D. 1266 ceſſit, quam cum non impleant Hiſpani, jus illud quantum quantum eſt ad Ludovicum XIV rediit. Alia habet quæ Majoribus in Hiſpaniâ injuriâ erepta queratur. Romani, ideſt Conſtantinopolitani Imperatores, à Clodovæi ætate, ad Pippini tempora Francos coluerunt, non Franci Conſtantinopolitanos. Ab A.D. 476 ad 800 Imperium Romanum in Occidente nullum fuit: quod ab A.D. 800 in Caroli Magni gratiam eſt inſtauratum, Italiæ portio delibata tantum fuit. Ab eo regnum Arelatenſe nullo modo pependit. Regnum Arelatenſe jure Coronæ Francicæ, & proprietatis, poſſidet Ludovicus XIV: Campaniæ Comitatus ab initio Franciæ Occidentalis membrum fuit: nulla ejus portio ab A.D. 926 ad Lotharingiæ Regnum pertinuit. Ex ſola ditionis amplitudine, Hiſpanis ipſis (velint nolint) fatentibus, προεδρείας jus nulli Regi competiit unquam, aut in futurum competet. Prærogativa Regis Francici, à Capeti ſæculo ubique, poſt litem à Philippo II A.D. 1563 motam exinde magis ac magis aſſerta eſt. Religionis antiquitatem majorem ſibi nullo jure arrogant Hiſpani. Cum quicquid ab annis 900 libertatis & religionis habent, Francis (quorum ope Maurorum jugum excuſſerunt, & Eccleſias inſtaurarunt) potiſſimum debeant, quiſquis eos Francis anteferendos putat, Saturnaliorum mimum in Chriſtianum orbem revehat oportet.

Cum Chiffletii dotibus animi ſane non vulgaribus deſtinatô conſilio abutentis, vicem ſerio deplorem, ei, (ut ut de Rege meô totaque gente peſſime merito) male velle Chriſtiano indignum putem, ſed etiam fauſta omnia precari

cari(ſi modo hoſtilia moliri deſinat) paratus ſim: Hiſpanos nullos(quantumvis ob injurias noſtris ab annis 160 illatas odioſos)oderim; meimet oblitus videri poſſim, qui Chiffletio audaciam effrænem, malas artes, calumnias, monſtra imputem,eumque *muſcis* & *ſcarabeis* ſimilem dicam; id tamen nullo convitiandi, ſed tantum quod res erat enuntiandi, animo factum comperiet quiſquis noſtra attenta mente legerit. Quid enim audacius ejus in Capetum noſtrum, Hiſpanicorum Regum ab annis fere 600 atavum, invectivis eſſe poſſit; qui ex Guiberto Genealogiæ Brabantinæ ſcriptore, Iperio, Dintero, Mejero, aliiſper male in Francos affectis nihil non contumelioſum hauſit, qui in Vitikindi, Aimoini, Glabri, Hugonis Floriacenſis, Guillelmi Nangiaci, aliorumque recentiorum nævis ruſpandis, totus eſt, eorumque hoc uno fine monumenta verſaſſe videtur, ut probri nobis quomodocunque impingendi quippiam nanciſceretur; quî ſe *ſcarabeorum* & *muſcarum* inſtar *fimo* & *ſanie* paviſſe negaverit? generoſe & candide nobiſcum agat, nihil in verbis durum, nihil aſperum offendet; conſueto more in nos ſi ferri pergat, quod ſe dignum erit etiam à parcere cupientibus ex neceſſitate audiet.

Lotharingia maſculina. 1648.

CVm A.D. 1625. Novembris 26, Nicolaam Henrici Ducis ex aſſe hæredem nurum ſuam & neptim exauctoraſſet, ex Vadonis montis Comite Dux Franciſcus Caroli III parens, juſque exinde injuriæ multi in ejus gratiam quærerent, deſtitutæ Principis cauſam anonymus A.D. 1640 tuendam ſuſcepit; non tulit Chiffletius, annoque 1648 *Lotharingiam maſculinam* hoc fine elucubravit, ut fœminas Lotharingici Ducatus incapaces ab initio fuiſſe, & uſque nunc eſſe demonſtraret. Congeſſit itaque exempla Ermeſindis Namurcicæ A.D. 1193. Adæ Hollandicæ A.D. 1203. Gesbergæ Othonis Ducis germanæ A.D. 1005. Beatricis & Sophiæ Friderici II Ducis filiarum A.D. 1034. Conſtantiæ Amedeo 4 Sabaudiæ Comite natæ A.D. 1256. Sed nec primum, nec ſecundum, nec tertium, nec quintum ad Lotharingiæ ſuperioris Ducatum (de quo ſolo querebatur) quicquam faciunt; in quinto cæcutiens & cæcum Choppinum ſecutus, ter graviſſime impegit; nam Conſtantia primogenita non fuit, Cabilonenſi Comiti non nupſit, Beraldo Saxone qui in natura rerum nunquam extitit, oriri nequaquam potuit. En verum ſucceſſionis Sabaudicæ ordinem.

Tomas I Margaretæ de Faucineis maritus, A. D. 1233, Iun. 20 denatus.

Amedeus IV Annæ Delfinæ ac exinde Cæciliæ de Baucio maritus, A. D. 1253, Iunii 24 denatus.	Petrus Comes qui Bonifacio fratris filio ſucceſſit.	Alii ſeptem.

	1 *nupt.*	2 *nupt.*		
Beatrix Manfredi Saluciensſis, ac exinde Manfredi Siciliæ Regis uxor.	Margareta Bonifacii Montisferrat. uxor.	Bonifacius, A. D. 1260 denat.	Beatrix Petri de Cabilono uxor.	Conſtantia Manuelis Ferdinando III Caſtell. Rege nati uxor.

Stephanus Burg. Comes Beatricis Cabiloni Comitis maritus.

Ioannes Mathilds Burgund. Hugone III Duce natæ, ac exinde Iſabellæ de Curtiniaco maritus.

1 *nupt.*		2 *nupt.*	
Hugo Comes.	Blanca.	Ioannes.	Petrus Beatricis maritus.

In tertio etiam ad Lotharingiam inferiorem pertinente, 1 Mejero erranti ſe compreſſis oculis committens, *Gerberga* Othonis Lotharingiæ inferioris Ducis

Ducis germanæ, ex ejus hæreditate *aſſignatum* ab Henrico I *Lovanienſium Comitatum* putat, nec videt Othonem cum parente Carolo Lovanienſi Comitatu caruiſſe, quem A.D. 948 Lambertus Ragineri I Ducis filius, & Ansfridus Lamberti filius ab anno circiter 956 ad 992, & quod excurrit ſucceſſive poſſederunt: hic verò monaſticen profeſſus, Lamberto propinquo Gerbergæ marito & poſteris poſſidendum reliquit, prout anno 1637 antequam de *Vindiciis* ſuis Chiffletius cogitaret, ſexto Chriſtophorus Butkenius in *Trophæis Brabantinis* demonſtravit. Hic ergo fuit ſucceſſionis ordo.

Raginerus I Dux Albradæ maritus.

Giſlebertus Dux. — Raginerus II Adelæ Burgund. maritus. — Lambertus Lovanii Comes, A.D. 948 ante Carolum Ducem natum 6.

Raginerus III Adelæ Egensh. maritus. — Liethard. — Rodolfus. — Ansfridus poſt patrem ad Annum uſque 992, quo ſæculum reliquit Comes.

Carolus Dux, A.D 977.

Ottho Dux ab A. D. 990 ad 1005. — Gerberga an. 976 nupta. — Lambertus Ansfrido ſuffectus, A.D. 992.

Lambertus.

In quarto (quod ad Lotharingiæ ſuperioris Ducatum pertinet) hæc Sigeberti & ex eô Alberici, Edmundi, Dinteri, Ægidii de Roya, magni Chronici Belgici verba arripuit, *anno* 1034. *Friderico Moſellanorum Duce mortuo, quia mares filios non habebat, quibus Ducatus competeret, Gothelo Dux; impetrato etiam ab Imperatore Moſellanorum Ducatu in Lotharingia potentius principatur.* in quibus *mutilatis, ſcienter prudenter prætermiſſis, ſtudioſe à Theodoro Gothofredo* noſtro *omiſſa, quæ Ducatum Lotharingiæ ſuperioris ſive Moſellanorum ſolis maribus competere palam inſinuant*, injuriâ queritur; cum à Gothofredo non malo animo aut quia ejus inſtituto nocebant, ſed quia plane inutilia erant, recte & prudenter *omiſſa* ſint. quid enim ad nos ſi *Lotharingia ſuperior maribus* vel *ſolis*, vel *non ſolis competat*, aut *competierit unquam?* annon A.D. 1624, quo Lotharingicam & Portugalenſem genealogias edidit Gothofredus, Nicolaam quæ uſque nunc ſuperſtes eſt, Henrici Ducis hæredem ex aſſe futuram conſtans omnium ſententia erat? annon id tabulis ejus matrimonialibus A.D. 1621, Maji 22 probante & ſubſcribente Franciſco patruo, qui A.D. 1625 Novemb. 26 Ducatum ſibi ſuiſque vindicare cœpit, ſcriptis expreſſe cautum noverant omnes? Annon denique aliam anno 1034, aliam 1625 Ducatus rationem fuiſſe in aperto erat? Anno 1034 cum Ducatus non Dominium, ſed præfectura militaris, cujus incapaces eſſent imbelles puellæ à Friderico II Duce relictæ, ea Gotheloni qui ab A.D. 1030 Lotharingiæ inferioris Ducatum poſt Godefridum germanum regere cœperat à Conrado Salico commiſſa eſt: ubi vero Ducalis titulus dominium hæreditarium deſignare cœpit, ad fœminas eodem quo allodia quæcunque modo, cum rerum titulo illo deſignatarum poſſeſſione tranſmitti potuit. Hinc Fridericus III Dux A.D. 1260 die S. Matthæi feſto feria 3, Lutetiæ Theobaldo Navarræ Regi uxoris germano, de feudo apud Sormeriacum villam, ei poſt hæredis ſui, ſive *Dux*, ſive *Duciſſa* fuerit dormitionem, reſtituendo in hæc verba cavit, [1] *ſe je n'avois hoir de mon corps de Marguerite Ducheſſe de Loherregne, & Marchiſe, ſa chiere ſeror ma feme, liquex hoirs fuſt Dux ou* [1] ex Archivo regio,

 Ducheſſe

Ducheſſe de Loherregne, &c. *& ſe je n'avoie hoir de mon corps de laditte Marguerite ma feme, qui fuſt Dux ou Ducheſſe de Loherregne*, &c. *& apres le deceds de l'hoir fuſt fils ou fille*, &c. A.D. 1306 [1] *Columbarii feria 6 proxima poſt feſtum B. Bartholomæi Apoſtoli*, nobiles & Vaſſalli Ducatus Lotharingiæ *publicè proteſtati ſunt, jus eſſe &* conſuetudinem *in Ducatu Lotharingiæ à tempore, cujus non extat memoria, hactenus obſervatum; ut quoties filium primogenitum Ducis Lotharingiæ, qui pro tempore fuerit, mori contigerit ante patrem relictis liberis legitimis* maſculis *vel* fœminis, uno *vel* pluribus, illæ *vel* illi in Ducatu Lotharingiæ præ omnibus aliis ipſius Ducis hæredibus debeant ſuccedere loco patris, *&c.* A.D. 1425 Decemb. 13, inſtrumento duplici uſque nunc [2] extante nobiles Lotharingi hæc in verba proteſtati ſunt. *Nous conſiderans pour verité la couſtume generale ancienne de Lorraine, & la tenans eſtre telle par nos prædeceſſeurs, & nous meſme la tenans telle, que toutes & quantes fois il eſt advenu ou temps paſſé* que aucun des Ducs de Lorraine eſt allé de vie à treſpaſſement, ſans delaiſſer hoir maſle apres luy, né & procreé de ſon cors en loyal mariage, que tousjours icelles filles luy ayent ſuccedé, & doivent ſucceder comme vrayes heritieres dudit Duché, Principauté & Seigneurie de Loraine ſans aucun contredit: *Sçavoir faiſons*, &c.

[1] vide Genealog. Loth. prob. p. 149.

[2] Ibid. p. 185 & 186.

Hoc jure nixa Iſabella Ioannis Ducis filia, [3] Ingelramni Dynaſtæ de Codiciaco uxor A.D. 1385 Indict. 9. Clementis Antipapæ octavo Mart. 8 Nanceji ſibi defunctis ſine hærede legitimo fratribus, Ducatum debitum aſſeruit his verbis, *Salf tant pour moy Iſabel de Loherene deſſeſdite & mes hoirs, que ſe mondit Seigneur le Duc, ou ſes altres enfans maſles preſens ou advenir treſpaſſoient hors de celuy ſiecle ſans hoirs de leur propre corps, nez & procreez en loyal mariage, ce que Dieu ne vueille, & pareillement ſe Monſeigneur le Duc laxoit une fille ou pluſieurs de ſon propre corps; en touts ces cas & chaſcun d'iceux venroient & tourneroient leſdits Duchié, Princerie, & Baronie de Loherene, enſamble toutes leurs appartenances, & touts altres heritaiges que celuy qui ſeroit Duc de Loherene pour le temps, laiſſeroit apres le treſpaſſement en la main de moy Iſabel de Loherene, ou de mes hoirs, comme vraye heritiere dudit Duché de Loherene & de ſes appartenances*, &c. A.D. 1430 die converſionis S. Pauli ſeu Ianuar. 25 defuncto Carolo I Duce parente univerſam ejus hæreditatem, nequicquam contradicente Antonio patrui Friderici filio, crevit Iſabella Renati Andegavi Guiſiæ Comitis & exinde Siciliæ Regis uxor. [4] Renatum *quem poſſeſſorem reperit, de regalibus Ducatus Lotharingiæ* A.D. 1434 Indict. 12 April. 24 feria 7, Baſileæ *inveſtivit* Sigiſmundus Imp. [5] Antonius ipſe A.D. 1440 Mart. 27 ante Paſcha Caroli VII Regis judicio ſolenni Rhenis pronunciato obtemperavit. Maria de Haricuria Antonii vidua, [6] in teſtamenti A.D. 1474 Novemb. 12, ſcripti tabulis eum non Ducem ſed *Vadonis montis Comitem* inſcripſit: hoc etiam titulo poſt Antonii parentis mortem uſus eſt Fridericus Renati II parens; Renati ejuſdem mater Yolendis, poſt Nicolai Ioanne germano nati annoque 1473 Iulii 24, denati dormitionem à Renato I parente A.D. 1479 Novemb. 15, [7] à Margareta germana Henrici VI Anglorum Regis vidua A.D. 1480 Octob. 19, [8] à ſeipſa & filio quem ad nominis Ducalis conſortium vocabat, Vezelizæ A.D. 1473 Auguſti 2 *Dux* nuncupata eſt. [9] Margaretæ Renati II germanæ pactis matrimonialibus A.D. 1489 Maji 14 feria 3 Tulli ſcriptis, Ducatus poſſeſſio in caſu (ſi frater ἄπαις decederet) reſervata eſt.

[3] Ibid. p. 192.

[4] p. 208.

[5] p. 213, &c.

[6] p. 218.

[7] p. 234.

[8] p. 237.

[9] p. 238.

Adver-

Adverſus reſervationem illam Renati I I, Teſtamento A.D. 1506 Maji 26, in caſtro de Lupeyo ſcripto, cautum eſt, [1] ne Lotharingiæ & Barri Ducatus unquam in futurum divellantur, aut ad fœminas tranſeant, ſed deficientibus Antonianæ lineæ maſculis, Claudianæ mares ſubſtituantur & contra; verum Barrenſis Ducatus, Dynaſtiæ Ionevillanæ, Vadonis montis, Albæ Marlæ, Guiſiæ, &c. Comitatuum in regno Francico ſitorum reſpectu, diſpoſitio hæc (quanta quanta eſt) regia confirmatione eguit. Ejus certe nullam rationem habuit Antonius Renati primogenitus qui [2] A.D. 1540 Martii 20 [3] tabulis Ratisbonæ ſcriptis ſtatuit, ſi Franciſcus Pontis Moncionis Marchio ante ora parentis fatis concederet, eô & Chiſtierna Danica nati liberi *mares & fœminæ* quem repreſentarent jure, avitam hæreditatem cernerent. Auguſti 22 Indict. 13. Barri hac lege Annam filiam Renatô Cabilonio Arauſicæ Principi deſponſavit, ut quocunque tempore Annæ germanorum proles maſcula deficeret, ea vel poſteri ejus totam ipſorum hæreditatem adirent. Pactum id ſibi ſuiſque detrimentoſum contraria proteſtatione Barri à Notariis Auguſti 19, excepta prævenerat Claudius Guiſiæ Dux, ſed fruſtra fuit. Nullam poſt Antonii mortem (quicquid in contrarium [4] Chiffletius putet) Franciſcus & Nicolaus germani habuere, qui A.D. 1545 Aprilis 10 in hæc pacta conſenſere, ut legitimæ portionis loco Mercurii Baronia Nicolao ſuiſque cederet, ſi vero Franciſci hæredes, Nicolao ſuperſtite, deficerent, ei ejuſque hæredibus pro portione ſua, conſtaret jus ſuccedendi in Franciſci fratris hæreditatem citra ullam difficultatem: cum enim hæredes indiſtincte nominaverit, fœminas excluſas nec voluerit, nec potuerit.

Nullam Carolus I I tertii avus habuit, cujus ſorores Renata & Dorothea, eadem quo Anna amita, Guillelmo Bajoariæ, & Erico Brunſuigæ Ducibus deſponſatæ ſunt. Vide [5] tabulas A.D. 1567 Iunii 3 & 1577 Novemb. 30, in gratiam utriuſque ſcriptas; ut & pacta connubialia Chriſtinæ Ferdinando Mediceo Tuſciæ, Antoniæ Ioanni Guillelmo Cliviæ Duci, & Magdalenæ Maximiliano Bajoariæ Ducibus deſponſatarum; Nullam denique Henricus Dux & Franciſcus germanus A.D. 1621 Maji 2 habuerunt, quandoquidem hæc tabularum Henrici juſſu, & Franciſci rogatu ſcriptarum expreſſa verba ſunt, *pour parvenir au mariage d'entre ledit Seigneur Prince de Vaudemont & laditte Dame Nicole Princeſſe de Lorraine, ſon Alteſſe a declaré & declare maditte Dame Princeſſe ſon heritiere univerſelle en tous ſes Eſtats, pays, & Seigneuries,* &c. qui iſta Caroli I I I filii nomine ſtipulatus, hæc à fratre totidem verbis Teſtamento Novembris ſequentis inſerta. *Commandans à noſtre treſchere heritiere d'aimer ſon mary, de le ſervir & honorer comme elle doit, pour eſtre ſon mary. Mais je l'admoneſte qu'elle eſt Ducheſſe, & que tout le bien vient d'elle, & qu'elle ne ſe laiſſe point gourmander, & que toutes choſes ſe facent premierement par elle, ou conjointement enſemble, elle eſtant touſjours la premiere, comme eſtant mon heritiere de tous les Duchez,* &c. qui inquam hæc ignorare non poterat, quô colore quinto poſt anno inſtrumenti ab anno 1506, quo primum conditum eſt tenebris perpetuis damnati, imo à ſe, fratre, patre, avô proavô deſpecti, auctoritatem (cui ſuorum nemo non derogaverat) in nurus quam filii nomine tamdiu procatus erat abuti jus faſque duxerit? Id publico daturus, & in Latinum ſermonem verſurus Chiffletius mendis aliquot fœdavit, quas indicare viſum eſt. Scripſerat Renatus, *Marchis, Marquis du Pont,* reddit

[1] Chiffl. Loth. maſc. p.
[2] p. 139.
[3] Gen. Loth. p. 240.
[4] Loth. maſc.
[5] Gen. p. 241.

ſine interpunctione *Marchio*, vel *Marchiſus*, *Marchio Pontis*, *Vaudemont Aumale Guiſe* veteribus, non *Vaudemontium Aunemalia* Guiſa, ſed *Vadonis mons Alba marla* Guiſia dicta ſunt. *le Comté du Maine* non *Meduana* in Cenomanis oppidum & fluvius, ſed regio ipſa *Cenomani* dicitur, quæ Gallice *Mayenne* vocatur, ſed regio ipſa nempe *Cenomani*, & alia minuta in Ione villæ diſtrictu notata miſſa facimus.

Quod de Lotharingiæ utriuſque Ducatibus eorumque prima conditione diximus, ex parte adverſarius ipſemet p.35 agnoſcit, *antiquis temporibus hæreditarios non fuiſſe* confeſſus, ſed cum præfecturæ militares dominia hæreditaria facti eſſe deſierint, id ipſum quod in Lotharingia ſuperiore locum habuit, id inferiori cum tempore evenit, Namurco, Hollandia, & Brabantia quæ primo loco ſtatuenda erat, à lancea ad colum non ſemel tranſeuntibus, prout ex tabulis ſubjectis patebit.

Henricus II Brabant. Mariæ Suevicæ ac exinde Sophiæ Thuring. maritus, A.D.1248, Ianuarii 22 denatus.

Henricus III Aleydis Burg. maritus. | Henricus Lantgravius Aleydis Brunswic. maritus.

Ioannes I Margaretæ Flandricæ maritus. | Otto Adelę Ravensburg. maritus.

Ioannes II Margaretæ Angl. maritus. | Ludovicus Margaretæ Spanhem. maritus.

Ioannes III Mariæ Ebroic. maritus, quo denato ad Haſſos (ſi Salicum jus locum habuiſſet) Ducatus tranſire debuerat. | Hermannus Ioannæ de Sarapontæ maritus an. 1414 denat. Ioannis Ducis (ſi Salicum jus locum habuiſſet) hæres.

I. Ioanna Dux A.D. 1406, Decem. 1 denata. | Margareta Ludovici Flandri uxor.

Margareta Philippi I Burgund. Ducis uxor.

Ioannes Margaretæ Bavar. maritus. | Antonius Brabant. Dux. II.

Philippus II Iſabellæ Portugal. maritus Antonii hæres.

Carolus Iſabellæ Borbon. maritus.

Maria Maximiliani I uxor 1. III.

Philippus I Ioannæ Caſtell. maritus.

Carolus V Iſabellæ Portugal. maritus.

Philippus II Iſabellæ ac exinde Annæ marit.

IV. Iſabella Dux. | Philippus III Margaretæ maritus.

Philippus IV Iſabellæ hæres.

Godefridus Namurci Comes Ermeſindis Lucemburg. maritus.

Henricus *Cæcus* dictus Agnetis Geldricæ maritus. | Adelhais Balduini III II. Hannoniæ Comitis uxor.

Ermenſindis Theobaldi Barrenſis ac exinde Walerani II Limburg. uxor. I. | Balduinus IV Margaretæ Flandricæ maritus jure matris Namurcenſis Comitatus majorem partem ſibi vindicavit reliqua Luxemburgico Comitatui accrevit.

Henricus Lucemburgi & Namurci ex parte Comes Margaretæ Barrenſis marit. | Balduinus Imp. Mariæ de Campaniæ maritus. | Yolendis Petri de Curtiniaco Imper. uxor 2. II.

Philippa Ioannis II Hannon. uxor A.D.1270. | Iſabella Guidonis Flandriæ uxor, an. 1270. | Margareta Burchardi de Avennis ac exinde Guillelmi de Dampetra uxor. | Philippus Namurci Marchio. | Balduinus Imper. Guidoni Namurcum vendidit.

1 nupt. Ioannes I Hannoniæ Adelh. Holland. maritus. | *2 nupt.* Guido Matthildis de Bethunia ac exinde Iſabellæ Lucemburgici maritus Namurci emptor.

Ioannes II Philippæ Lucemb. maritus. | *1 nupt.* Robertus Yolendis Burg. maritus. | *2 nupt.* Ioannes Namurci Comes Mariæ Attrebat. marit.

Guillelmus, &c. | Ludovicus Ioannæ Regiſtet. maritus. | Guillelmus Catharinæ Sabaud. maritus.

Ludovicus Margaretæ Franc. maritus. | Ioannes qui Namur. Comitatum Philippo *Bono* vendidit, A. D. 1421.

Ludovicus Margaretæ Brabant. maritus.

Margareta Philippi Burgund. Ducis uxor.

Ioannes Margaretæ Bavaricæ maritus Philippi boni pater.

Florentius III Hollandiæ Comes Adæ Scoticæ maritus,
A. D. 1190, Auguſt. 1 Antiochiæ denatus.

Theodericus VII Adelhaidis Clivenſis maritus, A.D. 1202 Nov. 4 denatus. | Guillelmus I Adelhaidis Geldricæ maritus, A. D. 1223 denatus.

Adelhais Henrico Geldro deſponſata. | Ada Ludovico Loſſenſi invitis Hollandis nupta, ea de cauſa à patruo, A D. 1203 excluſa 1205 deceſſit. I. | Florentius IV Matthildis Brabantinæ maritus, A. D. 1234, Iulii 12 cæſus.

Guillelmus Rex Iſabellæ Brunſvic. maritus, A. D. 1256, Ianuar. 28 cæſus. | Adelhais Ioannis I Hannon. Comitis uxor. II.

Florentius IV Beatricis Angliçæ maritus, A. D. 1296, Iun. 17 denatus. | Ioannes II Philippæ Lucemburg. maritus, Ioannis Domicelli hæres.

Ioannes A. D. 1299, Octob. 29 denatus. | Guillelmus Ioannæ Valeſiæ maritus.

Margareta Ludovici IV Imper. uxor 2. III.

Albertus Margaretæ Brigenſis maritus, A. D. 1404 denatus.

Ioannes ex electo Leodicenſi à Cabeliavenſi factione, A.D. 1407 Comes ſalutatus, an. 1424, Ianu. 6. denatus. | Guillelmus *Bonus* Margaretæ Burg. Ioannis Germanæ maritus, A. D. 1416 denatus Maji 31, feria 4. | Margareta Ioannis Burgund. Ducis uxor.

Iacoba à Philippo *Bono* ob conjugium impar exauctorata, A.D. 1433, & 1436, Octob. 9 dolore contabuit. IV. | Philippus *Bonus* Iſabellæ Portugal. maritus. IV.

Carolus Iſabellæ Borbon. maritus.

Maria Maximiliani I uxor prior. VI.

Philippus I Ioannæ Caſtell. maritus.

Carolus V Iſabellæ Portugal. maritus.

Philippus II, A. D. 1581, Iulii 21, abdicatus.

Ex præcedentibus tabulis apparet. I ab anno 1248 quô ineunte Henricus II Dux deceſſit, Brabantiæ Ducatum, qui Lotharingiæ inferioris Ducatui ſucceſſerat, feudum maſculinum habitum non fuiſſe; quandoquidem Ioannis III Ducis hæreditatem Hermannus Lantgravius, mas ſanguine proximus non crevit, ſed Ioanna primum A.D. 1355 Decemb. 5. ac exinde A.D. 1406 Decemb. 1 Margaretæ Ioannæ germanæ A.D. 1368 denatæ poſteri. A.D. 1477 Ianuar. 6 Maria Burgundica, A.D. 1598 Sept. 13 Iſabella Archidux; adeo ut Ducatus ex familia Lovanienſi in Burgundicam & Auſtriacam tranſierit.

II. Namurci Comitatum ab A. D. 1187 à Balduino III Hannonico jure matris nixo, invaſum, exinde in familias Limburgicam, Curtiniacenſem, Dampetrenſem, Burgundicam, Auſtriacam per fœminas tranſlatum; eum ſi (quod Beuningus notat) Balduino contulit, pretio redemptus ut legitimæ hæredis ſpoliationi colorem quæreret fecit. Chronici Laudunenſis auctor ætate proximus ad A.D. 1189. *Henricus Comes Campaniæ filiam Comitis de Namuco habebat, ſpem habens per eam Namucum caſtrum & Comitatum habere. Balduino vero Comes Hannoniæ nepos Comitis ex ſorore, adhuc ipsô Comite vivente Namucenſi valde ſene*, injuſte caſtrum abſtulit *& poſſedit* ex hæreditata unica filia, *quam ſuperius diximus Comitem Henricum habuiſſe.* Albericus A.D. 1191 *Idem quoque Balduinus Comes Hannoniæ*, ex parte matris ſuæ *Namucenſis caſtri Comitatum invaſit.* & ad A.D. 1193. *Theobaldus Comes Barrenſis ante caſtrum de Namucô duxit exercitum ſatis copioſum, quia filiam Henrici Comitis cæci unicam in ejus ſenectute de Agne-*

te ſorore Comitis de Gelrâ, quodam accidenti natam, duxerat in uxorem nomine Ermenſendem: per quam hæreditare volebat; quamvis filiæ non ſolent in Imperio hæreditare. Tria tamen caſtra cum appendiciis, quæ ab Imperatore data Comiti Alemanno Ottoni de Burgundiâ, Comes Barri ab ipſo Comite Ottone redemit, & ita cum uxore ea habuit, ſcilicet Luſceburg, Durbium, & Rupem in Ardenna; pro reclamatione quoque Namuci facta pax eſt inter eum & filios Balduini, per quandam ſummam argenti, quæ dabatur Comiti Barri per ſingulos annos. Chronicon Aquicinctenſe. *Anno* 1188 *Comes Namurcenſis Henricus filiam ſuam unicam adhuc lactantem dat Henrico Comiti Trecarum, & cum ea poſt ſuum deceſſum omnem terræ ſuæ Comitatum. Balduinus Comes Hainoenſis ex ſorore nepos hoc audiens & videns, indoluit, quia eundem Comitatum valde affectabat, & pro eo adipiſcendo tam Imperatori Friderico, quam cæteris de Curia multas dederat pecunias. Cum autem ante menſem Auguſtum inguerra Regis Francorum Henricus Comes Trecenſis inexcuſabiliter occupatus eſſet, & Henricus Comes Namurcenſis lecto decumberet, Balduinus undecunque contracto exercitu, caſtrum milite nudatum & defenſoribus reperiens, inexpugnabile caſtrum Namucenſe, ut putabatur, fortuna ſibi arridente cepit. Mediante autem Auguſto ultra progreditur; & caſtellum fortiſſimum Bovinienſe obſidione cingens, poſt dies* XV *viriliter cepit, & omnem terram citra Moſam Comitatus Namucenſis ſibi ſubdidit.* Beuningus ipſe ab adverſario laudatus *Lothar. Maſc.* p. *Ermeſinda,* &c. *poſt patris deceſſum privatur ab Imperatore utroque Comitatu Luxenburgenſi & Namurcenſi, ſub prætextu quod feuda maſculina eſſent: prætextus* ergo erat, & Balduini qui *ex parte matris* tam fœminæ quam ipſa Ermeſindis fuit, agebat inſtigatu, ab Imperatore quæſita cauſa, *injuſta caſtri invaſio*, & puellæ propinquæ nihil demeritæ *exhæredatio.* annon Chiffletio plurimum ſe obnoxiam univerſa gens Lotharingica fateatur, qui Nicolaæ Ducis ſpoliationem exemplo *iniquô* ipſiſque quos citavit teſtibus exoſo defendendam putavit? Quadruplex interim in eô proferendo dum Beuningo nimium fidit, admiſſum ab ipſo peccatum advertet lector. 1 quod Ermeſindis, *poſt patris exceſſum.* 2 A.D. 1193. 3 *ab Henrico* VI *privata* ſit, 4 *ab Ottone Lucemburgum redemerit*, quandoquidem à *Friderico* Henrici patre A.D. 1190 Iun. 10 feria 1, in Calycadno ſubmerſo *privata* eſt; qui Ottoni filio Lucenburgenſem ditionem (non poſt mortem opinor) donavit. A.D. 1191 Balduinus Namurcum cum vicinia ad occidentalem Moſæ ripam ſita *Auguſto menſe* occupavit. Theobaldus Barri Comes Henrici Campaniæ Comitis conſobrinus, poſt Henrici ſoceri jam annô 1191 decumbentis mortem Namurcum ſibi vindicare conatus eſt, anno 1199 Iulii 26 cum Balduino invaſoris filio, & eodem circiter tempore cum Ottone, A.D. 1200 (qui Ermeſindis 1187 natæ duodecimus erat) denato tranſegit, non Ermeſindis, ſuo per ætatem jure necdum utens.

III. Hollandiam ab annô 1299 ad Hannonienſem, Bajoaricam, Burgundicam. Auſtriacam familias per matres devoluta eſt. Adam ob ſexum à patruo A.D. 1203 *excluſam* ne quis cum Chiffletio putet, obſtant Chronici Hollandici in Magnum Belgicum relata verba, *Adam Ludovicus Comes Loſſenſis contra voluntatem totius Hollandiæ populi conjugem ſibi deſponſavit*, &c. *Theodoricus Comes apud Dordracum laborans, circiter agonem ſuæ mortis quamplurimum conqueri cæpit, propter abſentiam Wilhelmi Comitis Ooſtfriſiæ ſui fratris;*

tris; præſertim quia de proviſione Comitatus cum ipsô nihil ante mortem egiſſet; aut certe quia unicam filiam ſuam Adam nomine puellam præclaram, & nubilem tutelæ ſuæ minime commendaſſet. Comitiſſa quidem Adelheydis è contra perperam intendens propoſuit ipſam puellam Ludovico Comiti Loſſenſi deſpondere, & ſic cum extraneo Principe Comitatum Hollandiæ pro ſuô beneplacito gubernare. Theodoricus verò Comes interim pridie Nonas Novembris requievit in pace, Creatori reddens animam poſtquam annis XIII *bellicoſe rexiſſet Hollandiam. Defuncto Theodorico Comite, Ludovicus de Loſs, ab Hoſtena Dordracum feſtinanter advenit, & ſecundùm Adelheydis Comitiſſæ ordinationem Adam puellam de regali ſtirpe progenitam in feſtivo gaudio ſponſam accepit: & erat miſerabile ſpectaculum intueri, tam cito magnifici Comitis diſparuiſſe reverentiam, ut Adelheydis Comitiſſa ſepoſitis funeralibus exequiis (pro pudor) ſponſalem auderet celebrare lætitiam.* Non ergo Adam *excluſit* ſexus, ſed laſcivia, & ingratitudo in patrem, adeo Hollandis exoſa ut ejus dominium fèrre nequaquam potuerint. An ſimile quippiam Nicolaæ Duci jure impegerint, qui eam avita hæreditate exegerunt?

In Dinteri de Gerberga teſtimonio duo corrigenda ſunt, 1 quod *Otho* (cui ſupervixere fratres Ludovicus & Carolus) *mares hæredes non habuiſſe* dicitur. 2 quod *Henricus*, qui Ducatum Godefrido dedit, *hujus nominis Imperator ſecundus*, vocatur, qui revera inter Henricos *ſecundus*, inter Imperatores *hujus nominis primus* fuit. Erravit etiam Magni Chronici Belgici collector *mortuum ſine hærede Othonem* Ducem ſcribens, qui enim fratres reliquit ſuperſtites utut liberis caruerit, *ſine hærede* nec fuit, nec credi debuit. Æque falſa ſunt, quæ de Othonis Ducis ſororibus & Godefrido Alfonſus Delbene ſcripſit, illas *hæreditatis jure Lotharingiam*, cujus Ducatus præfectura militaris erat non patrimonium, *ad ſe pertinere prædicaſſe, & in poſſeſſionem ejus ingredi conatas* eſſe, Godefridum *vi & armis Lotharingiam occupaſſe, feudum Lotharingiæ*, quod proprie nullum tunc erat, *ad maſculos non ad fæminas pertinere dixiſſe* fingens. P.4.

Vt ut *planum* ſit *quod* ad A.D. 1113 Albericus ait *non ſolere fœminas in Imperio hæreditare:* nec ad rem eſt, quia Lotharingia ſuperior Imperii non Romani proprie dicti, aut Germanici improprie Romani nuncupati, ſed Lotharingici regni ab antiquo fuit: nec ſemper verum ab annis quingentis fuit: quandoquidem (ipſomet Chiffletio teſte) A.D. 1156 *Henrico Auſtriæ primo Duci à* Friderico I, *indultum ut ejus filii & filiæ indifferenter poſſent Ducatum Auſtriæ hæreditario jure à Regno tenere & poſſidere.* Adolfus A.D. 1295 *Rainoldo Geldriæ Comiti*; *Philippus*, *Albertus*, *Henricus* VII *& Carolus* IV, Brabantinis tantumdem conceſſere; annoque 1414. Sigiſmundo Imp. Conſtantiæ cordate, Cartuſienſium de Soelhem prior Göſwinus *Duces Brabantiæ de ſucceſſione filiarum ab antiquo privilegiatos* eſſe reſpondit. quidni enim ſibi ſuiſque ſimile quid impetrare potuerint Lotharingiæ ſuperioris ex familia Alſatica Duces, quorum primus & ſecundus Henrici *Nigri* conſobrini, quartus Lotharii & Friderici I ſororii, Fridericus IV & Carolus I, Alberti I & Ruperti generi fuere? at tale nihil *obtenderunt unquam:* quô argumento temerarii pronunciati fidem Chiffletius fecerit? an omnia eorum comperta habuit, qui nihil in rem ſuam profert? *lege ſua Salica antiquiſſima & jure ordinario Imperii, quô à feudis militaribus fœminæ regulariter excluduntur*

duntur ſemper obſtricti fuere: quis credat, cui Fridericum III Ducem A. D. 1260, proceres A.D. 1306 & 1424. Carolum I Ducem I Anno 1424 Ianuar. II fœminis ſi mares deficerent, Ducatum vindicaſſe notum ſit? Sed nec anno 1033 quo Fridericus II Dux Barrenſis familiæ tertius deceſſit: *fœminas hæreditare non ſolere* verum fuit; ſiquidem Beatrix & Sophia defuncti filiæ univerſum ejus patrimonium, *Barrum* nimirum, *Briacum*, &c. inter ſe diviſerunt, & ad hæredes tranſmiſerunt.

I in teſtamento edito.

Exemplum mendoſe à Choppinô prolatum, non evincit Dominia feudalia in regnis Burgundico & Arelatenſi maſculina tantum fuiſſe, quandoquidem Burgundiæ Comitatus ad Suevos, Meranicos, Burgundos, Matiſconenſes & Cabilonenſes, Francos, Burgundos Ducales priores, Flandros, Burgundos Ducales poſteriores, Auſtriacos, Delfinatus ad Burgundos & Turrios, Provinciæ Comitatus, ad Barcinonenſes, Andegavos ſecundos & tertios per fœminas tranſiere; eademque fere omnium Burgundicorum feudorum conditio fuit. Sabaudi ſi fœminas excluſere, lege non communi, ſed familiari eaque non admodum conſtante uſi ſunt, cum tabulis Margaretæ Borboniæ matrimonialibus cautum ſit, Philippi ſponſi bona univerſa in liberos ex Margareta naſcituros transfundenda fuiſſe, eaque à Carolo Duce ex alia parente nato repetenda, Ludovica Margaretæ filia & Franciſcus I ex Ludovica nepos poſtea duxerint. Annon abſurdum eſt exemplum Sabaudorum ſingulare, idque non adeo noti juris, ad Lotharingica in alio regno ſita & alio jure uſa velut obtorto collo trahere?

p.9. Non tantum abſurdum ſed plane impudens eſt, quod *teſtimonium nobilium anno* 1306 *exhibitum vel dicis cauſa confictum*, *vel* à *teſtibus hiſtoriarum haud gnaris* dictum nugatur Chiffletius; unde enim prolatum eſt? annon ex ipſo Nanceiano archivo? fabulis ne *dicis cauſa* à rerum neſciis *confictis* aſſervandis deſtinatum ſanus quis dixerit? quæ anno 1306 quo Theobaldo II Duci ex Iſabella de Ruminiaco mares 4, Fridericus, Matthæus, Hugo, Theobaldus, cum puellis Maria, Margareta, Iſabella nati erant, *confingendi* cauſa fuerit? qui *hiſtoriarum haud gnari*, ab inconſiderato cenſore putantur, annon quod verum proteſtabantur, Friderici III charta quæ uſque nunc extat, aliiſque quæ præ oculis habere poterat monimentis munitum noverant? Quod ait *à Ducatu excluſas* A.D. 1034 *Friderici* II *filias*, verum eſt: ſed (prout ante notavimus) ἀπροσδιόνυσον. *excluſæ* ſunt quia *hæreditaria* non erat, & fœminis imbellibus minime conveniebat militaris præfectura *Ducali* titulo ornata: hæredes tamen illæ parentis fuerunt; unde nobis robuſtiſſimum argumentum. *Quo jure univerſam hæreditatem paternam adiere Friderici* II *filiæ eodem quicquid in hæreditate paterna fuit, ſibi* (*ſi mares deeſſent*) *vindicare potuerunt poſteriorum Ducum filiæ*. at *jure natalium univerſam hæreditatem paternam adiere Friderici* II *filiæ*. Ergo *jure natalium quicquid in hæreditate paterna fuit, ſibi* (*ſi mares deeſſent*) *vindicare potuerunt poſteriorum Ducum filiæ*. Subſumo nunc, *Quæ jure natalium quicquid in hæreditate paterna, ſibi* (*deficientibus maribus*) *vindicare potuit, ea quod præcipuum in hæreditate erat, Ducatum ſcilicet, eodem jure vindicare* potuit. nam *in eo, quod plus ſit, ſemper ineſt & minus*; adeoque *in toto & pars continetur. At Iſabella* A.D. 1430, *Nicolaa* A.D. 1624 *quod præcipuum in hæreditate erat, Ducatum ſcilicet, ſibi eodem jure vindicare potuerunt.* Hîc Rhodum Chiffletius eſſe putet; hîc ſaltet. Si

reg. jur. 110. 113.

nullam

nullam ante Iſabellam in ſuperiorem Lotharingiam jus ullum palam obtendiſſe dixerit, nihil quod ad rem ſit, dixerit; quandoquidem nuſquam deficiente ad Iſabellæ uſque tempora marium linea directa, ea prima quo tempore deceſſit parens fratribus caruit; ea prima jus (quo priores omnes caruerant; & cum carerent, *obtendere* ſive *palam*, ſive clam non poterant) habuit, *obtendere palam* potuit, & reipsâ *obtendit*.

Quem autem Chiffletianæ mentis acumen mirari non ſubeat? Lotharingiam ſuperiorem *feudum ſive regni ſive Imperii maſculinum* eſſe ut evincat, exempla profert, quæ ipſum vel extra oleas vagari, vel ſemet jugulare ad oculum demonſtrent; cum enim Namurcici, & Hollandici Comitatuum, & Lotharingiæ inferioris Ducatus capaces fœminas fuiſſe eventus doceat, cui *maſculinos* fuiſſe, aut eos à ſcopo aberraturos perſuaſerit, qui eandem utriuſque Lotharingiæ rationem fuiſſe ſtatuant, ut quamdiu earum *Ducatus* præfecturæ militares fuerint, ab anno ſcilicet 959 ad 1033 & quod excurrit, viris ſolis attributi ſint, qui eos ad nutum deſtituendi, non hæreditario jure, regerent, ubi feuda & dominia patrimonialia facti ſunt; à patribus in poſteros quoſcunque ſive *mares*, ſive *fæminas* hæreditatis titulo tranſierint? quis adverſus comperta experimenta diſputantem ſano judicio eſſe credat, aut *feuda maſculina* crepantem, quando nulla cujuſcunque generis uſpiam fuerant, æquâ mente ferat?

Recte Idam cum Godefrido filio, Godefridi *Gibboſi* hæredem in ſolis *allodialibus* fuiſſe; Ducatum Conrado vix trimo A.D. 1076, Godefrido Idæ filio poſt A.D. 1061 nato, *Marchionatum*, id eſt præfecturam limitaneam ſub Ducatu illo, A.D. 1088 (quicquid ſit ante Nonas Aprilis 1089) Ducatum Conrado ablatum eidem traditum; Bulliônium cujus Godefridum *hæredem* vocat ad A.D. 1076 Albericus cum Baſeio, Genapia, Sathanaco, Moſaco, Godefridorum *Barbati* & *Gibboſi* poſt Gozelonem, de quo S. Huberti Ms. Chronicon, *allodia* fuiſſe putat, & ex chartis Godefridi *Barbati* A.D. 1069 Ind. 7. Idæ filiæ A.D. 1069 Ind. 4. & Godefridi Bullionii nepotis Anno Henrici 37 ſcriptis confirmat, ſed in poſtrema temporis nota hæc mendoſa eſt. *Acta Bullioni anno Dom. incarn.* 1093 *Indict.* 5, *anno regni Henrici* IV *Imp.* 37 *Imperii* 10, *pontificante Domno Filberto Trevirorum Archiepiſcopo*. legendum 1093 *Indict.* 2, &c. *Gilberto* vel *Engilberto*, &c. anno enim 1056 Octob. 5 Indict. 10 regnum inchoavit, cujus 37 annus in 1093 Octob. 4 Ind. 3 deſinebat; *Imperator* à Romanis A.D. 1084 Indict. 7 Mart. 31 die Paſchatis coronatus eſt, *annus Imperii* x 1093 Mart. 31 Ind. 2 inibat; *Filbertus* nullus Treviris ſedit, ſed *Engilbertus*, Vdoni A.D. 1079 ſuffectus, Brunoni locum A.D. 1101 fecit.

In tabella familiæ Lotharingicæ, quod Antonium Vadonis montis Comitem Antonium I Ducem, Fridericum Antonii filium Fridericum VI Ducem vocat, inſolentis væcordiæ eſt. ſe enim Antonius non *Ducem* ſed *Comitem*, *verum & indubitatum Ducatus hæredem* ab A.D. 1430 Ianu. 25 quô Carolus patruus deceſſerat, ad 1436 inſcripſit: alium ei titulum nec Sigiſmundus, nec Carolus VII, nec Philippus Burg. Dux, nec Baſilienſe Concilium, tribuunt. Pronepos ejus Antonius Dux nec ſe hujus nominis Ducem *ſecundum* dixit, nec alius ullus; ſi Chiffletium nihil ſe vereri profeſſum excipias, dicere auſus eſt. Fridericus Antonii filius ab alio nullo præterquam à Chiffletio p. 10.

 Fride-

Fridericus VI *Dux* audiit, *Ducalem* ipſe titulum nunquam affectavit; *ſextum* inter *Duces Fridericus* locum, vel Chiffletio ipſo judice, affectare non potuit; ſi enim *ſextus* fuit, unde *quintum* ſibi procuderit vitilitigator? Antonii enim parens ipſi, nec *Fridericus* V, nec V *Dux*, ſed tantum *Comes Guiſiæ & Vaudanimontis* audit, nec id ſine errato, quandoquidem *Guiſiæ Comitatum* ante A.D. 1483 Lotharingorum nemo poſſedit, aut poſſidere potuit, quem anno circiter 1180 à veterum Guiſiorum hærede in Avennenſem familiam tranſiiſſe, A.D. 1225 à Maria Avennenſium poſtrema in Caſtellionenſium familiam perlatum, anni 1360 Auguſto menſe Mariæ filiæ Ludovico I Andegavenſi pactæ à Carolo Britanniæ Ducatum vindicanti dotis titulo aſſignatum, A.D. 1417 Renato Regi Iſabellæ Lotharingicæ marito portionis hæreditariæ cum aliis nonnullis fundis nomine attributum, ac tandem poſt ejus & Caroli ex fratre nepotis mortem Renato II datum fuiſſe conſtat: en Chifflétianæ in *arcanis Regiis*, *genealogicis*, *politicis* inveſtigandis, quam ſibi injuria vindicat peritiæ ſpecimen. Sed nec inter Fridericos ex gente Lotharingica oriundos *ſextus* eſſe potuit, qui *ſextus* dicitur: habemus enim præter Duces quatuor Fridericos Caroli I majores, Fridericum Aurelianenſem Epiſcopum Theobaldi II, & Friderici alterius germanum, Fridericum Lunevillæ Comitem Rudolfi Ducis fratrem, & alium hujus de quo nunc agimus Avum, adeo ut is, ſi computentur omnes, non ſextum, ſed nonum poſt antecedentes alios locum occupare debeat.

Quid de Antonio ejus parente Antonius Abbizius ſenſerit, quid de eodem Cæſar Noſtradamus, Gerardus Hallianius retulerint, nihil ad cauſam, quid ille pro ſe dixerit, non quid ex verô dicere debuerit expreſſerunt; quam animoſe cum Renato pugnaverit, quam feliciter eum fuderit, Pio II Papæ & Engueranno Monſtreleto credimus, Chiffletio qui prælium A.D. 1431 *Iunii* 2 ad *Bulnevillam* commiſſum ſomniavit non credimus, cum ex Philippi *boni* Ducis judicio A.D. 1433 Febr. 13 Bruxellis ſcripto *die S. Magdalenæ* ſeu Iulii 22 Renatum profligatum fuiſſe conſtet; multo minus quod Haræus ex errore ſcripſit *Antonium Ducatum obtinuiſſe* admiſerimus. Quod Antonius *Lotharienſe ſcutum purum prætulit*, jure (utpote mas familiæ ſuæ poſtremus) fecit; ſi hac puri ſcuti geſtatione Ducalem apicem deſignatum Chiffletius putet, pari ratione ut Duni caſtri Vicecomitum, & Montacutiorum, & Campinelliorum ramos Drocarum Comitatum, Burgundiæ Ducatum, & Curtiniaci dynaſtiam devoluta dixeris, quod extincta primogenitorum ſuorum progenie, *pura abſque fractura ulla*, Drocenſium, Burgundorum, & Curtiniacenſium inſignia ſibi vindicaviſſe comperiantur. Renatum annis 1432, 33, 34, 35 à Sigiſmundo Imp. Burgundiæ Duce, Concilii Baſilienſis delegatis & Biturige fæciali conſtanter *Barri Ducem*, nulla adjecta Lotharingiæ mentione vocatum, cauſæ ejus nec officit, nec officere potuit. cum enim ab A.D. 1420 *Barri Dux* audivit, Lotharingiæ Dux proprie non fuerit, ſed Iſabellæ Ducis maritus, eaque de cauſa ubi titulos junxit, Barrum tanquam rem propriam *Lotharingiæ* adventitiæ & uxoriæ prætulerit; conſueto proprio & præcipuo non uxorio & ſecundario deſignari debuit; cum debuerit, *turris in qua Divione captivus detinebatur*, Turris Barrenſis, *& ſacellum quod in urbe illa dotavit in honorem S. Andreæ Apoſtoli* Capella *Barrenſis* veriſſime & maxime proprie dicta eſt; *ab ipſis Francis pro Duce Lotharingiæ legitimo non fuiſſe agni-*

tum

tum ex illa denominatione *convinci* qui putant, perinde inſaniunt ac qui Carolum Burgundici rami poſtremum Ducem ex eo quod *Burgundiæ Dux*, alio nullo titulo adjecto paſſim audiebat, Brabantiæ & Limburgi Ducem legitimum fuiſſe negaſſent olim, aut Philippum IV quia ubique *Hiſpaniæ Rex*, & à ſuis *il Ré* abſolute dicitur, Mediolani, aut Brabantiæ Ducem ab ipſis Hiſpanis totaque Europa negari hodie putarent: ubi à potiori denominatio fit, ſat denominato conſulitur; neque neceſſe eſt ubi de Principe quocunque verba fiunt, longum titulorum ejus ſyrma odioſe & ad auditorum tædium trahere. Sic Renatus ab annô 1420 ad 1436 quo cuſtodia Divionenſi eductus eſt, *Dux Barri*, poſt A.D. 1436 & vindicatum Neapolitanum regnum, ab Antonio antea æmulo, tunc vero concorde, non *Dux* (ut ante) ſed *Rex Siciliæ* abſolute (quaſi *Dux* ſive *Barri*, ſive Andium, ſive *Lotharingiæ* eſſe deſiiſſet) vocari cœpit; quis adeo ſtipes fuerit, ut *legitimum Barri Ducem agnoſci* non debuiſſe putet, ex quo Ducatus illius titulo paſſim omiſſo, Rex tantum nuncupatus eſt? Antonius ipſe qui Maria Albæmarlæ Comite Saboleii, Meduanæ, Firmitatis Bernardi, Ellebovii Dominâ ductâ, in Dominiorum illorum legitimam poſſeſſionem venerat, illorum titulis, propriis contentus, abſtinuit ſeque *Vadonis montis Comitem*, *Ruminiaci*, *Botuæ*, *Ionevillæ Dynaſtam*, *Campaniæ Seneſcallum* indigitavit. At ejus cum Renato comparati longe diverſa ratio eſt, cùm enim eum nec Concilium, nec Imperator, nec Carolus VII Rex, nec Burgundiæ Dux cujus armis & ope victor evaſerat, alio quam *Comitis* titulo dignati ſint, *Ducalem* ad quem anhelabat, hoc ipſo negarunt, & *pro Duce Lotharingiæ legitimo non fuiſſe agnoſcendum* teſtati ſunt.

Geneal. Loth p.201. p.214.

Anonymo qui de Nicolaæ Ducis cauſa egerat, & *terminatam latâ in favorem Renati adverſus Antonium ſententia fuiſſe* dixerat, Reſpondet Chiffletius *adductos auctores de cauſæ judicibus non convenire*, cum *nonnulli Concilium, alii Imperatorem fuiſſe velint*; ſed diverſitate illa nihil vero detrahitur, Imperator A.D. 1434 Febr. 26 ad diem S. Ambroſii proxime adfuturum ſeu April. 4. Baſileæ Antonio Comiti diem dixit, & Febr. 24 *ſalvum conductum* dedit; ſuum etiam Concilium Mart. 13 ſcribi juſſit; Aprilis 23 feria 6 comparuit & cauſam egit. April. 24 fer. 7 cum ejus procuratores *coram Imp. in ſolio & cathedra alta & inſigni, cum veſtibus & indumentis imperialibus, imperiali Majeſtati tempore recipiendorum homagiorum & aliorum actuum ſolemnium incumbentibus prout decebat, ac ad infra ſcripta & alia peragenda pro tribunali ſedente* ſe ſtitiſſent, *de recurrendo ad Deum, Papam, Concilium præſens, & alia futura, & Principes ſæculi, & de quærendo licita & honeſta ſecundum quod Deus ſibi monſtrabit, coram Imperatore proteſtans*; id ab eo reſponſum tulit *Cæſarea Majeſtas*, &c. *informationibus debitis, & requiſitis intervenientibus, de Principum ſuorum & aliorum peritiſſimorum Dominorum conſilio, decrevit Illuſtriſſimum Principem Dominum Ducem Barrenſem, quem poſſeſſorem reperit, de regalibus Ducatus Lotharingiæ inveſtire, ſine tamen præjudicio dicti Comitis Vaudemontis, ejuſque juribus ſemper ſalvis.* die vero *Martis* 27 *Aprilis* hæc Virdunenſi Capitulo à quo delegatus erat ſcripſit G. Cheney, *Dominus noſter metuendiſſimus Dom. Dux Barrenſis fuit honorifice per Dom. Imp. in regalibus Ducatus Lotharingiæ non obſtante Dom. Comite Vaudemontis receptus, propter quod Deo omnipotenti eſt regratiandum.* De facto igitur dubium nullum eſſe poteſt; cujus præter G. Cheney teſtis eſt omni exceptione major Pius II

 Papa

Papa Comment. lib.9. *Renatum Ducem gentis ab Imperio conſtitutum* ſcribens, & Richardus Waſſeburgius, Virdun. Archidiaconus lib.7 p.482 *litem coram Imperatore diſcuſſam*, ac *tandem Imperatorem cum Principibus Imperii Lotharingiæ Ducatum Renato Andegavenſi cauſa uxoris adjudicaviſſe, eumque ad Ducatus regalia magno cum triumpho & honore admiſſum* narrant; & Nicolaus Remigius libro de geſtis in Lotharingia poſt mortem Nicolai Ducis, *jure partium recte examinato declaratum Antonium Comitem in prætentionibus ſuis non admiſſibilem* notans. *deliraverit* quantum Chiffletio libuerit, & *Waſſeburgio impoſuerit* lib.1 de Repub. c.9 Bodinus, in Concilio Conſtantienſi à Friderico cum Renato litigatum putans, *quia Concilium Conſtantienſe inchoatum eſt Anno* 1414 *finitum* 1418. *quô tempore ſuperſtes erat Carolus* I *Dux Lotharingiæ ad annum uſque* 1430, *à cujus obitu duntaxat cœpit lis de ſucceſſione Ducatus inter Renatum ejus generum, & Antonium Vaudemontanum* (*non Fridericum*) *ejus ex fratre nepotem*; gemina illa hallucinatio nihil eorum quæ jam quadruplici teſtimonio munivimus convellit.

Ne inconvulſa maneant, *plene inveſtitum* Renatum negat Chiffletius, quia *ſine præjudicio Antonii, ejuſque juribus ſemper ſalvis* inveſtiendum pronunciavit Imp. quaſi vero adverſus *proteſtantem* aliter agi potuerit, aut conſueverit, aut id jus aliquod vel Antonio tribuat, vel Renato adimat, qui vident Regum noſtrorum diplomata, hoc fere ſemper fine claudi, *ſalvo jure noſtro & in omnibus alieno*. an ſecum ſtatuent, iis nihil *plene decerni?* ſi vero ſtatuant, an ſani reputabuntur? Sed rationes ejus audiamus: quia Ducatus Lotharingiæ cum eſſet Imperialis, ad fœminam plene tranſmitti non poterat niſi ex privilegio, quod tunc locum non habebat, cum agebatur de jure tertii, qui natalium & Imperii jure nixus lite contendebat adverſus mulierem. Reſp. Lotharingiæ Ducatum cum Imperii Romani proprie dicti quo Sigiſmundus carebat; & Germanici quod nihil ad Rheni lævam præter Moguntinam, Spirenſem, & Vormacienſem diœceſes complexum eſt non fuerit; ſed *regni Lotharingici*, Germanico ab A.D. 926 adjuncti & Sigiſmundo ex parte ſubditi, *Imperialem* niſi æquivoce & improprie admodum dici potuiſſe; *ad fœminam*, ex quo hæreditarius factus eſt, & in dominium verſus tranſire potuit, prout ex Friderici III Ducis Charta aliiſque monumentis liquet, quibus Antonium nulla ſive *natalium*, ſive *Imperii adverſus Iſabellam* propinquam *jure nixum* fuiſſe conficitur. nec *ad priorem & antiquiorem inveſtituram*, quod Chiffletius urget recurrendum fuit, ex quô Ducatus natura mutata eſt, & *præfectura militaris* fœminas excludens, ut patrimoniale dominium poſt excluſas A.D. 1033 à Conrado non *ſecundo* ſed *primo* hujus nominis *Imperatore* Friderici II filias fieret, eſſe in perpetuum deſiit.

Quod Chiffletius addit, ex inveſtitura cum interpoſita conditione Renati poſſeſſionem validam eſſe non potuiſſe, tam falſum eſt, quam ſequentia ab eo inepte conficta fuere, Renatum *durante diſſidio Cæſareum diploma nunquam in publicum emiſiſſe, nec ullibi terrarum poſtea viſum aut editum eſſe, nec forte ſcripto unquam conſignatum & ſigillo munitum*. unde enim ei conſtat *nunquam durante diſſidio in publicum emiſſum, nullibi poſtea viſum, nunquam forte ſcriptum, aut ſigillo munitum*; quod temere impugnat diploma? an credibile putat G: Cheney eorum quæ Baſileæ fiebant teſtem oculatum adeo deſipuiſſe, ut *propter receptum honorifice in Lotharingia, Ducatus regalibus ab*

Impe-

Imperatore Renatum *Deo omnipotenti regratiandum* duceret, ſi revera receptus non erat? An de nihilo quaſi in ſummi Numinis ludibrium, gratiæ in Eccleſia publice agendæ fuerunt? An adeo ſtipes erat Renatus, ut in ſuæ inveſtituræ ſolenni, quicquam deeſſe ſineret? An Imperator adeo ſui & propinqui coram tribunali ſuo ſe ſiſtentis negligens fuerit, ut ſciens prudens decreta ſua robore debito deſtitueret? an denique veri ſimile eſt, Antonii proteſtationem ſcriptis mandatam, Sigiſmundi acta contra morem, nec *ſcripta*, nec *ſigillo munita* fuiſſe? quanto probabilius & *ſcripta* & *ſigillo munita*, & quorum intererat manibus trita, & poſt annum 1625 mala fide ne injuriæ Nicolaæ Duci factæ revincendæ idonea inſtrumenta exſtarent, ab ipſis injuriæ auctoribus abolita fuiſſe?

Ex inſtrumento pacis Attrebatenſis A.D. 1435 Septemb. 21 feria 4 ſcripto, in quo Renatus quater *Dux Andegavenſis & Barrenſis*, nunquam *Lotharingiæ* à Philippo Burgundiæ Duce patruele, & Caroli VII Regis ſororii delegatis vocatur, eum *non plene* anno præcedente *inveſtitum* ridicule colligit Chiffletius, nec advertit ab ipſo Guillelmo Chenay qui *non obſtante* Antonio *inveſtitum* Lotharingici Ducatus legitimum poſſeſſorem ac verum Ducem agnitum, eoque nomine *regratiandum* mandabat, *Dominum ſuum metuendiſſimum Ducem* non *Lotharingiæ*, ſed *Barrenſem* tantum vocatum fuiſſe, quia ſuo jure ab A.D. 1420 *Barri*, uxorio tantum non ſuo *Lotharingiæ Dux* erat; ſi tituli *Lotharingici*, qui uxoris non mariti proprius erat, ubi de marito verba facere oportuit, omittendi A.D. 1434 juſta cauſa fuit, quidni anno ſequente quo Andegavenſi Ducatu per Ludovici germani mortem auctus erat, ejuſdem prætereundi cauſa juſta fuerit? jam tum à Neapolitanis Rex ſalutatus erat, nec tamen in pacis Atrebatenſis inſtrumento *Rex* eorum audit, ſed *Dux* tantum Andegavorum & Barrenſium, Antonio ne æmulo, qui eum *Siciliæ Regem* ante concordiam vocare non dubitavit, æquiore uſus fuerit, quam Rege Carolo ſororis marito, ejuſque delegatis, qui *Regium* ejus titulum alio intenti omiſerunt? quem tantarum nugarum non pudeat?

Tertius Chiffletii in Renati *inveſtituram* impetus in turpem calumniam deſinit, quâ Sigiſmundum Imp. Regis ſui atavum immeritum infamans, ſe *nil* prorſus *vereri* docet. *inveſtitura illa talis qualis* (inquit) *à Sigiſmundo Imp. præter jus & rationem decreta eſt, ex odio quod habebat adverſus Philippum Burgundiæ Ducem Antonii Vaudemontani fœderatum ac defenſorem*; audimus convitium; unde vero convitio fides? ſuam *acerbitatem diſſimulare non potuit in publico Baſilienſi conſeſſu, die Sabbati* 8 *Maji anni* 1434. *ubi Patribus in templo prædicatorum congregatis nuncians abitum ſuum*, dixit multa de Domino Duce Burgundiæ, & ſpecialiter quod nimis altè volebat volare, dans verſiculum, ô fili chare noli nimis alte volare, *&c.* Atqui ex his verbis merum Burgundi amorem & paternum affectum ſpirantibus, non *odium* Burgundi, ſed caritatem in lædentem tantum exprimere, læſumque amorem iraſci debuiſſe colligere licet. Pergit Chiffletius, *equidem pro indubitato illius ſimultatis teſtimonio refert Dinterus ſequenti Iunio, Sigiſmundum Vlmæ cum Legatis Regis Franciæ fœdus pepigiſſe contra Philippum Ducem Burgundiæ, ad quem provocatorios miſit Codicillos, & è contrario Philippum ad Principes Imperii circulares dediſſe epiſtolas, quibus de Imp. conquerebatur*, quod ſibi bellum injuſte nunciaret, quædam de dominiis noſtris (*ajebat Dux Philippus*) in inferioribus

[Margin notes: p. 15. — ex Actis Concilii. — lib. 3. c. 143 & ſeq.]

bus partibus Alemaniæ Imperio fore devoluta prætendens; ut alias declaravit ipſa dominia mortuæ manus affecta ſervituti, & cum ad ea non ſuccedant fœminæ, in maſculorum ſuccedentium defectu devolutionem noviter ſibi locum vindicare, *&c.* re enim vera Brabantiæ & Limburgi Ducatus A.D. 1430, Hannoniam, Hollandiam, Zelandiam in propinquos durior A.D. 1433 invaſerat, Namurcum anno 1421 ſibi Sigiſmundo ſpreto comparaverat: in Franciæ viſceribus cum Anglis conjuratus bellum internecinum alebat, nulliſque ſe pacis conditionibus, à Sigiſmundo aliiſque propoſitis, deliniri ſinebat. Cum igitur nec ſui, nec æqui rationem haberi merito Sigiſmundus indignaretur, cum Carolo VII à Burgundo propinquo animoſius exagitato, quæ ſui juris putabat vindicaturus fœdus percuſſit, & Burgundum ad circulares epiſtolas ſcribendas compulit: ſed quid hoc ad inveſtituram Antonio denegatam, quid commune habent Antonii adverſus Renatum actio, & Burgundi in Sigiſmundum demerita, ut horum occaſione illi quæ ſua credebat repoſcenti iniquior eſſet? Burgundum *Antonii fœderatum ac defenſorem* fuiſſe vult Chiffletius, nec nos Antonium ad Burgundum Heſdini degentem perfugiſſe, Burgundiæ Mareſcallo à Burgundo in mandatis datum arma ſociaret, ejuſque ope A.D. 1431 Iul. 22 præclaram victoriam reportatam fuiſſe negamus; ſed Burgundum qui victoriæ illius fructum ſibi retinuit, malè de Antonio meritum fuiſſe contendimus, qui exinde de eo graviter queſtus eſt, prout ex inſtrumento anno circiter 1436 ſcripto & nuper edito conſtat. Cum igitur melius Burgundo cum Antonio, quam cum Sigiſmundo non convenerit, annon ridiculum eſt *ejus odio* Sigiſmundum Antonio iniquiorem fuiſſe cum Chiffletio confingere? *Ex* his tamen *nullo modo elucere* vult, *quomodo ſtare poſſit, Sigiſmundum menſe Aprili anni* 1434 *Renato, ut Iſabellæ marito, dediſſe plenam & abſolutam feudi Lotharingici Imperialis, ac proinde maſculini inveſtituram: eundemque Cæſarem ſubſequenti ſtatim menſe Iunio obtendiſſe devolutionem dominiorum Ducis Burgundiæ, quæ ex Imperii lege tranſcribi ad fœminas non poſſe contendebat.* ego vero vel invito Chiffletio quod eluxiſſe negat eluxiſſe, imo ſibi hoc in loco fœde contradixiſſe extorquebo; cum enim *fœminas ex Imperatorum gratia feudorum poſſeſſionem nanciſci* p. 5 fateatur, ejuſdemque ſit vel jure ſuo uti, vel id quandocunque libet remittere, quidni potuerit Sigiſmundus erga Iſabellam Renati uxorem remiſſiorem, erga Burgundum inſoleſcentem rigidiorem in ejuſdem generis cauſa ſemet exhibere? deinde ſi quod Sigiſmundi malignus criminator, temere contendit, Renatum *cum interpoſita conditione* quæ jura Antonio ſua ſervaret, *inveſtivit*, ſi quod p. 13 conjicit, *diploma* in ejus favorem *nunquam ſcripſit*, quid *ex odio* adverſus Antonium, cui nihil ablatum voluit, imo cui expreſſe cavit, *præter jus & rationem*, quod rurſus idem p. 15 mentitur decreviſſe dici poteſt?

Geneal. Loth. p. 202.

Tom. 2. lib. 5. c. 95. Cum Baſilienſis *Concilii Patres de lite Lotharienſi* in Renati favorem *dijudicaſſe ſuppoſuiſſet Belleforeſtius*, idemque *ad cauſæ cognitionem haud plene inſtructos fuiſſe, ad id ſolum attendentes quod filia patri proximior eſſet, quam frater aut nepos patris; haud perpendiſſe Ducatum Lotharingiæ Salicum eſſe, & ad Vaudemontium pertinere*, ut falſo ſic inconſiderate admodum ſcripſiſſet; hominis ὁμοψήφου ingenuitatem ferre faſtidioſus rixator non potuit: *patres* (inquit) *Concilii judicium in Renati favorem tuliſſe, nullo modô quadrat cum iis*

p. 11.

quæ narrantur à Waſſeburgio. Quî tandem ? *Rectores civitatis Virdunenſis ab eo Concilio Sacrorum interdictione mulctati, anno* 1348 *ad Eugenium Papam* lib. 3. p. 489. *vel ad Ferrarienſe Concilium provocarunt, adducentes declarationem fuiſſe factam à Renato Siciliæ Rege quod ipſe nollet obtemperare Concilio Baſilienſi, ſed Ferrarienſi.* quîd hoc ad rem ? *claro indicio eſt* (inquit Chiffletius) *Baſilienſem Synodum de Lotharienſi cauſa in Renati favorem nihil decreviſſe.* Imo *claro indicio* eſt, Chiffletium neque quid velit, neque quid dicat noſſe. Belleforeſtius Concilium pro Renato anno 1434 pronuntiaſſe voluerat, anno 1435 tantiſperdum Divione detinebatur, Iſabella uxor Eugenii IV Papæ ope ſubnixa Neapolim Octob. 18 appulit, & ad clavum ſola ſedit ad annum uſque 1438 quo à Papa inveſtitus, cum eo, Venetis & Florentinis fœdus percuſſit, & Maji 19 Neapolim introiit, eodem anno Sept. 18 Concilium Baſilea Ferrariam cum tranſtuliſſet, nec aſſentirentur Baſileæ congregati, Eugenii fœderati & benefici patroni partes ſecutus eſt, & ſuis ſequendas imperavit, Virdunenſes ea de cauſa ſacrorum interdictione mulctati ad Concilium Ferrariæ primum indictum provocarunt, cui interfuere ex Renati ditione Petrus Dinienſis, Antonius Graſſenſis, Ægidius Barrenſis, Petrus Caballicenſis, Hieronymus Montis regalis, Nicolaus Tricaricenſis, Guillelmus Andegavenſis. Nemo autem non videt hæc inter ſe optime convenire, ut Concilium Baſilienſe Eugenio conſors Renato faverit, qui quadriennio poſt in Eugenii partes inclinaverit. Inſtat Chiffletius, *ſi quippiam gratioſe* Concilium Tom. 3. Conſt. Imper. *ſanxiſſet, id omne pro irrito fuiſſet habitum, edicto ipſius Sigiſmundi Cæſaris adverſus Patres publicato Vlmæ in Comitiis anni* 1434 *die* 28 *menſis Iulii*, de incompetentia Concilii Baſilienſis in judicandis cauſis Principum Imperii ad Sacram Cameram pertinentibus, *&c.* Sed ἀπροσδιόνυσον eſt & ludicra decreti Vlmenſis allegatio: cum enim idipſum quod Sigiſmundo placuerat, Concilium eo præſente judicaſſe dicatur, *pro irrito haberi* minime potuit; cum Chiffletio tamen facile crediderim *nihil* ab eo *de lite Lotharingica decretum, in cujus Actis diurnis* (*quæ manuſcripta extant quatuor voluminibus*) *nulla Lotharingiæ mentio.*

Nonnulla nunc leviora caſtiganda ſunt. 1 quod *Philippus Burgundiæ Dux vere Bonus* fuerit. ut ut enim ſubditi *verè Bonum* ſenſerint, & patre longè meliorem, Renato & propinquis parum ſe *Boni* titulo dignum exhibuit.

Ioannes Iſabellæ Bohemiæ Reginæ maritus.

Carolus IV Imper. Elizabethæ Pomeran. maritus. — Bona Ioannis Francorum Regis uxor 1.

Sigiſmundus Imper. qui Philippo Bono, A. D. 1434 ſuccenſens eum *filium* vocavit. — Carolus V Ioannæ Borboniæ maritus. — Ludovicus I Andegavenſis Mariæ Britann. maritus. — Philippus Burgundiæ Dux Margaretæ Flandricæ maritus.

Carolus VI Iſabelle Bavaricæ maritus. — Ludovicus II Yolendis Aragon. maritus. — Ioannes Margaretæ Bavar. marit. — Antonius Brabantiæ Dux Ioannæ Lucemburg. maritus. — Margareta Guilelmi Hannon. uxor. — Philippus Nivern. Antonio fratri ſuffectus Bone Attrebat. maritus.

Carolus VII quem ab A. D. 1417, ad 1435. exagitavit Philippus. — Maria. — Renatus quem ab an. 1431 ad 1437 ſub cuſtodia Philippus tenuit. — Philippus Bonus Bonæ Attreb. marit. 2. — Ioannes, A. D. 1426 denat. — Philippus, A. D. 1430 denat. — Iacoba à Philippo Bono an. 1434 exauctorata. — Carolus & Ioannes Philippi *Boni* privigni hæreditate Brab. ab eo ſpoliati.

2 Phi-

2 Philippus *Bonus* A.D. 1436 *ad procurandam Lotharingiæ pacem propoſuit conjugium Yolandæ Renati & Iſabellæ filiæ, cum Friderico Antonii filio.* Contigit id A.D. 1432, vel ut nunc à Kal. Ianuariis computamus 1433, Febr. 13, prout ex inſtrumento Bruxellis tunc ſcripto conſtat, in quo ſuo, uxoris, & ſocrus nomine Renatus paciſcitur. Ea decumbens A.D. 1434 Auguſti 24 feria 3, teſtamentum condidit, pauciſque poſt diebus deceſſit. at Chiffletius eam biennio poſt mortem pacto Bruxellenſi comprehenſam fingit. 3 *Accepta Renati fide, conceptiſque de futuro ſponſalibus* anno 1437 *Renatum idcirco ſolvit, ut Neapolim proficiſci poſſet, ſub conditione tamen ut utrumque filium ſuum datæ fidei obſidem traderet; quod ab æquali ſcriptore Georgio Caſtellano reperi adnotatum in hiſt. Mʳ. Ducis Philippi.* Reſp. *ſponſalia* A.D. 1433 circa feſtum S. Ioannis Bapt. concipi debere convenerat, annô demum 1436, ideſt ut nunc numeramus, 1437, Feb.4 libertati reſtitutus Renatus pacta rata habuit, anno 1438 Maji 19 Neapolim ingreſſus: quod autem *obſides* dare coactus eſt, *bonum* Burgundum non expertum fuiſſe indicat. 4 *Renatum à Caſtellano tunc vivente* Ducem Barri *duntaxat nuncupatum, non etiam* Lotharingiæ *advertendum* eſt. Reſp. *advertendum* certe; ſed alio, quam Chiffletins velit, modo ac fine; *Renatum Ducem Barrenſem* fratri Ludovico anno 1434 *ſuccedere debuiſſe* ſcripſit Caſtellanus, quia Anno 1434 nullum alium ſuo jure Ducatum poſſidebat præter *Barrenſem*, Lotharingicum nec dixit, nec dicere debuit, quia Lothatingiæ Iſabellæ uxoris propriæ, jure tantum mariti præſidebat: ſed poſt annum 1434, jure proprio Andegavorum & Barri Dux fuit Renatus, nec tamen conſuetum ejus titulum, quia primitivus & notiſſimus erat, mutavit Caſtellanus, qui eum ad regnum evectum & p. 16. Duce majorem noverat. Quæ Chiffletius ſubjicit, nec omni ex parte vera ſunt, nec Lotharingicæ genti honorifica, nec ad rem faciunt, imo Chiffletianam hypotheſim ſubvertunt. unde quæſo *tempus promiſſi connubii ſenſim dilapſum, Renatum agentem Neapoli nuptias procraſtinaſſe* habet Chiffletius? an tempus ullum præfixum fuerat, intra quod Yolendis pactorum tempore quintum ætatis annum agens nuberet? deſponſari poſt quartum à pactis menſem debuit, & Antonio ſocero futuro tradi; cujus culpa tradita non ſit, quis in præſens dicat? quis Renatum facile non excuſet, ſi abſens & difficili bello adverſus Alfonſum Aragonium implicitus, & auro exhauſtus, de celebrando filiæ nondum nubilis matrimonio protinus non cogitavit? parum honorificum eſt, quod ex Mejero, lib.17. A.D. 1440 de Antonio notatur, *Mirecurtem occupavit, crudeliter evaſtata terra Lotharingica*, Barrenſiſque ſacris juxta ac prophanis vis illata; nulli ordini, nulli ætati Valdumontius pepercit. Ad rem non facit, quod Antonius per Guillelmum Filatre Abbatem S. Theodorici Rhemenſis, de cognationis lege ſolutionem à Pontifice obtinuit, & indignabundus arma ſumpſit & ſtragem fecit, quod Renatus procraſtinaſſe dicitur. fac enim ſingula iſta extra omnis dubii aleam eſſe, quis inde mentis compos concludat Lotharingiam *feudum maſculinum* eſſe? Chiffletii hypotheſin evertit, ſi enim Antonius ob dilatum Yolendis matrimonium arma corripuit, quis eum non *pro jure quod in Lotharingiam habebat*, ſed pro eô quod per Yolendim filio quærebat, & integræ penſionis quæ ei poſt matrimonium conſummatum perſolvi Bruxellenſis pacti vi debebat, bellum redintegraſſe neget? nota Lector pacti jam dicti verba, *à die deſponſationis decurrere incipiet*

cipiet dimidia aſſignatæ ſummæ penſio, à die vero celebrationis dicti matrimonii, ac porro in futurum penſio plenum & integrum curſum tenebit. Cui credibile fiat eum quem Ducatus ſucceſſio contingat, modica penſione, eaque non in compenſationem erepti juris oblata, ſed dotis titulo attributa, contentum futurum fuiſſe? Poſtquam de Antonio multa Chiffletius deliravit, Fridericum Yolendis maritum eodem, ſed æque infelici impetu aggreditur, ac 1 Yolendim ei anno 1444 quem ejus ſolenni nuptiali Sammarthani fratres aſſignant, junctam fuiſſe vult. ſed eam refellunt pacti Rhemis A.D. 1440 *Mart.* 17 *ante Paſcha*, ideſt 1441 prout nunc numeramus ſcripti diſerta verba. *ut in poſterum ipſe* (Antonius) *hæredes, & jus habentes in pace, ſincero amore ac dilectione cum Rege ac Regina Siciliæ, quorum propinquus eſt, eorum hæredibus & cauſam habentibus degere poſſint ac debeant, omniſque querelæ cauſa facto & jure deſinat ac deſinere debeat, quodque Dominus Fridericus à Lotharingia dicti Comitis primogenitus, Yolendim dictorum Regis ac Reginæ primogenitam duxerit, ei dabuntur*, &.c Anno ergo 1440 vel 1441 ineunte nupta & in viri domum ducta fuerat Yolendis. 2 teſtem Waſſeburgium advocat, qui fol. 494 ſcripſit Yolendis conjugio *omnem propinquitatem, quæ acerbo prius odio diviſa fuerat, mutuam rediviſſe in gratiam.* aliud ex pactis Rhemenſibus jam laudatis conſtat. ſed demus quod falſi illa coarguunt in dubium revocari non poſſe, cum conjugium illud Antonio Lotharingiam nequaquam adjudicaverit, quis non videt Waſſeburgii verba Chiffletii jugulum recta petere, & quicquid de Antonii & Friderici filii jure ſtatuit abſolute refigere? 3 Teſtimonii ex Stephani Paſchaſii lib.6 c.28 petiti par ratio, quod ſibi Antonius arrogaverit, quoque fine Yolendis Friderico pacta ſit refert: cum autem Antonium ſibi Lotharingiam vindicaſſe, Yolendis matrimonium hoc fine propoſitum fuiſſe, ut pacis vinculum eſſet, non ut Lotharingiæ Ducatu Renati uxor cederet, confiteantur omnes, nihil in Paſchaſio prorſus eſſe quod Chiffletiano errori cujus fundamenta convellit, favere poſſe jure videatur. 4 Cum Paſchaſius *matrimonium Yolendis Renato extortum*, eumque *de alis genero circumcidendis cogitaſſe* ſcripſiſſet, hæc avide accipit criminator, Sammarthanis fratribus alia quaſi ex eorum lib.11 c.7 affingit, quæ in toto eorum opere non reperio, *Renato Lotharingiæ poſſeſſionem quietam nullo modo reliquiſſet, neque juri ſuo armis proſequendo defuiſſet unquam* Antonius, huic *divinam juſtitiam adeo faviſſe, ut Renatus alieni uſurpator, exacto in vinculis ſexennio, mutatoque naturæ ordine funeribus natorum ſuperſtes fuerit, quibus contra jus faſque dominationem adſcripſerat. Renatum ratione uxoris, filios ex parte matris, nullum in Lotharingiam jus habuiſſe, id totum penes Antonium inique expulſum, cum jus non amittatur non uſu, quando non datur facultas uſus, manſiſſe* tam impudenter quam mendaciter blaterat; nam nec Renatus, nec filii *uſurpatoris*, nec Antonius (qui nunquam poſſedit, ſed non ſua invadere fruſtra conatus eſt) *inique expulſus*, nec *divina juſtitia* Antonio qui jure non agebat adverſus Renatum (ut ut is filiis & nepotibus ſupervixerit) *favit.* Antonius enim anno 1448, Fridericus ejus primogenitus anno 1470 deceſſit, & Ioannem Ducem ſororium cujus Vicariatu fungebatur ſuperſtitem reliquit, in Nicolaum filium hæreditatem maternam transfudit anno 1470 Decemb.16 moriens Ioannes; Nicolai A.D. 1473 Iulii 24 denati hæreditatem crevit Yolendis amita, nec alio quam maternæ ceſſionis eodem anno Auguſti 2 fa-

Geneal. Loth. p.210.

Loth. maſc. p.16.

Gen. Loth. p.214.

 ctæ ti-

ctæ titulo *Lotharingiæ Dux*, Antonii Comitis & Renati Regis nepos Renatus II fuit: eos vero gnaviter impudentes eſſe oportet, qui *penes Antonium* ſponte, ſuo ſuorumque nomine quæcunque anno 1430 invaſerat, anno 1441 ejurantem, *jus* ullum vel fuiſſe unquam, vel *manſiſſe* dixerint. hæc enim expreſſa pacti inter Antonium & Ioannem Renati filium Rhemis coram Ca-
p. 214. rolo VII Rege initi verba ſunt; *Dominus Comes promittet pro ſe & hæredibus quos renunciavit, univerſo juri, actioni & querelæ, quæ de facto, jure, conſuetudine, in proprietate, jure & dominio Ducatus & Marchionatus Lotharingiæ & pertinentiarum ejus, ſe habere dicit ac prætendit.* & infra, *non obſtante renunciatione illa Lotharingici Ducatus quæ à dicto Comite fiet, ſi (quod Deus nolit) Reginam Siciliæ hæredeſque ejus mares ac fœminas ſine hærede, ex eorum corpore exeunte ac deſcendente vita excedere contingat*, hoc caſu *dictus Dom. Comes tanquam legitimus, & ad viâ juris & alias debite ſuccedendum habilis, ad tale quale in eo habere potuerit & debuerit jus veniet.* ex illo verô tempore adverſus Iſabellam & poſteros, nec Antonius, nec Antonii filiorum ullus, quicquam, ſive facto, ſive verbo movit. Annon Chiffletii, iis quod volentes abjecerant, vel invitis obtrudentis projectam nequitiam eſſe oportet?

5 Georgii Caſtellani Antonium non *Ducem* (quod gratis fingit) ſed *Co-*
Loth. maſc. p. 17. *mitem hæreditatis ſuæ cauſa* bellum adverſus Renatum tentaſſe, *& ad felicem exitum litem ſuam per conjugium Friderici filii, cum Yolende Renati filia perduxiſſe* ſcribentis in alienum ſenſum (perinde ac ſi *Humano capiti cervicem pictor equinam jungere velit*) maligne, ridicule tamen, hac lacinia male aſſuta, detorquet, *ita ut Fridericus in Majorum hæreditatem, quæ à Renato injuſte occupata fuerat, denuo ſit ingreſſus.* Cum enim nihil aliud conjugio Friderici, qui nunquam Lotharingiæ Ducatum tenuit, Antonius obtinuerit, quam ut poſt Iſabellam & liberos eorumque poſteros omnes inter hæredes ejus computaretur, abſurde quod nunquam factum eſt, denuo factum finxit; falſo etiam *litem conjugio* illo *ad exitum perductam*, quicquid in contrarium Caſtellanus ſcripſerit, falſum fuiſſe inde conſtare poteſt, quod poſt *conjugium* durante *lite* partes ad pacta Rhemenſia devenire neceſſitas coëgit, quorum ſi *felix exitus* fuit, Iſabellæ & liberis *felicitas* illa (quanta quanta eſt) ceſſit.

6 Cæſaris Noſtradami cujus ſtupendam ἀκερσίαν nemo ignorat, teſtimo-
parte 6. A.D. 1447. nio urgeri nolo. Fridericus ut ut *à legitimis Ducibus directa linea ortus*, *jus* nullum niſi poſt Iſabellam & liberos *habuit*, Ducum *domus regalis* non fuit, Renatus *ſe in hæredem*, nec & movendum *vindicavit*, ſed quicquid *vindicavit*, Iſabellæ & liberis *vindicandum* putavit. 7 jure Fridericus Yolendis maritus, A.D. 1454 quo Iſabella Febr. 27 deceſſit, *in ſacello equitum Lunæ creſcentis* apud S. Mauricium Andegavenſem tabellam XVI, cum hac inſcriptione, *Fridericus Senator ordinis anno* 1454, & *puro ſcuto Lotharingico* appendit. ſupererat enim cum Henrico & Ioanne fratribus poſtgenitis Lotharingici ſanguinis Princeps, nec id in controverſiam venire potuit, aut probandum ſuſcipere debuit Chiffletius. *Ducem* fuiſſe contendit: fateor, ſed hîc aqua ei hæret, cum ſe Ducem nunquam inſcripſerit, nunquam à coætaneo ullo inſcriptus fuerit, in aula *Ducis* ſororii (cui ad mortem uſque militavit) aſſiduus vixerit Fridericus. 8 Renati ſcutum in eodem ſacello ordine 13 cum hac inſcriptione, *Primus Senator anno* 1443 extare, & in vetuſto codice membraneo apud Sammarthanos depictum, addita inſcriptione, *Renatus Rex Hieruſalem & Si-*

& Siciliæ, *Dux Andegavenſis & Barrenſis*, *Comes Provinciæ*, *Senator* 1449
prætermiſſo plane Ducis Lotharingiæ titulo, cum ratio in promptu ſit, non dubito. Ducatus & dominia ipſi *propria* exhibet inſcriptio, in ea Lotharingico *uxorio* locus nec fuit,nec eſſe debuit. tria tamen neganda veniunt,ſcuto Renati in ſacello Andegavenſi appenſo, & in membrana Sammarthanorum depicta ſymbolum Lotharingicum Hungarico, Andegavenſi lineæ ſecundæ, (quod *Siculum* perperam vocat Chiffletius) Hieroſolymitano Andegavenſi lineæ tertiæ, & Barrenſi adjunctum extare, aut apponi jure potuiſſe. perinde enim fuiſſet ac ſi Ludovicus XII & Franciſcus I ſcuto Francicum ſymbolum, Philippus Burg. Dux *Audax* dictus, Burgundico Flandricum, Maximilianus I Imp. Auſtriaco Burgundicum, Philippus II Anglicum, appoſuiſſet: quô quid abſurdius, & Chiffletio qui inter ſcientiæ Heraldicæ peritos audire vult, indignius ſomniari poteſt? adeat (ſi placet) Sammarthanorum qui Renati inſignia hiſtoriæ ſuæ genealogicæ cœlo delineata inſeruerunt, codicem membraneum, & ſacellum Andegavenſe, ad utrumque, imo ad ipſummet ubi veternum excuſſerit, provocamus. 2 Renatum *ſi plene de Lotharingiæ Ducatu, inveſtitus fuiſſet*, *Lotharienſem teſſeram honoratiori laterculo* (quaſi Hungaricæ, Andegavenſi ſecundæ, & Hieroſolymitanæ præcelleret) *collocaturum* fuiſſe: id enim vel cogitare ſine quadam mentis vertigine peritus rerum nemo poſſit. 3 *Lotharingiæ Ducem illo locô palam ſe inſcripturum* fuiſſe, Gen. Loth. p. 209. & 233.
contrarium enim fecit. Diploma A.D. 1437 Inſulis Febr. 3 & 4 ſcriptis, cujus hic titulus, *Renatus Dei gratia Rex Hieroſolymorum & Siciliæ*, *Dux Andegavorum*, *Barri & Lotharingiæ*, *Pontis Marchio*, &c. Carolus VII in diplomate Rhemis A.D. 1441 Mart. 27 dato, *Barrum* Lotharingiæ quater prætulit: p. 230.
Ioannes Renati filius A.D. 1464 Novemb. 22 *ſe Calabriæ*, *& Lotharingiæ Ducem* Marchionem Nanceji inſcripſit, Ioannes Martini S. Deodati Canonicus, publicus Apoſtolica & Imperiali auctoritate Notarius, in inſtrumento Spinalenſium rogatu Spinalii A. D. 1444 Ind. 7 Sept. 15 ſcripto, Renatum imitatus eſt. Ioannis Ducis veſtigia exinde alii *Lotharingiæ Duces*, Friderici Comitis & Yolendis poſt Nicolai obitum Ducis poſteri veſtigia certatim preſſerunt, & uſque nunc premunt, unoque (ut ſic dicam) ore Chiffletium craſſi erroris damnant.

Vbi mendaciſſimo Boullayo ſe circumducendum tradens Chiffletius, in Geneal. Loth.
hæc ejus verba protulit, *Yolendis* Friderici *vidua nullo alio uſa eſt titulô*, *quam* Duciſſæ Barrenſis, *ex Renati parentis facultate*; *qui vivebat adhuc in Provincia*, ex cerebro inconſiderate falſo ſecum pugnans addit. *non igitur illius cauſa Fridericus Lotharingiam poſſederat*; *quandoquidem poſt conjugis obitum eô titulô non eſt uſa.* Atqui Boullayum audacter pro more mentitum Gen. Loth. p. 237.
fuiſſe clarum eſt; nam 1 Yolendis ab Anno 1473 Iulii 24 ad 1480 Iulii 10, Duciſſam ſe Lotharingiæ conſtanter inſcripſit, & aliis audiit. *Noverint* (inquit) *univerſi præſentes & futuri*, *quod Celſiſſima*, *potentiſſima*, *& excellentiſſima Princeps*, *Domina Yolendis de Andegavia*, *primogenita filia Regis Hieroſolymorum*, *Siciliæ*, *Aragoniæ*, &c. *Dux Lotharingiæ*, *Comes Vadonis Montis*, *Haricuriæ*, &c. *Actum & tranſactum Vezeliſæ*, *2 Auguſti annô gratiæ* p. 234.
1473. *Signatum Yolendis*, *Renatus*, &c. *Cum* (inquit Renatus) *Ducatus ille* (Barrenſis) *poſt deceſſum noſtrum cariſſimæ & dilectiſſimæ filiæ noſtræ primogenitæ Yolendi Duci Lotharingiæ*, *ejuſque cauſa*, *cariſſimo & dilectiſſimo filio noſtro*

p. 196. *Duci Lotharingiæ filio ejus unico & hæredi obvenire, ſecundum naturæ curſum*
integre debeat,&c. *Datum in civitate noſtra Aquenſi die Novemb.* 15 *anno gratiæ Domini noſtri* 1479. Idem in Teſtamento, *Item donat & legat dictus Dominus cariſſimæ ſuæ & dilectiſſimæ filiæ, Dominæ Yolendi impræſentiarum Lotharingiæ Duci pro ſuo inſtitutionis jure mille aureorum ſummam*, &c. A. D.
1474 *die* 22 *menſis Iulii.* Excerptum ex Archivo Nanceiano, *Contractus ma-*
p. 238. *trimonii inter Celſum ac potentem Principem Dominum Carolum ab Andegavia, Cenomanorum, Guiſiæ, & Moritonii Comitem*, &c. *& Domicellam Ioannam à Lotharingia, Celſæ ac potentis Principis Dominæ Yolendis ab Andegavia Lotharingiæ Ducis*, &c. *Trecis coram Petro Drevotio, & Ioanne Gaufrido, Ianuar.* 21, *anni* 1473, ideſt 1474 more Romano, poſt anni 1480 Iulium titulorum paternorum hæres ſe *Reginam* ad mortem uſque inſcripſit. Nunquam ab A.D. 1470 quo *Vadonis montis Comes* dicebatur, *Barri* ſe *Ducem* nuncupavit. Quibus contra ſentire placet,vel unicum inſtrumentum,aut coætanei cujuſquam bonæ fidei monumentum proferant, quô *Barrenſis Ducis* titulo inſignita ſit: ſi, quod certiſſimum eſt,nullum habeant,Edmundi Boullayi impoſturam (prout bonos & ingenuos decet) averſentur. Sed nec *Barri Dux* vel ipſa vel filius,quamdiu Renatus pater in vivis fuit dici potuere: cum is Ducatum illum ſibi ad mortem uſque retinuerit. Verba Teſtamenti ab eo A.D.
p. 199. 1474 Iulii 22 ſcripti, *In* Barri Ducatu *univerſiſque ejus pertinentiis & dependentiis, non comprehenſo Pontis,quem Ioanni filio naturali donavit, Marchionatu, hæredem ſuum peculiarem Dominum Renatum impræſentiarum Lotharingiæ Ducem, nepotem Dominæ Yolendis Lotharingiæ Ducis filiæ ſuæ, filium nuncupat & inſtituit.* Declaratio ab eo A.D. 1479 qui proxime mortem præceſſit ſcri-
p. 234. pta, *Cum ex dono & hæreditatis tranſcriptione Ducatus noſtri Barrenſis, nobis à bonæ memoriæ cariſſimo Domino noſtro, & avunculo Cardinali Barrenſi quem Deus abſolvat factis, Ducatus ille in ſolidum ſecundum naturæ curſum, poſt deceſſum noſtrum Cariſſimæ & dilectiſſimæ primogenitæ filiæ noſtræ Yolendi Lotharingiæ Duci, ejuſque cauſa, Cariſſimo & dilectiſſimo filio noſtro Lotharingiæ Duci filio ejus unico ac hæredi obvenire debeat*, &c. nondum ergo *obvenerat*, nec ante 1480 Iulii 10 *obvenit*, aut ante licuit vel Yolendi, vel Renato filio Ducatus illius, nondum ſui, titulum ſumere, ut Boullayum id ipſis affingere auſum ſtrenue mentitum fuiſſe neceſſe ſit.

Fridericum Yolendis maritum toto vitæ tempore *Lotharingiæ*,quam Ioannes, Yolendis ejuſdem germanus ſuo jure poſſidebat, *Ducem* vel fuiſſe, vel dictum aut habitum à coætaneô quoquam fuiſſe, & falſiſſimum & impudentiſſime ab eo qui idipſum demonſtrandum ſuſceperat confictum: non ergo vel ſuo vel uxoris nomine, quod alterius id reapſe *poſſidentis* erat, *poſſedit* unquam Fridericus. poſſediſſe tamen idque ſuo jure demus, cui veriſimile ſit viduam ab eo relictam dominii, quod cum eo uxorio ſaltem jure *poſſediſſe* fingitur, titulum protinus contra viduarum omnium morem abjeciſſe,nec *eo* deinceps *uſam fuiſſe?* ſed maritus, nec rem, nec rei titulum ſibi unquam vindicavit; uxor utrumque ſibi poſt Nicolai nepotis dormitionem hæreditario jure ſumpſit: *Barrenſem* vero titulum poſt anno 1480 Iulii 10 prætulit, & *Lotharingico* quo ab anno 1473 Iulii 24 uſa erat, aſſuere cœpit.

Richardi Waſſeburgii, Symphoriani Champerii, Franciſci Roſerii & Caroli Stephani, fluxa & ſubleſta fide abuſus Chiffletius Yolendi, cum *ab ex-*

ceſſu

ceſſu Friderici mariti, voluiſſet Lotharienſis Ducatus regimini ſe immiſcere, Loth.Maſc.
proceres & nobiles Imperium abrogaſſe aſſerit. ſed tam ille falſo *ab exceſſu ma-* p. 18.
riti, ideſt anno 1470 *Lotharienſis Ducatus regimini ſe immiſcere voluiſſe* ſom- lib.7. fol.
niat, quam illi inconſiderate & mendaciter Ducali ſolio deturbatam com- 515. b.
menti ſunt. ſi ante annum 1454 Renatus cum Iſabella uxore, ab anno 1454
ad 1471 Ioannes Iſabellæ filius,ab anno 1471 ad 1473 Iulii 24, Nicolaus Ioan- lib.3. c.2.
nis filius A.D. 1448 natus eoque imperio aptus ſuo jure Ducatum rexere;
ſi nihil in eo ſibi tota vita Fridericus ſoceri & ſororii perpetuus cultor vindi-
cavit, quod naturæ concedens, Yolendi uxori (cujus germano & germani Tom.3. c.86.
filio ſuperſtitibus nullum jus erat) vindicandum reliquerit; eumne quod non
habebat, dediſſe Chiffletius velit? de clavi Lotharingici ad ſe nondum per- Hiſt. Lothar.
tinente moderamine invadendo, & fratris filio præripiendo ne cogitavit
quidem; at ubi hic funere merſus acerbo, vacuam Ducatus poſſeſſionem
deſeruit, eam hæreditario jure adiit; quia vero Renatus filius anno 1451 in
lucem editus, ad magna natus populis gratiſſimus annô 1473 regimini
par erat, ei communicato dignitatis nomine, & poteſtatis jure die à Ni-
colai Ducis obitu nona ſeu Auguſti 2, Ducatum proprium optima mater
commiſit. An quod Chiffletius cum quaternione ſuo contendit, à proceri-
bus quorum erat eam colere, non judicare, repulſam paſſa & abdicare coa-
cta? Imo motu propriô,& novæ dignitatis retinens. Nanceji obdormierat,ea
procul in Comitatu dotali Vizeliza poſita, filio annum ætatis 23 ingreſſo,eo
modo quo Berengania Caſtellæ præcipua hæres, cum Ferdinando filio an-
nos 17 nato ſceptrum tradiderat,Ducalem poteſtatem ſub conditione dedit,
pro intenſo amore & ſingulari affectu, quo in excellentiſſimum & potentiſſimum
Principem Dominum Renatum filium ſuum primogenitum fertur, conſervandi
in pace ſincera unione dicti Lotharingiæ Ducatus, vitandorumque incommodo-
rum ac damnorum quæ inde ſequi poſſent, gratiâ, aliiſque juſtis & rationi conve-
nientibus ad id ipſam moventibus cauſis, jam dicta Princeps ex propriâ ſcientiâ,
actus ſui conſcia, cum proba ac matura deliberatione conſilii, ea de re habita
quorundam ex propinquis & benevolis ſententia, voluit & conſenſit, vult &
conſentit, præſentibus hiſce ut dictus Dominus filius primogenitus in Ducatu di-
cto pro Duce & Domino ejus admittatur & recipiatur; ceſſitque dicta Domina,
& tranſtulit Domino filio ejus, & præſentium tenore cedit & transfert, quod-
cunque & quale jus in eo dicta Domina habet, & habere poteſt, reſervato dunta-
xat ei tantiſperdum vixerit, ut in dicto Ducatu emolumentorum, commodorum
penſitationum & redituum dicti Ducatus, urbium, Caſtrorum, locorum & mu-
nitionum ejus, & ut eorum quæ ab iis pendent, & ad ea pertinent, omnino Do-
mina & hera ſuprema maneat; reſervato etiam dictæ Dominæ, ut ſi dictus Do-
minus, filius ejus vita prior excederet, hærede maſculo & legitimo nullô ex cor-
pore relictô, hoc in caſu dictus Ducatus & hæreditas, titulus, proprietas & com-
moda, in omnibus & per omnia dictæ Dominæ maneat, quas res & eorum ſingu-
las dicti mater & filius pepigerunt, ſanciverunt & invicem promiſerunt, &c.
reliqua ex inſtrumento *Genealogiæ Lotharingicæ* probationibus p.237 inſerto
petere qui volet poterit. Si Lotharingici Ducatus ab antiquô fœmina nulla
capax fuit, ſi Yolendis ejuſdem legitima Domina non fuit, ſi regimini ſe im-
miſcere volens ad privatum modum à Proceribus redacta eſt, ſi Fridericus
jure ſuo Ducatum ſibi vindicavit, reipſa poſſedit, Renato filio poſſidendum

reliquit; ſi denique hæc univerſa Renatus credidit; quid nihil ſive juris, ſive actualis poſſeſſionis, ex adverſariorum hypotheſi habens, à nullo agnita, ab omnibus deſpecta Yolendis, quod in alium *transferret*, *transferendum* adhibito ſuorum conſilio deliberaret, ſibi in Ducalia omnia ex æquô aliena ad vitam *reſervaret* habuit? quid rurſus animo concipere potuit, quod à matre nec re, nec titulo *Domina*, ſperaret, omnium jam jure natalium compos, unuſque ac ſolus *Dominus?* ſi vera ſcripſit *Lotharingiæ Maſculinæ* prædicator Chiffletius, quid Renato & matre ſtultius & dementius eſſe potuit? ſi quod ne mendacitas ipſa negare auſit, *id ſibi negotii credidit ſolum dari populo, ut placerent quas feciſſet fabulas*, quid eô, & tabulatorum quos Duces cæcos ſecutus eſt, quaternione impudentius profligatiſſima imponendi libido pariat? in hominibus illis *hominem* ejuſque natura ad veri amorem facti indolem quære, nuſquam invenies, ferrum frontis loco rubiginoſum, peponem (quod ex animo deploro) cordis vice gerunt.

Fac vero (Lector) inſtrumento nos ex Archivô Nanceiano erutô carere, non evaſerint per *avia* ſua palantes. an hôc unô telô immane eorum commentum tranſadigendum venit? eventus ipſe fidem faciat, anno 1306 Auguſti 26 feria 6, & 1425 Decemb. 13 feria ad fœminas ſanguine proximas Ducatum devolvi cenſuerant Lotharingici Proceres, hæreditatem paternam anno 1430 Antonio propinquô excluſo creverat, & anno 1454 Febr. 22 denata Ioanni filio & Nicolao nepoti cernendam reliquerat Iſabella, alione quam mater Yolendis uſa fuerit, alioſque experta nobiles fuerit, quam ante annos 46 fuerant; qui matri ſceptrum detulerunt cur filiæ denegarent? quid anno 1430 egerint ex hiſtoria ab A.D. 1366 ad 1544 audiant veri ſtudioſi. *Dux Margareta de mariti morte triſtabatur, ſed ei ſolamen erat, filia quæ Dux erat. Confeſtim Guiſiæ Comes venit, qui Renatus vocabatur, & ornato comitatu ſtipatus in Lotharingiam ſui copiam facturus conceſſit. Nobiles univerſi ei obviam ad unum proceſſerunt, ut & Domini de S. Georgio; ei univerſi felicem adventum gratulati dixere*, Tu Dux noſter es, *exinde eum Nanceium univerſi deduxere ante S. Georgium ſtiterunt, ex equo exſcendere juſſerunt, in Eccleſiam ad altare majus duxerunt, ab eo ſacramentum de bona fide ſervandis Lotharingiæ juribus & brachio ſæculari exegerunt, Dictis Dominis de S. Georgio ceſſit ejus equus, eum abduxere, & pueri Natale inclamaverunt. Domina quæ ob mariti mortem in luctu erat, quod filia ejus honore tali afficeretur gaviſa eſt. Renatus Dux ubique, Lotharingiæ urbes inviſurus in viam ſe dedit, dona ei admodum ſplendida data ſunt; ubi reverſus eſt Nanceium venit, Martio menſe Antonius Comes comparuit, ſe Ducem fieri rogans, ad ſe Ducatum pertinere, ſe maſculum hæredem Caroli Ducis nepotem eſſe inquiens, Domini & conſilium reſponſum dederunt ad eum minime pertinere.* patruus (*dixerunt*) tuus filias reliquit, eæ ſecundum jura ac mores hæredes ſunt, primogenita præcipue, ea in Lotharingia Dux admiſſa eſt; propria ejus hæreditas eſt. *Antonius Comes cum ſe ita repulſam paſſum videret, in animam juravit*, ſe *brevi Ducem futurum*; *univerſum Dominium eum in hunc conatum incubiturum admoturus, ubique copias equeſtres & pedeſtres evocavit, quæ ſuo robore exercitum conflavere.* Id ipſum quod mater experta eſſet Yolendis, Friderici vidua & præcipua Nicolai nepotis hæres niſi Principatus poteſtatem ac nomen Renato filio communicaſſet, quodque in eum juris transfuderat, in caſu ſi maribus careret moriens, ſibi reſervari imperans,

Gen. Loth. p. 200.

perans, non modo non abdicaviſſe, ſed totius gentis & dignitatem vindicandum conſenſum ac robur ſperaviſſe certiſſimo indicio eſt, ut recte anonymus antiquam Lotharingiæ conſuetudinem eſſe, gubernationi fœminarum ſubjici ſcripſerit, & Nicolao Remigio in libro de Renati geſtis, *feudorum uſum & conſuetudinem eſſe, ut feudum dominans legibus feudi ſervientis* (*quandoquidem mutua & correlativa ſunt*) *reguletur* adſtruente, ejus exemplo ſubintulit, cùm *feudorum & retrofeudorum in Lotharingiæ Ducatu ſucceſſivus ordo ſit, ut filiæ deficientibus filiis aut filios repræſentantibus, propinquos alios omnes in ſucceſſione patris aut matris excludant*; eas ad Ducalem apicem ſub eodem caſu evehi poſſe: nec ad rem fuerit quod Nicolaus Metenſis electus ac exinde Vadonis Comes Caroli II pupilli & totius Ducatus regimen Chriſtiernæ Franciſci Ducis relictæ A.D. 1545 præripere conatus eſt, quandoquidem conatus ille in irritum cecidit, prout ex tranſactione Denopera Auguſti 6 feria 5 ſcripta liquet.

Vetuſtum Lotharingiæ morem (hoc ipſo quod eum nova in familia ſua lege A.D. 1506 Maji 28 condita, & Teſtamenti ſui cap. 11, 17, 18, 19 & 20 inſerta abrogatum voluit, Renatus ſecundus, eandemque poſt ejus mortem anni 1508, à Paſchate inchoati, vel ut nunc numeramus 1509 Febr. 13, à Lotharingiæ & Barri ordinibus confirmari Philippa vidua rogavit) diu ante Renatum præceſſiſſe & longo uſu roboratum fuiſſe luculente demonſtrat, ut totam Chiffletii de Lotharingorum ante Renati ejuſdem tempora conſuetudine diſputationem in ſpongiam (velit nolit) incumbere neceſſe ſit; cum Renatus ipſemet duplici eam argumento oppugnans, 1 *anniverſarium ſacrum cognati ſui Ducis Nicolai decantari* jubens. quo enim nomine *Dux* aut cujus *Ducatus* potens Nicolaus fuit? non Calabriæ: quia Neapoli, ac exinde Italia tota anno 1442 Ian. 2 feria 7 antequam Nicolaus A.D. 1448 ſeptimo, exactus fuerat Renatus avus, nunquam in ea pedem figere potuerat Ioannes pater, nunquam eam viderat, nec minimam in ea glebam poſſederat Nicolaus; non Andegavorum & Barrenſium quos ſibi vita tota retinuit Renatus. ergo *Lotharingiæ* in cujus poſſeſſionem poſt Iſabellam aviam & Ioannem patrem venit; quamque excluſo Friderico Renati II parente, ſolo matris jure obtinuerat Ioannes. 2 in futurum ſucceſſionem Ducatus ad mares reſtringens. ſi enim ab ejus poſſeſſione fœminas arceri priſtinus uſus voluiſſet, quid neceſſe erat id peculiari lege ſancire? an Renatum adeo ſtupidum fuiſſe dixerimus, ut fruſtra decerni non cuperet, quæ aliter nunquam vel facta ſunt, vel fieri antea potuerunt, vel fieri in æternum poterunt? ſi vero nec *ſtupidus*, nec rerum neſcius fuit Renatus, de novo more inducendo ſuo teſtamento cavit, & Chiffletii id negare auſi temeritatem coarguit. Sed fruſtra fuit (prout ante docuimus) Renatus, cujus decretum ab anno 1540 & 1621 poſteri conſtanter refixerunt: nec ſine aſſenſu & confirmatione Regis, ſupremi Barrenſis ditionis Domini, ratum eſſe potuit.

Recte ergo Gabriel Bartholomæus Gramundus Toloſatium Præſes Ampliſſimus, ex quo Lotharingiæ Ducatus patrimoniale dominium factus eſt, ad annum uſque 1625 excluſas ab ejus poſſeſſione & jure fœminas fuiſſe negavit, ſi fœminas excludendi morem improprie *Legem Salicam* vocavit, exemplo Boullayi, Belleforeſtii, Bochelii & recentiorum Lotharingorum, quos eo nomine reprehendit, uſus eſt, nec id in mentem venit, ut de *lege Salica* proprie

prie dicta, quam in Lotharingiæ regno & ubicunque *Salica conditionis* homines erant, diu obſervatam probe noverat,loqueretur. Quocirca extra oleas ſaltat Chiffletius, legis illius uſum inter Lotharingos diuturnum ex Epternacenſium ad Henricum V I Imp. anno 1191 ſcripta epiſtola, & Othone Friſingenſi Morimundi in Baſſigneio denato fuiſſe probans; nemo enim refragatur; ſed ex quo *terrarum Salicarum* & *alodiorum* diſcrimen obſolevit,in Lotharingia, ut alibi hac in parte *legem Salicam* obſervari deſiiſſe, Othonemque Friſingenſem, non anno 1159 ſed 1158 Sept.21 deceſſiſſe ex Radevico ejus alumno,qui *manu ſua ipſius extrema lumina clauſit*, diſcere non dedignabitur. *Anno* inquit lib.2, c.11. *ab incarnatione Domini* 1158 *Indict.*7 *regnante Sereniſſimo Imp. Friderico, anno Imperii ejus tertio regni quinto, memoratus Antiſtes ab hac luce Deo vocante migravit.* & c.12 *Ottone Epiſcopo* 10 *Kal. Octobris, quod eſt circa ſolſtitium brumale defuncto*; *paucis poſt menſibus Nonis Aprilis, qua tunc fuit Dominica Palmarum, & eſt circa ſolſtitium æſtivale, hora matutina, civitas Friſingenſis penitus & penitus incendio conflagravit.* in editione Francofurtenſi anno 1585 Ottonis mortem in annum 1159 & Friderici regni 5, imperii 3 confertur, ſed mendoſe prout ex cæteris characteribus
lib.1 c.63. additis evincere facile eſt. Indictio 7 quæ anni 1158 Sept. Kalendis inierat, in 1159 Aug. 31 deſiit, & octavæ locum fecit; Conradus I I I Ottone fratre ejus uterino teſte, *proximo à capite jejunii ſexta feria, id eſt* 15 *Kal. Martii vi-*
lib.2 c.1. *tam finivit, anno ab urbe condita* 1800 *ab incarnat. Dom.* 1152, *tertio Nonas Martii, tertia feria poſt* oculi mei, *Francofurti* ſuffectus & Aquiſgrani *ea domi-*
c.3. *nica qua* Lætare Hieruſalem *canitur, unctus & coronatus eſt* Fridericus, Idemque *anno regni ſui quarto, menſe Iunio*, 14 *Kal. Iulii* ſeu A.D. 1155. Iunii 18
c.22. fer.1 in Eccleſia S. Petri *ab Adriano Papa* coronatus eſt. inibat ergo A.D. 1158 à Martio annus regni 7, à Iunii 18 Imperii 4, eodemque decurrente Sept.21 Ind.7 ineunte Otto deceſſit: ſeptimo poſt menſe anno Domini 1159 regni Friderici 8 ineunte, Imperii 7 jam affecto Indict.7 April.5 in feſto Palmarum Friſinga incenſa eſt.

Commentarius Lotharienſis.

CVm Carolus I I I Dux A.D. 1641 Aprili menſe Ludovico X I I I Regi Chriſtianiſſimô præſens in S.Germani palatiô pro Ducatu Barrenſi Majorum more hominium præſtitiſſet, & paulo poſt in Lotharingiam regreſſus, Spinalii April.28 mutata in deterius mente pacta tunc inita diſplicere, nec ſubmittere *ſe hominio pro Ducatu Barrenſi ea forma & modô quo ab ſe extortum* querebatur profeſſus, proteſtationem edidiſſet; ac Hiſpanicas deinceps partes ſecutus eſſet, animoſum Principem *hominium* non abſolute,ſed ſecundum quid negare indignatus Chiffletius, *Commentario Lotharienſi* Barrenſem ditionem Francici regni membrum non eſſe A.D. 1649 probare conatus eſt: Eum vero *Barro meo Campano Francico* à capite ad calcem confutavi. Ne quis vero Barrum à Carolo I V Ducali dignitate auctum, aut Imperii ſui feudum creditum fuiſſe putet, præter argumenta quibus contrarium evici; addo Antonii Comitis de Vadonis monte verba ex inſtrumento ejus nomine Baſileæ A.D. 1434 April.23 feria 6 Sigiſmundo Caroli filio oblato, & ex Archivo Nanceiano eruto deprompta. *Si aliquo caſu fieret* (*quod non creditur*) *quod regalia*

regalia hujuſmodi parti ſibi in hac cauſa adverſæ adjudicarentur, vel ipſa pars adverſa illis quovis modo inveſtiretur, hoc cederet in præjudicium Cæſareæ Majeſtatis ſemper Auguſtæ, quæ (ab augeo *dicta) per præmiſſa magis dominium* diminuere *quam* augere *videretur, ex eoque Ducatus Lotharingiæ ab illo tunc Duce Barrenſi detentus, nomen proprium* Lotharingiæ, *propter nomen* Barrenſis, *& etiam arma propria ipſius Ducatus Lotharingiæ, propter illa Barrenſis Ducatus perderet (cujus quidem Ducatus Barrenſis nomen pars ipſi in hac cauſa adverſa, ſibi ſumpſiſſe notum eſt) & totaliter ſubverſa viderentur, & etiam ſubverterentur. Quod ſi ita eveniret, eſſet deſtructio & diminutio dominiorum Cæſareæ Majeſtati ſubditorum, quæ per ipſam Cæſaream Majeſtatem augeri & non diminui deberent, maxime in favorem illius, qui potiſſimum jus habet in ipſo Ducatu Lotharingiæ, ut aſſeruit, videlicet, in favorem Domini Antonii Comitis & hæredis prædicti.* Antonius Vadonis montis Comes, cui Barrenſis Ducatus jura vel hoc nomine ignota eſſe non poterant, quod Vadonis mons Barri feudum eſſet, cujus gratia in hominem ſuſceptus fuerat Fridericus Margaretæ Ionevillanæ maritus, ipſeque Margaretæ filius Antonius ſuſcipiendus erat, ad Sigiſmundum Caroli IV filium, actorum ejus omnium probe conſcium, & Ruperto Iſabellæ Renato nuptæ avo materno ſuffectum verba adverſus Renatum ipſum faciebat; quibus eum argumentis aggreditur? ſi Lotharingia Renato Barri Duci adjudicetur, obliteratis ejuſdem *titulo* & *armis*, paulatim eam Sigiſmundi Imperio ſubducet, quod *Auguſtum* ab *augendo* eſſe deſinet, ſed *diminuetur*, in Lotharingiæ *dominii ſubditi diminutione*; ſi Barrum inter *dominia ſubdita* fuiſſet, idque pro *dominio ſubdito*, utpote *titulô Ducali* à Carolo parente inſignito, habuiſſet Sigiſmundus, idemque de eô Antonius credidiſſet; quid ridiculum magis & inconveniens dici potuiſſet? an ex Ducatuum ex æquô *ſubditorum* caſuali ſub eodem Principe unione, reale quicquam vel Sigiſmundo vel ejus Imperio deceſſiſſet, cujus gratia *dominium* ejus *diminui*, titulus *Auguſti* ab *augendo* derivatus deteri merito crederetur? quid Imperio ejuſque dominio periit, cum Bajoariæ Duci Henrico *Superbo* Saxoniæ Ducatus accrevit, aut Ottoni Bajoariæ ex alia familia Duci Henrici *Leonis Superbo* nati Palatinatus Rhenanus obvenit, aut Alberto Habsburgi Comiti Auſtria conceſſa eſt; aut Friderico Sollerano, Burgraviatus Norembergicus, ac exinde nepoti cognomini Marchionatus Brandeburgicus acceſſit? aut in Miſnicam familiam, Thuringiæ Lantgraviatus, & Saxoniæ Ducatus, in Wirtembergicam Tubingæ, Palatinatus, Teckæ Ducatus Montiſpelicardi Comitatus ſucceſſive tranſierunt? ſed *diminutionem Imperio* Sigiſmundi portendere Antonius, vel reipſa putavit, vel putare ſe non ſine colore finxit, ſi Lotharingiæ Ducatum *ſubditum*, Renati Barri Franciæ *ſubditi*, & Sigiſmundo nullo modo obnoxii, Duci aſſignaretur. Habemus itaque in Principis illius qui Caroli III Ducis atavus fuit judicio robuſtiſſimum, adverſus eos qui ipſi falſas opiniones ſuas malignô animô inſuſurrant, Franciçæ cauſæ & Regii in Barrenſia omnia juris firmamentum. p. 214.

Alſatia Vindicata.

A.D. 1648 pacis Monaſterienſis capitibus Octobris tandem 24 ſummo conſenſu ſubſcriptis inſeri placuerat, *Briſacum Alſatiæ tam ſuperioris quam infe-*

ferioris Lantgraviatum, *Suntgoviam*, *Decem civitatum præfecturam provincialem*, *abſque ulla reſervatione*, *cum omnimoda juriſdictione & Superioritatu, ſupremoque dominio, à modo in perpetuum ad Regem Chriſtianiſſimum coronamque Galliæ pertinere*, *& dictæ coronæ incorporata intelligi*, *abſque Cæſaris*, *Imperii*, *domus Auſtriacæ*, *vel cujuſcunque alterius contradictione.*; *adeo ut nullus omnino Imperator, aut familiæ Auſtriacæ Princeps, quicquam juris aut poteſtatis in eis præmemoratis partibus, cis & ultra Rhenum ſitis, ullo unquam tempore prætendere vel uſurpare poſſit aut debeat.* Interceſſit primum Octobris 15 Philippi IV Hiſpaniæ Regis nomine Petrus à Weyms ex Provinciæ Luxenburgienſis Præſidis Burgundicæ Domus Legatus. 2 anno 1649 Ioannes Cuyermans Legatus Burgundicus. 3 anni ejuſdem Octobri Chiffletius, nullarum non partium & magnos in ſympulo fluctus excitare aptus homo; elucubrato libello quem *Alſatiam vindicatam* inſcripſit, & Regi ſuo Kal. Novembribus dicavit. in præfatione nuncupatoria nonnulla advertenda ſunt, quæ eum vere *Bullam* eſſe doceant, *unum oblatâ ſolertius inquirendi occaſione detexit primus*, *quod æqui rerum æſtimatores haud exigui ponderis eſſe minime inficientur*, *ignotum hactenus avide jurium Hiſpanicorum & prærogativarum ſtudiis incumbenti ex intimis ſcriniorum* quæ Weymio patuerant, *arculis & libris deſumptum*, *qui aut vulgo manibus non teruntur*, *aut eos legere cum fructu non omnibus datum* eſt, *occurrit*; *pulchrum & glorioſum duxit vultum larva non obducere*, *neminem vereri*, *indefeſſo labore Hiſpanicam magnitudinem* (ſibi A.D. 1649 *Hiſpanici Vindicis* titulum) *vindicavit.* Quid dignum tanto ferat hic promiſſor hiatu (Deo favente) vel ipſis luſcis manifeſtum reddam. Interim μυστηριώδη alia quædam intento digito indicabo. *Alſaticas Provincias Boream verſus confines Ducatui Luxenburgenſi*, *qui reliquis Belgii Provinciis illas colligat & connectit*; quaſi nihil quod Hiſpanicum non ſit medium intercedat, præfracte pronunciat, cum tamen vel pueris notum ſit Epiſcopatum Argentinenſem, Palatinatum, Trevirenſem, Metenſem, Tullenſem, Virdunenſem diœceſes, Alſatiam Francicam, à Luxemburgico Ducatu diſparare, quis ſpoliatum anno 1620 Palatinum, ſubita vi interceptos anno 1634 Treviros, ſub cuſtodia poſitum nihil demeritum, nulla in re obnoxium Præſulem, fruſtratas tam diu univerſorum de Francothaliæ reſtitutione ſpes miretur? Cuncta iſta quia jam opinione prædevoraverunt, vel pro nihilo, vel pro jam ſuis computant. quod etiam de *Belgii Provinciis* indiſtincte, poſtquam de *Burgundicæ domus patrimonio* totum fere Belgium complexo verba fecit, loquitur, non de nihilo eſſe videtur. A.D. 1648 Ianuario, *pacem æternam bonam, firmam, fidelem, & inviolabilem cum Fæderatis Ordinibus* inierat, ejuſq; inſtrumentum ratum poſt bimeſtre habuerat Philippus IV, cujus capite I *declaravit ſe Ordines generales unitarum Provinciarum Belgicarum*, *& Provincias ipſas reſpective cum omnibus ſibi aſſociatis ditionibus*, *urbibus & terris appartenentibus, liberos & ſupremos Ordines, Provincias ac terras, in quos, vel eorum earumve aſſociatas ditiones, urbes, ac terras prædictas, dictus Dominus Rex, nec nunc, nec poſthac pro ſe ipſo, ſuis ſucceſſoribus, & poſteritate, unquam quicquam prætendat*; Octobris tamen ſequentis die 15 Petrus à Weyms Legatus ejus Burgundicus, Proteſtationem ab eô juſſus edidit, quæ Monaſterii & Bruxellis excuſa eſt, cujus ad initium, *Sereniſſimi & Potentiſſimi Regis Hiſpaniarum*, Belgarum *& Burgundionum* Principis, *Domini mei Clementiſſimi*, &c.

Anni

Anni 1649 Ianuarii 14 Sept. 9 & Octobris 27, Godofridi Vendelini Legi Salicæ, & Chiffletii, & Commentario Lotharienſi *Alſatiæ vindicatæ* appoſita eſt, hæc privilegii Summa: *Philippus* IV *Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac potentiſſimus* Belgarum *Burgundionumque Princeps*, *Diplomate ſuo*, &c. A.D. 1651 Iulii 20. idem in Capite *Diſquiſitionis de Ampulla Remenſi* repetitum eſt. paulo ante cum titulus idem programmati quo publicatio Bullæ adverſus *Ianſſenii Auguſtinum* inſertus fuiſſet, idque in pacis ſanctè juratæ eaque aſſerti ſupremi Belgarum fœderatorum juris, dignitatis, libertatis fraudem factum Ordines generales queſti eſſent, rejecta in Secretarii incogitantiam culpa eſt. quaſi vero fieri poſſit, ut Hiſpani gens cauta, ſuſpicax, cunctabunda, ſyllabarum aucupio & verborum tendiculis uti ſolita, miniſtris intimis & conſiliorum ſuorum promis condis licentiæ fibulam adeo laxatam velit, ut quicquid libuerit injuſſi, & abſolute ſibi permiſſi, *de Republica*, in aliorum quibuſcum in aperto pacem colunt, injuriam impune effutire audeant? hoccine eſt bona fide agere, & amicæ, ſinceræ, pacatæ mentis indicium dare, ſi illo ipſo tempore quô dextram porrigis, in amplexus ruis & fraterna te oſcula infigere dicis, eos quos *liberos, ſupremos, in quos tibi tuiſque nihil quod prætendas* habere te, aut deinceps habiturum eſſe palam declaras, reipſa hoſtili more aggrediaris, nec à mancipiis tuis à quibus ſe generoſe ſecreverunt diſtinctos patiare? viderint qui ad clavum ſedent, quoſque ne quid cum republica dignitas ejus præcipua, populorum ſecuritas & *res ineſtimabilis libertas* detrimenti capere poſſit, providere proprie ſpectat, annon hoc loco *fiſtula dulce canat volucrem dum decipit auceps*, dumque tuta omnia ſpondent, novorum fœderatorum patientiam (quanto vel priſtinæ ſervitutis odio afficiantur, vel præſentis felicitatis amore incaleſcant exploraturi, & animos ex occaſione ſumpturi) ſubinde vellicare non dubitant, à verbis inſidioſis ad res maxime noxias, quandocunque tempus feret, tranſire parati.

Quod Chiffletium eorum *vindicem* attinet, antequam *Alſatiam* Francis ab Auſtriaco ſecundogenitorum ramô, univerſiſque Germanici Imperii ordinibus nequaquam tradendum fuiſſe probandum ſuſcipiat, multa præmittit ad cauſam nullo modo facientia, & à nemine negata, 1 quod *Alſatia*, aliis *Elſatia*, aut *Elizatium* ſæculo 8 & nono dicta ab *Ello* flumine nomen ſortita ſit, *Triboccorum* ſedes fuerit, *ab Oriente Rhenum*, *ab Occidente Voſagum, à Septentrione Nemetes* habeat. ſed quod *Meridiem verſus Sequanos* ei vicinos fuiſſe putat, ejus hypotheſim evertit; ſi enim ubicunque Ellus fluit, ibi denominata ab eo Alſatia collocanda eſt, vel non ſolorum *Triboccorum ſedes* fuit, ſed cum iis Sequanorum, vel ſolorum *Triboccorum* fuit, & ſolos *ad Meridiem* conterminos Rauracos habuit, ad *Occidentem* cum Leucis & Mediomatricis *Sequanos*, nec aliud ex Ptolemæo & Cluverio à ſe laudato eruet. Alſatiam Ducibus aliquamdiu commiſſam ex duplici Lotharii chartâ & Annalibus Bertinianis & Ditmaro recte probat, *duobus* ad minimum *Comitatibus*, quorum *ſuperior* Egensheimium prope Colmariam *caput habuerit*, conſtitiſſe. Argentinam totius Ducatûs metropolim fuiſſe, & *Lantgravios* Ducibus cum tempore *ſucceſſiſſe*, & Habsburgi Comites ante Rudolfum qui ad regnum A.D. 1273 evectus eſt, duos, vel forte tres (ſi Gotfrido *à Rammige apud S. Trudbertum chartam Aulberti* Comitis de Habsburch, & Lantgravii Alſatiæ *ſigillo* A.D. 1186 *munitam* à ſe viſam referenti aſſentiri libeat) *Lant-*

p. 1.
p. 2.

graviatum tenuiſſe facile conceſſerim, quorum Auſtriaci omnes ut nepotes ſucceſſive ad A.D. 1648 *Lantgravii* fuerint. duo tamen hoc loco notaverim: eorum *Lantgraviatum* patrimoniale dominium non fuiſſe, quandoquidem principalis eorum titulus fuit *Comitatus Habsburgi*, acceſſorius vero *Lantgraviatus*, quem priori ipſimet ſubjungunt. 2 *Lantgraviatum* illum, nec *Alſatiæ totius* nec forte *hæreditarium* fuiſſe evincit fragmentum Vetus Alberto Argent. præfixum, quo docente A.D. 1236 *Henricum Comitem Provincialem Alſatiæ ſine hærede* denatum diſcimus; quo tempore Albertus Rudolfi Regis parens vivebat. Albertum *Sapientem*, Leopoldum *Probum*, & Erneſtum *Ferreum Archiduces* dictos, & Fridericum Erneſti filium inter Reges vel à ſe, vel ab alio ante Chiffletium ullo *Fridericum quartum* nuncupatum fuiſſe jure nego, quandoquidem Hieronymus Gebwillerus Caroli V familiaris, primum in *Archiducibus* Fridericum Erneſti filium, Guill. Kyriander ejuſdem nepotem Maximilianum fuiſſe notat, & arctius fibulam ſtringit Ioannes Mariana hiſt. lib. 25 c. 12, ad A.D. 1483. *Ad Maximilianum è cuſtodia Brugenſi liberandum legati à Regibus in Belgas Ioannes Fonſeca, atque Alvarus Arronius rem ex ſententia confecerunt; expetenti tamen in conjugium Iſabellam Regum filiam Mariâ priori uxore defuncta, denegatum, ſpe facta Philippo ejus filio atque hæredi futuro, unam ex Iſabellæ ſororibus ætate idonea, collocandi; quem* Auſtriæ Archiducis *per eos dies nomine, Auguſti indulgentia nepotem auxerat, novo exemplo, viam Majores* Auſtriæ Duces *vocabantur, noviſque honoribus augere deſtinabat.* Fridericus *Pulcher* A.D. 1314 in ſchiſmate electus, regium ſibi nomen ad Annum uſque 1322 vindicavit, quô à Ludovico IV æmulô profligatus & ſub cuſtodia poſitus tandem abdicare anno 1325 coactus eſt, nec exinde à quoquam in Regum ſeriem relatus eſt. Erneſti etiam *Ferrei* uxor nec *Comburgis*, nec *Lituana*, ſed *Zimburgis Maſſovica* dici debuit. p. 4 legendum fuerat *in villa Turego*, & *Alexandro Papa quarto*; ſedit enim *quartus* ab A.D. 1254 Decemb. 26 ad 1261 Maji 25, adeoque A.D. 1259 *Indict.* 3 Octob. 17, quô Charta Rudolforum, Comitis & Canonici data eſt; *quintus* vero Annô demum 1409 Iun. 27 à data charta 150 creatus eſt. Annæ Hohenbergicæ Rudolfi I conjugis pater non *Albertus*

Annal. Colmar.

ſed *Burchardus* dictus eſt; ex ſtemmate Annæ ejuſdem quæ fratrem Albertum & alios habuit, non conficit Chiffletius Egenshemii Comitatum, cujus pars tantum Burchardo per uxorem accreverat, vel ejuſdem minimam glebam Rudolfo I per Annam obveniſſe, prius ergo probandum fuerat eam fratrum hæreditatem adiiſſe. Ponto Heutero & Gerardo de Roo ne credamus, hæc Alberti Argentinenſis verba obſtant. *Rex autem Rudolfus cum Anna de Hohenberg, ſorore Alberti de Hohenberg habuit tres filios inter alios*, &c. & p. ſeq. *Albertus Comes de Hohenberg, & de Haigerloch frater prædictæ Reginæ*, &c. *dominium de Hugonis Curia*, *Teutonice* Hugenhofen, *dedit Rudolfo de Habsburgo in dotem Dominæ Annæ prædictæ ſororis ſuæ.* hæc autem ex Alberto eodem Hohenbergiorum ſeries fuit

Burchardus.

Albertus. — Anna Rudolfi I uxor.

Albertus. — Rudolfus fratris hæres, Dominæ de Werdenberg maritus.

Albertus Advocatus totius Alſatiæ ſub Ludovico IV ac tandem Epiſcopus Friſing. — Rudolfus N. de Naſſou maritus. — Hugo N. Ferret. maritus. — Henricus cæſus, A.D. 1352.

Filius. (of Rudolfus) — Filius. (of Hugo)

Ioan-

Ioannam Vdalrici Ferretenſis in Suntgovia Comitis hæredem præci- p. 5.
puam Alberto *Contracto* nupſiſſe, Briſacam *latibulum olim rebellantium Ala-*
manniæ Ducatui contributum fuiſſe, quem Rudolfus I *poſt truncatum capite* p. 6.
Conradinum Rudolfo filio in feudum dederit, Carolus V fratri cum Auſtria,
Alſatia, Habsburgo, Ferretta, Kiburgo ita conceſſerit ut titulos ſibi juſque re-
verſionis ſervaret; *pactis* inter *Auſtriacos Principes* anno 1617 initis Philip-
po III jura in ditiones illas reſervata fuiſſe, earum hæreditatem à Matthia
in Albertum germanum tranſcriptam, Philippum IV earum omnium titulos
ſibi vindicaſſe & vindicare, *Egensheimii* Auſtriacos *parlamentum habuiſſe, ter-* p. 7.
ræ Alſaticæ *reſiduum vel Argentinenſis Epiſcopi, vel domus Auſtriacæ* (refe-
rente Munſtero) fuiſſe, *Alſatiam ſuperiorem totam ditionis Auſtriacæ* Thuano
noſtro creditam, Imperii ordines *conſtatuum ulli ſua præripere poteſtatis ſuæ*
non eſſe proteſtatos aliquando fuiſſe, *bona propria ſine capitali noxa fiſco addi-*
cenda non eſſe, imo *nec interdum ob crimen Majeſtatis ablata fuiſſe*, nihil pror-
ſus ad cauſam facit: quis enim vel Germanus, vel Francus veterem Auſtria-
corum poſſeſſionem, pacta inter eos inita à Germaniæ ordinibus, eis impen-
ſum favorem, in dubium revocat; aut Carolo Leopoldo Archiduci (ut ut
parens turbis Germanicis præ aliis omnibus ab annô 1609 implicitus fuiſſe
videatur) *crimen Majeſtatis* impingi, bonaque ejus hæreditaria *fiſco addici* de-
bere putat, aut putavit unquam? Chiffletios ſinamus cum larvis ſuis luctari,
dum æqui bonique ſtudioſi hæc in timore Domini perpendant. 1 An non
publici boni cauſa univerſa & ſingula Reip. membra, in quocunque dignita-
tis culmine eſſe videantur, ut totius Imperii periclitantis corpori ex imô ca-
lamitatum tricennalium gurgite emergere detur, ad ferendam aliquam ſuo-
rum jacturam parata eſſe debeant. 2 Annon peſſime de corpore cujus ſalus
hac una ratione procurari poteſt, mereantur, quos ne ipſis titulorum aut ſpei,
vel tantillum depereat, Neronianum illud ἐμοῦ ζῶντος γαῖα μιχθήτω πυρί
uſurpare nequaquam pudeat. 3 Annon univerſo Imperio tantum in Alſa-
tiam quantum in Pomeraniam, Rugiam aliaſque ditiones Suecicæ coronæ
addictas juris fuerit, ut de ejus dominio quicquid è Repub. videretur ſtatueret.
4 Annon Ferdinando III cum fratre, & patruelibus rami Ferdinandici Prin-
cipibus, & Friderico Guillelmo Electori Brandeburgico bonorum ſuorum
parte publicæ ſalutis cauſa ſub certa compenſationis conditione, cedere ex
æquô licuerit. 5 An apud Auſtriacos Ferdinandicos pluris pacta cum Ca-
rolinis agnatis privatim inita, quam publicum totius Imperii judicium fieri
debeant. 6 An Germaniæ Procerum, imo Regum ſuorum de rebus propriis
quod commodum videbatur, univerſitate inconſulta, ſtatuentium pactis ullis
abſolute teneatur, nec ei exigente neceſſitate ſumma, pacta eadem nullo or-
dinum conſenſu comprobata & confirmata refigendo, ſibi providere liceat.
7 An Hiſpanicorum miniſtrorum contumaci moroſitati permittendum ſit, ut
ſurſum deorſum arbitrio ſuo vertant, quæcunque eos fortunam reverenter ha-
bere jubent, Chriſtiani orbis placita. 8 An qui Ferdinando II de *Auſtria ſupe-*
riore pactis Ferdinandi I cum Carolo V germanô nominatim comprehensâ
Maximiliano Bajoariæ Duci tranſcribenda fidem ante annos 30 dederat, ut ju-
ris Hiſpanici fraudatori, & pacti aviti temeratori non ſuccenſuere, de Ferdi-
nando III Alſatiæ ſuperioris pactis illis comprehenſæ dominio rogatu univer-
ſorum ordinum cedente queri jure poſſint. 9 An non reſervationi à Carolo V

 & Phi-

& Philippo III pacta tacita exceptio inſit, *niſi bonum publicum aliud exigat*, aut *niſi Imperatori cum univerſo Imperio, quorum eſt ſumma in his rebus poteſtas, aliter viſum ſit.* 10 Annon Hiſpaniarum Rex eorum quæ ſibi in Germania quocunque titulo arrogat, ad modum ſe privati habeat, qui univerſi Imperii judicio ſtare, non *in propria cauſa Iudex eſſe* debeat. 11 An Regis Hiſpanici pertinax adverſus unamine Imperii Decretum proteſtandi animus, cum *privatorum conventio juri publico non deroget*, jus Imperii Germanici ſupremum vel minimum infringere valeat. 12 An *proteſtationum* ejus nomine (in totius Imperii contumeliam, & feliciter reſtitutæ Germanico orbi pacis indignum *Rege Catholico* odium) editarum ratio alia eſſe debeat, quam quæ nauſeam & indignationem naturâ ſuâ provocantium eſſe ubique ſolet. 13 Annon quô jure in cauſæ Nivellenſis plane contrario caſu annô 1209 Ind. 12, 6 Kal. Iulii, Otho IV pronuntiaverat *ſententiam aſſenſu Principum Imperii legitime approbatam, Regali auctoritate caſſavimus, & irritam reduximus donationem quam aliquando prædicto Duci, per ſcriptum & privilegium contra jus aulæ teſtatum Imperii feceramus*; eodem nunc imo potiori Ferdinandus III in cauſa Alſatica edicere adverſus Hiſpanum poſſit, *Principum dictante ſententia, Regali auctoritate caſſavimus & irritam deduximus conventionem quam Ferdinandus I cum* Carolo V & Philippo III bona fide *ſed contra jus & libertatem Imperii ſcripſerant.*

Troph. Brab. prob. p. 60.

Vnô *Lantgraviatus* titulo confeſſo contenti Hiſpanici Plenipotentiarii, Alſatiæ ſuperioris Dominium Regi ſuo aſſerere conati fuerant, novum in occurſum, ſi Deo placet, venientem, à via ſua peragrando Chiffletius offendit, *Advocatiæ* nimirum ſive *protectionis*, quam inter *Regalia* à Cujacio noſtro reponi conſtat, non immerito *Carolus Magnus* ab Adriano I, *Henricus*, non ut adverſarius vult, II *Imperator*, ſed *primus à Benedicto* VIII, Imperator futurus *ab Alexandro* IV *S. Petri* ideſt *Eccleſiæ* Rom. *Advocati* dicti ſint. obiter tamen notabit Lector Alexandrum IV annô 1245 qui Innocentii IV tertius erat, ſed 1254 Dec. 28, contra quam Chiffletius putabat, ſedere cœpiſſe. Male etiam ab alto Chartam *Conradi Romanorum Regis*, qui *ſecundus* erat, & in Charta ipſa dicebatur, tertio qui Friderici II filius erat tribui, ut Imperatorem *Rom. Eccleſiæ Advocatum*, Godefridum Ducem Lotharingiæ inferioris *Advocatum* fuiſſe probet; quandoquidem Conradorum Regum primus *Franciæ* tantum *Orientalis* non autem *Romanorum Rex* audiit. Vt quod ad rem non erat Philippum IX Cameracenſium Advocatum triplici nomine fuiſſe adſtruat, *Carolum Ducem* ab Otthone II *conſtitutum* Baldrico lib. I c. 100 referente, *urbem causâ tuitionis ingreſſum* imperite notat, cum ignorare non debuerit, Philippum IV Regem *Lotharingiæ inferioris*, cujus tantum partem tenet, nec *Ducem* eſſe, nec (ſi totam teneret) eodem quo Carolus jure tenere, adeo ut quæcunque Carolo olim conveniebant, ei nunc convenire minime neceſſe ſit, abſurde etiam allegat eum *Flandriæ Imperialis Comitem* eſſe; cum enim *Flandriæ* in *Regalem* & *Imperialem* nulla nunc diſtinctio ſit, fruſtra eam Lectoribus obtrudit. Inutile eſt quod Henricum III Brabantinum *univerſalem à Brabantia uſque ad Rhenum, & à termino Diœceſis Trevirenſis in deſcenſu Rheni uſque ad mare, tutorem* ab Alfonſo X creatum fuiſſe ex Dintero refert: falſum vero quod Alfonſus *A.D.* 1255, 16 *Kal. Novemb.* diploma ſuum ſcripſerit: cum is Guillelmo Regi A.D. 1256 Ian. 28 cæſo ſufflectus, anno demum 1257 Mart. 31 in ſchiſmate electus ſit. inutile rurſus quod Ioanni Henrici filio munus idem Adolfus demandarit;

Alſat. p. 8.

darit;ſed æque falſum quod id *A.D.*1294,14 *Kal. Dec. Ind.*6,*Regni ſui* I id conſtituerit, quia Adolfus A.D. 1292 *Janua.*6 *Ind.* 5 *in Sept.* deſinente, Regnum Rudolfo ſuffectus iniit: anno vero 1294 Nov.18 Ind.8 annuſque Adolfi III cucurrit. Inutile tertio,& ridicule adjectum quod A.D.1208 Henricus II Brabantinus *Colonienſis*, Anno 1270 Ioannes I nepos *Leodicenſis*, anno 1274 idem *Aquenſis Eccleſiæ* ſibi *Advocatiam* vindicaverit, quandoquidem fieri aliter non potuit, cum uterque *Lotharingiæ inferioris Dux* & *Advocatus* fuerit, quin Coloniæ, Leodii, Aquiſgrani, nobilium Lotharingiæ ejuſdem membrorum, hoc ipſo *Advocatum* egerit. Inutile quarto eſt, quod *ex Diplomate Santalbano anni* 1103 *apud Chriſtianum Vrſtiſium epit. Baſil.* c.10 Advocatum Comitibus antelatum fuiſſe *conſtare* dicit. quæcunque enim eorum dignitas fuerit, Regum, regnique in quo degebant ſummæ poteſtati ac libertati, ne quicquid ex re eſſe videretur decernerent, derogare potuit: tribui etiam *Advocatis* univerſis, ut *Comitibus anteferrentur*, niſi imperite & incommode non potuit; cum non unius omnes generis, ſed alii *majorum*, ut à Regibus Provincia vel pago eorumque Eccleſiis dati, alii minorum gentium, alii medii unicuique vel Eccleſiæ, vel oppido pacto traditi fuerint. Prioris generis fuere Lotharingiæ tam ſuperioris quam inferioris Bavariæ & Saxoniæ Duces, quorum id jus fuit, ut *in Prælatorum electionibus & depoſitionibus ſemet adjungerent*, prout ex Magero p.10 notat & Theodorici I Moſellanæ Ducis exemplo, Arnulfi Bajoarii & Henrici Leonis p.83 confirmat Chiffletius. acceſſere poſtea peculiaria pacta: ſic enim A.D. 1036 à Reinardo Præſule Leodienſi Henricus Lovanii Comes oblatorum à Rudolfo & Giſla S. Lamberto prædiorum *Advocatus factus eſt.* Troph.Brab.p.23. Ludovicus Loſſenſis Comes, Averbodii monaſterii à ſe fundati ſibi ſuiſque Advocatiam reſervavit. S.Trudonis Advocatia à Limburgico 1191, Brabantino conceſſa eſt. p.46. Henricus Brabantinus & Otto Geldrus de *hominum S. Lamberti*, *quam Godefridus de Helmont tenuerat*, A.D. 1202 & 1203 de Bomelienſium *Advocatia* tranſegerunt. p.50, 53. anno 1272 *homines Abbatis S. Galli Rudolfum* de Habſpurg *in Advocatum acceperunt.* Henricus Lucemburgius Trevirenſium *civis factus*, eorum *anno* 1302 *die Lunæ poſt mediam Quadrageſimam Aprili menſe patrocinium* ſuſcepit. Guill. Kyriander *Comment. de Auguſta Trevir. parte* XVII,p.237. Inter minores *Advocatos* Tulli A.D.1069 Indict.7. 8 Nov. Nanceii circa 1100, Voſagi 1158. Clari loci 1159, Hunolſtein anno 1269 Truncinii 1138 *Advocati* fuerunt. Henrici III, IV & V Regum Chartis Anno 1041 & 1065 & 1134 datis *Comites Advocatis* præpoſuit, *Troph. Brab.* p.24. prob. p.29, 33. ipſe etiam Lovanii Comes anno 1489 ſe *Comitem & Advocatum* inſcripſit. *Ibid.* p.28. Imo *Alſatiæ Advocatus* in Charta Boſonis villæ *anno* 1123 *Indict.*1. *Stephani Metenſium Epiſcopi ſecundo* ſcripta, non tantum Duci, ſed aliis multis nobilibus poſthabitus eſt. ſic enim Charta: *Comes Theodoricus coram omnibus Principibus interdixit Advocatis*, &c. *adhibiti ſunt plures teſtes*, *nobilium*, *Dominus Vigericus de Walecourt*, *Ioannes de Ditenhof*, *Walterius de Erneſdorf*, *Gotofredus de Diſurt*, Hezel Advocatus Alſatiæ, *Adalbertus*, *Albericus fratres ejus*, &c. Ex quibus omnibus conficitur Chiffletium omnia confundere, incomperta ſcribere ſuetum, more ſuo hoc loco egiſſe.

Gen. Loth. p.113, 111, 118, 121, 128.

Kyriander p.134.

Poſtquam *Trevirenſis civitatis Advocatiam* non primi generis, ſed ſecundi

cundi tantum totamque conventionalem à civibus *concivi* ſub conditione delatam fuiſſe monuimus, de altera quam Chiffletius addit, ad primum genus ſpectante, aliquid adnotandum venit. Chartam Elizabethæ Gorlicienſis A.D. 1428 Sept.7 ſcriptam, quæ in Rudolfi I, Caroli IV, Iudoci & Lucemburgenſium anteriorum literis hos *S. Maximini juxta Treviros Advocatos* fuiſſe aſſerit, & conſimilem Caroli Burgundiæ Ducis A.D. 1173 Sept. 14 datam profert. ſed nec id ad rhombum;quandoquidem de *Advocatia* illa ejuſque prærogativa nemo litigat, nec ſi litigandum quis putaret, eam protinus hæreditariam fuiſſe credere neceſſe eſſet,cum contrarium ex Chartis habeamus, quæ Hilderadam Sigefridi primi Lucemburgi Comitis coætaneam ab anno 970 ad 996, Henricum Sigefridi filium Bajoariæ Ducem à Folcmaro Abbate electum, & Henricum II Sigefridi per Fridericum filium nepotem eam tenuiſſe, Giſleberto Anno 1056 ab Henrico Imp.III confirmatum, Conradum Friderici I Suevorum Ducis filium à gente Lucemburgicâ alienum Anno 1157 hoc munere functum docent.

Ad *Alſaticam* poſt alias *Advocatiam* ſe tandem ſolitæ ſed ſtultæ malignitatis œſtro percitus confert, utque aculeum altius figat, Gallorum *mentes duras*, *retrogradas*, *ſæpe Imperatoribus graves*, ex Lampridio in Alexandro, iis *inſitum eſſe leves & degenerantes à civitate Romana*, ex Trebellio Pollione in Gallieno nugatur: quid enim ad Alſaticam Advocatiam ejuſque jura, ſi Galli (quorum portio Alſati, & Sequani Chiffletii Majores) vitii alicujus olim poſtulati fuerint. an Hiſpanis (quos Strabo *contumaces*, *impoſtores*, *proditores*, *latrones* vocat) bene erit, ſi Galli male audiant? annon de Chiffletii rebus frontem periiſſe oportet, quem pluma leviorem, & utre inflatiorem, cum Gallorum à Lampridio & Pollione notatorum nepotem ſe eſſe in eorumque nativo ſolo uſque nunc aura veſci negare nullo modo poſſit, Gallicum nomen infamare non pudet? A.D. 939 *Ludovicus* Tranſmarinus qui *Alſatiam invaſerat*, Othone Briſiacum obſidente *diſceſſit*. Eſto; an ex eo ſanus quiſquam ſequi crediderit, Anno 1648 univerſo Imperio Germanico annuente Gallici juris Alſatiam fieri nequaquam potuiſſe? *Andreas Cheſnæus hiſt. Bethun. lib.1. ſcripſit Theobaldum Ferretæ Comitem ab Adolfo Rom. Rege inſtitutum fuiſſe Advocatum terræ Alſatiæ ut eam defenderet, & ſervaret contra invaſiones Francorum.* Eſto rurſus: quid aliud hinc conficitur, quam Adolfum Francis quos offenderat, male voluiſſe? quid autem impedit ne Ferdinandus III totaque Germania aliter nunc affecta ſit? ab Adolfo injuriâ nullâ provocato & auro Anglico redempto Francos, à quorum partibus æmulus Albertus I ſtabat, offenſos fuiſſe coætaneus Annalium Colmarienſium ſcriptor notat, ad A.D. 1295. *Romanorum Rex Adolfus expugnatâ terrâ Dominorum Miſſinenſium iter ſuum verſus Alſatiam dirigebat, ſeque præparabat ad eundum contra Regem Franciæ, ut eum de rebus propriis extirparet.* A.D. 1297 *Rex Adolfus circa nativitatem Beatæ Virginis Mariæ, D. Theobaldum Comitem Phirretarum Alſatiæ inſtituit Advocatum, Comes Phirretarum deſcendit ad Regem cum multitudine bellatorum, D. de Liechtenberg fuit de Egenheim deprædatus. Rex Angliæ miſit præcedenti anno Regi Romanorum triginta millia marcarum*, &c. *Rex Romanorum venit in adjutorium Regi Angliæ cum equis bis mille phaleratis.* Adolfum non ſua aut Imperii Germanici, ſed Angli causâ bello ſe adverſus Francos de *Alſatia invadenda* ne cogitantes implicuiſſe vidimus:

p. 13.

Alſatos

Alſatos Francis faviſſe nunc demonſtrandum. *Rex Romanorum volens adjuvare Regem Anglorum in Alſatiam perrexit, D. Theobaldum Comitem Phirretarum Advocatum terræ conſtituit, & ad inferiores partes deſcendere feſtinabat. Cum autem in Seleciſtat perveniſſet, dicebatur ei quod Epiſcopus Argentinenſis inſidias ſibi poſuiſſet, & quod Regem Franciæ juvare vellet, per partes Epiſcopi deſcendere non audebat, ſed ſe in Briſacum tranſtulit, & in navi cum paucis deſcendit, in* Germisheim *pervenit, & ſic de manibus Epiſcopi ſe defendit. His geſtis mandavit Rex Comiti Phirretarum Advocato terræ ut Regem Franciæ fideliter impugnaret, quia & ipſe in inferioribus partibus eum vellet impugnare, quod & fideliter adimplevit: congregavit enim exercitum magnum, perrexit ad Gallos, & eos atrociter infeſtavit; cognati ſui vetarunt, eumque ſuppliciter rogaverunt, ut eos à ſuis proprietatibus non deleret; inſuper quinque millia librarum Tullenſium porrexerunt. ipſe eorum precibus acquievit, & ad propria rediit feſtinanter.* & parte 1. ad A.D. 1298 *Domina de Valchinſtein, cuſtos monaſterii S. Crucis, audiens Regem Adolfum cum armatis in Alſatiam venturum, ſe cum rebus ſuis in Columbaria tranſtulit, & reliquias aliquas cum caſula ſerica rufa, carmine hexametro texta, in qua B. Leo cœmeterium S. Crucis & Eccleſiam conſervavit, fratribus prædicatoribus ſicut ſuis fidelibus commendavit, Comes Phirretarum Advocatus Alſatiæ clauſtrum S. Crucis deſtruxit; Rex Adolfus clauſtrum S. Marci de Schuartzinburg devaſtavit; Epiſcopus vero Argentinenſis caſtrum Eſchowe dicitur deleviſſe. Cives Hagenoenſes dicuntur pene omnes villas civium Argentinenſium deleviſſe. Villam de Caſtineto, rerum de Schleziſtat abſtulerunt, ipſi autem potenter egreſſi Caſtinetum ignibus cremaverunt. Illi de Caſtineto de hoc doluerunt, Gallos adjutores ſuos vocaverunt, & potenter in Kumigisheim perrexerunt, & illud per flammam totaliter deleverunt. Illi vero de Kumigiſheim congregaverunt, & illis de Caſtineto reditum præcluſerunt, cum eis pugnarunt, & ex utraque parte quinque gladio perierunt. Rex Adolfus 4 Kal. Iunii ad obſidionem ſe Rubeacenſium paravit. Rex Adolfus ab obſidione Rubeacenſi in feſto Barnabæ Apoſtoli recedebat, & ſe in Egensheim transferebat. Poſt feſtum Viti & Modeſti, ideſt 16 Kal. Iulii Rex Adolfus ab obſidione caſtelli Egensheim recedebat,* &c. *feſto ſanctorum Proceſſi & Martiniani Rex Adolfus interficitur*, &c. *pridie Nonas Decembris Epiſcopus Argentinenſis cum civitatibus Regis* (Alberti) *cum exercitu terram Phirretarum Comitis intraverunt.* A.D. 1299 *Comes Phirretarum à Domino de Rotelheim captivatur.* Ex his tria nobis manifeſta fiunt, Argentinenſes, Rubeacenſes, Eginsheimenſes, &c. Ferretenſem non Advocati ſed hoſtis loco habuiſſe, 2 à Francis nihil meruiſſe, 3 eorum *Regem juvare voluiſſe*, & Caſtinetanos ejus opem imploraſſe; illud etiam ex Alberto Argentinenſi habemus ipſum Alſatiæ Lantgravium Albertum, qui paulo poſt regnavit militaſſe, cum hæc ejus verba fuiſſe referat. *Si Dominus meus Romanorum Rex ſtipendiarius eſt Anglici factus, & ego minore dedecore ſtipendiarius ero Franci.* quo nihil ad confutandam Chifletii malignitatem expreſſius eſſe poteſt. ſi enim Albertus Auſtriacorum omnium fons, cum Alſatis in partem Francicam inclinavere, quidni Alberti ejuſdem nepotes Auſtriaci hodierni in Philippi Pulchri *hæredem* Alſaticum patrimonium transfundere jure potuerint?

Ibid parte 2.

Barrenſes.

Miſniæ, Sueviæ, Alſatiæ, Brabantiæ, Hasbaniæ Advocatias fuiſſe confiteri neque ſcopum ferit, neque negandum videtur; Præter Hezelum cui A.D. 1123

Ind. I Alſaticam commiſſam fuiſſe monuimus, & Conradum Wernherum de Hadiſtat, quem Annales Colmarienſes anno 1276, 78, 79 *Advocatum* fuiſſe notant; alios, Othonem ſcilicet Ochſenſteinium annis 1281, 83 quo *Rudolfus Rex emit jus ſeu advocatiam Dominorum de Liechtemberg quam habebant ſuper civitatem Argentinam*, 84, 85, 90, 92; Theobaldum Firtenſem annis 1296, 97; Ioannem de Liechtemberg, anno 1299; Albertum Humelionem de Liechtemberg anno 1323; Albertum de Hohenberg anno 1331; Ioannem de Vinſtingem anno 1348, Hugonem de Hohenberg anno 1353 à Carolo IV depoſitum, eodem munere perfunctos confitemur; cæterum Chifflетii de Friderici *Pulchri* Auſtriaci *Cæſareatu*, & Ioannis Lucemburgici *Advocatia* nugas exſufflamus; quis enim à paucioribus in ſchiſmate electum, nunquam Aquiſgrani coronatum, Regium nomen ejurare coactum, nulli coætaneo poſt A.D. 1325 Regem agnitum, Regibus poſt annos à morte 325 quia exemplô ſuô male præivit, audaciſſimus *aviorum peragrator* annumeret? Si quod temere commentus eſt idem, *ad Ioannem Lucemburgi Comitem, ab ejus poſteris hæreditario jure poſſidenda Alſatiæ Advocatia tandem delata eſt*, ubi, quando, à quo, factum dixerit? quis id factum antehac vel per ſe ſuſpicatus eſt, vel ab alio quoquam audivit? non certe *Advocatiam* illam Ioanni filio vix quindecenni detulit Henricus VII; non Fridericus Auſtriacus cui tota vita adverſatus eſt Ioannes, non ante annum 1331 Ludovicus IV, quandoquidem annô illo Alberto Humelioni de Liechtemberg Albertum de Hohenberg ſuffecit; non poſt 1331 quia ab A.D. 1330 ad vitæ finem Ludovico conſtanter adverſatus annô 1330 Italiam invaſit, A.D. 1336 Carinthiaci Ducatus, anno 1341 Tirolenſis ditionis jactura irritatior, anno 1344 fœdus adverſus eum in oppido Bacharaco percuſſit; anno denique 1346 Iulii 19 Carolum filium regni æmulum ei oppoſuit, & Auguſti 26 feria 7 in Creſſiacenſi prælio cecidit. ſecundam uxorem Beatricem Borboniam anni 1334 menſe Decembri duxerat, ex qua Wenceſlaum Lucemburgi Ducem à Carolo IV fratre A.D. 1354 Indict. 7 tertio Idus Martii Metis creatum; anno 1365 *Alſatiæ Advocatia* auctum, & 1383 Dec. 7 denatum ſuſceperat. Cum autem Advocatiam illam ipſi anno demum 1365, à morte patris 20, ex parte commiſſam fuiſſe Ioannes Froſſartus *Vol.* 3 c. 47 obſervet, *patrimonialis & hæreditaria* (quod ex Divæo & Haræo p. 17 & 18 volebat Chiffletius) eſſe nequaquam potuit: eamne ad vitam tenuerit, dicere nunc nemo poteſt, cum nulla perpetuæ hujus poſſeſſionis monumenta extent, in iis, quæ uſque nunc editæ ſunt, Wenceſlai Chartis Alſatiæ commendatæ nulla mentio occurrat: Wenceſlaum antiquus nullus Alſatiæ *Advocatum* inſcripſerit.

Annal. Colmar.

Albert. Argent.

Vt *Advocatiam Alſaticam* Ioannis Bohemiæ Regis poſteris, quô jure quave injuria vindicet, gradus VIII genealogicós exhibet p. 14, ſed ſuo more non ſine mendis; quare in tranſcurſu meritâ cenſurâ perſtringemus. I *Carolus*, inquit, *quartus Rom. Imp.* 1348. Atqui *anno Domini* 1346 *in Cœna Domini*, ſive April. 13. *Clemens Papa contra Ludovicum Principem duriſſime procedens, monuiſſet Principes Electores, ut Regem eligerent idoneum in Imperatorem*; *Gerlacus de Naſſowe*, Henrici de Virnemberg loco Moguntinæ Eccleſiæ Præſul, *ad villam Rens ſuper Rhenum, ad feriam quartam poſt Margaretæ*, id eſt Iul. 19 *principes convocavit, qui Carolum Marchionem Moraviæ in Regem elegerunt*; *Dominicâ ante feſtum Martini*, id eſt Novemb. 5, *Papa in Conſiſtorio publico Carolum*

Albert Arg. Henr. Rendorf.

rolum in Romanorum Regem ſolenniter approbavit; quem cum Aquenſes & Colonienſes non recepiſſent, in Bonna ab Archiepiſcopo Colonienſi Dominica ante Andreæ Novemb. 26 *extitit coronatus:* id ipſum exigit Caroli diploma à Chiffletio p.16 prolatum,quod *anno* 1354 *Indict.*7,3 *Id.Mart.regnorum* Caroli *anno* 8 datum eſt.

2 *Ioannis Brandeburgici & Moraviæ Marchionis uxor Margareta Oppavia.* Alberto Argentinenſi aliter nomen efferre viſum; ſic enim ille ad A.D. 1352 *Ioannes frater Regis filiam Ducis Poloniæ, quam de* Tropowe *nominant, inſcio Rege traduxit uxorem.* Eum vero Brandeburgo gratis præfecit Chiffletius, Marchionatum Waldemaro denato Ludovico Bavaro ab A.D. 1322 ad 1348, à 1348 Ludovico Romano & Othoni fratri, à quo poſt A.D. 1363 Carolus IV emit, ceſſiſſe oblitus. 3 *Iodocus electus Rom. Rex obiit* 1410; electus anno 1410 Sept.1. deceſſit 1411 Mart.20.

4 *Ex Conjuge Anna Boleſlai Ducis Sileſiæ filia nati Cæſares duo.* Nec proprie *Sileſiæ* ſed *Sueidnici in Sileſia Dux* Boleſlaus, nec ex ejus *filia nati Cæſares duo*; ſed (ſi Henricum Rebdorffium coætaneum audiamus) unicus Wenceſlaus: ſi Albertum Argentinenſem æque coætaneum nullum, quandoquidem ex hujus ſententia *iiſdem dictis* (id eſt anno 1350) *Caroli Regi in Bohemia, ex nova uxore filia Rudolfi Ducis Bavariæ filius Wenceſlaus natus eſt.* Rebdorfio tamen viſa,quæq; triplici characterum tempus denotantium fibula adſtringit, ſcribenti aſſentiri præſtat; componit enim cum *principio Martii* anni 1361 in quem Wenceſlai natalis incidit, *Dominicam qua cantatur* Miſericordia Domini, *quæ tunc fuit 3 Idus April.* & *Indulgentiarum* ab *Innocentio* VI *conceſſarum* mentionem; nemo autem non videt hæc anno Iubilæo 1350, quô Clementis VI octavus deſinebat,nequaquam convenire,nec Innocentium VI qui anno demum 1352 Decemb.18 Clementi ſuffectus eſt, ullas quas anno 1350 April. 11 *concederet indulgentias* habuiſſe. fuerit ergo Wenceſlai mater Sueidnicenſis non Palatina; an vero Sigiſmundum prout Chiffletius Cuſpinianum ſecutus credidit, eadem pepererit? fieri nullo modo poteſt. anno 1362 *circa feſtum Ioannis Baptiſtæ moritur Imperatrix ſupra ſcripta*, inquit Rebdorffius; anno ſequente quartam uxorem Cracoviæ (qui impellente Vrbano V Innocentio VI Sept.27 ſuffecto conceſſerat) *Elizabetham filiam Boguſlai Ducis Stettinenſis, neptem Caſimiri duxit, ſuntque nuptiæ ſplendidiſſimæ celebratæ præſentibus Rege Hungariæ Ludovicô,Daniæ Valdemar,Cypri Petro,cum* Othone Bajoaro, Boleſlao Suidnicenſi, Vladiſlao Opolienſi & Bogiſlao Pomerano Ducibus, *in Bacchanalibus* Feb.14 feria 3; prout Ioannes Dubravius lib. 22 Thomas Iordanus notarum ei additarum auctor, Nicolaus Vignerius & Salomon Neugebaverus ex Martino Cromero obſervant. ex his nuptiis Sigiſmundus circa A.D. 1370 prognatus eſt, quem *annum quintum tunc* cum Wenceſlaus *Aquiſgranô in Regem Romanorum coronaretur* egiſſe, & *Marchiam Brandeburgenſem Elizabetha matre factum haud improbante adeptum* fuiſſe, ex Dubravio eodem conſtat.

5 *Ex altera Agnete filia Rudolphi Ducis Bavariæ natus Ioannes.* Quæ ex duabus à Chiffletio memoratis Caroli IV uxoribus *altera* dicitur, reverâ ordine *ſecunda* fuit, quam *Annam* non *Agnetam* vocat & mares peperiſſe jure negat Dubravius, *bene* (inquit) *prior Anna venerat dotata, complures in Bavaria arces, oppidaque, & inter illa Saliſpachium marito relinquens, cum unâ filiola,*

quam poſtea Carolus principi Auſtriæ elocavit. ut ut vero altum ſileant quotquot Lucemburgica ſcripſerunt; Ioanni ſive Agnetem, ſive Annam parentem aſſignare abſurdum eſſe res ipſa clamaret; ſi enim Wenceſlao 1361 ex Anna Suidnicenſi, & Sigiſmundo circa 1370 ex Elizabetha Stettinenſi natis minor fuit Ioannes, quî ſecunda Caroli uxore anno 1356 ante germanorum annis majorum natalia mortua ortus fuerit? quis etiam ſecundæ uxoris filio non minimam in hæreditate paternâ portionem, ſed regnum ipſum Bohemicum (quod Wenceſlao tertiâ ac exinde Sigiſmundo quartâ) nato obvenit, devoluendum fuiſſe? cum in Ioannem qui Gorlicio contentus vixit, devolutum non ſit, quis poſt alios omnes, adeoque quarta uxore editum cenſeri debere non videt?

Wenceſlaus II, *Rex Bohemiæ*, *Dux Lucemburgi*, *Advocatus Alſatiæ*, *Rom. Rex* 1377, *obiit* 1418 *ſine liberis.* Wenceſlaus inter Bohemiæ Duces ac Reges Wenceſlaos, non *ſecundus* ſed *quintus*, vel etiam (ſi Carolum parentem in ſacro lavacro Wenceſlaum dictum adnumerare libeat) *ſextus* fuit; inter Lucemburgi Duces, ab anno 1383 Decemb.7, quo patrui hæreditatem crevit, ſecundus fuit; ſed cum anno non 1377 ſed 1376 *feria* 3 *Pentecoſtes* ſeu Iunii 3, Rom. Rex electus fuerit, anno vero 1378 Novemb.24 regnum Bohemicum adeptus ſit, qui anno 1362 in cunis coronatus fuerat, nec ordinis, nec dignitatis in digerendis ejus titulis rationem habuit, ad miſcenda omnia natus Chiffletius, quem cæcæ temeritatis; diploma ab ipſomet editum p.19 pœnas dare jubet. Vbi *Rom. Rex* adeoque totius Imperii Germanici *Advocatus* factus eſt, *Alſatiæ Advocatus* dici ſine abſurditate non potuit; ejus enim *Advocatia generalis*, & ſumma fuit, non ad *Alſatiam* reſtricta, eoque ſummâ minor: anno denique non 1418 ſed 1417 Iul.17 *obiit*; quandoquidem Pio II teſte, *annis quinque & quinquaginta regnavit, vixit & duobus amplius* qui annô 1361 utero fuſus fuerat.

7 *Sigiſmundus Rom. Imp.* 1412 Iudoco patrueli annis 1411 Martio deſinente ſuffectus, *Rom. Rex* dici cœpit, *Rom. Imp.* annô demum 1433 Maji 31 *Indict.*XI *in Pentecoſte* coronatus eſt; cur vero ei qui tam Bohemiæ quam Hungariæ Rex fuit, imo potiori Bohemiam avitum quam Hungariam adventitium regnum jure tenuit, *Bohemici regni* titulum deneget, viderit Chiffletius; nobis temere nulloque judicio factum fuiſſe certum eſt.

8 *Ioannes Dux Gorlitii Marchio Moraviæ & Luſatiæ.* Gorlitii in ſuperiore Luſatia Ducem Marchionem fuiſſe qui ſponte agnoſco, totius Luſatiæ potentem fuiſſe nequaquam video; ſi enim fuiſſet, à Luſatia ipſa, non à Gorlitio ejus membro nomen verius traxiſſet; qui *Gorlitii Ducem & Luſatiæ Marchionem* appellant, perinde agunt, ac ſi Fridericum Guillelmum qui nunc rerum potitur, *Berlini urbis Marchiæ Ducem*, & *Brandeburgi Marchionem*, aut Ioannem Georgium Saxonem, *Dreſdæ* Miſnici oppidi *Ducem* & *Miſniæ Marchionem* vocent. Moraviæ Marchionem Ioannem fuiſſe aut eſſe potuiſſe abſolute nego; quandoquidem eam à parentis dormitione nunquam poſſedit aut ſibi vindicavit, ut eam deinceps ad Ioannem filium tranſ-
p.15. mitteret Carolus IV; *Ioannem* enim *ſecundogenitum teſtamentô* anno 1340 condito in *Marchionem Moraviæ hæredem inſtituerat*, Caroli pater Ioannes Bohemiæ Rex. Is vero cum Marchionatum ab A.D. 1346 ad 1388 plus minus tenuiſſet, Iodoco, Procopio, & Ioanni liberis poſſidendum reliquit;

nec

nec ante 1411 Mart. 20 fatis Iodocus conceſſit; quid ergo, quod in eô ſibi arrogare poſſet habuit, ante annum 1409 April. 27 denatus Ioannes Gorlicienſis?

9 *Richardis filia Alberti Ducis Megapolitani*, Ioannis *uxor*, Elizabethæ mater fuit. Qui prolem ex Richarde nullam ſuſceperat Ioannes, Iſabellam Leopoldi Auſtriaci, & Viridis Mediolanenſis filiam duxit, ex qua Elizabeth Lucemburgi Dux nata eſt, prout jamdudum monuit, qui N. Vignerii hiſtoriam Lucemburgicam notis illuſtravit.

10 Ex Anna Auſtriaca Guillelmus Saxon. Dux nullum Guillelmum ſuſcepit. Cum igitur per avia abreptus omnia quantum in ipſo fuit Chifletius turbaverit, ſupereſt ut verum Lucemburgicæ familiæ ſtatum reſtituamus.

Henricus Lucemburgi Comes Margaretæ Ioanne I Brabant. natæ maritus, A. D. 1308, Novemb. 25 Rex electus, A. D. 1313, Auguſt. 24 veneno ſublatus.

Ioannes Iſabellæ Bohemiæ Reginæ, A. D. 1309 ac exinde Beatricis Borboniæ A. D. 1321 maritus, *Patris in Italia agentis apud Germanos vicario nomine adminiſtrans Imperium*, A. D. 1346, Auguſt. 26, feria 7, Creſſiaci cæſus.

1 *nupt.* Carolus IV Blancæ Valeſiæ, A. D 1323, Annæ Palatinæ 1349, Annæ Sueidnicenſis 1356, Elizabethæ Pomeranæ 1363 maritus, A. D. 1346, Iulii 19, feriâ 4 Rex Rom. electus A. D. 1378, Novem. 23 denatus.

Primiſlaus puer denatus.

Ioannes Henricus Moraviæ Marchio Margaretæ Oppaviæ maritus.

2 *nupt.* Wenceſlaus Dux I Lucemburgi Imperii cis Alpes Vicarius, Ioannæ Brabantiæ Ducis maritus an. 1383, Dec. 7 denatus.

1 *nupt.* Margareta Ludovici Hungar. Regis uxor 1 cum aliis ſororibus.

2 *nupt.* Catharina Rudolfi Auſtriaci uxor.

3 *nupt.* Wenceſlaus Rex Bohemiæ A. D. 1362 ſalutatus, Rom. an. 1376, Iunii 3 feriâ 3 Pentecoſtes electus, an. 1383 patruo ſuffectus, A. D. 1400, Aug. 20, feria 6 depoſitus, A. D. 1409, April. 27 Alſatiæ Advocatiam in quam nihil juris habebat oppigneravit, A. D. 1417, Iulii 17 denatus.

4 *nupt.* Sigiſmundus Barbaræ Hermanno Ciliæ Comite natæ maritus, ex Brandeburgi Marchione A. D. 1382 Hung. Rex, an. 1411 menſe Martio Rom. Rex electus, an. 1417 Bohemiæ Rex, A. D. 1437, Decem. 9 denat.

Ioannes Gorlicii Dux Richardis Megapolitanæ ac exinde Elizabethæ Auſtriacę maritus, ante ann. 1402 denatus.

Iudocus qui ſe an. 1328 Brandeburgi Marchionem inſcripſit, & eodem titulo an. 1409 à Wenceſlao inſignitus eſt, A. D. 1410, Septem. 1 Rex electus poſt Rupertum, an. 1411, Mart. 20 denatus.

Procopius.

Ioannes Patriarcha Aquileenſis, an. 1388 denatus.

Elizabetha Alberto II, A. D. 1438, Ianuar. 1 electo, an. 1439, Octob. 27 denato, A. D. 1422 nupta, A. D. 1442 denata.

2 *nupt.* Elizabetha Antonii Burg. Brabantiæ Ducis, ac exinde Ioannis Bavari Hannoniæ & Hollandiæ Comitis uxor, A. D. 1451 denata, cui Lucemburgum an. 1409, April. 27 oppignerari permiſit ante novennium depoſitus & poteſtate in Germania abſolute carens Wenceſlaus.

Guillelmum male Haræs Bochius, Zypæus *Brunsvicenſem* vocant.

Georgius, A. D. 1436, Febr. 16 in adoleſcentia denat.

Anna Guillelmi Saxoniæ Ducis uxor, quæ cum Elizabetha Gorlitienſi & Philippo *Bono*, an. 1443, Decemb. 29, & poſt Elizabethæ mortem cum Philippo A. D. 1462, Sept. 3 tranſegit; & paulo poſt denata eſt.

Elizabetha Caſimiri IV Poloniæ Regis uxor, an. 1505 denata.

Ladiſlaus Rex, A. D. 1440, Febr. 23 natus, A. D. 1457, Novem. 23 denatus.

Guillelmus Burgund. A. D. 1410, Iulii 10 denatus.

Margareta Ioannis III Brandeburg. Elect. uxor.

Anna Henrici Munſterbergæ Ducis uxor.

Vladiſlaus Rex Hungariæ & Bohemiæ Annæ de Fuxo maritus, an. 1517 denatus.

Caſimirus Dux Lituan.

Ioannes.

Albertus.

Alexander.

Sigiſmundus I.

Succeſſive Poloniæ Reges.

Ludovicus Rex Mariæ Auſtriacæ maritus, A. D. 1526, Auguſt. 22, in prælio adverſus Turcas cæſus.

Anna Ferdinandi I uxor, A. D. 1547 denata Febr. 1.

Quod [1] Henricus VII, Margaretam Brabant. anno 1292 die Mercurii poſt Pentecoſtem duxerit, anno 1308 electus, Bonconventi Senenſis territorii anno 1313 deceſſerit, Piſis anno 1315 Kal. Sextil. in cathedrali ſepultus ſit, quod Ioannes filius Beatricem anno 1334 Decemb. deſponſaverit, anno 1340 Sept. 9 teſtamento filios hæredes ſcripſerit, anno vero 1613 novo eoque mendoſo epitaphio auctus ſit, extra cauſam eſt: manet tamen Ioannem Carolo non *Blideſſinenſem* ſed *Budiſſinenſem diſtrictum* reliquiſſe: nec *tertio* ſed *ſeptimo Kalendas Septembris* cæſum fuiſſe. cum enim Albertus Argentinas *ſabbato poſt Bartholomæi Apoſtoli*, Rebdorff. 23 *die menſis Auguſti quæ eſt vigilia* [2] cœptum bellum, *Anglos per duos dies* nempe 24 & 25 *fugam ſimulaſſe, tertia die aggreſſum bellum in quo Ioannes occiſus eſt:* Pius II *in celebritate S. Rufi*, Nota ad Dubravium marginalis *Auguſti 26 florem nobilitatis Galliæ periiſſe* indicet, Auguſti 26 feria 7 quæ proxime *S. Rufi* feſtum præceſſit, non Aug. 30 feria 4 prælium Creſſiacenſe commiſſum fuerit; nec aliud voluit Rebdorffius qui *in Sabbato commiſſum eſſe magnum bellum* expreſſe ſcripſit, ut in eo *non tertia die, quæ fuit dies Mercurii*, ſed *tertia die quæ fuit à die Mercurii* legere debeamus.

[3] Caroli IV Wenceſlaum fratrem *Ducem*, qui *dextrarii Imperialis frænum à latere dextro gubernaret*, & *in recubitu menſæ regiæ cibos incideret* A.D. 1354 creantis diploma tam eſt ἀπροσδιόνυσον, quam Wenceſlai in Aureæ vallis monaſterio conditi epitaphium, nemo enim *Ducem* fuiſſe & diem obiiſſe negat: Carolum IV eidem [4] *magnam partem terræ & regionis Alſatiæ ut illam à Linfardis tueretur* dediſſe (quod Froſſardus ſcripſit) non *ex patrimonio*, quod Divæus & Heræus voluerunt, ſed ex *beneficio* Regis fratris *arbitrario*, quicquid ſit non *poſſeſſionis* ſed *præfecturæ* aut *muneris* ſive ad vitam, ſive ad brevius tempus exercendi, datam eumque vel gleba auctiorem factum non innuit. fuit ergo non *Alſatiæ* unius, aut *partis* in ea, quod Froſſardus ſcripſerat, ſed *Imperii cis Alpes Advocatus*: hinc Wenceſlai Charta ex Archivo Hann. Mont. Wenceſlas *de Boheme par la grace de Dieu, Duc de Lucemburg, de Lothier, de Brabant, de Limburg, Marchis du S. Empire, & d'icely deça les monts* [5] *Vicaires general*, &c. *fait & donneit à Bruxelles le jour des Paskes flories l'an de grace* 1366; *& Caroli* IV *ex Cam. rat. Inſul. Karolus* IV *divina favente clementia, Rom. Imp. ſemper Auguſtus & Boemiæ Rex; Cum Illuſtris Wenceſlaus Lutzemburgiæ, Brabantiæ, & Limburgi Dux in partibus citramontanis Vicarius generalis*, &c. *Datum Francofurti* A.D. 1368, *quarta die menſis Febr.*

Poſt Wenceſlai Ducis A.D. 1383 Dec. 7 denati mortem Wenceſlus Rex Ducatus poſſeſſionem adiit, [6] prout ex ejus Chartis liquet. *Datum Luxemburgi* A.D. 1384 *Indict. 7 ſexto Idus Aug.* &c. *Dat. Luxemburgi, annô poſt Chriſti nativitatem* 1384 *die Mercurii proximô ante feſtum aſſumptæ Virginis*, &c. ſed eum aliquanto poſt [7] Iudoco Moraviæ Marchioni patrueli oppigneravit, qui rurſus Ludovico Aurelianorum Duci propinquo ſive gratis, ſive pretio addixit. hinc factum ut [8] Chartâ *A.D.* 1403 *Mart.* 19 *Codiciaci* Trevirenſibus datâ, ſe *Mamburnum & Gubernatorem Ducatus Luxemburgici* inſcriberet; nec improbabile eſt ſimiles alias ad A.D. 1402 & 1407 Novemb. 22 quô cæſus eſt, ſcripſiſſe. Poſt Ludovici cædem redeunte ad Iudocum Ducatus poſſeſſione, conſimilem Trevirenſibus dedit, cujus hic finis, *Data literæ in Brunnem à nativ. Chriſti anno* 1405 *die Martis poſt D. Luciæ*

(ſeu

[1] p. 15.
[2] S. Bartholomæi ſcil. fer. 4.
[3] p. 16.
[4] p. 17.
[5] Ol. Vred. Genealog. Fland. prob. p. 400 & 402.
[6] p. 405.
[7] circa 1399.
[8] Kyriander Cenom. de Aug. Trever. part. 17. p. 258. Brouverus Annal. lib. 18.

(ſeu Dec.21) Anno 1409 April. 27 Wenceſlaus, ante octennium depoſitus, cui proinde nulla in Imperium Germanicum ipſamque Alſatiam poteſtas reliqua erat, Elizabethæ propinquæ & Antonio Burgundo Brabantiæ & Limburgi Duci ſponſo, [1] *indulſit*, ut Ducatum Lucemburgenſem, cum Chiſneii Comitatu, & Advocatia Alſatiæ, Iudoco *patrueli* quem improprie *patruum* vocat oppignerata, *redimere*, ſeque *Lucemburgi Duces* cum poſteris inſcribere poſſent, ſed iniquâ ipſoque jure nulla conditione, *ſuccedere debebunt* (inquit) *& ſuccedent, & vaſalli Regni & Coronæ Bohemiæ hæreditarie nuncupari; ipſorumque Ducatus, Comitatus & Advocatiæ erunt veri hæredes & Domini*, &c. [2] *Ius, poteſtatem, & omnimodam facultatem redimendi & exolvendi Ducatum Lucemburgenſem cum Comitatu de Chiny, & etiam Advocatia Alſatiæ prædictis, cum ſuis pertinentiis univerſis à dicto Antonio, hæredibus, & ſuis ſucceſſoribus, ſeu cauſam ab eis habentibus, nobis & ſucceſſoribus noſtris quibuſcunque Bohemiæ Regibus, & Coronæ Bohemiæ plenarie*, &c. [3] *Nos Wenceſlaus Rex Romanorum & Bohemiæ præfatus, unire & confœderare debebimus, unimus & confœderamus cum dictis Ioanne & Antonio Ducibus Burgundiæ & Brabantiæ per præſentes, ſic videlicet, quod ipſi nobis, hæredibus & ſucceſſoribus noſtris, Bohemiæ negotiis atque cauſis, & ſignanter adverſus Rupertum de Bavaria adverſarium noſtrum*, &c.

[1] p. 20. [2] p. 22. [3] p. 24.

En præclarum κειμήλιον in quod vaniſſimus hominum, qui reſonantiſſimum *mundi Cymbalam* audire avet, incidens, ſibi habere viſus eſt, cujus gratiâ Pythagoræ inſtar εὕρηκα εὕρηκα, exclamaret, ſibique plauſores Hiſpanos quicquid volunt ſomniare aptos quæreret, nemo non priorum viderat, Edmundus Diæterus, Iacobus Mejerus, Petrus Divæus, Franciſcus Haræus, Aubertus Miræus, Ioannes Bochius, Franciſcus Zypæus, &c. nemo tamen, ut ut oculatus, & Hiſpanicæ cauſæ gnarus, Alſatici juris ſolidum quicquam in eo deprehenderat; una domi cæca, foris oculis (ſi Deo placet) utens nova Lamia, quod aliorum etiam Hiſpanicorum Plenipotentiariorum aciem fugiebat, à ſe deprehenſum vel putavit, vel ſimulavit, nec *pro theſaurô carbones* Regi ſuo offerre dubitavit. Sed ne cui nimia credulitas fraudi ſit, ubi ad univerſorum mentem revocaverim nullam proprie factam, ſive Elizabethæ, ſive ſponſo *Alſaticæ Advocatiæ* donationem, ipſummet adverſarium rogatum velim, à quo & quando diploma ſcriptum putet; [4] ab eô enim cujus *indecentes & deteſtalibiles in imperando mores & actiones*, ut poſt annorum 22 tædium ſolio tandem ab Electoribus, inter quos frater, deturbaretur, à fratre eodem *Sigiſmundo Hungariæ Rege propter tyrannidem, quam in ſubditos exercebat, à deturbatione* exacto triennio *caperetur, cuſtodiæ* manciparetur, à *Bonifacio Papa nono, tertio Kal. Octobris* anni 1403 *reprobaretur*, meruerant, datum eſſe jamque annos octo, menſes ſeptem, dies 23 ex quo, *ceu inutilis, negligens, diſſipator, & indignus ſacri Romani Imperii defenſor, eodem Rom. Imperio, omnique ejus gradu, dignitate ac ditione ad idem pertinente*, adeoque Alſatia *privatus & ſubmotus* fuerat, effluxiſſe compertiſſimum eſt; cum *anno* 400 *Indict.* 8, *feria* 6, *die* 20 *menſis Auguſti, paulum ante Nonarum tempus, à Ioanne Archiepiſcopo Moguntino è publico ſolio ſub caſtro Lonſtein, ſuo & Coelectorum ibidem judicio aſſidentium nomine* depoſitus ſit; *anno* verô 1409 *die* 27 *Aprilis Pragæ*, ubi ſolitô more bacchabatur, in Elizabethæ neptis gratiam Charta data ſit. Arrepto ex Dinteri lib.6 c.38 ad A.D. 1398 loco,

[4] ſententia exauctorat.

¹ p. 25. ¹ *Rupertum anno* 1398 *à Septemviris electum* aſſerit, ſed falſo & abſurde, cum annô demum 1400 Aug. 20 Wenceſlaus ſubmotus, Septembris vero 10 feria 6 Rupertus ſuffectus ſit: ſed forte anno 1398 Wenceſlao niſi mores mutaret minati ſunt *Electores*; *qui poſt plurimos tractatus ſingulares miſſis literis diverſis ad Imperii Principes conventum publicum menſe Majô in oppido Francofortenſi*, &c. *anno Domini* 1400 *pro regni negotiis indixerunt*; *quibus die ſtatuta convenientibus*, *tractatum eſt de electione novi Regis*, *qui poſſet & vellet contra Wenceſlaum regnum vindicare*, *defendere & reformare*, *quique coronam Imperii reciperet*, *& Eccleſiam Dei reſarciret: verum cum Electionis negotium, tum plenum non ſortiretur effectum, & in diem alium rejecta deliberatione principes diſcederent*, *circa Rhenum deinde prope Bobardiam convenerunt*, *& ibi elegerunt in Regem Rupertum Ducem Bavariæ de Heidelberg, virum armis ſtrenuum, conſiliis acutum, Deo devotum.* Si (quod ex Dintero aſſerit Chiffletius) *Wenceſlaus ſemper magnam partem Principum & civitatum Allemaniæ habuit pro ſe:* quî factum ut *Rupertus poſt electionem ſuam in menſe Sept. juxta oppidum Francofordiæ tentoriis fixis in campo uno cum Principibus per ſeptimanas & dies*, *prout electis ad regnum moris eſt*, *ſub dio moram* (nemine contra hiſcente) *traxerit & tandem oppidum feſtivis gaudiis intraverit.* *Cives* verò *de Aquiſgrano qui electum recipere recuſabant, aſſerentes eis id non licere, quamdiu ab obedientia Wenceſlai abſoluti non eſſent*, *ab eodem novo Rege in perſonis & bonis damnati per civitates Imperii tanquam rebelles multa diſpendia tulerint?* Cui nec patruelis Moravus, nec germanus Hungarus, nec extra Germaniam Papa faverunt, quem pro ſe habuiſſe dixerit Chiffletius? Si *Dintero*
Ibid. *æquali ſcriptori magnam ſemper Principum & civitatum partem* Wenceſlai cauſam propugnaſſe perſuaſum fuiſſe nolet, idipſum publico Electorum Dintero αὐτομαρτύρων inſtrumento velut ex profeſſo refelli meminerit: cum enim Wenceſlaum *intervenientibus ſacræ Eccleſiæ*, *Principum*, *Dynaſtarum*, *civitatum, provinciarum ſacri Imperii*, *prudentem moderatorem expetentium ardentibus precibus monitum perſæpe* ac depoſitum tandem fuiſſe doceat, eum qui ſemet jamdudum deſeruerat, ab omnibus deſertum, neminem *pro ſe* vel alienum, vel propinquum habuiſſe neceſſe eſt. De *Iudoco Moraviæ Marchione Wenceſlai patrueli* A.D. 1410 electo qui negare non poterat, *hominem inutilem* fuiſſe, tam falſo ſcripſit, quam inconſiderate, regnum ejus *quinque menſium* ſpatio concluſit, & ab anno 1410 adverſus proprias hypotheſes auſpicatus eſt: intercedunt enim inter annum 1410 Sept. 1 quo Iodocus electus eſt, & 1411 Mart. 20 quo obiit, *menſes* non *quinque* ſed *ſex cum diebus* 20, nec p. 14 potuit Iudoci mors in annum 1410 conferri, ſi anni ejuſdem Kalendis Septembris electus *quinque* poſt *menſibus* ſupervixit. Cum Ruperto Iodocum, Iodoco Sigiſmundum ſuffectum, Wenceſlaum ab anni 1411 Auguſto ad ipſum vitæ finem neglectum, & abdicatum ſine ulla in Germaniam poteſtate fuiſſe negari non poſſet; ad fabulam Dintero ad A.D. 1411 c. 95 decantatam recurrit Chiffletius, *quod* (inquit Dinterus) *Sigiſmundus Wenceſlai frater contra ipſum fuerit electus*; *hoc fuit prout in Kanleſtein*, lege Karleſtein, *ipſemet nobis retulit*) *de ſuo conſenſu*, *& cum proteſtatione*, *quod Sigiſmundus frater ſuus Imperator fieri deberet*, *& quod ipſe Romanorum Rex maneret*. nos autem quibus quid ſibi & Muſis canens *dixerit* aut *proteſtatus* fuerit, præſtare propoſitum non eſt, quid Electores (inter quos Sigiſmundus) cum tota Germania

mania ſenſerint, quo exitu, quod volebat *proteſtatus*, quid ex *proteſtatione* per ſe irrita, reipſa conſecutus fuerit, attendimus & attendendum putamus. cum igitur anno 1400 *Imperio omnique ejus gradu, dignitate ac ditione ad idem pertinente privatus & ſubmotus fuerit*; *cunctis principibus, optimatibus, equitibus, ingenuis, urbibus, provinciis & ſubditis*, ab iis *qui jure* poterant *denunciatum ſit eos ab omni homagio & juramento perſonæ Wenceſlai nomine Imperii præſtito prorſus eſſe liberos*: iidemque *ſub jurisjurandi fide quô imperio obſtricti tenebantur, ne Wenceſlao prædicto, tanquam Rom. Regi deinceps obedirent & obſequerentur, neque illi jus ullum, obſequium, cenſum, reditum, aut ullam aliam obventionem (quocunque nomine tandem appellanda veniret) ceu Rom. Regi penderent, exhiberent, aut exhiberi permitterent, requiſiti atque moniti ſint*. Is vero in integrum nunquam reſtitutus ſit, ſed eo in perpetuum abdicato tota Imperii poteſtas ad Rupertum, Iodocum, Sigiſmundum ſucceſſive tranſierit: anno 1409 ſine ullâ quicquam in Imperio, de ejus *regalibus* ipſaque *Alſatica* ad regalia illa pertinente *advocatia* quomodocunque ſtatuendi poteſtate fuiſſe, ſi quid ſtatuit in irritum cecidiſſe; ſi quid donare viſus eſt, qui nihil habebat & de alieno largus erat, nullum revera fuiſſe, nulli reale quicquam contuliſſe; merum generis humani ludibrium haberi & tunc debuiſſe, & nunc (quicquid ſibi ſuiſque in contrarium perſuadeat Chiffletius) debere.

Sed Wenceſlai abdicationem nunquam fuiſſe, vel quia fuit eum ſolio dejicere nequaquam debuiſſe demus, an protinus quod anno 1409 de Lucemburgi Ducatu, ipſaque *Alſatiæ Advocatia* ſtatuit, ratum fuerit? Wenceſlaum germanum alioſque poſt ipſum Lucemburgi Dynaſtas, *Duces, Imperii Principes*, eo ipſo coronæ Germanicæ immediate ſubditos, prout ex Diplomate à Chiffletio ipſomet p. 16 prolato conſtat, Carolus IV A.D. 1354 Mart. 13 pronunciaverat. Quid annô 1409 Wenceſlaus filius molitus eſt? Elizabetham propinquam & poſteros ob *Lucemburgi Ducatum*, Imperii Germanici feudum, & *Alſaticam Advocatiam* quam inter *Regalia* p 8 numerat Chiffletius *regni Bohemiæ* (quod Germanici feudum eſt) *vaſſallos nuncupari* jubet; ei-ne vel regno Germanico *regalia* ſua ſubducere, vel feuda ejus & regalia gradu dejicere, ut qui antea regnanti uni obnoxii erant, *vaſſalli ſe deinceps vaſſallos* profiteri cogerentur? Iniquum ergo vel hoc nomine fuit ipſoque jure nullum Wenceſlai decretum. Quid ſi ratum nihilominus habendum fingamus? Hiſpanumne in præſens, aut ullos ab anno 1409 Majores ejus *Alſatiæ Advocatos* dicere & credere neceſſe fuerit? doceant qui id exigunt ab eorum ullo quod initio Wenceſlaus præſcripſerat, ut ſe *regni Bohemici vaſſallos hæreditarios*, vel *nuncupaverint*, vel hodie *nuncupent*, ſive antea præſtitum, ſive nunc præſtari. Si de præſtando eorum nemo vel cogitavit, vel cogitat, quid abſurdius animo concipere poſſint, quam ut rei ſub conditione datæ, poſſeſſionem ſibi, conditione nunquam impleta, vindicare audeant?

Tertium eſt quod in Wenceſlai charta merito reprehendamus; ex unanimi Electorum Decreto exauctorato, pari conſenſu ſuffectus, à Rom. ſede comprobatus, ab univerſis Germaniæ ordinibus pro Rege legitimo agnitus jamdudum fuerat Rupertus; in quem deinceps inſurgere, abdicatique ob flagitia pudendis partibus addicere ſeſe ſine crimine Majeſtatis Germanus nemo potuit. At anno 1409 in Antonium Brabantiæ Ducem Lucemburgici Ducatus *Alſatiæ*que *Advocatiæ* poſſeſſionem hac lege tranſcripſit, ob demerita abdi-

tatus Wenceſlaus, ut adverſus legitimum Principem conjurans ſceleſtis ipſum armis oppugnaret, totamque Germanici Imperii harmoniam furiati capitis cauſa turbaret: ſiccine apertam felloniam ei pro laude paciſci, & violatæ Majeſtatis ſacrilegum pretium ferre licuit? ut vero ferendum fuiſſe fingamus, quærimus amplius, an reipſa Wenceſlao in Ducatu Lucemburgico conſtituto *adverſus Rupertum cum duobus millibus lanceatis propriis ſumptibus & expenſis conſilium auxilium & juvamen præſtiterit* Antonius? ſi enim præſtitiſſe dicatur, quando factum? ſi non præſtitit, quod nemini qui eum tota vita in Bohemia deſediſſe meminerit, negandum videtur, quid Antonio pro ſe ſuiſque de Lucemburgico Ducatu, & *Alſatiæ Advocatia*, ſub conditione quæ impleri nec potuit unquam, nec debuit, paciſci profuit, aut nunc prodeſſe poteſt? viderint Hiſpani qui ſibi à cavillatore tam judicii, quam frontis nullius, qui quo putidius deſipuit, eo altius criſtas attollere ſolitus eſt, alieni ſitibundum os miſere oblini per annos fere decem paſſi ſunt, utque ei nugis ſuis incocto obfirmata pro contumaciæ nativæ genio mente adblandiri, & ex inſano inſaniorem facere pergant, ſimiles habeant ſemper labra lactucas. Sat nobis erit Wenceſlaum A.D. 1409 *Alſaticum* nihil quod aliis vel daret, vel committeret habuiſſe, poteſtate regia caruiſſe, rei ad ſe nequaquam pertinenti, male ſemet immiſcuiſſe, iniquis quæque nunquam implerentur conditionibus de ea pepigiſſe; Antonium vi pacti cum eo initi jus in *Alſatia* nullum ſibi ſuiſque adeptum eſſe, nihil pacto illi ab Alſatis unquam deferendum fuiſſe, nullam ejuſdem ab Imperio Germanico rationem nunc haberi debere.

[1] p. 26. Quod Wenceſlaum [1] annô 1418 denatum *Pragæ in S. Viti ſepultum*, Antonium Brabantiæ Ducem Elizabetham Gorlicienſem *Bruxellæ* annô 1409 *Iul. 16 in Eccleſia S. Iacobi Frigidi montis* duxiſſe, Lucemburgicos *ad obſequium redegiſſe*, Wenceſlao 24 *aureorum millia, cum florenorum millibus tribus, quorum acceptilationis apochæ* exſtant, numeraſſe, Willelmum *qui puer obiit*, & cujus *epitaphium Teutonicum apud Carmelitas Bruxellenſes extat* genuiſſe, *prælio Azincurienſi anno 1415 Octob. 25 occubuiſſe, Furæ cum uxore priore, quæ cum patre barbare bis in epitaphio Simpolia vocatur, & duobus filiis ſepultum* fuiſſe, univerſis *elogium inciſum* A.D. 1616 fuiſſe refert Chifflетius, nihil ad *Alſatiam* ejuſque *Advocatiam*, de quâ in his [2] ne γρῦ quidem. Æque à propoſito alienum eſt quod Elizabetham Antonii relictam Ioanni [3] *Bavariæ* in quâ pauca poſſedit, improprie quia Bavariæ Ducum primogenitorum propinquus erat, *Duci* anno 1417 nupſiſſe, *Sigiſmundum* ejus patruum *Lucemburgum eodem annô appuliſſe*: Ioannem anno 1419 *Iunii 10 à Lucemburgenſibus* (quorum *jura die Veneris poſt Pentecoſtem* ſeu Iun. 9 *confirmavit*) *receptum* fuiſſe, & anno 1424 deceſſiſſe notat; ut & quod addit Sigiſmundum *Lucemburgiorum* Bohemicorum poſtremum *marem* anno 1437 deceſſiſſe, hæredem unicam Elizabetham Alberto II Auſtriaco anno 1422 nuptam reliquiſſe; [4] quæ huic anno 1439 denato, Annam Guillelmo Saxoni anno 1440 nuptam, Elizabetham Caſimiri Poloniæ Regis poſtea uxorem & Ladiſlaum pepererit. Elizabetham Gorlicienſem Guillelmi Saxonis metu perculſam Philippum *Bonum* prioris mariti ex patre, ſecundi ex matre nepotem, *Lucemburgici Ducatûs Mamburnum* elegiſſe, Philippum *Lucemburgicorum privilegia* annô 1442 Maji 24 *firmaſſe*: Lucemburgicos *anno 1443 die Lunæ poſt feſtum Margaretæ* ſeu Iul. 23 *Guillelmum Ducem admiſiſſe*: Elizabetham Philippi (qui Erneſtum

Comi-

[2] p. 27.
[3] p. 28.
[4] p. 29.

Comitem Gleikenſem à Guillelmo *cum* 800 *pugnatoribus* miſſum ad fugam compulit, opem imploraſſe; Lucenburgum Dec. 11 fer. 4 deditum ex Philippi epiſtola [1] conſtare: Guillelmum [2] & Annam uxorem cum Elizabetha & Philippo Decemb. 24 tranſegiſſe, Philippum [3] pacta Mart. ſeq. 24 firmaſſe; Elizabetham [4] cui Philippus annô 1443, *undecim florenorum millia* numeraverat, & anno 1444 Octob. 15 octies mille florenorum penſionem annuam aſſignaverat, *Ducatum Philippo eidem & hæredibus contuliſſe.* quid enim ad Alſatiam (quam ſi vel accenſis facibus quæras, in his nunquam [5] inveneris) ſi Elizabethæ ad ſecunda vota tranſire, dotemque ſuam in propinquum, ſed remotiorem transferre placuerit? Scopum ſequentia feriiſſe videri primâ fronte poſſint. A.D. 1417 vel potius 1418. *Sigiſmundus Lucemburgi donationem & oppignorationem à Rege Wenceſlao fratre factam Diplomate dato die Mercurii ante feſtum S. Antonii*, ſeu Ianu. 12. & A.D. 1420, vel potius 1421 Ianu. 14 *literis datis die Martis ante S. Agnetem rurſum mandavit Luxemburgenſibus, ut Ioannem Bavarum & Elizabetham ejus uxorem reciperent, juxta pactiones à Wenceſlao Rege initas. In Chartophylacio Luxemburgenſi ſervantur Sigiſmundi literæ ejuſdem anni quibus fatetur ſe accepiſſe à Ioanne Bavariæ Duce florenorum Rhenenſium millia viginti duo, & decem millia Hungaricorum, quæ ipſe volebat aſſignari ſuper Ducatu Luxemburgenſi, Comitatu Chiniaci & Advocatione Alſatiæ, cautione eadem, quâ frater Wenceſlaus Elizabethæ Gorlicienſi centum & viginti millia pro dote conſtituerat.* Si enim Wenceſlai decretum *confirmavit*, ſi *ſecundum pacta ab eo inita Elizabetham cum marito à Lucemburgenſibus recipi juſſit*; ſi denique quæ mutuo acceperat non tantum *ſuper Ducatu Lucemburgico & Comitatu Chiniaci*, ſed & *ſuper Alſatiæ Advocatia aſſignavit*, Wenceſlai pactio rata fuit, ipſaque *Alſatiæ Advocatia*, tam Iudoco, quam Elizabethæ & marito cum poſteris oppignerata & fuit, & ab A.D. 1409 ad finem uſque 1437 manſit. ego vero Wenceſlai jam exauctorati de Lucemburgo & Chiniaco patrimonialibus bonis, ad eum ab A.D. 1383 Dec. 7 hæreditario jure devolutis, cum Elizabethâ & Antonio initam pactionem ratam fuiſſe non dubito, præſertim cum eâ nihil proprie traderet, ſed eadem conditione à Iudoco illa ipſa tradi permitteret, quâ is ante paciſcentis exauctorationem eadem acceperat; nec Ruperti aut Germanici Imperii intereſſet, an dominiorum Wenceſlai propriorum oppigneratorum uſusfructus penes ipſum aut Iudocum patruelem maneret, an vero ad alium tranſiret; potuerat etiam *Alſatica Advocatia* à Wenceſlao nondum exauctorato Iudoco jure Regio committi, ſed ſimulac jure iſtô excidit, poteſtate de illâ quomodocunque ſtatuendi caruit, nec Iudoco liberum fuit eam (conſenſu Ruperti ad regnum Wenceſlai loco evecti non impetrato) in alium transferre. qui cum Lucemburgico Ducatu (de quo ab Antoniô armata manu occupatô nullus ambigendi locus eſt) tranſlatam aſſerunt, pactorum cum Iudoco ab Antonio conventorum inſtrumentum cujus vi proprie Antonius in poſſeſſionem ſuam miſſus eſt proferant, ut quid ille tranſtulit, quibus quod antea tenuerat conditionibus è manu miſit appareat: fieri enim potuit ut qui Lucemburgi pro avita poſſeſſione cedebat, *Advocatiam* quæ regni actuque regnantis Ruperti, non Wenceſlai abdicati eſſet, ſibi favente Ruperto retineret, quem adeo rerum ſuarum neſcium, ut alieno Imperii ſui *regalia* nutu, vel invadi, vel tradi ſineret, nemo dixerit, qui male ab eo, ob proniorem in Wenceſlaum animum mul-

[1] p. 30.
[2] p. 32.
[3] p. 43.
[4] p. 44.
[5] p. 28.

ctatos Aquiſgranenſes meminerit. Debuerant etiam ex Archivo Lucemburgico expromi & publici juris fieri tres illæ Chartæ quarum ſummam ſe bona fide nobis retuliſſe videri voluit Chiffletius, ut quid *confirmavit*, quam *partionis* fraternæ rationem habuit, *ſuper quid* & quomodo de credito *cautionem* dedit Sigiſmundus vel in ipſorum lipporum oculos incurreret. quis enim Archivum Lucenburgicum rerum Hiſpanicarum *Vindici*, nulla non *avia peragranti*, in Principis ſui cauſa occluſum fuiſſe ſibi perſuaſerit? ſi occluſum fuerat, unde tres quas laudat Chartas in eo deliteſcere didicit? quî factum ut ea ipſi ad ſummam tantum excerpendam non ad integrum apographum exhibendum ruſpari licuerit? quî epitaphia & hiſtoricas notulas nullius ad rem momenti nobis (dum aliena & levia jugeruntur) nauſeabundis obtrudere non dubitavit? quo judicio & fide eorum quæ cauſæ jugulum recta petere videbantur cognitionem, tam ſuis quam noſtris inviderit? confirmatam Ioanni Bavaro à Sigiſmundo Lucemburgici Ducatus poſſeſſionem, aſſignatam ſuper eo pecuniam à Ioanne numeratam noverat, de *Alſatiæ Advocatia* Lucemburgici Ducatus *appendice* neque volam, neque veſtigium nactus, Chartas quæ ipſius commentum refellerent ſupprimere quam publicare maluit. ſi falſa ſuſpicione laborare nos putat, coram non ſuſpectis (quales Belgii fœderati Ordines, Imperii & Regum concertantium ex æquo amicos eſſe nemo neſcit) autographa ipſa proferat, quorum auctoritate publice revincamur. ſi, quod res ipſa clamat, non putat, fingere quæ demonſtrare ad manum non ſit in perpetuum deſinat, neque quod in aperto eſt diffiteatur, nunquam vel Elizabetham & maritos ſe *Alſatiæ Advocatos* inſcripſiſſe, vel Philippum jure mondeburdii in *Alſatia* uſum fuiſſe. Interim ex chartæ primæ conſignatione Wenceſlai obitum (contra quam adverſarius fecit) in annum 1418 differri non debere Lector prudens deprehendet. cum enim Wenceſlao ſoli ad A.D. 1383 Lucemburgi Dominium obtigerit, qui anno 1418 ineunte ejus pactionem confirmavit, Sigiſmundus morte ejus dominium quantum quantum in fratre fuerat, in ſe jam tum tranſlatum fuiſſe factô ipſo oſtendit. idipſum adſtruere videntur Concilii Conſtantienſis acta, cum enim A.D. 1417 Iulii 17 fatis Wenceſlaus conceſſiſſet, Seſſioni 37 Iulii 26 à fratris morte 10 habitæ interfuit Sigiſmundus, qui exinde 38, 39 & 40 abſtinuit, de Bohemica Rep. anxius: ubi vero 41 Novemb. 8 præſentia ſua cohoneſtavit, Conſtantiâ diſcedens Lucemburgum ad ſe devolutum adiit, Ianuarii 12 Ducatus *oppignerationem* ante octennium factam *confirmavit*, nec eſt ante Aprilem Conſtantiam reverſus, ubi poſtremas Concilii Seſſiones April. 19 & 22 vidit.

Guillelmi Saxonis cum Elizabetha & Philippo tranſactionem, turdorum qui ſibi malum cacant, more profert Chiffletius, quia in ea non quatuordecies, ut in Wenceſlai Charta, ſed bis *Alſaticæ Advocatiæ*, à Philippo prætenſæ mentionem offendit. de utroque loco videamus, *Domino Duci Burgundiæ & ſuis hæredibus ſalva ſint, remaneant & reſerventur expreſſe in hoc tractatu, & per eundem tractatum omnes impignorationes, quæ vulgo* ingajamenta *dicuntur; nec non hypothecæ, debita, actiones, obligationes & omnia jura quæcunque tam realia quam perſonalia, quæ dictus Dominus Dux Burgundiæ habet ſeu habere poterit, & quæ ſibi competunt, & ſibi ſuiſque ſucceſſoribus & hæredibus competere poterunt in futurum in & ad dictas Provincias, & dominia Ducatus Luxemburgenſis, Comitatus de Chiny,* & Advocatiæ Alſatiæ, *tam ex parte, & ad*

c. 15. p. 37.

ad cauſam defunctorum ſuorum patrui & avunculi Antonii Brabantiæ & Ioannis Bavariæ Ducum, quam aliunde debita, & juxta continentiam literarum ſuarum. & paulo poſt *Dominus Dux Burgundiæ prædictus, & ſui hæredes poterunt, & eis licebit, recuperare & redimere, ac habere omnia & ſingula occupata, alienata, hypothecata & impignorata in dictis Provinciis Ducatus Luxemburgenſis, & Comitatus de Chiny, &* Advocatiæ Alſatiæ, *quæ ſunt, vel fuerunt, & eſſe debent de pertinentiis dictarum Provinciarum, ſatisfaciendo illis qui tenent & occupant.* de utriuſque loci ſenſu ut certius conſtet, hæc obſervanda ſunt, 1 *Luxemburgum, Chineium,*& *Alſatiæ Advocatiam* Iodoco oppignorata, Wenceſlaum ab Elizabetha & marito ſub reverſionis conditione redimi permiſiſſe. 2 centies decies mille florenos ſuper iſtos in Elizabethæ dotem aſſignaſſe. 3 Antonium Wenceſlao *aureorum viginti quatuor*, & *tria florenorum millia*, Ioannem Sigiſmundo *florenorum viginti duo*, *Hungaricorum decem millia* mutuo dediſſe, Philippum *undecim florenorum millia* Elizabethæ numeraſſe, *Centies vicies mille* Ducatos Annæ Auſtriacæ à patre & fratre dotis nomine aſſignatos eidem perſolviſſe, & de iis univerſis, in caſu (ſi Ladiſlaus ſolus verus Lucemburgi & Chineii Dominus, ea ſibi vindicaret) ſibi bona fide refundendis, ſedulo caviſſe. 4 nec Elizabetham nec Annam (quarum ſibi jura comparavit) veras Lucemburgici Ducatus Dominas fuiſſe, ſed ad annum 1417 Wenceſlaum, ad 1437 Sigiſmundum, ad 1442 Elizabetham Ladiſlai & Annæ matrem, ad 1457 Ladiſlaum; à 1457 Philippum, Annam & Elizabetham pro parte quemque ſua. 5 Annam jura ſua in Philippum tranſcribentem de *Alſatiæ Advocatia*, quam Imperii ſub Friderico III tunc conſtituti non familiæ Lucemburgicæ eſſe noverat, nequaquam cogitaſſe. 6 Ladiſlao, à quo ſibi tanquam bonæ fidei creditori caveri Philippus popoſcit, nihil prorſus in *Advocatiam* illam, quæ tota à Friderico III pendebat juris fuiſſe. 7 Philippum qui nihil niſi ab Anna & Elizabetha tranſcriptum habuit, nunquam eam comparaviſſe, multo minus actu poſſediſſe. 8 Cum non comparaverit, imo comparare à non habentibus nequaquam potuerit, hæreditario jure cernendam poſteris ſuis nullis reliquiſſe. 9 Cum Alſatiæ *Advocatia* nullo modo *Provincia, dominium* vero proprie non fuerit, ſed *præfecturæ* genus quoddam, in tranſactione legendum videri, *addictas provincias & dominia Ducatus Lucemburgenſis, Comitatus de Chiny, &* Advocatiam *Alſatiæ*, &c. *in dictis Provinciis Ducatus Luxemburgenſis, & Comitatus de Chiny, &* Advocatiâ *Alſatiæ*. 10 id ipſum ſequentia ſuadere, *quemadmodum tenent & tenuerunt Provincias prædictas Luxemburgi & de Chiny*, &c. *una cum dictis Provinciis Luxemburgenſi & de Chiny*, &c. *abolitionem plenario concedet omnibus ſubditis Ducatus Luxemburgenſis & Comitatus de Chiny.* & antecedentia, *Elizabeth de Gorlitz, Duciſſam in Bavaria & Luxemburgi, Comitiſſam de Chiny*, &c. *Dominæ Duciſſæ Provinciarum de Luxemburg & de Chiny prædictarum.* c.6 *cedere debebat* Guillelmo *dictis Provinciis Luxemburgenſi & de Chiny.* Eliſabeth *mediante ſumma viginti, aut viginti duorum mille florenorum Rhenenſium pro ſemel eidem perſolvendorum, nec non quatuor mille florenorum ſimilium, quos pro redditibus annuis recipere debebat ſingulis annis.* c.7, *ſuper dominiis & territoriis de Luxemburgo & de Chiny prædictis.* c.8 *ad dictas provincias Ducatus Luxemburgenſis & Comitatus de Chiny.* c.9 *ſuper dominiis & territoriis Ducatus Luxemburgenſis & Comitatus de Chiny prædictis.*

c.18.p.38. c.18. c.24. c.1.

c.10 *præfatas Provincias de Luxemburgo & de Chiny*, &c. *Dux Burgundiæ & ſui hæredes Provincias Lucemburgenſem & de Chiny modo prædicto tenebunt*, &c. *earumdem Provinciarum Luxemburgenſis & de Chiny*. c.11 *ſuper territoriis de Luxemburgo & de Chiny*. c.12 *non poſſint* Guillelmus & Anna *impetere provincias de Luxemburgo & de Chiny*. c.13 *quæ concernunt, ſive concernere poſſunt dictas provincias & Dominia de Luxemburgo & Chiny*. ex quibus de *Lucemburgo & Chiſnejo* ſolis certamen inter Annam & Elizabetham ejuſque *mamburnum* Philippum fuiſſe, nihil illum ſibi juris in *Alſaticam Advocatiam* vindicaſſe, ad ea ſola *provinciarum*, *dominiorum*, *territoriorum* vocabula referri debere, Chiffletiumque qui aliud comminiſci auſus eſt, per *avia* ſua ferri luce meridianâ clarius apparet, 13 Si quam vulgavit lectionem retinere libeat, id ipſum quod gratis ſumit, & ſibi ceu fundamentum ſternit, eâ funditus everti. ſi enim inter provincias, dominia, territoria æquo cum Lucemburgo & Chiſneio jure cenſeri *Advocatia Alſatica* debet, ſi Luxemburgenſi & Chiſneienſi in tranſactione laudata contra diſtinguitur, cum oppoſita idem inter ſe, & in appoſitis ſuis eſſe abſolute nequeant, *Alſatica Advocatia*, quæ ex Chiffletii lectione *provincia* eſt & *dominium*, Luxemburgenſis, à qua, ſive locum ſive rem ſpectes, longe abeſt, neque *pars*, neque *appendix*, neque *pertinentia*(quod tamen ille vigilans ſomniabat) eſſe & dici ullo modo poteſt. 14 Hæc etiam notabit Lector c.23 ad finem non *prout certa*, ſed *prout cætera oppida patriæ Luxemburgenſis* ſcribendum fuiſſe: 2 quod de anno nuptiarum Annæ cum Guillelmo Duce p.14 & 29 ſcripſit Chiffletius, expreſſis hiſce tranſactionis verbis velut ex profeſſo refelli. c.7 *donationis propter nuptias promiſſæ à Domino Alberto Romanorum Rege & Domina Regina ſua conthorali, Dominæ Annæ eorum filiæ*, & c.20 *literarum ſuper dotalitiis, ſeu donatione propter nuptias conſcriptarum datarum Duci Guillelmo, & Dominæ Annæ ſuæ conthorali, à Rege Alberto & Regina Elizabeth ſua conthorali*, &c. Cum enim A.D. 1439 Octob. 27 naturæ conceſſerit *qui donationem propter nuptias Annæ filiæ promiſerat Albertus*, eam anno 1440 qui promittentis dormitionem proxime ſecutus eſt, deſponſatam fuiſſe abſolute impoſſibile eſt; ſed forte paulo ante paternum obitum pacta ut dotis ab eo promiſſæ compos poſt ejus dormitionem fieret, ad fratris tutorem Fridericum III recurrit, qui *diplomate die Lunæ ante S. Eraſmum*, ſeu Maji 29. A.D. 1441, quicquid ipſi promiſſum fuerat ratum habuit.

Paulo poſt quam A.D. 1451 Elizabetha Gorlicienſis fatis conceſſit, *Octobris* nimirum 15, *in jus ipſi ab ea collatum admiſſus à Luxemburgenſibus* cum fuiſſet Philippus, ex eo triplici nomine, ut Elizabethæ donatarius, ut juris ad Annam pertinentis emptor, ut Antonii Brabantini & Ioannis Bavari Wenceſlai & Sigiſmundi creditorum hæres, non tamen ut verus ditionis, (quæ totá Ladiſlai erat) Dominus, Lucemburgicum Ducatum & Chiſneii Comitatum poſſidere cœpit: ſed ei rurſus Theodonis-villam A.D. 1453 occupanti Guillelmo occurrere neceſſe fuit; tota Lucemburgica ditione à Crojo ejus Legato Saxones exacti ſunt, novo exinde per Ladiſlai germani immaturam mortem aucta Guillelmi uxor Anna, Carolo VII Regi A.D. 1458, vel prout nunc numeramus 1459 *Mart.* 20 *Ducatum Luceburgenſem, Comitatum Chiſnenſem & de Rupe, cum eorum pertinentiis vendidit, pro ſumma & pretio quinquaginta millium ſcutorum auri legalium in regnô Franciæ curſum habentium*, quæ

P. 45.

Regi

Regi refunderet, *caſu contingente, quod aliquis proprietatis* (ut Elizabetha Annæ germana) *aut donationis* (ut Philippus) *ſeu ſucceſſionis hæreditatiſve jure aut cauſa prætenderet ſibi pertinere; & ob hoc Regem vel ſuos, via juris, vel juſtitiæ coram judice competenti inquietaret, vel evinceret:* Carolus Philippo ob ſuſpectum Ludovici Delfini domi recepti perfugium indignatus, de redigendo ſub manum Lucemburgico Ducatu ſerio cogitavit: tunc vero (prout Pius II Papa *Comm. lib.* 2 notabat) queſtus eſt Philippus *indigne agere Regem adverſus antiquum fœdus, quod Franciæ Reges cum Romanis Imp. apud Tullum percuſſere, in quô cautum ſit, Imperator in Regno Franciæ, Rex in Imperio ne dominatum ſibi vendicet, etiamſi volentes aliqui ſe dedant: injuſte Regem agere, qui fœdus violet, &* oppigneratum ſibi Lucemburgenſem Ducatum *moleſtare audeat.* quibus in verbis tria notanda veniunt, 1 injuria à Philippo Regem *violati fœderis* poſtulari; quandoquidem *fœdere apud Tullum pacto* non vetabatur Rex eorum quæ ſub ditione Imperatorum ſita eſſent quicquam emere, & emptorum ſibi partam ære ſuo poſſeſſionem vindicare, ſed ſupremum in ea *dominium*, ea ab Imperio Germanico divellendo, uſurpare. potuerant igitur jure ſuo Rex & Guillelmus tota libertate uſi, hic patrimonium uxoris vendere, ille (Friderico III regnoque Germanico ne pilum detracturus) emere, neque Philippus, aliuſve quiſquam recte factum criminari potuit. 2 Philippum Luxemburgi necdum *proprium*, ſed *precarium* tantum *oppignerationis* vi, *dominium* adeptum fuiſſe; unde Chiffletium Wenceſlai, Sigiſmundi, Guillelmi chartas crepantem oleum & operam luſiſſe conficitur. 3 pacto Tullenſi quicquid Chiffletius in XIII *Vindiciarum* ſuarum capite, ut à *Regno Franciæ Imperium* Germanicum *coli* probaret, congerendum putavit, aperti falſi coargui; ſi enim fœderis cautio mutua eſt, ut nec Germanus in Francia, nec Francus in Germania ullum etiam in ſemet dedentes ſibi *dominatum* vindicet, cultus ille cui Francum obnoxium fabulatur, merum, ex neceſſitate, fabulantis deliramentum eſt. A.D. 1399.

Caroli VII patris A.D. 1461 Iulii 22 denati locô regnare exorſus Ludovicus XI, ut Philippo hoſpiti gratitudinem teſtaretur, literis ad eum A.D. 1462 Octob. 12, & ad Guillelmum Novemb. 25 datis, in paternæ emptionis reſciſſionem & juris ad ſe devoluti ceſſionem facile conſenſit; cum jam Sept. 3 Guillelmi & Annæ Legati Philippo Lucemburgi, Chiſneii & Rupis ditiones vendidiſſent, ratamque Guillelmus & Anna venditionem Octob. 4 habuiſſent: tunc vero primum Lucemburgi Dominus Philippus evaſit, ſed ex parte tantum, quia ſupererat Elizabethæ Annæ ſororis natu minoris Caſimiro Poloniæ Regi nuptæ portio hæreditaria acquirenda, quam pretio poſt A.D. 1470 ſibi comparavit Carolus Philippi unigenitus; is primus nullo reclamante Ducatus totius potens factus eſt, ejuſque dominium ad filiam, hæc vero ad poſteros tranſmiſit. In Guillelmi & Annæ Chartis, & Ludovici noſtri XI diplomatis nonnulla notari voluit, quæ (ut ipſi morem geramus) excutere placet. 1 quod Guillelmus & Anna *conſanguinitatem, proximitatis generis gradus & affinitatis quibus Philippo attinebant, conſideraverunt*; non negamus, ſed imperfectum *conſanguinitatis ſtemma* ab eo propoſitum expungimus, ut plenius edamus, quam multiſque modis Lucemburgicus tradux, de quo inconſiderate nobis invidia fit, Chriſtianiſſimum Regem contingat, apertiſſime pandamus.

1 Hen-

1 Henricus I I Lucemb. Margaretæ de Barro maritus.

2 Henricus I I I Beatricis Avenenſis maritus. — Walerannus I Ioannæ *de Beaure-voix* maritus. 2

3 Henricus V I I Imper. Margaretæ Brabant. maritus. — Walerannus I I Guiotæ de Inſulis maritus. 3

4 Ioannes Elizabethæ Bohemiæ Reginæ maritus — Ioannes I Adelæ Flandr. maritus. 4

5 Bona Ioannis Regis uxor: de cujus poſteris vide ſupra in Stemmate Valeſio Ludovici X I V. — N. Boleſlai Brigenſis uxor 1. — Carolus I V Elizabethæ Stetinenſis maritus. — Guido Matthildis de Caſtellione maritus. 5

6 Margareta Alberti Bavari uxor. — Sigiſmundus Barbaræ Ciliæ marit. — Ioannes Dux Gorlicii Elizabethæ Auſtriacæ marit. — Ioannes I I Margaretæ Enghianæ maritus. 6

7 Margareta Ioannis Burgundiæ Ducis Antonii Brabant. germani uxor. — Ioanna Alberti Auſtriæ Ducis uxor. — Ioannes Elizabethæ Gorlicienſis marit. 2. — Elizabetha Alberti I I uxor. — Elizabetha Antonii Burgun. Brabantiæ Ducis ac exinde Ioannis Bavari uxor. — Petrus Margaretæ de Baucio maritus. 7

8 Agnes Caroli I Borbonii uxor. — Philippus *Bonus* Micaelidis, ac exinde Iſabelle marit. — Albertus I I Elizabethæ Luxemb. maritus. — Ludovicus Ioannæ de Barro maritus. 8

9 Margareta Philippi Sabaudi uxor. — Iſabella. — Carolus. — 9 Anna Guillelmi Saxonis uxor. — Elizabetha Caſimiri I V uxor. — Ladiſlaus. — Petrus I I Margaretæ Sabaudicæ maritus. 9

10 Ludovica Caroli Engoliſm. uxor. — Maria Maximiliani I uxor 1. — 10 Ladiſlaus Annæ de Fuxo maritus. — Maria Franciſci Borbonii Vindocin. uxor. 10

11 Margareta Henrici Labret. Navar. Regis uxor. — Philippus I Ioannæ Caſtell. maritus. — 11 Ludovicus. — Anna Ferdinandi I uxor. — Carolus Vindocini Dux, Franciſcæ Alencon. maritus. 11

12 Ioanna Regina Antonii Borbonii uxor, Ludovici X I V proavia. — Carolus V Iſabellæ Portug. maritus. — Ferdinandus I Annæ Hungar. maritus. — Antonius Ioannæ Navarræ Reginæ maritus. 12

13 Philippus I I Annæ ſorore natæ maritus. — Maria. — Maximilianus II. — Carolus Mariæ ſorore natæ maritus. — Anna Alberti Bavariæ Ducis uxor. — Ioanna Franciſci Medicæi Tuſciæ Ducis uxor. — Henricus I V Mariæ Medicææ maritus. 13

14 Philippus I I I Margaretæ propinquæ maritus. — Anna Philippi I I uxor 4. — Ferdinandus I I Mariæ Annæ Bavar. maritus. — Margareta Philippi I I I uxor. — Maria Caroli patrui uxor. — Guillelmus Renatæ Lotharing. marit. — Maria Henrici IV uxor Ludovici X I V avia. — Ludovicus XIII Annæ Auſtriacæ maritus. 14

15 Philippus I V. — Anna Ludovici XIII uxor. — Ferdinandus I I I. — 15 Maria Anna Ferdinandi I I uxor 1. — Ludovicus XIV. 15

16 Ludovicus X I V.

Et ſi *conſanguinitatem, propinquitatem, affinitatem Philippi Boni,* Guillelmo & Annæ Luxemburgici dominii venditoribus *conſideraſſe* placuerit, non tamen

tamen *propinquitatis*, ſed ſolo *emptionis* jure Lucemburgi Dominus evaſit; ſi origo Luxemburgica ad juſti dominii titulum quicquam conferret, ejus quanta quanta eſt prærogativa jamdudum Ludovico noſtro ceſſiſſet, qui cum illis ipſis modis univerſis *Lucemburgicus* per matrem & aviam ſit, quibus uſque nunc Auſtriaci tam Hiſpanici quam Germanici hactenus fuere, per plurimas alias lineas Auſtriacos nuſquam contingentes, Luxemburgicorum nepos factus eſt. Quod igitur Philippum ſuum Lucemburgicum *ortum ab an-* p. 49. *tiquiſſimis Lucemburgi Comitibus per Ogivam Balduini Barbati Flandri uxorem Sigeberti neptem repetendo*, aſſerere *potuiſſe*, *ſed neglexiſſe*, *cum tot aliis per quam validis fulciretur*, notat Chiffletius, & inutile & falſum eſt; inutile, quia nemo de Philippi jure nunc litigat, nemo ad poſteros ejus legitimè devolutum negat; *ortus per Ogivam* tam Chriſtianiſſimum Regem quam Auſtriacam gentem, imo longe plus quam illam contingit, quia per plures lineas ejus ſanguinem traxit; *ortus* ille remotiſſimus, nihil prorſus Flandris in Lucemburgum contulit, quanto minus Philippo inter quem & Ogivam Balduini Barbati uxorem generationes XIV intercedunt, quique Flandricum nihil niſi per Dampetrinam gentem habuit, *contulerit?* de eo quod ad rem ſuam non modo non erat, ſed eſſe nequaquam poterat ne cogitavit Philippus; falſum etiam eſt, cum enim nec Elizabetha Gorlicienſis, nec Antonius Brabantinus ejuſdem maritus prior, à Wenceſlao *ad Lucemburgi Ducatum* abſolute, ſed ad ejus precariam poſſeſſionem, *via* tantum *pignoris vocati ſint*, poſt Philippi Brabantini patruelis anno 1430 & Elizabethæ Gorlicienſis novercæ anno 1451 deceſſum, non *in Ducatu*, ſed in *jure pignoris ſuper Ducatum* proprie ſucceſſit Philippus; nec ſolus ſuccedere debuit, ſed cum Carolo & Ioanne Philippi Niverni Comitis alterius patrui liberis; quorum cum matrem ſecundis, nuptiis anno 1424 duxiſſet & tutorem ageret Philippus *Bonus*, quæcunque ipſis ex Ioannis & Philippi Brabant. hæreditate obveniebant, ad ſe nullo reclamante traxit. quocirca duplici tantum *jure fultus* Ducatum Lucemburgicum ſub poteſtatem redegit; *vis majoris*, qua Guillelmum & Annam procul arcuit, & ad venditionis neceſſitatem compulit; & *emptionis*, quâ ſola uſufructuariam poſſeſſionem, in plenum dominium vertit, cujus proinde vera in fiſco & gladio fulcra fuerunt. Sed quod præ aliis univerſis ponderandum p. 45. venit, *emptione* illa Alſaticum nihil ſuum fecit, vel facere ratione ullâ potuit. tabulas venditionis à Guillelmo & Anna Regi Anno 1459 Mart. 20, Philippo p. 46. Anno 1462 Sept. 3 factas, ratihabitionis literas ab iiſdem Octob. 4 datas, man- p. 47. datum eorumdem ad Lucemburgenſes eadem die ſcriptum, diploma Ludovi- p. 49. p. 51. ci XI Novemb. 25 ſcriptum, profert Chiffletius, in quo p. 52, *Nous le patriarche de Ieruſalem*, *Eveſque de S. Briene*, *l'Admiral*, *les Sires de Treignel*, *de Bangy*, mendoſe legit, pro *Vous le Patriarche de Ieruſalem*, *l'Eveſque de S. Brieuc*, Brioci in Aremoricâ, &c. *les Sires*, &c. *de Baugy*, &c. alius enim Hieroſolymorum Patriarcha Ludovicus de Haricuria, qui etiam Bajocaſſium Præſul fuit, à S. Brioci Epiſcopo Petro *de Laval*, qui tandem ad Archiepiſcopatum Rhemenſem evectus, A.D. 1494 Mart. 14 deceſſit. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. ut è diverticulo in viam redeamus; ſive Ludovici XI, Guillelmi factum probantis, ſive Guillelmi ipſius chartas, anno 1462 datas, & à Chiffletio laudatas oculo irretorto luſtrare libeat, nulla vel *Alſatiæ*, vel *Advocatiæ Alſaticæ*, de quâ unâ tam Regi quam Ferdinando III, totique Imperio nugatoriam litem inten-

dit, in iis nuſquam nomen occurret, imo occurrere nequaquam debuiſſe ſenſus ipſe communis dictabit. cum enim, adverſario ipſomet p. 54 fatente, jam ab ipſis Sigiſmundi temporibus, annis antequam Lucemburgum venderet ad minimum 26, imo antequam juris quippiam in eo Anna Sigiſmundi nepte ductâ ſibi vindicare poſſet Guillelmus, *Advocatiam* illam Rheni Comes Palatinus tenuerit; in venditione longe poſt facta neque comprehenſa eſt, neque comprehendi potuit. Id etiam ſolari radio micantius elucet, id unum Guillelmo & Annæ vendere, Philippo ab iis emere, quod Annæ ex avitis bonis obvenerat, & ſuum dicere jure poterat, propoſitum fuiſſe. cum igitur *Advocatia* illa in bonis Annæ avitis nunquam fuerit, regni hoc ipſo propria manſerit, quod eam inter *Regalia* computari debere, adeoque privati juris non eſſe Chiffletius p. 8 agnoſcit: alieno à familia Lucemburgicâ, quô tempore Ducatum Philippus primum ac exinde Carolus emit, commiſſa eſt; nihil venditores quod in emptores tranſmitterent, nihil emptores à venditoribus ſibi compararent juris in eum fuiſſe tabulæ uſque nunc docent; nec à Guillelmo & Annâ, Philippo, nec à Caſimiro & Elizabetha Carolo filio venditam, nec emptam ab his, ac exinde in hæredes unquam fuiſſe neceſſe eſt.

Vt venditam, emptam, ab emptorum hæredibus mancipatam fuiſſe evincat Chiffletius, hæc in venditorum ratihabitione urget, *Ducatus & Comitatus ſupradictos cum eorum attinentiis*, &c. *de dictis Ducatu Luxenburgenſi, & Comitatibus de Chiny, & de Rupe, pertinentiis & attinentiis eorumdem*, &c. in eorumdem ad Luxemburgenſes mandato; *quia jam certô certius habemus, quod Chriſtianiſſimo Domino Ludovico Regi Francorum moderno, præfati Domini Karoli Regis hæredi & ſucceſſori placuit & placet, ut Ducatus & Comitatus prædicti, cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis, attinentiis, dependentiis & connexis, ac univerſo jure per inclitiſſimum genitum ſuum in prædictis Ducatu & Comitatibus, modô ut præmittitur acquiſito, in perſonam Illuſtriſſimi Principis, & Potentiſſimi Domini Philippi Burgundiæ, Brabantiæ, Limburgiæ*, &c. *Ducis, conſanguinei noſtri chariſſimi, hæredum & ſucceſſorum ac cauſam ab eo habentium & habiturorum tranſeant*, &c. In Regio diplomate, *Comme feu noſtre treſcher Seigneur & Pere que Dieu abſoille, euſt en ſon vivant acquis de nos treſchiers & treſameȥ Couſin & Couſine les Duc & Ducheſſe de Saxe, & d'aucuns leur parçonniers en cette partie, les Duché de Luxembourg, & Comteȥ de Chiny & de la Roche en Ardenne, avec les prerogatives, nobleſſes, pertinences & appendances dicelles quelconques*, &c. *avons donné, cedé, baillé, tranſporté & delaiſſé; donnons, cedons, baillons, tranſportons, & delaiſſons de grace eſpeciale, pleine puiſſance & auctorité Royale par ces preſentes, tout tel droit, nom, raiſon & action, qu'avons & qui nous peut & doit competer & appartenir eſdits Duché de Luxembourg & Comteȥ de Chiny & de la Roche en Ardenne, leurs pertinences & appendances, cens, rentes, Iuſtice, proprieté, revenus, fiefs, nobleſſes, & autres droits à icelles appartenans quelconques*, &c. Id eſt, *Cum defunctus cariſſimus Dominus, & parens noſter quem Deus abſolvat, à cariſſimis & dilectiſſimis noſtris cognato & cognata Duce & Duciſſa Saxoniæ, & quibuſdam eorum in hac parte participibus, Luxemburgi Ducatum, & Chineii ac Rupis in Ardenna Comitatus, cum prærogativis, nobilitatibus, pertinentiis & appendenciis eorum qualibuſcunque, dum viveret, comparaſſet*, &c. *præſentibus hiſce, gratia ſpeciali, poteſtate plena, & auctoritate Regia, donavimus, ceſſimus, tradi-*

tradidimus, tranſtulimus & reliquimus, donamus, tradimus, transferimus & relinquimus, qualecunque jus, nomen, rationem & actionem, quam habemus, quaque competere & ad nos pertinere poteſt ac debet, in dictis Ducatu Lucemburgi, & Chiney ac Rupis in Ardenna Comitatibus, pertinentiis & appendentiis eorum, cenſibus, penſionibus, Iuſtitia, proprietate, redditibus, feudis, nobilitatibus, aliiſque juribus ad ea pertinentibus qualibuſcunque, &c. utque quod ἐμφατικώτερον putat aperte inſinuet, quodque animo molitur quomodocunque obtineat, majuſculo charactere, *cum eorum attinentiis*, &c. *pertinentiis & attinentiis*, &c. *juribus, pertinentiis, attinentiis, dependentiis & connexis*, &c. *prærogativas, pertinentias, & appendentias, & alia jura*; quibus cum *Advocatiam Alſaticam* vel inſinuari vel comprehendi contendat, quærimus quo jure? nec enim cauſam videmus, cur ſub generalium quæque ad alia referri poſſint ac debeant vocabulorum involucro, primariæ dignitatis res (qualem ipſemet *Alſaticam Advocatiam* fuiſſe vult) latere coacta, nomine proprio efferri vetita ſit; ſed hîc legitimæ probationis loco, nudo ſuo effato quo contenti forſan ſimus, ſiſtendos lepidum caput putat, ut quandocunque ab eo *ſic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas*, audierimus, ſtatim capite demiſſo ſilentioque nobiſmet indicto, aliud nihil præter ἀυτὸς ἔφα Pythagoreorum, inter nos muſſare audeamus; *nullius aſſueti jurare in verba Magiſtri*, quî nos tam ſtulto & iniquo magiſterio committamus? ipſius erat quod in quæſtione eſſe videbat probare, ne prorſus elinguis & exſpes cenſeatur: nobis quibus ad plenam victoriam negaſſe ſatis eſſe poteſt, idipſum quod in quæſtione eſt impudentiſſime reponit; annon enim lite inter nos mota, *ſitne Lucemburgici Ducatus venditione, vel explicite, vel implicite comprehenſa Alſatiæ Advocatia*, ille affirmantis (cujus unius eſt probare) nos negantis (cujus eſt probationes, non dare ſed exigere) partes tuemur? quî affirmata à ſe probat? affirmat rurſus projectô pudore, ſeque probationum inopem imo victum tacitus confitetur.

Poſſemus hîc (ad incitas redacto hoſte) gradum figere, cauſamque feliciter peractam nobiſmet gratulari; ſed quia non tam vincere, quam verum ab omni tenebrionum caligine vindicatum in plena luce conſtituere animus eſt, agedum negationis noſtræ (abſurditate & impoſſibilitate affirmationis demonſtrata) neceſſitatem aſſeramus, & *pertinentiarum, attinentiarum, dependentiarum, connexorum, jurium, prærogativarum* nominibus, nihil extra Lucemburgicam, Chiſneienſem, & Rupenſem ditiones ſitum, adeoque *Alſaticum* nihil vel intellectum fuiſſe, vel intelligi poſſe evincamus. In diplomate Regio *prærogativis, pertinentiis & appendentiis* explicationis cauſa ſequentia addita ſunt, *cenſibus, penſionibus, Iuſtitia, proprietate, redditibus, feudis, nobilitatibus*, &c. ut nemo non videat in *prærogativis, pertinentiis*, &c. *Iuſtitiam, feuda, nobilitates, cenſus*, &c. proprie eſſe. Id ipſum in venditionis Bruxellæ Sept. 3 ſcripto inſtrumento apertiſſimum eſt: ubi enim Saxonis Legati dixerunt ſe Ducatum & Comitatus, *cum eorum & cujuſlibet ipſorum juribus, actionibus realibus & perſonalibus, pertinentiis, dependentiis & appendiciis, annexis & connexis, univerſis & ſingulis, in quibus & qualitercunque conſiſtunt rebus & nominibus, quibuſcunque nuncupentur, vendidiſſe*; quæ *res* illæ ſint *in quibus conſiſtant*, quæ *nomina* rebus illis *nuncupandis* adhibeantur, ſtatim ſubjiciunt, *utpote Comitibus, Baronibus, Nobilibus, civibus, incolis, vaſallis, ſub-*

ditis, homagiis & villis, caſtris, oppidis fortalitiis, domibus campeſtribus, campis, ſylvis, nemoribus, terris, pratis, paſcuis, garennis, aquis aquarumque decurſibus, vineis, juſtitiis, feudis, retrofeudis, cenſivis, juriſdictionibus, & redditibus, conſuetudinibus, teloneis, pedagiis, guidagiis, vectigalibus, conductibus, privilegiis, libertatibus, emunitatibus, honoribus, dignitatibus, officialibus, officiis, præpoſituris, guardiis, Advocatiis, gubernationibus, jure patronatus, decimis, atque aliis proventibus, emolumentis, & obventibus, &c. hæc ſunt ſigillatim *jura, pertinentiæ, dependentiæ, appendiciæ & connexa* quæ antea συλλήβδην ſub laxo formularum ampliſſimarum cortice latere videbantur, prout vox *utpote* expreſſiſſime indicat. Etiamſi apertiſſime negare non poſſe videretur, ſolitâ pervicacia fretus in alienum ſenſum deflectere conatus eſt, alioque charactere *Advocatiarum* vocabulum expreſſit, ut eo *Alſaticam*, de qua nihil in venditorum mentem venerat, contineri audacius cauſaretur; ſed fuere in Lucemburgico Ducatu vel ei *connexis*, de quibus cogitarent illi, urbis Trevirenſis, S. Maximini, Epternaci, S. Mariæ monaſteriorum; in Chiſneienſi Comitatu Aureæ vallis, & in Rupenſi, Stabuleti & Malmundarii Advocatiæ. Quid neceſſe erat eos ut *Advocatias* invenirent, extra venditarum ditionum fines (quaſi *avia* cum Chiffletio *peragrare* conſtituiſſent) vagari?

Sed nec de *Alſatica Advocatia* vel reipſa cogitarunt, vel cogitare jure potuerunt; quid enim Guillelmi & Annæ legati Philippo vendiderunt? quid Guillelmus & Anna à ſuis venditum fuiſſe ratum habuerunt? annon quod *ex Antonii patrui, & Ioannis avunculi ſucceſſione, jamdiu poſſederat & de præſenti poſſidebat*, quod Carolus Rex anno 1459 emerat, & ad finem uſque vitæ ſibi vindicaverat; quod denique Ludovicus filius in Philippum Ducem ejuſque poſteros tranſmiſerat? atqui *ex Antonii & Ioannis ſucceſſione* qui *Advocatiâ Alſatica* caruerunt, eam nec diu *poſſedit* nec *poſſidere* potuit Philippus, eam nec Carolus VII emit, nec in Philippum à patre non emptam ſuam fecit, aut tranſmiſit aut tranſmittere in alium potuit Ludovicus, quandoquidem eam jamdudum tenuerat & tenebat Palatinus Elector. non ergo Carolo primum: ac exinde (permittente Ludovico) Philippo vendiderint Guillelmus & Anna; cum non vendiderint, eam nec Philippus, nec Carolus filius (qui nihil niſi venditum tenuerunt) nec poſteri (qui nihil niſi à patribus emptum ſucceſſive poſſederunt) ſuam jure dicere potuerunt, aut uſque nunc poſſunt. 2 Quod Guillelmus & Anna Philippo vendiderunt, *in Ducatu* Lucemburgico *à Carolo* VII primum *acquiſitum*, ei & poſteris *competere potuit & debuit*; & à Guillelmo & Anna Philippo poſtea venditum, *in Ducatu* Lucemburgico *& Comitatibus* Chiſneienſi & Rupenſi
p. 50. fuit. Hæc enim ſunt Guillelmi & Annæ verba. *cum univerſo jure per inclitiſſimum genitorem ſuum in prædictis Ducatu & Comitatibus, modo ut præmittitur acquiſito*, &c. Hæc Ludovici Regis, *qualecunque jus*, &c. *habemus, quodque nobis poteſt ac debet competere, & ad nos in dictis Ducatu Luxemburgi, & Comitatibus Chiſneii & Rupis in Ardenna eorumque pertinentiis*, &c. *pertinere*, &c. Atqui Alſatiæ Advocatia *in Ducatu* Lucemburgico, *& Comitatibus* Chiſneienſi & Rupenſi non fuit, ſed in Alſatiæ ſolo. Ergo *Alſatiæ Advocatia* à Carolo VII primum *acquiſita*, & à Guillelmo & Anna Philippo poſtea vendita non fuit, cum vendita non fuerit, nec ejus, nec poſterorum fuit, eſtque in præſens. 3 Nihil vel Guillelmus & Anna vendiderunt, vel

Caro-

Carolus VII & Philippus Dux emerunt, vel Ludovicus XI in Philippum Ducem tranſtulit, quod non fuerit *Ducatus Lucemburgicus*, *Comitatus Chiſneienſis & Rupenſis*, aut *eorum pertinentia*, *attinentia*, *dependentia*, *connexum*, &c. hæc enim expreſſa tabularum verba ſunt. p.46 *cum* eorum *& cujuſlibet* ipſorum *juribus*, &c. p.47 *cum* eorum *attinentiis*, &c. *de pertinentiis & attinentiis* eorumdem. p.50 *Ducatus & Comitatus prædicti*, *cum omnibus* ſuis *juribus*, &c. p.51 *Ducatum Lucemburgi*, *& Comitatus Chiſneii & Rupis in Ardenna*, *cum prærogativis* eorum *qualibuſcunque*, &c. eorum *pertinentias & appendentias*, &c. *aliaque jura* ad eos *pertinentia*. Atqui *Alſatiæ Advocatia* nec Ducatus Lucemburgicus, nec Comitatus Chiſneii & Rupis, nec *eorum* ſed *Alſatiæ pertinentia* fuit. Ergo *Alſatiæ Advocatiam* Guillelmus & Anna non vendiderunt, Carolus VII & Philippus Dux non emerunt, Ludovicus XI in Philippum Ducem non tranſtulit; cumque nec vendita, nec empta, nec tranſlata in eum & per eum in poſteros ſit, eam ex ejus ſucceſſione nec habuerunt unquam nec habent. 4 Poſt venditionem Philippo Duci factam ad eôs quorum intererat, quique huic quomodocunque ſubjiciendi erant, mandatum Guillelmi & Annæ Ducum directum eſt. Atqui nec ad *Alſaticæ Advocatiæ ſubditos & fideles*, nec ad *Alſatos* ullos, *cujuſcunque gradus*, *ſtatus*, *ſeu conditionis* mandatum Guillelmi & Annæ Ducum directum eſt. Hæc enim mandati ad ſolos Ducatus Lucemburgici, & Comitatuum Chiſnejenſis & Rupenſis incolas, nulla aliorum mentione factâ, reſtricti verba ſunt p.49 *omnibus & ſingulis Prælatis*, *Comitibus*, *Baronibus*, *Nobilibus*, *Militibus*, *Clientibus*, *Communitatibus*, *Civibus*, *Colonis*, *incolis*, *nec non univerſis trium ſtatuum Ducatus Lutzelburgenſis*, *& Comitatum* de Chiny *& de Rupe in Ardenda*, *ſubſidibus*, *& ſubditis fidelibus noſtris cariſſimis ſalutem in Domino ſempiternam & in ſingulis agere feliciter.* Ergo nec *Alſaticæ Advocatiæ ſubditorum & fidelium*, nec *Alſatorum ullorum cujuſcunque gradus ſeu conditionis* interfuit, nec ii Philippo ullo modo ſubjiciendi fuerunt, cum ſubjiciendi non fuerint, *Advocatia* eorum ipſi vendita non eſt.

5 Qui mandato ad ſubditos alii Domino à Guillelmo & Anna ſubjiciendos non comprehenduntur, ii ſubditi eorum non fuerunt. Atqui nec *Alſaticæ Advocatiæ fideles & ſubditi*, nec alii ulli *Alſati* mandato ad ſubditos alii Domino à Guillelmo & Anna ſubjiciendos comprehenduntur. Ergo nec *Alſaticæ Advocatiæ fideles & ſubditi*, nec alii ulli *Alſati* ſubditi eorum fuerunt. Cum non fuerint; nec Guillelmi & Annæ *Alſatica Advocatia* fuerit, nec ab iis vendi ſive Philippo Duci, ſive alii cuiquam ut ad poſteros tranſmitteret, jure potuit.

Reliquæ nunc Chiffletianæ diſputationis minutiæ ad fundatæ & demonſtratæ à nobis veritatis lancem appendendæ ſunt. *Philippus* (inquit p. 54) *tranſactionis*, *donationis & emptionis jure Luxemburgi Dux factus eſt*, *& Advocatus Alſatiæ.* Reſp. *tranſactione* cum Guillelmo & Anna, veri Ducis Ladiſlai propinquis, non proprie Ducibus, ſed quibus aſſignata ſuper Ducatu dos erat, *Dux* proprie nec *factus eſt*, nec *fieri potuit* Philippus, ſed aſſignatæ tantum, ſuper Ducatu dotis Dominus: donatione rurſus Elizabethæ Gorliçienſis patrui & avunculi relictæ, cum Ducatum via tantum pignoris & aſſignatæ ſuper eô dotis tenuerit, nec ejus proprie dicta Domina fuerit, *Dux* nec *factus eſt*, nec fieri potuit: *emptione* tandem ſola Dux proprie factus eſt,

 anno

anno 1462, cum jure ſuo in ejus gratiam Ludovicus XI ceſſiſſet; ſed horum nihil ad *Alſatiæ Advocatiam*, in quam nihil Guillelmus & Anna Ducatus venditores ſibi vindicarunt; aut vindicare jure potuerunt. Eam Iodoco cum Ducatu oppigneratam, eadem poſt pignoris via Antonio & Elizabethæ tenere permiſerat Wenceſlaus, tenueritne vel ad momentum Antonius incertum eſt, Elizabetham nec tempore tranſactionis cum Guillelmo & Anna, nec poſtea tenuiſſe vel ex adverſarii confeſſione conſtat: quî igitur ad Philippum devenerit? *Advocatia non eſt potitus* (inquit ille) *quæ per Sigiſmundum Cæſarem (ut exiſtimo) quatenus Lucemburgi Ducem oppignorata fuerat Comiti Palatino Rheni, qua fruebatur Palatinus anno* 1466, *teſte Munſtero.* Quinque pronunciati hujus membra ſunt, quòrum duo priora & poſtremum adverſarii hypotheſim refellunt, reliqua ſomniorum è patria ab eô petita ſunt. 1 *Philippus* Alſatiæ *Advocatia non eſt potitus.* 2 *per Sigiſmundum Cæſarem Palatino commiſſa* eſt. 3 *Palatinus ea fruebatur anno* 1466, qui proxime Philippi 1467 Iul.4 denati obitum præceſſit. hæc vero univerſa totidem ſunt adverſus Chiffletianum commentum fulmina. ſi enim Philippus Advocatia tota vita caruit, qui eam ad poſteros tranſmiſerit? ſi Sigiſmundus Elizabethæ Gorlicienſis patruus, Philippi conſobrinus, utrique amicus, eam alii contulit, cui veri ſimile fiat, aliquid in *Alſatiæ Advocatiam* ex Elizabethæ omni ejus poſſeſſione privatæ donatione juris vel traxiſſe, vel trahere quod ad poſteros tranſmitteret potuiſſe? Si denique Guillelmus & Anna Sigiſmundi, Elizabethæ filiæ & Ladiſlai nepotis hæredes præcipui, quorum jure & Ludovici XI ceſſione nixus Philippus Lucemburgici Ducatus tanquam ære ſuo ſibi ſuiſque comparatæ ditionis potens factus eſt, *Alſatiæ Advocatiam* nunquam tenuerunt, cum Luxemburgicum Ducatum Carolo VII ac exinde Philippo vendiderunt, de ea quam Palatinus à Sigiſmundi temporibus tenebat nunquam cogitarunt, eam quæ aliena tunc erat, & jamdudum fuerat neque vendiderunt, neque vendere potuerunt; ab iis Philippus quod non habebant, vel comparare, vel comparatum ad poſteros tranſmittere non potuit. His quæ Chiffletius ſponte fatetur, poſitis vertiginoſa ejus de *Advocatia Alſatica* Philippi poſterorum hæreditaria, hypotheſis funditus corruit: alia in ejus pronuntiato ludicra, vel potius lectorum ludibria ſunt. 3 in eo membrum hoc eſt, *per Sigiſmundum Comiti Palatino Rheni Alſatiæ Advocatia oppignorata fuerat.* demus; quid aliud inde ſequitur quam *Advocatiam* illam à Wenceſlao Iodoco, ac exinde Elizabethæ *oppignoratam*, poſtquam Sigiſmundus ad clavum ſedere cœpit, pignori ad tempus eſſe deſiiſſe, adeo ut de ea cujus jure ceſſerat, nec donatione, nec alio ullo exinde modo in alius cujuſcunque gratiam ſtatuere deinceps Elizabetha potuerit; at exinde novo pignori data eſto; illius unius qui dederat ſemper fuiſſet. unde vero à Sigiſmundo *oppigneratam*, potius quam in beneficium datam fuiſſe conſtat? ſi quid quo oppigneratam probaret ad manum habebat, cur non protulit? ſi non habebat, cur ab aſſeveratione temeraria ſibi non temperavit Chiffletius? quintum in pronunciato ejus membrum attendamus, *Sigiſmundus* (inquit) *Cæſar quatenus Lucemburgi Dux Comiti Palatino Advocatiam oppigneravit.* qui probat? *exiſtimo*, hæc enim ejus verba ſunt, *per Sigiſmundum Cæſarem* (*ut exiſtimo*) *quatenus Lucemburgi Ducem oppignerata fuerat.* Ergone demonſtrationis loco delira vani hominis opinio fuerit? ſi à *Sigiſmundo quatenus*

tenus Lucemburgi Dux oppignorata fuerat, cum *oppignorantis* & hæredum eſſe ſoleant quæ *oppignorantur*, quî factum ut ad Guillelmum & uxorem *Advocatia* ab avo *oppignorata*, poſt ejus mortem vel non redierit, vel ſi redierat, à Ducatum vendentibus una (prout ante evicimus) vendita non eſt? Sed à Sigiſmundo non *quatenus Lucemburgi Dux*, ſed *quatenus Germaniæ Rex*, cujus unius erat de *Regalibus* Germanicis, adeoque Alſaticis ſtatuere, vel *in beneficium data* eſt, vel *oppignorata*, ut deinceps unius Friderici III & Maximiliani I, qui poſtea regnarunt, fuerit *oppignoratam* ſibi regnoque rurſus vindicare. Munſterum lib. 3 c. 130 anno 1466 citat Chiffletius, qui ſic de Hadſtat ſuperiore ad illum annum: *Arx iſta ſita uno milliario à Rubeaquô, in edito monte in Novembri, aſſenſu Principis Palatini Rheni, qui tunc Advocatiam tenebat Alſatiæ, à civibus oppidi Munſter haud procul ab arce diſtantis obruta*, &c. ſed nec *oppignoratam*, nec *à Cæſare quatenus Luxemburgi Dux erat oppignoratam Alſatiæ Advocatiam* (quod adverſarius volebat) Munſteri verba probant, quorum proinde allegatio impertinens & inutilis fuerit. Quid contra quod hiſcat habet? *nihilominus* (inquit) *Philippus Bonus in Advocatiam illam jus habebat, quia pacto anni* 1443 *ſibi hæredibuſque ſuis recuperandas reſervarat omnes oppignorationes ſeu ingagiamenta, & nominatim Advocatiæ Alſatiæ*. Ius aliquod, *pignoris* nimirum, ſibi vindicaſſe non negamus, ſed hoc ad *proprietatem, dominium hæreditarium*, quod nec ipſe, nec ii quibuſcum paciſcebatur habebant, nihil prorſus facit, nec debuit adverſarius illo de quo uno quæſtionem eſſe noverat, quodque Regi ſuo in præſens male tribuit, jure præterito, *jure* nimirum *proprietatis*, & *veri, perpetui, hæreditarii dominii*, ad *temporarium* pridem *extinctum*, quodque Philippum IV nullo modo tangat, jus nimirum pignoris temere devolui, & ludionum more à genere in genus tranſire. Eadem ludificatione uſus addit: *Ille*, Philippus ſcilicet Bonus, *annô* 1462 *Luxumburgi Ducatum abſolute compararat cum omnibus juribus, actionibus & ſpeciatim guardiis*, Advocatiis *& gubernationibus*. Ex Marchantii loco ab adverſario ipſomet prolato *Ducatum* anno 1462 *abſolute comparatum fuiſſe*, negamus: cum enim ad ſecundam emptionem poſt decennium Carolus Philippi filius devenerit, prior *Ducatûs abſolute* non fuerat, ſed *partis* illius tantum quæ Annæ hæreditario jure obvenerat.

Relegata inter tragelaphos Philippi Ducis, quam Chiffletius commentus eſt, *Advocatiâ*; an ulla Carolo Philippi filio obtigerit diſquirendum venit. eum patris hæredem, quod ex Marchantio Chiffletius notat, & juris quod Iſabellæ Cazimiro nuptæ in Luxemburgenſem Ducatum hæreditatis titulo obvenerat, emptorem fuiſſe lubentes confitemur: à patre vel Elizabetha quorum nulla fuit, *Advocatiam Alſaticam* in eum tranſiiſſe, aut jure tranſire potuiſſe negamus: quandoquidem Chiffletio ipſomet, vel potius Munſtero quem ſecutus eſt, authore, tota penes Palatinum fuit, cui à Maximiliano primo poſtea adempta dicitur: nec ex Ferretenſis Comitatus & Alſatici dominii ad Sigiſmundum Auſtriacum pertinentis *oppignoratione* in *Alſaticæ Advocatiæ* poſſeſſionem veniſſe credendus eſt, qui in Alſatia inferiori (ubi Advocati tribunal Haganoæ poſitum fuiſſe conſtat) ſibi nihil vel ad tempus, vel in perpetuum comparavit, ſed *oppignoratarum* ditionum in Alſatia ſuperiore ſitarum fructum ſibi aliquandiu retinuit. Quod ex Munſtero lib. 3 cap. 125. Chiffletius addit, momenti ad rem nullius eſt. Quid enim ex Munſteri

ſteri verbis habemus: *habet domus Auſtriaca in hoc oppido* Egensheim *Parlamentum, & Cancellariam, ut vocant, pro regionibus Sungowiæ, Briſgoæ, & quatuor oppidorum, quæ ſita ſunt ſupra Bazileam juxta Rhenum, anno domini* 1475 *deputatus fuit ad officium Advocatiæ Oſwaldus Comes à Thierſtein, qui primus fuit regionis præfectus, habens ſecum in Ensheim conſiliarios & corregentes.* Aſſentimur; nec enim dubium eſt Auſtriacos Alſatiæ ſuperioris, adeoque Egensheimii in ea poſiti Lantgravios, qui eam ſuo nomine regerent conſtituere, & ſubditis populis *Advocatos* quorum patrocinio uterentur committere potuiſſe; ſed eorum *Advocatiæ*, quæ tota à Lantgraviorum arbitrio pendebat, longe minor dignitas fuerit quam *provincialis*, de qua una diſputamus, quamque cum Germanicis Imperatoribus immediate ſubjecta fuerit inter *regalia* reponendam ipſemet Chiffletius cenſuit: unde ex neceſſitate conficitur eum hoc loco, quas ſibi præfixerat lineas improvide tranſilire, atque, ut ſic dicam, extra oleas per *avia* conſueto more vagari. Ne inficiari ulla ratione poſſit ipſemet audiendus eſt. *Oſwaldus ille à Paradinô & Belcariô vocatur* Caroli Ducis Burgundiæ Legatus, *qui vere ſuperioris Alſatiæ pro illo* Subadvocatus *erat.* Eſto: quid ſibi quamque defendit hypotheſi adverſum magis animo effingere potuit? Oſwaldum qui Sigiſmundi Legatus fuerat, poſt *oppignoratam* ab eo ditionem, Caroli vices obiiſſe, eumque qui Lantgravii ab *Advocato* provinciali diſtincti *Subadvocatus* erat, non regis, cui *Advocatus* provincialis immediate ſuberat, miniſterio perfunctum fuiſſe, nemo non videt. Nihil ergo vel Sigiſmundo, vel Carolo cui *oppignorata* Sigiſmundi ditio, vel Oſwaldo qui utrique ſucceſſive miniſtravit, commune cum *Advocatia* provinciali Palatino Comiti ab Imperatoribus commiſſa (velit nolit Chiffletius) fuerit. Inſtat tamen; Caroli *Subadvocatum* Oſwaldum fuiſſe *Munſteri verba docent lib.*3 *cap.*4. Petrus *inquit* Hagenbachius Ferretenſis terrarum Alſaticarum Carolo Burgundiæ Duci *oppignoratarum* Rector erat, quem Alſatii criminis inſimulatum capite damnarunt, *&c.* Sed ex laudatis Munſteri verbis eorum, quæ ante confirmata voluerat, nihil ſequitur; quid enim probandum ſuſceperat? an non Oſwaldum Caroli in *oppignorata* à Sigiſmundo Alſatica ditione *Legatum* & *Subadvocatum* fuiſſe? quid vero probat? an non *Petrum Hagenbachium Ferrettenſium Rectorem criminis poſtulatum ab Alſatiis damnatum fuiſſe*? an Oſwaldum Petri *damnatorem* fuiſſe, aut *Alſatiorum* à quibus ille *damnatus eſt*, voce deſignari debere dixerit? Si dixerit, an ex ratione dictum ſano cuiquam perſuaſerit, aut *Alſaticam Advocatiam* quæ aliorum erat ſub Caroli manu vel ad momentum fuiſſe evicerit? Cum igitur de *Luxemburgici Ducatus emptione*, de *Ferrettenſi* & reliqua Sigiſmundi Auſtriaci *Alſatica ditione* Carolo Duci *oppignorata*, Oſwaldi Thierſteinii *Legatione & Subadvocatia* in ditione illa Petrique Hagenbachii ab *Alſatiis damnati* ſupplicio quæcunque Chiffletius à Munſtero & aliis habet agere in confeſſo ſit, eaque ab *Alſatica provinciali*, de qua tota lis erat, plurimum differant, ad tragelaphorum patriam & avia Chiffletiana, unde primum prodiit quam Carolo Duci *vindicandam*, ad inane Hiſpanicæ gentis blandimentum, Plenipotentiariorum ejus Burgundicorum ſugillationem, orbiſque eruditi faſtidium ſuſceperat, abeat neceſſe eſt.

lib. 3 anno 1475.

Mariæ Caroli Ducis ex aſſe hæredis nihilo potior quam parentis & avi conditio fuit; nec contrarium evincunt quæcunque ex Guillimanno & aliis

aliis corraſit Chiffletius. ut ut enim Mariam *Luxemburgici Ducatus compotem*, *Maximiliano primo nuptam* fuiſſe, Maximilianum *Sigiſmundi* conſanguinei *hæreditate auctum* ad Imperii Germanici, quod improprie *Romanum* dicitur, regimen evectum, *Alſatia*, *Mortnovia*, *Lutzelſteinii*, *Haganoæ & Weiſſenburgi* Alſaticorum oppidorum poſſeſſione, & regimine Philippum Palatinum Electorem anno 1506 exegiſſe, eo libentius damus, quo validius Chifflетianam de *Advocatia* Alſatica Luxemburgici Ducatus, ſi Deo placet, appendice hypotheſim quatit. Si enim Alſatiæ *Advocatia* Palatinis Comitibus, antequam Luxenburgicum dominium ab Anna & Elizabetha Ladiſlai Germani hæredibus, pretio Burgundiæ Duces comparaſſent, à Germanicis Imperatoribus commiſſa fuerat, eamque ad annum uſque 1506 (qui à Mariæ Burgundicæ obitu vigeſimus erat) actu tenuerant, quid *Advocatiæ* illius Mariæ obveniſſe dixerint *Hiſpanorum vindices?* Si vero *Alſaticum* nihil in paterna & avita ſucceſſione crevit Maria (quod meridiana luce clarius eſt) quidni, vel ingratiis ſuis, eo adigantur ut *Advocatiam* Mariæ *Alſaticam* tragelaphis nobiſcum annumerent?

Ad Philippum primum Caſtellæ regem, Mariæ parentis ſucceſſionem devolutam, qui cum Chiffletio fatemur, *Alſatiæ Advocatum* fuiſſe vel hoc ipſo negare cogimur, quod anno eodem quo Maximilianus parens Palatino Electori *Advocatiam*, extorſiſſe dicitur fatis functus ſit. ſi enim quandiu Philippus Auſtriacus vixit *Advocatiam Alſaticam* Philippus Palatinus tenuit, quid in eam quod ſibi Auſtriacus vindicaret reliquum manſerit? quod de Alſatiæ Lantgraviatu territorialique juriſdictione, & ordinaria protectione non compugnantibus, ex Magero capite nono, numero 420 obſervat Chiffletius, p. 55. à re noſtra alienum eſt & ex parte falſum. Si enim Sigiſmundi donatarius Maximilianus primus ad annum uſque 1519 vitam produxit, Philippo filio per annos tredecim ſuperſtes; nulla autem ex Iuriſperitorum ſententia viventis ſucceſſio ad præmortuum deferri ratione ulla poteſt, tam nullus fuerit Philippi ante ora parentis, & Sigiſmundi Lantgraviatum tenentis *Alſaticus* à Sigiſmundo donatus *Lantgraviatus*, quam imaginaria & inepte conficta ejuſdem *Alſatica Advocatia*, quam proinde tragelaphis accenſere neceſſe eſt. Affligemienſem chartam quæ *Henricum Brachbatenſis patriæ Comitem & Advocatum* vocat, in Philippi ſive primi, ſive quarti rem trahere nequicquam Chiffletius conatur. cum enim *Alſaticæ* patriæ (ut chartæ phraſim ſequamur) nec *Comes* quod parens erat; nec *Advocatus*, quod ad Philippum Palatinum pertinebat fuerit, Philippus Auſtriacus Philippi quarti abavus titulos, quorum re caruit, nec ſeorſim nec conjunctim (quod Chiffletius delirabat) geſtare ratione ulla potuit.

Carolum quintum Luxemburgici Ducatus titulo primum à patre inſignitum *Luxemburgi decus* auxiſſe, nihil ad *Alſaticæ Advocatiæ* quæſtionem facit. Acta velleris aurei anno 1501. qui enim ex paterna hæreditate Luxemburgicum dominium ad ſe jure ſanguinis traxit, *Alſaticam Advocatiam* qua majores caruerant ad ſe trahere nequaquam potuit, cum præſertim poſt bellum Maximiliani cum Philippo Palatino anno 1506, quo poſt patris dormitionem Luxemburgicæ ditionis poſſeſſionem adiit Carolus, ad Palatinam familiam *Advocatia* Alſatica redierit, cujus jura poſtquam ad Imperium avo ſuffectus pervenit, redemptionis pretio numerato Palatinis poſt annum 1550 abſtulit idem, prout Munſteri

 locus

locus ab adverſario ipſomet laudatus evincit; ſi enim vere Munſterus hæc *anno* 1550 in opere Carolo quinto dicato, libro 3 cap. 134 ſcripſit, *reſiduum terræ eſt vel Epiſcopi Argentinenſis, vel domus Auſtriæ; præter has Imperiales civitates, Colmeriam, Seleſtadium, Argentinam, Turckheim, Keiſerberg, Hagenoiam, Munſter in valle Gregoriana, Roſsheim, ſuperiorem Ebenheim, quæ vulgo Neben appellatur; ſuper quibus princeps Palatinus* Advocatiam *Imperialem habet, ſoletque habere in civitate Hagenoienſi præfectum,* ad annum uſque 1550, & quod excurrit, penes Palatinos Comites *Alſatica Advocatia* manſit, nec eam ſibi Luxemburgici Ducatus jure ad eum ante quadraginta quatuor annos devoluto, vel vindicavit, vel vindicare Carolus quintus potuit, quod Chiffletianam hypotheſim funditus evertit. quod ſubjungit *Advocatiam Alſaticam* à Carolo quinto, *pro ſumma octoginta millium florenorum Germanicorum in capitali, & viginti millium in expenſis,* una cum *Advocatia* de Ortenaw tandem redemptam aſſerit, impertinens eſt, & prioribus ipſius hypotheſibus adverſum; ſi enim Carolus quintus in rem intentiſſimus, quemque adeo ſtipitem fuiſſe nemo ſanus dixerit, ut *emendi* quæ jam habebat conſilium ſumeret, *Alſaticam Advocatiam* poſt annum 1550 *redimere* coactus eſt, eam vindicare Chiffletius fruſtra conatus eſt, vel reipſa vindicaverint, vel jure vindicare potuerint. Meminerit etiam lector inter Advocatiam de Ortenaw, & Alſatiæ provincialem longe maximum diſcrimen fuiſſe, cum hæc in *regalibus*; adeoque ſummæ dignitatis Chiffletio ipſomet authore fuerit, illa privati juris cenſeri debuerit, vel ex conventione, ut ſancti Maximini Trevirenſis & Epternacenſium Luxemburgi principibus; vel hæreditario jure, ut Averbodienſis Monaſterii Loſſenſibus Comitibus fundatoribus addicta, eoque ipſo longe infra provincialis dignitatem ſubſidens: eſt enim Ortenaw ad decimum circiter ab Argentina milliare Orientem verſus Canonicorum locus, cujus cura & patrocinium *Advocato* peculiari & minorum gentium commiſſa fuerunt. à Carolo v quatenus Luxemburgi Dux fuit *Alſaticam provincialem*, & localem *de Ortenaw redemptam* & *poſteris Luxemburgi Ducibus aſſertam*, quantumvis fidenter aſſerat & *Euſtachii à Wiltheim Luxemburgici præſidis obſervationi debitum* inculcet, admittere nequaquam poſſumus: quandoquidem *regalium* (inter quæ *Advocatia Alſatica* Chiffletio ipſomet authore eminet) *redimendorum* facultas uni regi, non Duci ſub rege conſtituto, competat: nec Carolum v regni jure fultum, eo in privatum familiæ & poſterorum commodum abuti fas fuit. Id tamen (quod nuda Wilthemii authoritate ſine alio ullo argumento firmatum voluit Chiffletius) re ipſa factum demus; *Advocatiam* ne *Alſaticam* Luxemburgi Ducum Caroli poſterorum rem propriam evaſiſſe obtinuerit, quaſi *regalia* ulla quocunque machinamento alienari, & à regno quomodocunque ab eo divelli potuerint, cui regnandi jus poteſtaſque delata fuerat, aut ab eodem alia conditione *redimi* potuerint, quam antea addicta fuerant. Si à regibus ante *oppignorata* Luxemburgi Dux, qua Dux, *redemit* & *ad poſteros* tranſmiſit, id tantum *redemptione* facta ſibi ſuiſque comparaverit, ut in eorum locum ſuccederent, à quibus *pignori* tradita redemerat: fuerint ergo (ex Wiltheimii ipſius hypotheſi) Carolus & ab eo nati non *proprietarii*, ſed commendati ipſis *pignoris detentores*; qui ab Imperio Germanico id unum repoſcere jure forte poſſint, ut numerata à Carolo proavo pecunia ipſis ejuſdem hæreditate auctis bona fide refun-

refundatur: qua de re non Franci (quorum non intereſt) ſed Imperii Germanici ordines qui Alſatica jura in Francos transfuderunt, quandocunque libuerit, viderint.

Quocirca impudens & contumelioſum quod de Philippi II, Iſabellæ filiæ & Philippi IV nepotis jure ab eo claro, antiquo & hæreditario (cum nullum prorſus fuerit) dicto effutit Chiffletius pag. 56, id nec ab Imperatore nec ab univerſis Imperii Germanici ordinibus abſque intolerabili injuria alienari & Francis tradi potuiſſe: cum enim in *Advocatiam Alſaticam* nihil vel Carolus vel poſterorum ejus quiſquam, *ſive clarum, ſive antiquum, ſive hæreditarium* quod ſibi vindicaret habuerit, Alſatiam vero Imperator & Imperium (pro ſummæ, nulliuſque Hiſpani aut Sequani arbitrio obnoxiæ poteſtatis abſoluto jure) *alienaverint & Francis tradiderint*, Hiſpanis, quibus jus nullum competebat, nec *tolerabilem nec intolerabilem injuriam* inferre potuerint, ſed *injuriæ* in univerſos *intolerabilis* læſæque procaciter Majeſtatis poſtulandus Chiffletius venerit, qui unanime eorum decretum non tantum *indignum*, ſed cum exaggeratione tragica & maledica *tam indignum facinus*, præfricta fronte vocare auſus in *eorum* (quibus ſummum cultum debuerat) *poteſtate* Alſatiæ ceſſionem fuiſſe negavit, Franciſque quibus vel hoc nomine pœnas debet *prava commercia* imputavit. Epiſt. ad Philipp. 4. pag. 5 & 7.

Eo etiam nomine ejuſdem vel falſi crimina ſi imponere animus fuit, vel deliramenta ſi imprudens erravit paginis 53 & 54 admiſſa caſtiganda veniunt; nam 1, in tabulæ titulo ob delatum Burgundiæ & Luxemburgi Ducibus Advocati Alſatiæ titulum, veri ſtudioſis univerſis ludibrium debet, prout ante evicimus. 2, eumdem titulum tam imperitè quam falſo Philippo bono, Carolo filio, Mariæ nepti, Philippo I, Carolo V, Philippo II, Iſabellæ Archiduci & Philippo IV appingit. 3, Mariæ Caroli Ducis unigenitæ, Philippo I & Carolo V Burgundici Ducatus, eos nullo modo contingentis, quemque Philippis II, III, & IV denegavit titulum de alieno largus impudenter tribuit. 4, Philippo I longe ante patrem Alſatiæ Lantgravium denato, Lantgraviatum illum quem ne ad momentum poſſedit, vel poſſidere potuit, nullo judicio adſcripſit. 5, venditatum à ſemet pagina octava Chriſtiani Vrſtiſii de *Advocatorum ſupra Comites* prærogativa placitum, ſecum pugnans & Lantgravios Alſaticos *Advocatis* anteferens, refixit.

His ſive falſi criminibus, ſive projectæ audaciæ & ſtupendæ inſcitiæ ſpeciminibus, tamquam ſe dignis artibus, à Rege ſuo cui turpiter illuſit, ſibi honorarium, filio velleris aurei Cancellariatum promeruit, juratus, ſed furore cæcus, Francicæ majeſtatis & Germanicæ pacis hoſtis, quam ad immanitatis ejus perpetuum tormentum magis ac magis firmabit, qui eam afflictis tricennali procella populis reſtituere dignatus eſt miſerationum parens. Ne quem autem fugiat Hiſpanicorum miniſtrorum, adverſus æquiſſimas ejus conditiones proteſtantium, iniquitas, univerſos æqui bonique ſtudioſos obnixe rogatos velim, ut in memoriam revocatis, quibus eam profligavimus argumentis, liberum & gratiæ minimè ſuſpectum judicium proferant; ſi enim poſteris reſervatus à Carolo V *Lantgraviatus* titulus, Imperii Germanici libertati officere nullomodo potuit, quî imaginarium & ex una ſomniantis mantiſſa temere nudius tertius depromptum *Advocati Alſatici* nomen Luxemburgicis Ducibus affictum offecerit? Statuamus nunc tam Advocati quam Lantgravii titulos

tulos ad Philippum IV ex æquo trahi potuiſſe, tranſactione Caroli V cum Ferdinando I fratre una comprehenſos fuiſſe, & caſum tranſactione illa notatum ob univerſi orbis oculos ponamus. Quis Hiſpanicum ad novas ciendas procellas pronum ingenium non averſetur? Inter Carolum V & Ferdinandum I germanum, ac exinde inter Philippum III & Ferdinandum II, Caroli V & Ferdinandi I nepotes, convenerat defunctis lineæ Ferdinandicæ maribus nulla fœminarum ſuperſtitum ratio haberetur, ſed Ferdinandi I portio hæreditaria univerſa ad lineæ Carolinæ mares pleno jure rediret: an defuncti erant cum pax Germanica ſancita eſt, aut nunc vivere deſierunt Ferdinandi I nepotes? Imo per Dei gratiam ſoſpites aura veſcuntur ſui juris quinque, nec aperta, quidquid ſereniſſimæ genti ejuſque perennitati male Hiſpanis ominandum videatur, in longos annos erit eorum ſucceſſio. Cur ergo in eam ad ſe nec devolutam, nec porro (ſi naturæ ordinem ſpectare libeat) devoluendam Hiſpanorum famelica ora dehiſcant, cui non ridiculi, imo pacis ſtudioſis graves videantur, qui ſummum Europæ bonum in incerto pendere,& iniquis ac importunis proteſtationibus ſubrui,quam voracitati ſuæ vel hilum ſubduci, aut Chriſtiani orbis votis tantillum concedere malunt? Quotquot uſque nunc Ferdinandici rami principes ſuperſunt, vegeto corpore florent, & crudam ſenectutem populis ſubditis pollicentur. Vnicus ex Carolino ramo ſuperſtes, non tam annis quam morbis ſubinde recurrentibus fractus, ante pacem Germanicam ſancitam, magno ſuo & Hiſpanici dominii infortunio orbus, unici filii funus immaturum procurare coactus eſt, nec ſi novum ex ſecundo ejus conjugio principum ordinem naſci videat, orbis ad ſpes longas qui maxime ei rebuſque ejus favent animos attollere audeant, quibus incompertum non eſt ex quinquagenario, quotidie, dum cum mortalitatis ærumnis luctatur de vita periclitante vivaces poſteros vix progigni poſſe. Cum igitur de caſu in principum Auſtriacorum utriuſque rami propoſito actum plane eſſe è cœlo pronunciare divina providentia videatur, quo judicio caſum illum nunquam niſi forte ex miraculo eventurum, importunis clamoribus ſuis interturbandæ publicæ quietis animo urgere non deſinunt infelices, cœlique decreto jam manifeſto obloqui auſi Hiſpanicæ cauſæ patroni? an non eos, quorum omnia nutare videntur, propinquorum, quorum rebus favere ſe ſimulant, proſperis invidere pudet? eorum jam adeo miſeranda conditio eſt, ut quotquot ſub manu quocunque modo regna tenent à lancea in colum tranſire prope diem *parata* ſentiant, ſpeſque ſuas omnes in infirmas Infantulas recumbere, ſerio deplorent; quas ſi decollare contingat, univerſa gentis decora & commoda ad Chriſtianiſſimum regem Auguſtamque ejus parentem pleno jure devolvenda non dubitem, eamque pactis matrimonialibus, antequam ſui arbitrii eſſet, aut eſſe per ætatem poſſet, èx aliorum libidine ſcriptis, niſi quod nata eſt, & quod ſibi ex legum Hiſpanicarum præſcripto gentiſque inveterata, & longo novem ſæculorum uſu confirmata conſuetudine debitum ſcit, ejuraſſe, indignaque ſui & filiorum quos favente numine Francis ſuiſque peperit oblivia potaſſe videatur. Promiſſam ab ea vix duodecenni dum tabulis matrimonialibus juſſu parentis ſubſcriberet, earum poſtquam major evaſiſſet confirmationem novimus; ſed quam præſtare nunquam debuerit, cum ipſo ſuo *initio vitioſa tractu temporis*
p. 56. *convaleſcere* nequeant, reique per ſe iniquæ & naturæ jus evertentis confir-

matio-

mationem exigere nova injuria fuerit, cui conſenſum nullum debuit rerum ſuarum imperita ex alieno imperio agens, cuique utpote graviſſimo & invincibili errore laboranti nec voluntas, nec conſenſus, nec legitima ulla adverſus ſemet juſque ac fas naturale actio fuit. Quo igitur vel jure vel juris colore Chriſtianiſſimum Regem ab *Alſatia*, ut Hiſpanico Regi blandiantur arceant, & arcendum à Germanis imperent, quem jure matris nixum totius Hiſpanici dominii reſervatique Hiſpanis Caroli v poſteris in *Alſatiam* juris hæredem natum negare ſine injuria nequeunt?

Quid Francicæ gentis hoſtem intentatam Ludovico xiv de *Advocatia* totius *Alſatiæ* provinciali litem fuiſſe, *Advocatiam illam* longe à *particularibus diverſam* cenſeri debere, *Ferrettarum Comiti Theobaldo*, *Ioanni de Lichtenberg & Rudolpho Hohenbergenſi*, qui ab Alberto Argentinenſi *Advocatus provincialis totius Alſatiæ*, Germanice *Landvoghd*, nuncupatus eſt, ſucceſſive commiſſam fuiſſe, *Lantgravio*ſque, quaſi *Comites provinciales* dici conſueviſſe, monere nec juvat, quaſi eorum quidquam negare animus ſit, aut ſi ea univerſa & ſingula admittamus cauſam obtineat, aut denique Luxemburgi Duces Philippi boni Burgundi poſteros *Alſatiæ Advocatos* eſſe vel fuiſſe unquam evincat, ut ut ipſi de *Advocatis* ſive *Alſatiæ*, ſive regionis alterius provincialibus philoſophari libeat, nihil adverſus nos promovebis, nec ex eo quod *Advocati* illi *Landvoghd* dicti ſint, & Luxemburgi Ducatum, cujus appendix *Advocatia Alſatica* nunquam fuit, ſibi ſuiſque Burgundiæ Duces poſtremi comparaverint, eos *Alſatiæ Advocatos* revera fuiſſe aut dici debuiſſe conficiet. Quem enim ad modum cum ratione inſanire videretur, qui ex eo quod poſt extinctam Ducum ſuorum ſtirpem *Meravia* Advocatis commiſſa, *Vooghtlandia* quaſi *Advocatorum* Regio dici cœperit, & uſque nunc dicatur, p. 56.
Advocatos illos quibus concredita eſt *Meraviæ* Duces fuiſſe colligeret, eadem ratione delirabit qui Burgundicos & Auſtriacos Luxemburgi Duces *Advocatiæ Alſaticæ* titulum invadere jure poſſe credet; quia Luxemburgi Ducatum ab iis quorum propinquis *Alſatica Advocatia* cum Ducatu illo *oppignorata* fuerat emptionis jure ad ſe traxerunt.

Cum hæc ita ſint, Philippum iv Luxemburgici Ducatus jure *Advocati Alſatici* titulum ſibi arrogare nequaquam poſſe, nullum ei adverſus Imperium Germanicum *Alſatiæ* dominium in Francos transferens reclamandi p. 56.
colorem eſſe, Imperium denique Germanicum, cujus Princeps haberi vult, armata ejus manu, qua miſerum in modum vexatum eſt, nunquam adverſus Francos veteres amicos, à quibus hoſtile nihil metuendum fuerat, eguiſſe, aut in præſens egere clarum eſt. De Alberti i cum Philippo pulchro, apud Vallem Coloris, initis anno 1299 pactis, ſive comperta, ſive incomperta (quod Belleforeſtius putavit) Guillelmus Nangiacus retulerit, nihil Francorum de *Alſatiæ* dominio, cum Germanis apud Monaſterium transfigentium juri decedet, nec quicquam Regno Germanico, cujus *Alſatia*, quæ tota ab anno 840. Lotharingica fuerat, membrum proprie nunquam fuit aut cenſeri debuit, auferetur. Vt ut enim poſt Lotharingici regni caſum *Alſatia* (quæ pars ejus erat) regno Germanico accreviſſe ejuſque appendix facta fuiſſe videatur, extra ejus antiquum corpus ſemper manſit, nec ita cum eo coaluit ut ejus (quod nunquam fuerat) propria evaderet. Nihil ergo à conventu Monaſterienſi regno Germanico deciſum eſt, ſed quod ex vicino regno avulſum

eidem cohæſiſſe videbatur Francis, ad quos Lotharingia tota anno 911 hæreditario jure tranſierat, in integrum reſtitui poſcentibus ex æquo & bono relicta eſt, nec relictam fuiſſe alii indignantur, quam qui pacati feliciter, quem turbaverant, orbis Germanici quieti maligne invident.

Ante annum 840 cum Francia à Pyrenæo ad limitem Pannonicum protenderetur, unique Regi ſubeſſet, in ejus quaſi meditullio poſita erat Alſatia, p. 57. quæ poſtea cum reliqua Francia media inter Orientalem & Occidentalem jacente, Lothario Ludovici pii primogenito ejuſque poſteris jure hæreditario ceſſit, regnique peculiaris membrum cenſeri cœpit, quod cum ad Carolum ſimplicem poſt Ludovici Arnulfo nati obitum devolutum fuiſſet, id totum ſibi Ludovicus Vltramarinus, & Lotharius Vltramarini filius vindicare conati ſunt. Horum tota ditio poſt abdicatum à Lothario Ludovico v totoque Francorum regno, Carolum Lotharingiæ inferioris Ducem ad Hugonem Capetum, poſtremæ familiæ fontem, liberis ſuffragiis ab iis qui ſui juris poſt Ludovici mortem erant electum, tranſiit, & ad poſteros hæreditario jure uſque nunc tranſmiſſa eſt: nec Hugo regni gubernaculis admotus eſt, quod maternam originem, ex qua nihil ad ipſum juris traduci potuerat, ad Carolum Magnum referret; ſed quod inter Carolini rami propinquos mares regno maxime idoneus ſuo merito videretur. Quod vero appoſitam in *vindiciis* & *luminibus* cramben hoc loco recoquit, & lectoribus ad faſtidium obtrudit Chiffletius, tam eo dignum eſt, quam à veritate ſanaque ratione alienum: Philippum IV Caroli Lotharingiæ Ducis à Francorum Regibus, propinquis regnoque univerſo abdicati filiabus ortum, qui ſponte confitemur ad Carolum poſt abdicationem juſtam devolui regnum potuiſſe, etiamſi devolui potuiſſet ad filias ejus, cum marem reliquerit, cujus uſque nunc in Haſſia & Miſnia poſteri ſuperſunt, tranſire debuiſſe negamus, quarum cum ſolo jure, quod nullum prorſus erat Chiffletio, ipſomet fatente nitatur Philippus IV, nihil ipſi quod in Francia quærat reliquum eſſe poteſt. Hugonem noſtrum Capetum ex Altorffina familia, cum Ioanne Beſlio noſtrate alii multi literati natum fuiſſe ſibi ſi perſuaſerint, eorum certatim in errorem ruentium exemplo impingere nequaquam debemus, qui Welfum Conradi & Iudithæ Imperatricis parentem, Thegano coætaneo *Bajoarium* Altorffi in Suevia poſiti Comitem fuiſſe credant qui voluerint; qui credendum urgent idoneis argumentis probent, ſi fidem noſtram obſtringere in animo habeant, cum nihil hactenus quo Altorffum Welficii juris fuiſſe conſtet prolatum fuerit. Hugonem Abbatem Caroli Magni ex regina concubina filium naturalem, maritum fuiſſe; & Adelaidis quæ Conrado Welfi filio nupſit parentem eſſe potuiſſe; Adelaidem Roberti fortis cui ſecundis nuptiis juncta eſt matrem haberi debuiſſe; Robertum fortem Odonis & Roberti Regum parentem, Hugonis ſecundi Abbatis Conrado & Adelaide nati Germanum eſſe potuiſſe negamus. cum enim poſt annum 800 Hugo primus Abbas natus, anno 818 tonſus, anno demum 822 cuſtodia emiſſus, exinde *Abbas Monaſticus* fuerit; Adelaidis anno 836 Conrado nuptæ parens eſſe nequaquam potuerit. Hugo vero ſecundus Conradi & Adelaidis ejuſdem filius, Roberti fortis (cujus revera privignus erat eaque de cauſa ab annalium Bertinianorum collectore, & Aimoino *filius* ejus, & à Chronico Divionenſi Aimoini verbis Vzo, Odonis & Roberti Roberto forti & Adelaide nato-

natorum *frater* dictus eſt) ſive germanus, ſive uterinus, ſive denique adoptivus *frater*, nec fuit, nec dici ex vero à quoquam potuit. Quocirca multiplici errore involutus aliorum priorum exemplo fuerit Beſlius noſter, quem etſi jure optimo *difficillimos hiſtoriæ Francicæ nodos ſolvere* aptum judicaverit Nicolaus Marguinus, impeccabilem haberi noluit: revera ante apertum Capetinæ originis fontem ad vitam meliorem tranſlatus, longiore inter nos mora digniſſimus Beſlius, eo in quo antea hæſerat luto ſeſe extricare ut veritati cognitæ ſolitum cultum exhiberet nequaquam potuit. Cum igitur Cheſnei & Boucheti, qui primi veros Roberti fortis natales panderunt lucubrationes, nequaquam præ manibus habuerit veri ſtudioſiſſimus vir, eum à præconcepta ex errore communi opinione nunquam receſſiſſe mirum videri non debet. Ejus etiam de Hugone primo Abbate conjecturam libello peculiari explicatam, qui publici juris anno 1647 fecerunt, eam Cheſnei & Boucheti ſententiæ anteferendam cenſuerunt; cum enim ipſis propoſitum fuiſſet Beſlii opera, ad purum ejus manu ſcripta, publici juris facere, etiamſi in illis nonnulla quæ merito deſiderarent offenſuros lectores noſſent, in alienam meſſem falcem ſuam immittere, alienóſque fœtus tamquam urſinam maſſam pro libidine lambere, noviſque lineamentis inductis interpolare indignum putaverunt; ſed bona fide Beſlii poſthumis operibus publicandis incubuerunt, eaque libero lectorum judicio cenſenda obtulerunt; non ut cuiquam fucum factum vellent, aut tantum amici authoritati delatum cuperent, ut hiſtoriæ noſtræ ſtudioſos à certiorum & accuratiorum commentariorum lectione & æſtimatione deterrerent; ſed ut laudabili defuncti memoriæ præclaris ejus (licet nævis non carerent) laboribus, publicoque deſiderio quomodocunque proſpicerent. ſed hæc nihil ad cauſam Alſaticam.

Si Grammundus noſter hæreditario jure ad hodiernos Auſtriacos, quæ nunc poſſident magna ex parte tranſiiſſe, concordiæ eos ſummopere ſtuduiſſe, & in rem ſuam intentiſſimos fuiſſe cenſuit; ſi *Cardinalis Infans* è vivis nuper ſublatus in concordia illa ſummum gentis totius præſidium poſuit; ſi denique tanquam ex ejus præſcripto velut è machina demiſſus monitor Chiffletius Auſtriacos Germanos cum Hiſpano concordes eſſe jubet; nemo refragatur: ſibi, quæ ex avita hæreditare poſſident, retineant; pacemque quantum libuerit inter ſe colant, modo nihil adverſus fidem publice Francis datam moliantur, aut de iis legitima poſſeſſione deturbandis, pactiſque Monaſterii initis refigendis cogitent: iis concordiam ſi ea in aliorum injuriam minime vergat non invidemus; unanimitati eorum pacatæ, nulli bono noxiæ, nullis inſidiis ſtipatæ, nobiſque fidos, benevolos & promiſſorum tenaces propinquos nactis ex animo gratulabimur.

De Advocatia Alſatica Luxemburgici Ducatus appendice perpetua (ſi Deo placet) factus Auſtriacorum Luxemburgici Ducatus potentium ejuſdem Ducatus ratione propria multa nugatus Chiffletius, ne nugandi ſuaque impugnandi finem faciat, ad tranſactionem Auguſtanam procurante Carolo V anno 1548 Iunii 26 ſcriptam ſe confert, quaſi ex ejus verbis evicturus, quæ antea tam temere quam inſcite commentus erat: eam ad rem nullo modo eſſe breviter demonſtrare noſtrum eſt. Imperii Germanici circulis quos *juſtitiæ, pacique publicæ, ſanctionibus tuendis, atque ſententiis, mandatis, aliiſque rebus exequendis* inſtitutos Carolus V, Chiffletio teſte notabat, cum p. 58.

Maxi-

Maximilianus avus ejuſdem paternus *Burgundicum* anno 1512, certis conditionibus adjungi voluiſſet; eaſdem Carolus v in comitiis Auguſtanis confirmavit. nemo autem non videt quæ circulum Burgundicum ſpectant, nihil ad Alſatiam quæ Rhenani pars eſt, ejuſque Advocatiam provincialem facere; quandoquidem circuli uniuſcujuſque limites juraque à ſe invicem diſtincta ſunt, nec alius in alium vel irrumpere fines diſturbando, vel efferri eum ſubjiciendo ullatenus poteſt. Cum igitur Luxemburgi Ducatus Burgundici membrum ſit, quid in Alſatia Rhenani parte, vel Advocatiæ nomine, vel quovis alio titulo ſibi Ducibuſque ſuis quærat? Quid circulo Burgundico deperierit, ſi Alſatia Rhenani vicini pars, ut coronæ Franciæ deinceps adjungeretur, eſſe deſierit? an vel paſſu pedis brevior, vel ſubtracta minima gleba anguſtior, vel antiquo jure infracto dejectior fiet? cum nihil ei Monaſterienſis pacti de Alſatia caput auferat, quid in noxam ſuam pacto illo ſtatutum dixerint *Burgundici* circuli plebes? ſed forte id in eorum detrimentum vergit *conditio nuperæ pacis cum Gallia*, *qua dicitur circulum Burgundi-*
p. 67. *cum manere membrum Imperii, poſt controverſias inter Galliam Hiſpaniamque ſopitas.* cur vero conditio hæc quæ Alſatiam nullo modo tangit, eoque *Alſatiæ vindicatæ*, inſeri minime debuerat vindici noſtro *Caſſa & Irrita* pronuncianda videatur? *Caſſam*, inquit, *& Irritam convincunt, iſthæc Burgundicæ tranſactionis verba:* Quidquid contra ſupradictam tractationem vel capitulationem factum, ordinatum, ſtatutum, aut impetratum fuit; vel in futurum fiet, ordinabitur, ſtatuetur, obtinebitur, aut impetrabitur; non poterit allegari, nec uſui eſſe in contrarium; ſed erit manebitque ſine ullo vigore. *Imperator & Imperium pacto illo promiſere Burgundicis provinciis* perpetuam protectionem, auxilium & defenſionem, *&c.* audimus animoſam (ſed cujus ipſemet aciem retundat) *Alſatici vindicis* noſtri criminationem. ſi enim irrita pacis Monaſterienſis conditio ea eſſe debeat, quæ circuli Burgundici Imperio Germanico à Maximiliano I, adjuncti unionem cum reliquo Germanici Imperii corpore, vel ad momentum ſolvere videatur, quid Hiſpanorum ipſorummet cum Belgis Fœderatis Monaſterii paciſcentium, autenticis & publicis actis fiet? annon Belgarum Fœderatorum ditionem, quanta quanta eſt, alieno nulli dominio obnoxiam ſuique abſolute juris eſſe agnoverunt? atqui ea univerſa circulo Burgundico, qualis à Maximiliano I inſtitutus erat, comprehenſa fuerat, nunc vero nec ejus nec vicini alterius membrum eſt; ſed corpus per ſe conſtans, quodque nulli niſi ſolius Dei patrocinio ſeſe commiſſum velit. Ipſiſne qui vel hoc nomine quod Burgundici circuli magnam partem poſſident, Imperium Germanicum colere tenentur, in circuli ejuſdem ſolutionem, & à Germanico Imperio alioque omni dominio circumſtante avulſionem perpetuam, Imperatore & Imperio inconſultis, conſentire licuerit Imperatori & Imperio ſolo Deo minoribus, nulli in terra poteſtati cultum vel minimum debentibus, reſque ſuas pro ſumma qua pollent poteſtate agentibus, circuli ejuſdem, cui tutando benignum ſinum anno 1512 aperuerant, ſtatum pro arbitrio temperare, nec ad tempus, nec in perpetuum licuerit? *quod*, inquit Chiffletius, *perpetuum perenne eſt, nec ullam patitur inter-*
p. 67. *ruptionem; alioqui deſinit eſſe perpetuum. circulum ergo Burgundicum (qui ex ipſa hoſtium confeſſione, & ex ſolenni perpetuoque pacto membrum eſt Imperii) à proprio corpore ad tempus ſejungere, ac eidem rurſum reſtituere, plane violen-*

tum

tum eſt & iniquum. Audimus rurſus importuni vitilitigatoris inani conatu præhenſam ſerram reciprocantis ingratum ſtridorem, quem eadem prorſus ratione cohibere facile fuerit. An non Belgarum Fœderatorum provinciæ circuli Burgundici perpetuo Imperii Germanici patrocinio commiſſi nobilia membra fuerant? an non rurſus quod *perpetuum circuli* totius *Burgundici* reſpectu erat, *perenne* eſſe nec *ullam interruptionem pati* debuit? atqui Hiſpanis ipſis (qui Imperatori & Imperio Germanico violatæ tranſactionis Auguſtanæ invidiam facere nunc audent) volentibus, Belgarum Fœderatorum provinciæ circuli Burgundici, cujus membra ab anno 1512 ad 1548, & quod excurrit, nobilia membra fuerant, ab eo penitus & in perpetuum divulſæ ſunt, quæque dum in ejus corpore conſtiterunt, perpetuæ Imperii protectioni obnoxiæ fuerunt, nunc vidente & probante Europa exemptæ ſunt, ſuoque uno robore ſub Dei unius patrocinio nituntur: quî factum ut quod *perpetuum* volunt Hiſpanorum patroni, ipſiſmet probantibus *perenne* non ſit, nec tantum *interruptioni*, ſed abſolutæ ſeparationi locum dediſſe videatur, p. 67.
ſuo-ne arbitrio permiſerint, ut qui Imperatori & Imperio circulum Burgundicum, *ex ipſa hoſtium* ſuorum *confeſſione*, *& ex ſolemni perpetuoque pacto Imperii membrum, à proprio ejuſdem corpore ad tempus ſejungere, ac eidem rurſum reſtituere plane violentum eſſe & iniquum* putant, ejuſdem *perpetuo pacto Imperio uniti membri* provincias aliquot ab eo non *ad tempus*, ſed in *perpetuum* nunquam reſtituendas *ſejungere plane violentum & iniquum* eſſe negent, ſeque jure negare factis ipſis confirment? Retortis in audax & maledicum Hiſpanicorum rabularum caput, quibus Imperatorem cum toto Imperio Germanico, & Francis in acie ex adverſo ſtantibus impetierant telis, eos ad incitas redegiſſe ſatis videri poterat; ſed ne quid eis in tranſactione Auguſtana præſidii eſſe quiſquam deinceps reliquum putet, ea ipſa, quæ adverſarius urget verba attendamus. quærit an non quod perpetuum tranſactio voluit, perenne ſit nullamque infractionem pati debeat? nobis vero reſponſum paratum eſt, ſi quod perpetuum dicitur & haberi in poſterum jubetur, ſine conditione vel expreſſa vel tacita à ſtatuentibus ita decretum ſit, ut ſibimet manus colligaſſe ne quando digito ea movere audeant; ſi enim ſub conditione tantum eis perpetuitas promiſſa ſit, abſolute perennia aut nunquam interrumpenda cenſeri nequaquam debuerint. Quid amabo in circuli Burgundici gratiam decretum eſt? *quidquid contra ſupradictam tractationem vel capitulationem factum, ordinatum, ſtatutum aut impetratum fuit; vel in futurum fiet, ordinabitur, ſtatuetur, obtinebitur, aut impetrabitur; non poterit allegari, nec uſui eſſe in contrarium; ſed erit manebitque ſine ullo vigore.* p. 67.
an abſolute decretum eſt? *hoc Ithacus velit & magno mercentur Atridæ*; ſed contra factum eſſe expreſſiſſima tranſactionis verba evincunt: *promittimus pro nobis, poſteris & ſucceſſoribus noſtris, ſub honore & verbo principis, & fide bona, omnes & ſingulos articulos, & capita in iis contenta, quæ nos & dictum S. R. I. concernunt, nos fideliter & firmiter tenturos, obſervaturos & impleturos ſine contradictione; nec contra facturos, aut molituros; nec ullatenus, ut id alii faciant, paſſuros; id reſervantes, ut præſens tractatus & conſenſus non importet præjudicium, nec per eum quidquam S. R. Imperio, quoad terras, quæ ante hac ad illud pertinuerunt, neque quoad communes & particulares ſtatus ejuſdem; ſimiliter nec provinciis patrimonialibus inferioribus & ſubditis Caroli* p. 66.

Imperatoris; *excepto eo quod præſenti tractatu continetur* , *& omnibus aliis modis*, *qui eorum ſupremitates*, *dominia* , *libertates* , *jura* , *antiquas conſuetudines & uſus concernunt*. Cum id ſibi ſuiſque in poſterum *reſervatum* voluerint , ne quid *Imperio* ejuſque *provinciis* ac ſubditis *præjudicii* quomodocunque creetur ; ea tantum lege Imperii protectionem circulo Burgundico promittere in animo habuerant , & reipſa promiſerant , ne ipſi Imperio antiquiſque ejus membris damnoſa eſſet ; quod ubi triſti triginta annorum experimento edocti eveniſſe qui nunc ad clavum ſedent ex animo dolerent , eorum fuit majorum exemplo ne quid reſpublica detrimenti caperet videre , vique reſervationis ab iis ante annos centum factæ ſe ſuaque tutari. qua in re nihil in tranſactione bona fide à patribus ſcripta luxatum eſt, ſed tranſigentium mens explicata , qui circùli Burgundici patrocinium ita ſuſceperant , ut noluerint ejus cauſa periclitari. Annon abſurdum eſſet Germanicæ Reipublicæ lumina Hiſpanicis offuciis adeo obtenebrari, ut mallent externæ libidinis & pervicaciæ victimæ cadere , belloque internecino ad extremam uſque patriæ vaſtitatem implicari , quam de Burgundici circuli nuper antiquis aſſuti , nec Imperio, cui ab anno 1512 adhæſiſſe videbatur , æquo cum aliis jure uniti, cura vel tantillum remittere, ejuſque ſtatum reſque natura ſua diverſiſſimas pauliſper ſeponere ? Cum igitur in hunc neceſſitatis articulum ſe Imperii ordines deductos ſentirent , ut vel Imperio univerſo (procul ex Hiſpanorum voto faceſſere juſſa pace) pereundum eſſet, aut circulo Burgundico res proprias ad tempus curare monito , ejus in præſens ſpes differre cogerentur ; quid ni ſibi providere ex majorum mente, novique & heterogenei membri rationem poſt habere (prout jus faſque ex lege reſervationis anno 1548 factæ erat) anno 1648 debuerint? Quis Germanus Burgundici circuli ſubditos (hederæ murum cui adhæret dejicientis inſtar) in Germanicum Imperium recumbere ejuſque certiſſimo periculo ſua procurare , totumque ejus corpus exitio , ut ſe calamitati eripiat, objicere audere patienter ferat? Qui Burgundici circuli patrocinium ſuſceperunt , eumque reipſa quandiu ſine noxa propria potuere foverunt , & bona fide protexerunt, ubi ſine *præjudicio* reipublicæ cujus membra erant opem propria eorumque quibus ſuberant culpa laborantibus adferre ſi aliquandiu deſtiterint , nihil in conſociationis legem quam anno 1548 ſcripſerant peccaverint ; ſed jure ſuo prout ſibimet expreſſe caverant uſi fuerint ; nec Hiſpanis eorumque turbulentæ factioni addictis licuerit de Germanici Imperii Principum fide ac conſtantia deterius quid vel aperte pronunciare vel in aurem muſſare ; quandoquidem quod patriæ jure natalium & fidelitatis ſacramento obligati debebant , ne ipſa funditus everteretur , prout res tempuſque ferebant reipſa præſtiterunt.

Imperii Germanici de circulo Burgundico decretum nulli Hiſpano jure diſplicere debuiſſe , nihil in eo quo fides ante annos centum data violaretur admiſſum fuiſſe , nihil denique in tranſactione Auguſtana quo Imperii Principes, ceu totidem devota capita, ſe Burgundorum ſaluti totos impendere tenerentur occurrere, manifeſtum fecimus , tranſactionem nunc Auguſtanam caris noſtris , quibus toties & generoſum ſanguinem fudimus , & ærarium quotieſcunque res poſcere viſa eſt prompta lârgaque manu aperuimus, totaque fide, ut res eorum in tuto collocaretur perpetuo cavimus , mirum in modum

modum ſervire, excerptis quæ eos proprie tangunt verbis ad oculum demonſtremus. Capite 6, *Neque aſſentimur neque aſſentiri poſſumus iis quæ per communes ſtatus, dicto modo nobis propoſita ſunt, ac potius curavimus eis claram dari informationem ſtatus dictarum noſtrarum Provinciarum* Belgicarum *& Burgundiæ: & inter cætera, non poſſe oſtendi aut probari fuiſſe unquam ex parte provinciarum patrimonialium* Belgicarum, *aut Burgundiæ datas ullas contributiones; quin imo illas ab omni tempore tum à dictis* contributionibus, *tum* à conſtitutionibus, ordinationibus, juriſdictione & proceſſibus *dicti Imperii* exemptas fuiſſe, &c. cap.7, *& quamvis dictus Philippus Burgundiæ Dux tempore dicti Friderici Imperatoris, Legatos ſuos ad comitia Imperialia miſerit, ac ipſemet in aliis quibuſdam comitiis comparuerit; id tamen* factum eſſe ab eo voluntate libera, non autem ex obligatione aut debito ſeu munere, *ac potius ut ſatisfaceret ſolemni voto ſubveniendi Provinciis Chriſtianorum contra fidei noſtræ hoſtem, amiſſa antiqua & Imperiali civitate ac reſidentia Conſtantinopolitana; atque etiam ut capita nationis Germanicæ incitaret ad ſubſidium aliquod notabile,* &c. cap.8, *quoad Ducatum Gelriæ,* &c. *contributionem à ſtatibus,*&c. *petitione communium ſtatuum Imperii ſcripto aliàs ipſis facta, ſolvendam, nos declaraſſe ejuſmodi contributiones nunquam antehac ab iis fuiſſe petitas, & multo minus ſolutas; contra fuiſſe eo ſemper exemptos, nullam unquam ea de causâ moleſtiam paſſos; rogantes, quandoquidem ſe nobis ea conditione ſubdidiſſent, ut eorum libertatem & immunitatem conſervaremus, ſineremuſque eos pacifice in poſſeſſione earumdem permanere.* cap.9, *Idem nobis ex parte provinciæ Vltrajectenſis ſignificatum eſt; præſertim, nullum unquam ſubſidium, quo tempore Epiſcopi temporale dominium habebant, ab iis petitum, aut ſaltem acceptum, & juxta ſua privilegia & veteres conſuetudines ſe ad hoc minime teneri.* cap.10, *Et quamvis reperiretur, Ducatum Gelriæ cum provincia Vltrajectenſi fuiſſe in circulo Weſtphaliæ comprehenſum, iidemque Ducatus & Provinciæ recenſeantur in contributionibus & matriculis Imperii, non ideo tamen ſequitur teneri & obligari ad ſolvendas dictas contributiones; quandoquidem tales circuli initio tantum excogitati ſunt ad perſonas cameræ Imperiali nominandas & præſentandas, Imperiumque nunquam fuiſſe in poſſeſſione aut uſu cognoſcendi rem qualemcumque aut nomen dicti circuli.* cap.11, *Ac præter hæc dictas provincias patrimoniales* ab omni antiquitate fuiſſe liberas & exemptas à juriſdictione Imperii, *ita ut illæ non minus quam cæteræ noſtræ provinciæ Belgicæ, in ſuis neceſſitatibus & indigentia nunquam, uſque in præſens*, protectionem, tuitionem, aut auxilium ullum à dicto S. R. Imperio habuerint, &c. *cap.12, unde concludi facile poteſt, dictas noſtras provincias non teneri ſuſcipere in ſe, aut* ſolvere ullas contributiones Imperii, & ſecundum æquitatem in antiquis libertatibus & exemptionibus relinquendas eſſe. cap. 13, maneant in omnibus ſuis libertatibus, juribus, appellationum & juriſdictionis exemptionibus. *cap.21, dictæ noſtræ provinciæ patrimoniales inferioris Burgundiæ, cum ſuis pertinentiis, erunt, manebuntque perpetuo* provinciæ & principatus omnino liberi & non ſubditi, *ac à nobis tanquam Imperatore*, atque ab omnibus aliis futuris Imperatoribus ac à regibus Romanorum, ab Electoribus etiam, principibus & ſtatibus S. R. I. agnoſcentur pro provinciis, principatibus & ſupremitatibus liberis, & non ſubditis; &c. huc uſque Caroli V cum Imperio univerſo paciſcentis verba retulimus, quibus ad amuſſim reſpondet Imperii Electorum, Principum,

cap.6. p.60.

p.61.

p.61.

cipum, &c. expreſſiſſima declaratio. *cap.27. Nos Electores, Principes, & Status communes S. R. I. conſiliarii item & deputati abſentium, prout omnes comparuimus in hiſce comitiis Imperialibus, & denominati, ſpecificati ſumus in receſſu eorum, fatemur pro nobis, poſteris & ſucceſſoribus noſtris, ſimiliter pro dominis, & principalibus noſtris, poſteris & ſucceſſoribus eorum, dicta concordatum*, &c. *facta eſſe de ſcientia & conſenſu noſtro*, &c. *reſervantes ut præſens tractatus & conſenſus non importet præjudicium*, &c. *provinciis patrimonialibus inferioribus & ſubditis Caroli Imperatoris; excepto eo quod præſenti tractatu continetur, & omnibus aliis modis, qui eorum* ſupremitates, dominia, libertates, jura, antiquas conſuetudines & uſus *concernunt*. Cum igitur fœderatas provincias, qui earum ſuo tempore potens fuit, Carolus V *liberas & ab omni Imperii ſubjectione ab antiquo exemptas* cenſuerit, eaſdem univerſi Imperii ordines liberas ſuique abſolute juris eſſe ſuo poſterorumque ſuorum nomine agnoverint, nullum iis in extrema calamitate ab Imperio, quantumvis ſæpius implorato, auxilium venerit, nullum in eas ſibi ſuiſque in perpetuum Caroli V hæres jus vindicet, eaſque Monaſterii ſcripto publico inſtrumento, ſub univerſæ Europæ oculis nulli niſi Deo uni ſubditas fateatur; quid aliud ab ipſis nunc ætas præſens & in futurum ventura dies expoſcat, quam ut conſtanter conjectis in palladium ſuum oculis, quanti majoribus, Franciſque Fœderatis ejus cuſtodia conſtiterit meminiſſe velint, fortem animum ſibi ſuiſque præſtare, partumque continuo octoginta annorum labore dulce decus audacter tueri certi, *rem inæſtimabilem libertatem* ſuam abſolutam adverſus obſtantes quoſcunque viriliter tueantur, nullo procellarum undique ſævientium horrore fracti clavum quem feliciter tenuerunt arctius præhendant, âvitam laudem novis heroici ſpiritus exemplis cumulent, hoſtes, toto jam ſemotos orbe, ut ut dira minari ac ſpirare videantur, procul ſubmoveant, eorumque qui ima ſummis (quod jam Europa univerſa ſtupente fecerunt) vertere ubique parant, modum ſuum agnoſcere cogant; expertos quorum & fortunæ & commoda univerſa conjunctiſſima fuere ſemper, quorum amicitiam coluiſſe nunquam non profuit, nunquam non, niſi à ſemet turpiter deſciſcant, proderit, quorum ope manuque quotieſcunque res poſcere viſa eſt uſi ſunt, novis ſub perſona ſemper latentibus blandi ſuſurri, veneficio incautas mentes ſoporare, ſoporataſque de ſtatu ac gradu, in quo fixo pede conſiſtere debuerant, dejicere conantibus, nunquam poſthabendos ducant?

Antequam tranſactionem Auguſtanam prætervehamur, nonnulla in ea p. 59. ejuſque à Chiffletio procurata editione, obiter obſervare operæ pretium fuerit. nam 1, qui Caroli V titulos ordine recenſere ſibi propoſuerat notarius, confuſæ molis acervum ſtruxiſſe videri poſſit; præter *Imperatoris Romani* nomen, cujus re abſolute deſtituebatur, 27 Regnorum, 14 Ducatuum, 17 Comitatuum, 4 Marchionatuum, 3 Principatuum, 8 dominiorum vocabula congeſſit; ſed inter regna *Navarrenum*, quod Henrici Labretani erat, *Hungaricum*, *Dalmaticum*, *Croaticum*, quorum hæredem Ferdinandus frater duxerat, *Algarbienſe*, quod jam dudum Portugalenſi accreverat, & à Ioanne Rege actu poſſidebatur; *Corſicum*, quod ſub ditione Genuenſium erat & nunc eſt, expungi debuerunt; *Burgundiæ* ad Francicum regnum pleno jure anno 1477 devolutæ Ducale nomen abradendum fuit, ut & *Auſtriæ* quæ Ferdinando cum *Carinthia*, *Stiria*, *Carniola* obvenerat; *Wirtembergæ* quæ Principi ſuo

reſti-

reſtituta fuerat, *Brabantiæ* quam cum *Lotharingici* Ducatus fuerit, & Ducali titulo tunc primum cum *Lotharingia* inferior in partes diſſiliret, Ducalem titulum ſibi vindicaviſſe liquet, *Lotharingico* Ducatui contradiſtingui inconveniens fuit, *Athenarum* & *Neopatriæ* quæ Turcico dominio Carolo ipſomet conſentiente acceſſerant vocabula mera ludibria fuerunt; *Habsburgi, Tirolis, Goriciæ, Ferrettis, Kiburgi* Comitatus, cum *Lantgraviatu Alſatiæ, Marchionatu Burgoviæ, principatu Sueviæ, Marchia Sclavonica, portu Naonis* in Ferdinandi portione hæreditaria fuerunt, & uſque nunc (ſi Alſatiam excipias) à poſteris ejus tenentur: cum inter Baleares *Majorica* una fuerit *Minoricæ* oppoſita, *Majoricarum* regnum animo quomodocunque effingere à ratione alienum fuit, *Barcinonis* Comitatum (cum à *Catalauniæ Principatu* diverſus non fuerit, ſed *Catalauniæ* metropolis Barcino audierit ab antiquo) *Catalauniæ Principatui* opponere abſurdum fuit. Mediolani Ducatum, quem Francis Carolus extorſerat, cur omiſerit qui tam multa imperite coacervavit nemo facile divinaverit, quod *Corintaniam* pro Cæretania vulgo *Cerdagne* dicta ſcribere Chiffletio viſum eſt, imperitia ejus dignum fuit. Quantumcumque nunc circulorum, quibus regnum Germanicum conſtare dicitur, inſtitutio & neceſſitas urgeantur, eorum novum prorſus diuque nutans inventum haberi neceſſe eſt; quandoquidem Carolus ipſemet quintus *Burgundicum* anno 1512, *ad exitum perductum* nequaquam *fuiſſe* cap.6. diſerte fatetur. Quod idem cap.16 *ſeſſionem & ſuffragium hæredis* ſui & *circuli Burgundici* p. 60.
delegatis, in generalibus Imperii conventibus, quæ ejus nomine tanquam *Archiducis Auſtriæ* obtineant danda eſſe ſancit admiratione digniſſimum videtur; nemo enim neſcit Auſtriam quam tota Germania à circulo Burgundico diſparat longe remotiſſimam fuiſſe; eamque Ferdinandi, cui nihil in circulo Burgundico obtigerat, non Caroli qui circuli Burgundici Princeps erat, nihilque ſibi ac ſuis (diviſione poſſeſſionum cum Germano facta) in Germania ſive citeriore ſive ulteriore reliquum fecerat, propriam fuiſſe; cum igitur Auſtriæ potens non fuerit, qui factum ut tituli evanidi, cuique res nulla ſuberat, rationem ab Imperii ordinibus haberi, ejuſque ſub larva (quaſi propria dignatione carerent) circuli Burgundici delegatos coram Germanici Imperii ordinibus ſe ſiſtere juſſerit. ſed hæc extra cauſam Alſaticam cum ſint, velut in tranſitu digito tetigiſſe ſat nobis fuerit.

Tranſactioni Auguſtanæ, in qua univerſa de Alſatiæ Advocatia & dominio, quæ ſola aſſerenda in Hiſpani gratiam ſuſcepit, nihil decretum fuerat, proteſtationis, vel potius invectivarum adverſus conventum Monaſterienſem totumque Imperium Germanicum à Petro Weymio Hiſpanici Regis Burgundico Legato anno 1648 Octob.15. ſcriptarum libellum ſubnectit, eoque Alſaticam ſuam farraginem claudit Chiffletius, nos cujus meriti ſit paucis judicabimus, qui Ferdinandum II facta certiſſimi præſidii ſpe eo perpulerant, ut antequam Bohemorum & Hungarorum Rex ſalutaretur, ſe totum ſuoſque ipſis addiceret, ubi res ejus nutare ſenſerant, ne quas antea foverant augendæ potentiæ ſpes triſtior deſtitueret eventus, velut domeſtico incendio excitati ad arma cucurrerant, ne tamen magnæ Britanniæ & Daniæ Regibus data delenifica verba contrariis factis refellere viderentur, cum vim infeſtam Palatinatui Rhenano pararent, de eoque ſub jugum mittendo cogitárent, exauctoratum à ſe qui deinceps cum univerſis quibus præerat copiis

 Ferdi-

Ferdinando militaturus ejuſque ſtipendia meriturus eſſet Spinulam ſimularunt, qui Legatis Britannicis tantiſper dum feſtinatis itineribus in Germaniam contendebat, deluſis diſturbatiſque Fœderatorum proteſtantium conſiliis, in prædam obviam irruit, Palatinamque ditionem ſub jugum miſit, munita loca Hiſpanicis præſidiis commiſit, totaque regione triumphata exultabundus, non ad Ferdinandum, cujus nomine abutebatur, ſed ad Archiduces & Philippum, quorum militiæ ſe initio addixerat, recurrit. Spoliata dote filia, pulſis patrimonio ex ea natis nepotibus, quibus delicti nihil imputari poterat, cum ſibi os oblitum merito indignaretur Britannus, ejuſque exemplo afflictæ gentis ab antiquo Fœderatæ clades Francos Danoſque percelleret, de ea in integrum ſimul ac turbo deſiiſſet, reſtituenda fidem per ſuos interpoſuit, qui totius calamitatis auctor fuerat. ne tamen ſolennibus promiſſis tunc ſtare, manumque ab uſurpatis retrahere cogeretur, à Ferdinando II cujus inclinatæ res in eum potiſſimum recumbebant, bello partorum inveſtituram, quaſi ſpolia opima in patrimonium verſurus clam impetravit; nec exinde promiſſorum memor vim paſſorum, quibus cautum voluerant amici Reges, miſereri dignatus eſt, pro gentis genio extrema omnia experiri certus ne illi quacunque ope reſurgerent. hinc factum ut novis tumultibus Germania oppleretur, dum hinc dejectorum amici vim injuriæ propulſatricem, inde qui eas dejecerat de retinenda violenta poſſeſſione toto niſu laboraret, redacta in vaſtitatem Palatina ditione, circumſtantibus univerſis ex æquo infeſtus, ludumque inſolentem ludere pertinax, quantum per tempora potuit Francis, Suecicis, Germanicis copiis ex adverſo ſtantibus obſtitit, *non miſſura cutim niſi plena cruoris hirudo.* Graſſationibus ejus continuis prædiſque ſubinde abactis expilati & exhauſti Moguntinæ, Wormacienſis, Nemetenſis, & Argentinenſis Diœceſeon incolæ diram pauperiem pati coacti, ſimulac ſpes pacis affulſit immanes illos hoſpites, quorum tam diu ſæviciem miſerum in modum excarnificati pertulerant, Imperii finibus in perpetuum exigi, reſtitutiſque qui vim iniquam paſſi fuerant, libertatem ac ſecuritatem ſibi totique viciniæ reddi, enixe poſtularunt, eorumque tandem ſupplicibus votis conventus Monaſterienſis annuit: cujus nunc æquiſſimo decreto refragatus regis ſui nomine Weymius, in ejus meritis prædicandis totum ſe effundit, nullaque expenſarum compenſatione promiſſa, imo reſciſſa Ferdinandi II inveſtitura, aliò migrare juſſas hoſtiles nullique non noxias ejus copias quæritur: quaſi vero carnificibus ſuis exſatiandis, quidquid ſubſtantiarum reliquum eſt profundere, eorumque à quibus per annos triginta continuos torta eſt munerari miſera Germania debeat. Hoc primum Weymianæ proteſtationis caput eſt, niſi Palatinæ domus, cujus caſui indoluit univerſa Europa, ſpoliis incubare æternum ſinatur, aut quidquid in truculente à ſuis actorum mercedem pendere quibus graves fuerant juſſerit Philippus IV, nulla Germanis pax eſto; quique eam ſancire auſi ſunt injuriarum pœnas exolvant.

Trevirorum Præſulem, qui ut ſe ſubditamque ditionem præſenti exitio eriperet Francorum, nihil tunc hoſtile molientium, innoxio patrocinio commiſerat, ſeque domi nulli moleſtus continebat; cum ſubita vi adorti eſſent, & mancipii in modum aliquandiu habuiſſent. Hiſpani, ubi is juris ſui factus eſt, & in integrum reſtitutus, iniquam illam vim, cui tam multos annos ſubjacuerat experiri judices extra Imperium poſitos, parti adverſæ addictos, & jam-

jamdudum intolerandos perferre, eiſque fortunarum ſuarum arbitrium ultra permittere renuit. Nec Imperii Principem ad externi Principis hoſtile tribunal ſe in poſterum ſiſtere tulit, ſed cum in Imperio conveniri *actoreſque rei forum ſequi* Monaſterienſis conventus juſſit: quod licet indubitati, notiſſimi, communiſſimi, & ubique ab antiquo uſurpati juris ſit, regi ſuo (quaſi nobile Germanicæ Reipublicæ membrum rapacibus, quos feliciter evaſit, uncis eripi nefas ſit, aut jure cum eo contendentibus ſi in Imperio cauſam agant aliquid depereat) *injurium* Weymius proclamat, cum Ioannem Bragantinum in avia Catharina regni Portugallici ſpe Philippi II armata manu dejectum, populi Caſtellenſe jugum peroſi in integrum reſtituiſſent, iſque Legatis ad univerſos Europæ reges miſſis cauſam ſuam probaviſſet, ab Auguſtiſſima Suecorum Regina in *Fœderatorum* numerum receptus, pactis Monaſterienſibus ab ea toto Imperio conſentiente comprehenſus eſt. quamvis enim Ferdinandus III Philippi IV propinqui rebus ex animo faveret, novique regis exordia non ſine quodam doloris ſenſu conſpicaretur, communi tamen Europæ judicio obniti noluit, aut agnati cauſa pacem univerſorum votis expetitam ſuaque propria commoda morari; ſed utrumque regem ſibi res ſuas habere cauſamque ac dignitatem quacumque ope poſſet propugnare ſivit: nec in alia Imperium univerſum ſententia fuit, cui utroque amico uti potius quam alterutrius partibus ſe addicere decretum eſt. Hoc rurſus concoquere Weymius ſe regis ſui nomine nequaquam poſſe proteſtatur, adeoque deſipit ut Ioannem Portugalliæ Regem *perduellibus regni*que alieni *invaſoribus*, non Principibus legitimis, *annumerandum* decernat; ni Imperii ordines, qui in alia ſe ſententia eſſe teſtati ſunt, *annumerent*, injuriæ regi ſuo indigniſſime illatæ reos pro inſanæ temeritatis libidine peragat.

Vt Alſatiæ poſſeſſionem ſupremaque jura in Chriſtianiſſimos reges Franciçumque regnum transfundi ſine manifeſta Catholici regis injuria, publicumque Imperii conventum, cui transfuſionem placuiſſe noverat, injuriæ illius merito poſtulari probet, ex literis Germanicorum Principum & ordinum ad Ludovicum XIV datis quaſi præjudicium ſequentia profert, *nec in noſtra ſitum eſt poteſtate ulli conſtatuum Imperii præripere, quæ neque nobis accepta ferunt, neque precario, ſed ſuo jure poſſident.* Sed nec de *conſtatuum* ullo ſpoliando iis quæ *ſuo jure poſſidebat*, nec de *præripiendis* ei commodis ſuis à Francis cum Imperii ſtatibus actum eſt, nec qui Alſatiam regno Francico in perpetuum adjungendam cenſuerunt, *propria* cuiquam *præripere* in animo habuerunt. Quo enim modo ubi de Coronæ Suecicæ, Electoris Brandeburgici, Ducum Megapolitanorum, & Brunſwicenſium compenſationibus agendum fuit, nullum *inauditum* poſſeſſione ſua dejecerunt; ſed conſiliis ſuffragiiſque communibus quæ è Republica videbantur ſtatuerunt, eodem in cauſa Alſatica pede progreſſi ſunt, qui non antequam de compenſatione idonea, quamq; ipſi admitterent, Leopoldi Archiducis liberis cautum eſſet, Alſatiam Francis tranſcripſerunt. Cum enim eorum qui antea poſſederant conſenſu interveniente tranſcripta ſit, *nulli*que *volenti* rerumque ſuaram conſcio vel fiat vel fieri poſſit *injuria*, nihil niſi ex æquo & bono decretum eſt: Hiſpanici Regis qui nihil in ea poſſedit aut poſſidere quandiu Ferdinandici rami mares ſupereſſent jure potuit, quantumvis conſenſui eorum univerſique Imperii decreto reclamaret, proteſtationibus adverſus bonum publicum, in quod univerſi

verſi collimabant, nihil tribuendum fuit, nec ejus nomine *Principem in Principem imperium exercere, aut leges quas ipſe ſibi dici nollet alteri præſcribere* non debere. Idque ſi quandocunque fiat *novum & inauditum* futurum objici nullo modo potuit, quandoquidem Imperii Principum nemo de imperio in Hiſpanum quomodocunque uſurpando, eique præſcribendis quibus Germanus ullus ſubjici nollet legibus cogitavit, aut cum eo contendere in animo habuit, ſed Hiſpanum quatenus Imperii membrum fuit, & haberi voluit, ab univerſo corpore cujus pars erat leges accipere tam æquum fuit, quam inſolens & væſaniæ proximum eſſet, ſi quilibet Imperii Princeps judicium ſuum ſingulare, unanimi comparium ſuorum decreto, ab Imperatore ipſo cui ſe ſubditum profitetur confirmato, omnia ſurſum deorſum verſurus anteferret.

Cap. 10. Quod Palatinatum ſuperiorem Bavariæ Duci à Ferdinando II cum Electoratu donatum, ejuſdemque decretum à conventu Monaſterienſi confirmatum, queritur regique ſuo injurium proclamat Weymius, abſurdiſſimum eſt: cum enim Ferdinandus II ære Bavarico ad tredecim millionum ſummam mutuo ſumpto, de Hiſpani ipſius ſententia Auſtriæ ſuperioris dominium ſe in Bavaricæ familiæ jura transfuſurum ſolemniter promiſiſſet, ne actu transfunderet Palatinatus ſuperioris ditiones univerſas hac lege ei addixiſſet, ne tredecim millionum ſolutioni obnoxius deinceps eſſet: quid ni in Hiſpani (qui Auſtriam univerſam aliaque dominia Germanica, à Carolo proavo Ferdinando fratri ſub reverſionis conditione conceſſa inculcat) rem, quidquid Ferdinandus II cum Maximiliano Bavaro pactus eſt conventum & actum fuiſſe dixerimus? Ipſi-ne vel adeo cara eſt Rudolphinorum Palatinorum quos tanto impetu attrivit familia, ut ei nihil ex avitis bonis (ne Ferdinandus III propinquus, ſororius, & ſocer, Auſtriæ ſuperioris Hiſpanico ramo in caſu addictæ poſſeſſione cedere cogatur) ademptum velit, vel ad manum eſt, ut Bavaricæ genti Ferdinando II numeratos milliones tredecim, ne Palatinatum ſuperiorem ſibi retineat actu ipſo refundat? ſi vero nec Auſtriam ſuperiorem Bavaris tradi, nec æs ab ipſis mutuo datum dilui patitur, quis ei quærendi color fuerit, ſi contracta à propinquis ſuis debita, nonnulla patrimonii ſui jactura expungant Palatini, eaque una lege eos in integrum reſtitui Ferdinandus III cum univerſo Imperio decernat?

Quantumvis ringantur qui nihil non Philippo IV tributum volunt, commodius nihil & ab iniquitate alienius in cauſa Palatina ſtatui potuiſſe, res ipſa proclamabit; Ferdinandum III Auſtriæ propinquitatis reverſionis & hypothecæ jure Carolino ramo obligatæ parte cedere, exhauſtumque & ſolo Hiſpanici auri nervo hactenus ſuſtentatum ad debiti ſolutionem adigi, nunquam tuliſſet propriis diſſolvendis vix par Philippus; Palatinos Rudolphinos paternæ calamitatis acceſſionem fieri Europa univerſa indignum reputaſſet, dejectis opemque implorantibus amicam qua erigerentur dextram Francia, Suecia, cæterique afflictæ gentis Fœderati porrigebant, tam de credito repoſcendo, quam de propinquorum ſtatu futuro ſolicitus, ſibi ſuiſque vel refuſo quod numeraverat ære, vel promiſſa compenſatione reipſa data caveri Bavarus volebat, nec Palatinæ gentis dominia ad externum ullum in poſterorum ſuorum fraudem tranſire permiſſurus erat, id ipſum iniquum peſſimique exempli cæteri Germaniæ ordines reputabant, nec eorum

ullus

ullus Palatinatum inferiorem Hiſpanici juris fieri, aut ne fieret univerſæ Germaniæ pecuniam in Hiſpanicum ſinum profundi conſenſurus videbatur. Cum igitur Auſtriam ſibi retinere & à debitis liberari Ferdinando III & Philippo IV propoſitum eſſet, ſibi ſua aſſerere Bavarus quomodocunque vellet; Palatinatus inferioris poſſeſſione Hiſpanos augeri Germanus aut exterus nemo probaret, ſumptus ab Hiſpano Palatinatum Ferdinandi II cauſa invadente depenſos à ſe repeti Imperii incola nullus conſentiret, amicorum regum rogatu Palatinæ familiæ reſtitutio ab univerſo Imperio decreta eſſet, quid aliud quam factum eſt fieri potuiſſe dixerimus, ut ſcilicet Imperatoris æs alienum expunctum, Bavaro inſtrumenta univerſa ei reddente, cenſeretur; Hiſpani ſumptus hypothecæ ejus antiquæ accreſcerent; Bavarus Palatinorum agnatus compenſationis titulo Palatinatus ſuperioris dominium ſibi vindicaret, ac deinceps ad poſteros tranſmitteret; Palatini avita cætera recuperarent, totiuſque Bavaricæ hæreditatis (ſi lineæ Guillelminæ mares deficerent) capaces pronunciarentur; in eorum denique patriis bonis ex parte cedere, ut Germaniæ pax redintegraretur coactorum levamentum certam pecuniæ ſummam intra quadriennium penderet Imperator? Sequentia etiam ut iniqua regique ſuo contumelioſa & injuria in pacis Monaſterienſis inſtrumento palam improbat Weymius, quod ſcilicet de pace cum Francis Imperium convenerit: quod in pacis inſtrumento Hiſpanus comprehenſus non fuerit: quod denique ſequentibus partes ſibi mutuo caverint, *ut eo ſincerior amicitia mutua ſecuritas inter Imperatorem, regem Chriſtianiſſimum, Electores, Principes, & ſtatus Imperii poſthac ſervetur,* &c. *alter alterius hoſtes præſentes aut futuros, nullo unquam titulo vel prætextu, vel ullius controverſiæ bellive ratione contra alterum armis, pecunia, milite, commeatu aliterve juvet, aut ullis copiis quæ contra aliquem hujus pacificationis conſortem à quocunque duci contigerit,* &c. *bellis in circulo Burgundico vertentibus, nec Imperator, nec ullus Imperii ſtatus ſe immiſceat. In futurum vero ſi inter ea regna controverſiæ oriantur, firma ſemper maneat inter univerſum Imperium & reges regnumque Galliæ, de mutuis hoſtibus non juvandis, ſupradicta reciprocæ obligationis neceſſitas,*&c. Sed fieri aliter nullo modo debuiſſe, cum non debuerit iniquum per ſe aliquid, aut in alterius injuriam vergens eo contineri, manifeſtiſſimum eſt. Quis amabo bellantium finis fuerat, an non fidæ ſecuræque pacis adeptio? quis vel Francos vel Germanos perpetuis ſe inimicitiis devoviſſe, adeoq; furiata mente ut perire, quam ab hoſtibus junctis utrinque dextris abſtinere mallent, fuiſſe crediderit? Hiſpanoſne tam pretioſa cum Francis odia exercere dixerimus, ut ſibi gratum nihil niſi Francis exitiale fuerit reputare debuerint? Viderint illi an humanitatis ſenſu tangi, an vero ſpiritu cacodæmonis *ab initio homicidæ* agi maledictam ejus indolem, dum bella ex bellis ſerunt, referre conſultius ipſis videatur. Iure igitur cum Francis quam primum ſeſe occaſio obtulit Germani univerſi convenere, nec eos inter ſe conveniſſe tertii cujuſquam vel injuria vel contumelia fuit. Sed pactis conventis Hiſpaniarum Rex comprehenſus non eſt; quid vel ad Francos, vel ad Germanos, ſi repudiatis, quæ à mediatoribus propoſitæ fuerant, pacis conditionibus univerſis comprehendi noluit? ſi per eum unum ſtetit ne comprehenderetur, qua fronte de eo non comprehenſo miniſtri ejus querantur? an à moroſo ejus faſtidio adeo pendere debuerant paciſcentium conſilia, ut niſi ad nutum

ejus ſumi aut componi deberent? pace igitur comprehendi qui eam averſabatur, totoque niſu morabatur, nec potuit nec debuit; ſed ſibi uni imputare ſi inter pacificos hoſtilia ſpirans, ſibi res ſuas habere ab iis quibus amicus videri volebat, juberetur: ſi ſibi relictus Imperium deinceps in partes trahere nequeat, nihil niſi ex æquo & bono decretum experitur, quandoquidem nec Francus cum Germanis concors ipſorum corpus in prælia adverſus eum armare poteſt, nec pactorum Monaſterienſium vi aliud conſecutus eſt, quam ut pace ſecura fruatur, quæ nec pax, nec ſecura dici vere poſſet, ſi ex Hiſpanorum arbitrio, quotieſcunque ipſis collibitum eſſet, adverſus eum Germanicus turbo deinceps concitari deberet. Qui igitur ſinceram, juſtam, tutam pacem ſibi invicem promiſerunt ut bona fide promiſſa implerent, ab iis qui nullum bellandi finem volebant ſejungi, iis quandocunque res poſceret utrinque obniti hoſtiumque eos loco habere debuerunt.

Si Alſatiæ dominium Francico regno cum quo paciſcebatur accreſcere probavit Imperium, ſi cum Imperatore reliqui Ferdinandici rami Principes Auſtriaci ex animo conſenſerunt, ſi bona fide pactis ſtare debuerunt omnes, quid ni pacis inſtrumento ſequentia ſine quibus univerſa nutarent, quæque
p.75.cap.9. tradenda fuerunt non tradita cenſeri poterant, inſerenda fuerint? *Nullus Imperator aut familiæ Auſtriacæ Princeps, quidquam juris aut poteſtatis in iis præmemoratis partibus, cis & ultra Rhenum ſitis, ullo unquam tempore prætendere vel uſurpare poſſit, aut debeat*, &c. *Id pro ſe ſuiſque poſteris Imperator, dictus dominus Archidux, ejuſque fratres (quatenus prædicta ceſſio ad ipſos pertinet) peculiari diplomate tum ipſi confirmabunt; tum efficient, ut à Rege Hiſpaniarum Catholico eadem quoque renunciatio in authentica forma extradatur. Quod & Imperii totius nomine fiet, quo die ſubſignabitur præſens tractatus*, &c. *promittunt Electorum, Principum & ſtatuum Imperii Legati, ſi intra tempus ſub-*
p.76. *ſcriptæ & ratificandæ pacis, dicta regis Catholici ceſſio non ſubſequatur & Chriſtianiſſimi regis Legato tradatur, quod tunc abſque ulla mora Imperii nomine ipſi talem aſſecurationem dabunt, & Rex & regnum Galliæ, ex defectu Hiſpanicæ ceſſionis, quoad quietam prædictarum terrarum poſſeſſionem non ſentiat præjudicium*, &c. Hæc tamen tanquam injuria Regis ſui nomine animoſius exagitat Weymius, nec videt invectiva ſua id unum agi, ut in Hiſpanicæ gentis gratiam fidem Francis datam frangant, ſeque pudendæ proditionis, dum quæ præſtare nolint promittunt, reos peragant cum Imperio univerſo Imperator cæterique Auſtriaci Ferdinandici rami Principes. ſi enim fidei ſuæ religionem interpoſuerunt, quo colore quæſito illibatam non ſervent, Franciſque quibuſcum pacti ſunt idoneæ cavere recuſent? ſi unus Hiſpanus univerſorum judicio refragari auſus, de eorum decretis quaſi per ludibrium refigendis, paciſque feliciter initæ fundamentis quatiendis deinceps cogitet, quid ni concordes obſiſtant quotquot pacis ſtudioſi eam hac nominatim lege ſanciverunt, improbumque bella jam ſopita ac procul faceſcere juſſa, in publicam noxam malignè revehentis conatum, in irritum juſta cautione pro ſe ſuiſque in perpetuum data cadere cogant? Egregiam laudem ſpoliaque ampla referent Hiſpani, ſi dum blandius tenacitati ſuæ ac contumaciæ indulgent, unguis in Chriſtianæ Reipublicæ ulcere fiant, recte conſtituta omnia peſſum dare certi, ſi modum in quo ſe deinceps contineant imperare videantur; ſed qui aliena omnia ſibi ſubmittere, rationique ipſi obluctari non dubitant,

tant,

tant, judicio ſuo quantum libuerit fruantur, dummodo inſanæ eorum libidini ſeſe circumducendos tradere indignum putent, qui de pacis tam neceſſariæ quam ſanctæ conditionibus jam pronunciarunt. Poſtquam in pacis conditiones quidquid fellis congeſſerat evomuit, in procedendi modum quo paciſcentibus uti placuit, toto indignabundæ mentis impetu fertur Weymius, idque primum culpat quod pacta non omnibus ex æquo arriſerint: quaſi vero neceſſe ſit, ut quæcunque ex plurium ſuffragiis decernuntur, incerta pendeant, tantiſperdum vel unus rerum minus peritus aut æqui amans, conſenſum aliorum unanimem deſpuere in mentem inducat: aut mirum in numeroſo cœtu ſi quos prenſatos, illectos, redemptos, addictos quos ad nutum tranſverſos agere poſſet habuerit Hiſpanorum delenifica montiumque aureorum umbris ſtipata verſutia, aut ſi quemadmodum in frequenti convivio diſſimillimi imo contrarii guſtus facile offenduntur, in conſeſſu multorum diverſa de re eadem judicia fuerint: *viritim* ex more *numerata ſuffragia* negat: jurene numerata negaverit in dubium, cum nuda ſua authoritate fretus id ſcripſerit, revocare poſſemus: cum tamen vere ſcripſiſſe demus: cujus culpa id quod exagitat evenerit? non certe Francorum qui ſibi poteſtatis nihil ſive in conventum univerſum, ſive in ſingula conventus membra juris arrogarunt, ut à quoquam ſuffragia exquirerent: ſed legatorum Imperialium & Electoralium qui in Germanicorum ordinum cœtu eminebant & præſidum munere fungebantur: cujuſcunque vero culpam fuiſſe voluerit; ea quanta quanta eſt illos proprie læſerit quorum ſuffragia neglecta videri potuerint, non Hiſpaniarum Regem, cujus per Legatos intervenientis juri ac poteſtati nullomodo derogatum eſt. Sed nec Weymio ipſo fatente à ſingulis, *viritimque ſuffragia* rogaſſe opus fuerit, cum Monaſterienſi conventui ſecum pugnans vitio vertat, quod *adeo curſim & perfunctorie ſententiæ, non ſolito ab adſidentibus ordine, ſed manipulatim, ſtante pede, quaſi à pedaneis judicibus, exquiſitæ fuerint*, &c. *eaque in re actum pro conſulto Imperii haberi minime potuerit.* Hinc p. 78.
enim invictiſſime concludi poteſt. 1 *exquiſita* omnium *ſuffragia.* 2 tantam p. 79.
fuiſſe eorum qui conventui intererant concordiam, ut *manipulatim* nullaque prævia deliberatione habita ſententiam dicerent. 3 nullos qui manipulatim ſententiam dicentibus obſtreperent auditos fuiſſe. 4 evidentis juris quæ hoc modo decreta ſunt conventui univerſo viſa fuiſſe; Weymium vero qui ejus importunum cenſorem agit, calumniæ reum peragi falſique facto illo quod improbare viſus eſt coargui poſſe.

Tertio *Oſnabrugæ, loco pactionibus Gallicis extraneo, factionibus forte opportuno*, adverſus conventionem præliminarem Hamburgi initam quæ Francos tangunt pertractata, eoque per ſe invalida, imo nulla ſunt; cum enim *juxta receſſum comitiorum Ratiſponenſium diſtincti fuerint congreſſus, diſtinctaque tractationum materiæ, Oſnabruga Suecicarum, Monaſterienſis civitas Gallicarum rerum ſedes conſtituta erat, à conventione hac recedi non potuit, ſaltem ſine illorum quorum intererat conſenſu, præſertim regis Catholici, cujus nomine nominatim pacta fuerat, non minus quam Cæſaris atque univerſorum Imperii ordinum; inter quos domus Burgundica quoque numeratur*; &c. *complurium mandata, cum locorum rerumque jam dicta diſtinctione ſunt reſtricta,* p. 78.
Legati Gallici poteſtas Monaſterienſis cancellis eſt circumſcripta, &c. *de loco con-*

greſſus interturbato à conventu Monaſterienſi, & Cæſarianis Legatis decimo Kalendarum Septembris 1648, *conventu ipſo Oſnabrugenſi paucis ante diebus per epiſtolam præmonito, ſolennis apud mediatores de nullitate proteſtatio eſt interpoſita.* Sed hæc univerſa, ut ut maximi fronte prima momenti eſſe videantur, vel falſi palam damnavit, vel levia nulliuſque ad rem ponderis eſſe conventus ipſe Monaſterienſis judicavit. *Diſtinctas* initio fuiſſe *tractationum ſedes*; *reſtricta* delegatorum, etiam Gallicorum, *mandata* Monaſterienſi conventui, quod Oſnabrugæ Gallica tractarentur, aliquando diſplicuiſſe; ne ulterius rerum ordo interturbaretur ab eo ad Oſnabrugenſem literis præmonitum miſſam proteſtationem, ut largiamur; hinc ſequentia manifeſta velit nolit Weymius habemus. 1 nec Francos nec alios ullos de ordinis primum conſtituti interturbatione initio cogitaviſſe. 2 nihil ex ea ſibi ſperaviſſe. 3 non deſtinato conſilio, ſed caſu primum ac exinde neceſſitatis ineluctabilis vi factum ut præſcriptus Hamburgi ordo immutaretur. 4 Cæſareos Legatos conventumque Monaſterienſem, quod diſplicere primum viſum fuerat, poſtea comprobaviſſe. 5 etiamſi in procedendi modo quid deſiderarent ad finem uſque conſtanter declaraſſent, non tamen quæ ex æquo & bono tractata noverant, quæque ſponte amplectebantur, ob unicam loci mutati circumſtantiam refigere, jure potuiſſe. Quid enim ad rem ipſam intereſt, an hinc vel aliunde quod juſtum credimus prodierit, an quod loco non ſuo factum eſt, ſi per ſe bonum, & ſi bonum eſſe ex hoc uno defectu quod alibi fieri debuiſſet deſierit? 6 Hiſpani unius contumacem rigorem adverſus conventus univerſi Monaſterienſis judicium priſtinum temperantis libertati officere nullatenus potuiſſe. 7 ex Hiſpanorum pervicacia nihil quo tractatorum validitas ſubruatur induci potuiſſe. 8 eorum qui mandata delegatis ſuis reſtricta dederant, poſtquam ad eos relatum eſt in poteſtate fuiſſe à præſcripto primum ordine non nihil deflectere. 9 cum tanta Francicarum & Suecicarum rerum connexio eſſet, ut ſæpe ſejungi non poſſent, interturbationem inſtituti primum ordinis vitari nullo modo potuiſſe, ſed nonnunquam Monaſterii Suecica, ac è contra Oſnabrugæ Francica in conſiderationem veniſſe. 10 cum mutua conventus ad conventum relatio conſtanter facta fuerit, nihil Oſnabrugenſem Monaſterienſi, quo inſcio & inconſulto ne manum vertit, præripuiſſe. 11 quod de Oſnabruga *factionibus opportuna* à Weymio ſubdubitanter dicitur, ludicrum eſſe; quid enim Oſnabrugæ quo frequentiſſime Imperiales Hiſpanicæ cauſæ perpetui patroni & Veneti commeabant, ubi totius Imperii delegati fixo pede conſiſtebant, ubi fidiſſimos Hiſpanus monitores habebat, unde quotidie quid ſua intereſſet reſcire idem poterat, factioſum, aut *factionibus opportunum* magis quam Monaſterii, ubi par delegatorum Germanicorum conventus erat, eſſe potuit? an minor ibi à factionibus alienorum authoritas & poteſtas fuit, aut factioſorum ſi qui uſquam extiterunt, major fuit? 12 utcumque Francica nonnulla Oſnabrugæ ex occaſione ventilata ſint, nihil non Francicum Monaſterii pertractatum, ac tandem univerſi conventus ſuffragio confirmatum ac ratum habitum fuiſſe; quandoquidem hæc publici pacis inſtrumenti ab Imperatore, Electoribus, Auſtriacis Principibus, cæteriſque Imperii Germanici ordinibus comprobati expreſſiſſima verba ſunt. *Acta ſunt hæc Monaſterii Weſtphalorum die* 24 *menſis Octobris* (à proteſtatione Weymii nono) *anno*

anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo. Quis enim aut impudens
aut demens adeo eſſe velit, ut Weymio quæ pertractata ſunt *Monaſterii acta
eſſe* neganti, magis quam pacis inſtrumento authentico, univerſi Imperii de-
legatorum Chirographis munito totidem verbis aſſerenti aſſentiri malit?

Hinc cônſtare poteſt nullas Hiſpanis Weymioque eorum miniſtro juſtas
adverſus pacem totius Europæ votis expetitam proteſtandi cauſas fuiſſe; ni-
hil ſive in rempublicam ſive in officium deliquiſſe quotquot eam vel funda-
runt vel fundatam ſancitamque comprobarunt, nullo eos merito ſuo male-
dictis à Weymio impeti, cum bonum eoque laude dignum factum tanquam
ſcelus execrari bonus nemo debeat. En tamen Weymianæ maledicentiæ
ſpecimina: *nulla fidei, nulla æqui bonique ratio habita, neglecta ſanctiſſimæ ſo-* p.73.cap.6.
*cietatis, fœderis antiquiſſimi & pactorum publicorum jura, concuſſæ denique le-
ges, quibus ſacrum conſtat Imperium: reſciſſa quoque* Monaſterienſis *conventus
conſulta & decreta,* &c. *hæ conditiones, atque aliæ hoc genus nullæ omnino ſunt,* p.77.cap.12.
irritæ, atque invalidæ, perperam & inique adpoſitæ, &c. *non de comitiali libe-
roque omnium Imperii ſtatuum ſuffragio & conſenſu,* &c. *quanquam coram ad-* p.78.
*eſſent, inconſulti, non rogati & præteriti, ii præſertim qui in conventu Monaſte-
rienſi ſubſiſtebant, & univerſus conventus reclamavit, deque præteritione hac
proteſtationem publicam in publicum datam interpoſuit: ſententiæ quoque, uti
antiquitus receptum, atque inter ipſos Imperii ordines, circa modum tractandi
jam ante conventum fuerat, non numeratæ, neque viritim expenſæ,* &c. *inter
conventa quædam ponuntur, de quibus neque hic* (Monaſterii) *neque illic* (Oſ- cap.14.p.78.
nabrugæ) *in Senatu Imperii fuit conſultatum, nulla, ut moris eſt facta relatio
& correlatio. De quorum numero eſt illud, quod de arreſto & ſequeſtro rerum
Electoris Trevirenſis cavetur,* &c. *quædam, veluti de ceſſionis Hiſpanicæ ex
promiſſione, adeo curſim & perfunctoriè, ſententiis, non ſolito ab adſidentibus
ordine, ſed manipulatim, ſtante pede, quaſi à pedaneis judicibus; exquiſitis, ut
quod ea in re actum pro conſulto Imperii haberi minime poſſit,* &c. *Regi* Hiſpa- p.79.
niarum *amico omni neceſſitudinis genere conjuncto, non modo ſocietatis fœ-
dus,* &c. *remittitur; ſed & ea quæ à Deo & majoribus accepit bona atque jura,* cap.16.p.79.
inconſultu ſuo auferuntur, &c. *bonum publicum privata gratia devictum: res* p.81.cap.20.
*ſuas egere, propriiſque commodis, non publicæ tranquillitati invigilarunt: qui
pacem qualicunque modo componendam toties exclamarunt, cæco illius amore
ebrii, per quaſcumque ad hoſtium lubitum leges ambulantes, nihil penſi habue-
runt, utilitates ſuas aliorum detrimento, pacem non Reipublicæ, ſed ſibi, iniquiſ-
ſimis legibus, ita ut pax non ſit, cauponari: nemo in communi, ſibi quiſque con-
ſulit; utque temporibus ipſi ſerviant, alios ſibi volunt ſervire, ſuæ rei parci, alie-
næ prodigi,* &c. Si convitiatori huic patulas aures quiſquam præbeat, quid
aliud de illuſtriſſimo conventu judicandum putet, quam mancipiorum alie-
næ libidini proſtitutorum, quorum ſceleſta pectora generoſo nullo honeſto
incocta fuerint, fœdam execrandamque colluviem fuiſſe? quæ ab univerſis
Imperii luminibus ipſiſque Ferdinandi III plenipotentiariis decreta ſunt,
totidem ſcelera haberi debere? pacem eorum auſpiciis Germaniæ feliciter re-
ſtitutam, æternum Germanici nominis dedecus cenſendam eſſe, eoſque qui
ſancto ſtabiliendæ ejuſdem ardore flagrarunt totidem nebulones & Chri-
ſtiani orbis peſtes eſſe? Sequentia, præcipua totius conventus capita re-
cta petunt. *Ex authoribus ſunt, qui in ſpem magnorum emolumentorum*

p. 81. *erecti, de lucro quoque captando certant*; *non nemo ut primas Imperii dignitates, ut regiones juxta aſſequatur, aut ſtabiliat.* in cujus præter Ferdinandi III & Maximiliani Bavari venerabile caput fabam hanc cuſam putet? ille enim Provinciis ſuis hæreditariis plenam pace Monaſterienſi ſecuritatem paravit, propriaſque res antea nutantes & ruinam minantes in longos annos ſtabilivit: hic Archidapiferatum Imperii cum Electorali dignitate ſuis pro Ferdinando III laboribus promeruit, Palatinatumque ſuperiorem, cum Comitatu Chamenſi partim juſtæ mercedis, ob navatam ſtrenue in cauſa Auſtriaca operam, partim compenſationis loco tanquam ſua repoſcens creditor avitæ ditioni adjunxit. Pergit Weymius, *Alius, ut ab avorum memoria non poſ-*
p. 81. *ſeſſa recuperet.* Quis ille? an non Moguntinus Elector *qui Stradæ montanæ præfecturas quaſdam anno* 1463, *pro certa pecuniæ ſumma Palatinis, cum pacto*
Ex Inſtrumento pacis. *perpetuæ reluitionis impignoratas* ſedi ſuæ pacis beneficio recuperavit? addit *Pars, qui pacem Pragenſem jam pridem impugnarant, quod generalis non foret,*
cap. 20. p. 82. *huic ſubſcribunt. Illi ipſi, qui cum de rebus propriis ageretur, tanta contentione reclamarunt & reclamandi cauſſas habuerunt juſtiſſimas, nunc repenſatione accepta, contrarias partes amplectuntur.* Sic vertumnis vultus menteſque cum tempore mutantibus Monaſterienſem conventum conſtitiſſe videri Weymius voluit, ſed nihil ſinceritate Germanica indignum admiſerunt, in quos ille invehitur; quid ni enim pacem Monaſterienſem, quia univerſis Imperii Germanici ordinibus providit amplectantur, qui Pragenſem (quia generalis non erat, turbarumque novarum ſeminarium videbatur) averſati fuerant? Quid ni etiam in concordiam pace Monaſterienſi Germaniæ redditam bona fide & ex officio conſenſerint, poſtquam de ſua in integrum reſtitutione certiores facti ſunt, qui vim iniquam paſſi ei ſe fortunaſque ſuas ſubducere conati fuerant? ut conviciandi finem tandem aliquando faciat Weymius
p. 81. hæc ſubjungit. *Sunt etiam, qui ſeparatis tacitiſque conventionibus, rebus ſuis cautum volunt, aliud palam, aliud* (audebo dicere) *ſecreto agentes*, &c. quid nequius aut atrocius non dicam in Principes quos furia allatrat, ſed in ingenuos & liberæ conditionis homines quoſcunque excogitari poſſit? attende Germania, Dei Optimi Maximi gratia nunc concors, quid de apicibus tuis Hiſpanica virulentia ſtatuat. Imperator tuus, ob ſtabilitas familiæ Auguſtæ fortunas, Bavarus Elector, ob acceptum defenſæ à ſe ſuoque ære largiter fuſo ſublevatæ, dum in arcto poſita erat Auſtriacæ gentis præmium, Moguntinus, ob jure repetita ſedis ſuæ patrimonia, alii ob belli quo fere enecti fuerant tædium paciſque tam publico commodæ quam ſecuræ deſiderium, tanquam patriæ proditores ſæculique noſtri execramenta canina Weymii facundia lacerantur, tantaque bacchantis inſania eſt, ut bonum, tam publicum, quam privatum procuraſſe ſcelus, ſe ſuaque in Hiſpani univerſis fere ob admiſſa exoſi prodigere noluiſſe, nullo ſapone eluendam maculam reputet, hæ fuerint deinceps Hiſpanicæ ſocietatis ex ejus mente conditiones, aut pacis bonis univerſis iis carendum fuerit, quandiu bellum prætulerint Hiſpani, aut maledictorum plauſtris eos obrui neceſſe fuerit, qui pacis odium ut Hiſpanica gratia fruantur profiteri noluerint. Cum autem hæc ut iniquiſſima ſic intoleranda ſint, proteſtationem ab eo regis ſui nomine editam libellis famoſis accenſere, editorem calumniæ reum peragi, Chiffletium qui ei ſuccenturiari voluit novaque monſtra Alſatica ut fucum imperitis faceret, peperit,

publi-

publicis non tantum Francorum, ſed etiam Germanorum hoſtibus annumerari vel hoc nomine neceſſe fuerit.

Stemma Auſtriacum.

ALto ſilentio ſopitis, meritoque deſpectu obrutis Theodorici Piespordii, qui Auſtriacam gentem Merovingorum regum propaginem priorum fabulatorum exemplo credi voluerat commentis univerſis; cum editis anno 1647 *novis* ſuis *luminibus*, in Franciſci Guillimanni minus improbabilia ſomniare viſi, inani fiducia tumidus & conſueta temeritate præceps, partes Chiffletius tranſiſſet, ſimulac in *Genealogiam Lotharingicam*, à viro doctrina clariſſimo, ſuiſque & majorum optime de patria univerſalique hiſtoria meritorum laudibus, literatis omnibus æſtimando Hieronymo Vignierio publici juris anno 1649 factam incidit, ſive conſcientiæ morſu ob ſubornatas larvas novem, quæ genuinum Auſtriacæ gentis decus fœditate ſua deturparent, ad palinodiam adactus, ſive amabili veri amice oblati fulgore inſperato perſtrictus, à Guillimanno, cujus antea fallentia veſtigia preſſerat, palam deſcivit; operiſque Vignieriani laciniam prehendit, quam ſuam faceret & ſub novo *ſtemmatis Auſtriaci* titulo ſereniſſimo Archiduci Leopoldo Guillelmo anni 1650 Kalend. Martiis inſcripſit, eodemque tempore ex *luminibus* ſuis (ſi recuderentur) *novem priores gradus*, de quibus nunc Guillimannum *nihil ſatis certi* quod conſtitueret habuiſſe, licet antea præfractè diſſimulaverit, nunc aperto ore pronunciat, expungi mandavit: ſpontaneam hanc confeſſionem, ſi ingenua bonaque fide facta eſſet, nemo bonus non probaret: ſed tanta eam edentis vanitas & malignitas fuit, ut ei per quem profecerat parum gratus, præſtitæ ab eo operæ decus ſibi vindicare, lectorem incautum falſis de optima ejus mente ſuſpicionibus callide diſſeminatis circumducere, laudatiſque ejus pro Erchinoaldina gente laboribus in Carolinæ familiæ, quam ante ad cœlum uſque extulerat, dedecus ac contumeliam abuti non dubitaverit. Vignieranæ tabulæ lineis ita inſtiterat ut ne latum unguem diſcederet, quæque in ea correctione digna occurrere poterant, ut quod Eberardos duos moribus & vitæ exitu longe diſſimiles in unum conflavit; quod in Auſtriaci rami Principibus enumerandis ordinem natalium minus curavit; quod Alberto contracto Auſtriæ Duci, filii qui Albertus dictus eſt, & Beatricem Nurembergicam duxit, loco, nepotem Ioannæ Bavaricæ maritum filium dedit; quod Ernèſti Germanum Fridericum Ducem, qui Sigiſmundum genuit & ſuperſtitem reliquit, improlem deceſſiſſe voluit; intacta nullaque cenſura perſtricta reliquerat: ne tamen ſereniſſimus Archidux quantum Vignierio debebat dignoſcere facile poſſet, quaſi unus rem acu tetigiſſet, ille in cujus vitula laboraverat, cujuſque univerſa pro libidine expilaverat nihil ex vero & ordine præſtitiſſet, hæc de ſe ſuaque ex Vignieriano opere ad Rudolphi I tempora ſervili manu exſcripta tabula jactabundus ebuccinavit: *quod dubium erat aſſerui rationibus, in ordinem digeſſi, gradatim cuncta diſpoſui, & monumentis firmavi.* Qui enim ſolo interpretis Gallica Vignierana latine reddentis munere perfunctus eſt, nihil in ordine deſideravit, gradum nullum tanquam incertum loco movit, aut tanquam ſuperfluum expunxit, aut denique tanquam incuria omiſſum ſupplevit, quid à ſe *in or-*

Epiſt. ad Archid. p. 5.

in ordinem digeſtum, rationibus aſſertum, gradatim diſpoſitum deſignare poſſit? nonnulla revera corraſit quæ Vignierius neglexerat: ſed ex ſuperſtitioſa hac nihil obviam non avehentis diligentia, quanta is judicii infirmitate laboret, manifeſtiſſimum fecit. ſi enim diſcrimine nullo habito, obſcuris falſiſque vera involuit, ſi errantes æquo cum certa compertaque ſcribentibus gradu incedere juſſit, quis ei inter cordatos acutumque cernentes gratiæ reliquus locus eſſe poteſt? Gertrudis Hamaticenſis maritum *Richomerem* vel *Richomarum* nuncupatum fuiſſe ex antiquis à Vignierio laudatis didicerat, qui nihilominus Buzelino eum in *Ingomarum* perperam transformanti pag. 5 aſſenſus eſt; qui Erchinoaldum Egani III à Dagoberti morte anno ſuffectum ex Fredegario, ſancti Vandregeſili vita, anonymo de geſtis Dagoberti, Iperio in Chronico Bertinenſi &c. audierat, eumdem ſub Dagoberto majoratu defunctum domus cum Arnulfo & Pippino pridem denatis fuiſſe, incerto qui de Dagoberto mendoſum fragmentum ſcripſit aſſerenti pag. 8 adſtipulatus eſt. Bruſchio ſeculi ſuperioris minus emunctæ naris homini ad annum 621, quo nondum regnabat Dagobertus, Erchinoaldi præfecturam memoranti *Ducatum Alamannicum* Ethichoni vel Attico à Childerico commiſſum, Ducatumque illum *Alſatiam Provinciam continuiſſe* comminiſcenti ſe totum clauſis oculis pag. 12, 13, 14, & Epiſtolæ pag. 4 tradit. Idem pag. 41 & 48. Childerici uxorem in chartis Bilhildem dictam, *Eimhildam* ex cœnoſis lacunis hauriens vocat. Cum Fredegarius circa annum 752 Archinoaldum *conſanguineum de genitrice* Dagoberti; author geſtorum Dagoberti Erchinoaldum de *parte genitricis Dagoberti regis conſanguineum*, Chronicon Marchianenſe eundem *de genere Dagoberti*, vita Wandregiſili *ex materna orgine Wandregiſili conſanguineum*, vita Rictrudis cap. 1. *eum cum fratribus Adabaldo & Sigefrido conſanguineos regis Dagoberti*, &c. Adobaldum *regia ſtirpe progenitum*. cap. 2. Erchinoaldum *nepotem regis Dagoberti*, Andreas Marchianenſis Mauronṫum Adabaldi filium, *Theodorici regis cognatum*, vita Bertæ Erchinoaldum Clodovei regis *conſanguineum fuiſſe* ſcripſiſſent, relicta Dagoberti genitrice à qua tota *conſanguinitatis* ratio pendebat ad Blitildem, cujus poſt annum 841, ab Erchenoaldi morte 180, nomen primum auditum eſt, fabularum avidus recurrit, & Erchinoaldum Blitildis per Gertrudem maternam ejus aviam pronepotem fuiſſe ſomniat, nec ſe dum incerta pro veris ſibi fundamenti loco ſternit nihil niſi ruinoſum, ac ſponte concidere natum ſtruere advertit. Fuerit ergo matris Dagoberti non Clotarii *conſanguineus*, eoque nomine Dagoberti *nepos*, id eſt conſobrinus & *de genere* ejus, materno ſcilicet *ortus*, non de paterno, quod eum ſi Blithildis ratio ulla haberetur contigiſſet fuerit, etiam Wandregiſili conſanguineus, qui Wandregiſili matri non patri propinquus eſſe potuit, quod ex ſequenti tabella perſpicuum fiet.

Bertrudis Clotarii II uxor prior.	N. Gerbertæ Ricomere & Gertrudæ natæ maritus.	
Dagobertus Rex Nanthildis maritus.	Erchinoaldus Dagoberti *nepos* & *de genitrice conſanguineus*, Mauronti Abbatis patruus.	N. Waltgiſi uxor.
Clodoveus II Rex, Mauronti *conſanguineus*, qui de *ſtirpe regia* fuiſſe dicitur.		Wandregiſilus Abbas, conſanguineus Erchinoaldi.

Fuerit

Fuerit denique Clodovei ſecundi *ſtirpe regia progenitus*; quia Dagoberti parentis matri, quæ utriuſque regis ſtirps dici poterat, natales ſuos debuit: neque alio (vi priſcis auctoribus facta) nos trahere *ut præcelſam Francorum progeniem* Athici Erchinoaldi nepotis inveniremus neceſſe fuit. etſi enim origo omnis regia *præcelſa* dici debeat, quæcunque *præcelſa* quomodocumque dicitur *regia* cenſenda non eſt;ſed nonnunquam *regia* minor,adeo ut ex Poëtæ qui Caroli Calvi *celſam originem* ad Blithildem quam regiam puellam credebat,referre viſus eſt à Chiffletio,prolatis verbis Athici Ducis,*præcelſam originem* non *aliam quam regiam Francorum fuiſſe* nullomodo ſequatur.

Fragmentum vetus à Cheſneo tomo primo editum, Leudeſii Erchinoaldo nati uxorem *de Sigiſmundi Burgundionum regis proſapia ortam*, Berſwindamque quam Athicus Leudeſii filius duxit Bilhildis reginæ ſororem fuiſſe diſerte notaverat: unde Athicum Childerici regis Bilhildis mariti *affinem* nuncupandum cenſuerat Munſterus. Hæc avide cum Chiffletius arripuiſſet ſibimet pag.48 plaudit, *bene ergo & feliciter alias conjeci, Habsburgenſes Comites ab antiquis Burgundiæ regibus oriundos fuiſſe: quam ob cauſam multas in regno Burgundiæ ditiones poſſidebant, ſcutumque militare regio Burgundionum Leone impreſſum præferebant.* Sed nos ſuo loco quæcunque de Habſpurgicorum *poſſeſſionibus Burgundicis ſcutoque*, tam Habſpurgicorum quam Burgundicorum *Leone impreſſò* ſuaviter garrit, nulliùs prorſus ad rem momenti eſſe demonſtravimus: nunc vero nihil eſſe quod conjecturæ ſuæ felicitati gratuletur moneo; quandoquidem quo tempore conjecturam illam Novis luminibus inſeruit, de Leudeſio ejuſque uxore ne per ſomnium cogitabat, alioſque Auſtriacæ gentis majores fuiſſe referebat. Si ergo Leudeſii uxorem Sigiſmundi regis *neptem* eoque nomine de *proſapia ejus* ortam fuiſſe demus, hoc uno *felix* Chiffletius fuerit, quod quæ non capiebat aſinæ Balaamiticæ inſtar pronunciaverit; ſed Sigiſmundi neptem dicere nihil nos cogit quæ ex ejus proſapia, quia Charitines matris ejus propinquis edita erat aut eſſe poterat, dici meruerit. Neptem autem nequaquam eſſe potuiſſe ex Gregorio Turonenſi, & Mario Aventicenſi ætate ſupparibus & fide digniſſimis liquet. ſic enim Gregorius lib.3 c.6. *ſtatim* Chlodomeres *interfecto Sigiſmundo cum uxore & filiis, apud Columnam Aurelianenſis urbis vicum, in puteum jactari præcipiens, Burgundias petiit.* Marius vero ad annum 523, quo Maximus conſulatum gerebat & indictio 1 currebat, hæc notat: *Hoc Conſule Sigiſmundus Rex Burgundionum à Burgundionibus Francis traditus eſt, & in Francia in habitu Monachali perductus: ibique cum uxore & filiis in puteo eſt projectus.* Si cum Sigiſmundo liberi univerſi Chlodomeris juſſu trucidati ſunt & in puteum projecti, qui ex ejus proſapia Leudeſii uxor proceſſerit? an ad vivos rediiſſe & ex puteo emerſiſſe ut Leudeſianam familiam propagaret dixerit Chiffletius? ſi dixerit, cui ludibrium non debeat? p.23. Guntrannum Habſpurgicorum omnium atavum *bello & victoriæ* Henrici *Aucupis*, quem male *Cæſarem* vocat anno 934. Guillimanni unius fide fretus interfuiſſe, & à Luitfrido agnato fratribus prælatum narrat; nobis vero non ante perſuaſerit, quam unde ſua Guillimannus hauſerit, quoque in pretiò ea eſſe debeant, nos docuerit, quibus hoc unum quod veterum authoritate firmetur admittere decretum eſt.

Guntranni germanos Eberardum & Hugonem liberis nullis relictis de-

ceſſiſſe

ceſſiſſe, Guillimanni exemplo aſſeverat, eoque nomine Vignieri tabulam Lotharingicam detruncandam pronunciat; cum tamen vetuſtis monumentis quibus id confirmari poſſit abſolute deſtituatur. nos Eberardo Lotharintgos, Hugone Dagsburgicos, ex Vignerii mente ortos loco ſuo minime movendos, tantiſperdum nihil quod ſententiam mutare nos cogat prolatum fuerit cenſebimus, nec tanta ſuperſtitione ducemur ut Auſtriacæ gentis gloriæ id officere putemus ſi ex tertiogenito Hugonis Eberardo & Adalinda nati originem repetat, cum nec Abrahamo Patriarchæ poſt Aramum & Nachorem germanos; Iſaaco poſt Iſmaelem; Iacobo poſt Eſauum; Iudæ poſt Rubenum, Simeonem & Levi; Davidi poſt ſex alios fratres; Salomoni poſt Adoniam; Iudæ Machabæo poſt Simonem & Ionathanem germanos natum fuiſſe obfuerit, ne primas in familia paterna obtinerent.

Pag. 22 Eberardum I Otiliæ amitæ circa annum 800 denatæ hortatu ad vitam Monaſticam perductum, cum Eberardo filio Adalindis marito, qui tota vita Monachis infeſtior fuit, annoque plus minus 900 vivere deſiit, nulla temporum, nulla morum ratione habita, quia confuſos à Vignierio repererat conſundere nequaquam dubitaverat. In Eberardi III, ſecundi nepotis, & Hugonis germani, nominibus ludos faciens, iis quæ ad alios pertinebant temere affingit. cum enim in Chronica Auſtrali poſt annum 1302 ſcripta hæc ad annum 939 verba offendiſſet, *Hainricus frater Ottonis ab Eberardo Alſatiæ Comite comprehenſus eſt*; ea ad Eberardum Hugonis & Hildegardis filium nullo judicio trahit, cum Witichindo coætaneo authore de Eberardo Conradi I germano Franconiæ Duce, qui cum Bruningo aliquandiu digladiatus eſt, Thancmari factioni ſe implicuit, ac tandem cum Giſleberto Lotharingiæ Duce rebellans, anno 939 ab Hermanno propinquo, qui Othonis I partes ſequebatur, confoſſus eſt. *Iunctus eſt*, inquit Witichindus annalium libro I, *Thancmarus Everhardo, collectaque valida manu, oppugnabat præſidium, quod dicitur Badiliki, in quo erat Henricus Iunior, dataque præda urbis ſuis commilitonibus, abiit ſecum abducens Henricum quaſi vile quoddam mancipium. Interfectus eſt autem ibi Gevehardus Vdonis filius, fratris Herimani Ducis: ob cujus necem, Deo omnia ordinante, Duces Francorum inter ſe ſunt diviſi*, &c.

Franconiæ Ducum ſtemma.

Vdo Weteraviæ Comes.

Conradus Franconiæ Dux ab Adalberto Bamberg. cæſus.

Conradus I Rex.

Everhardus Franconiæ Dux, qui Henricum cæpit anno 937 & 939 ab Hermanno propinquo cæſus eſt.

Gebhardus.

Gebhardus.

Conradus.

Hermannus Alamanniæ Dux, Witichindo Francorum Ducibus annumeratus, à quo an. 939 Everhardus cæſus eſt.

Vdo.

Gebhardus.

Quos Francorum Duces diviſos voluit Witichindus manifeſtum fecimus. addit idem, *Everhardus audiens de nece Thancmari, & de defectione ſuorum militum, fractus animo proſternitur captivo ſuo, veniam petit, ac nequiter promeretur. Henricus autem erat eo tempore nimis adoleſcens animo, & nimia regnan-*


regnandi cupiditate illectus; eo pacto crimine ſolvit eum, quo conjuratione ſecum facta contra regem dominum ſuum & fratrem ſibi regni Diadema, ſi poſſibile foret, imponeret: fœdus itaque invicem percuſſum. Inde liberaliter Henricus ad regem reverſus, puriori fide ac charitate ab eo eſt ſuſceptus, quam ingreſſus. Suaſione quoque optimi inprimis, & omni religione probatiſſimi viri Frithurici, ſucceſſoris Hildeberti Archiepiſcopi, Everhardus adiit regem, ſupplex veniam depoſcit, ſe ſuaque omnia ipſius arbitrio tradens, &c. *Ductus* (in Henricum fratrem) *exercitus à rege, pervenit uſque litora Rheni fluminis, eo tempore quo erat bellum Everhardi cum rege*, &c. *multos illis diebus Saxones patiebantur hoſtes, Sclavos ab oriente, Francos* (quorum Dux Everhardus) *à Meridie, Lotharios* (quorum Dux Giſelbertus) *ab Occidente, ab Aquilone Danos*, &c. *tractum tamdiu* (cum Giſelberto) *bellum Everhardus conſiderans ultra non quieſcit. Quin contempto rege & jure ſpreto juramentorum, ut initio, conſerta manu cum Giſelberto ad incentiva bellorum pariter conſpirant, nec contenti regno Occidentali ſolummodo, in Rheni Orientalem agrum depopulandum cum exercitu demerguntur. Hæc cum audiuntur in caſtris regis* (*nam ea tempeſtate Rex erat pugnans contra Briſeg & alias urbes, quæ erant Everhardi ditionis*) *multi ſe caſtris eruebant*, &c. *ſummus Pontifex miſſus ad Everhardum pro concordia & pace, cum eſſet earum rerum deſiderantiſſimus, pacto mutuo ſuum interpoſuit juramentum, & ideo ab eo non poſſe deficere fertur narraſſe*, &c. *ad coërcendum igitur Ducum* Giſelberti & Everhardi *præſumptionem, miſſus Hermannus cum exercitu, invenit eos ſuper litus Rheni, magnamque partem exercitus abeſſe, eo quod jam Rhenum cum præda tranſiſſent. Circumfuſus itaque Dux ipſe Everhardus militum armis, multis vulneribus acceptis, ac viriliter redditis, perfoſſus tandem corruit*, &c. Id ipſum de Everhardo Francone Ditmarus lib. 2 refert. *In ſequenti anno frater regis Henricus ab Eberhardo Comite captus, in vinculis tentus eſt. In tertio anno ſupra memorati regis, Henricus frater ejus, & Eberhardus Dux, & Giſilbertus Comes Lotharingorum, cum cæteris nequitiæ ſuimet fautoribus, cis Rhenum plurima depopulati ſunt. Hoc Vdo amicus regis ilico comperiens, Eberhardum occidit*, &c. continuator Reginonis ad annum 987. *Graves & inteſtinæ diſcordiæ inter Heinricum fratrem regis & Eberhardum Ducem Francorum naſcuntur*, &c. *ad annum* 938 *frater regis Heinricus ab Eberhardo comprehenditur in caſtello Badalikki, quo tamen citius liberato, Eberhardus Hildinesheim in exilium deſtinatur*, &c. ad annum 939. *Eberhardus ab exilio remittitur, totumque regnum inimicis & rebellionibus confunditur. Eberhardus enim & Giſelbertus cum Heinrico fratre regis adverſus regem conjurant*, &c. *Giſelbertus & Eberhardus juxta Andernacum caſtellum cum ſuis Rhenum tranſituri, ab Vdone & Chunrado Comitibus, cæteriſque regi fidelibus, ne tranſeant, bellica congreſſione citoque mortis compendio præventi. Nam Eberhardus occiditur & Giſelbertus in Rheno ſubmerſus necatur.* Conſentiunt Hermannus contractus ad annum Othonis 3, Chriſti 938, Chronicon Hildesheimenſe ad annum 937. Lambertus Schafnaburgenſis ad annos 937 & 938. Marianus Scotus ad annos 938 & 939. Sigebertus ad annos 938, 939, 940, 941, 942, 943. ex quorum concordantibus calculis immanis Chiffletii, Eberardos duos coætaneos, ſed longe diſſimiles in unum compingentis error revincitur; quæ enim de Eberardo Franconum Duce perduellionis reo pœnaſque meritas luente audierat, ad Eberardum Alſati-

Ea de cauſa in Chronic. Anſtrali Alſatiæ Comes vocatur.

ceſſiſſe, Guillimanni exemplo aſſeverat, eoque nomine Vignieri tabulam Lotharingicam detruncandam pronunciat; cum tamen vetuſtis monumentis quibus id confirmari poſſit abſolute deſtituatur. nos Eberardo Lotharingos, Hugone Dagsburgicos, ex Vignerii mente ortos loco ſuo minime movendos, tantiſperdum nihil quod ſententiam mutare nos cogat prolatum fuerit cenſebimus, nec tanta ſuperſtitione ducemur ut Auſtriacæ gentis gloriæ id officere putemus ſi ex tertiogenito Hugonis Eberardo & Adalinda nati originem repetat, cum nec Abrahamo Patriarchæ poſt Aramum & Nachorem germanos; Iſaaco poſt Iſmaelem; Iacobo poſt Eſauum; Iudæ poſt Rubenum, Simeonem & Levi; Davidi poſt ſex alios fratres; Salomoni poſt Adoniam; Iudæ Machabæo poſt Simonem & Ionathanem germanos natum fuiſſe obfuerit, ne primas in familia paterna obtinerent.

Pag. 22 Eberardum I Otiliæ amitæ circa annum 800 denatæ hortatu ad vitam Monaſticam perductum, cum Eberardo filio Adalindis marito, qui tota vita Monachis infeſtior fuit, annoque plus minus 900 vivere deſiit, nulla temporum, nulla morum ratione habita, quia confuſos à Vignierio repererat confundere nequaquam dubitaverat. In Eberardi III, ſecundi nepotis, & Hugonis germani, nominibus ludos faciens, iis quæ ad alios pertinebant temere affingit. cum enim in Chronica Auſtrali poſt annum 1302 ſcripta hæc ad annum 939 verba offendiſſet, *Hainricus frater Ottonis ab Eberardo Alſatiæ Comite comprehenſus eſt*; ea ad Eberardum Hugonis & Hildegardis filium nullo judicio trahit, cum Witichindo coætaneo authore de Eberardo Conradi I germano Franconiæ Duce, qui cum Bruningo aliquandiu digladiatus eſt, Thancmari factioni ſe implicuit, ac tandem cum Giſleberto Lotharingiæ Duce rebellans, anno 939 ab Hermanno propinquo, qui Othonis I partes ſequebatur, confoſſus eſt. *Iunctus eſt*, inquit Witichindus annalium libro I, *Thancmarus Everhardo, collectaque valida manu, oppugnabat præſidium, quod dicitur Badiliki, in quo erat Henricus Iunior, dataque præda urbis ſuis commilitonibus, abiit ſecum abducens Henricum quaſi vile quoddam mancipium. Interfectus eſt autem ibi Gevehardus Vdonis filius, fratris Herimani Ducis: ob cujus necem, Deo omnia ordinante, Duces Francorum inter ſe ſunt diviſi*, &c.

Franconiæ Ducum ſtemma.



Quos Francorum Duces diviſos voluit Witichindus manifeſtum fecimus. addit idem, *Everhardus audiens de nece Thancmari, & de defectione ſuorum militum, fractus animo proſternitur captivo ſuo, veniam petit, ac nequiter promeretur. Henricus autem erat eo tempore nimis adoleſcens animo, & nimia*

regnan-

regnandi cupiditate illectus; eo pacto crimine ſolvit eum, quo conjuratione ſecum facta contra regem dominum ſuum & fratrem ſibi regni Diadema, ſi poſſibile foret, imponeret: fœdus itaque invicem percuſſum. Inde liberaliter Henricus ad regem reverſus, puriori fide ac charitate ab eo eſt ſuſceptus, quam ingreſſus. Suaſione quoque optimi inprimis, & omni religione probatiſſimi viri Frithurici, ſucceſſoris Hildeberti Archiepiſcopi, Everhardus adiit regem, ſupplex veniam depoſcit, ſe ſuaque omnia ipſius arbitrio tradens, &c. *Ductus* (in Henricum fratrem) *exercitus à rege, pervenit uſque litora Rheni fluminis, eo tempore quo erat bellum Everhardi cum rege*, &c. *multos illis diebus Saxones patiebantur hoſtes, Sclavos ab oriente, Francos* (quorum Dux Everhardus) *à Meridie, Lotharios* (quorum Dux Giſelbertus) *ab Occidente, ab Aquilone Danos*, &c. *tractum tamdiu* (cum Giſelberto) *bellum Everhardus conſiderans ultra non quieſcit. Quin contempto rege & jure ſpreto juramentorum, ut initio, conſerta manu cum Giſelberto ad incentiva bellorum pariter conſpirant, nec contenti regno Occidentali ſolummodo, in Rheni Orientalem agrum depopulandum cum exercitu demerguntur. Hac cum audiuntur in caſtris regis* (*nam ea tempeſtate Rex erat pugnans contra Briſeg & alias urbes, quæ erant Everhardi ditionis*) *multi ſe caſtris eruebant*, &c. *ſummus Pontifex miſſus ad Everhardum pro concordia & pace, cum eſſet earum rerum deſiderantiſſimus, pacto mutuo ſuum interpoſuit juramentum, & ideo ab eo non poſſe deficere fertur narraſſe*, &c. *ad coërcendum igitur Ducum* Giſelberti & Everhardi *præſumptionem, miſſus Hermannus cum exercitu, invenit eos ſuper litus Rheni, magnamque partem exercitus abeſſe, eo quod jam Rhenum cum præda tranſiſſent. Circumfuſus itaque Dux ipſe Everhardus militum armis, multis vulneribus acceptis, ac viriliter redditis, perfoſſus tandem corruit*, &c. Id ipſum de Everhardo Francone Ditmarus lib. 2 refert. *In ſequenti anno frater regis Henricus ab Eberhardo Comite captus, in vinculis tentus eſt. In tertio anno ſupra memorati regis, Henricus frater ejus, & Eberhardus Dux, & Giſilbertus Comes Lotharingorum, cum cæteris nequitiæ ſuimet fautoribus, cis Rhenum plurima depopulati ſunt. Hoc Vdo amicus regis ilico comperiens, Eberhardum occidit*, &c. continuator Reginonis ad annum 987. *Graves & inteſtinæ diſcordiæ inter Heinricum fratrem regis & Eberhardum Ducem Francorum naſcuntur*, &c. *ad annum* 938 *frater regis Heinricus ab Eberhardo comprehenditur in caſtello Badalikki, quo tamen citius liberato, Eberhardus Hildinesheim in exilium deſtinatur*, &c. ad annum 939. *Eberhardus ab exilio remittitur, totumque regnum inimicis & rebellionibus confunditur. Eberhardus enim & Giſelbertus cum Heinrico fratre regis adverſus regem conjurant*, &c. *Giſelbertus & Eberhardus juxta Andernacum caſtellum cum ſuis Rhenum tranſituri, ab Vdone & Chunrado Comitibus, cæteriſque regi fidelibus, ne tranſeant, bellica congreſſione citoque mortis compendio præventi. Nam Eberhardus occiditur & Giſelbertus in Rheno ſubmerſus necatur.* Conſentiunt Hermannus contractus ad annum Othonis 3, Chriſti 938, Chronicon Hildesheimenſe ad annum 937. Lambertus Schafnaburgenſis ad annos 937 & 938. Marianus Scotus ad annos 938 & 939. Sigebertus ad annos 938, 939, 940, 941, 942, 943. ex quorum concordantibus calculis immanis Chiffletii, Eberardos duos coætaneos, ſed longe diſſimiles in unum compingentis error revincitur; quæ enim de Eberardo Franconum Duce perduellionis reo pœnaſque meritas luente audierat, ad Eberardum

Ea de cauſa in Chronic. Auſtrali Alſatiæ Comes vocatur.

xxx * 2 Alſati-

Alſaticum nullius ſeditionis poſtulatum, ſed voti religioſi reum Lutræque in Monaſtico habitu tandem defunctum, tam imperite quam audacter trahit.

Inſcitiæ conſimilis luculentum ſpecimen edit, Hugones duos in unum conflans; plures in Flodoardi Chronico occurrebant, quorum nihil admordere aut in ſomniorum ſuorum fulcrum, quandoquidem accuratiſſime diſtincti fuerant, vertere poterat. 1 Hugo Francorum Dux, qui Flodoardo *Roberti filius Albus* & *Princeps*. 2 Hugo prioris filius *Princeps* itidem dictus, qui poſtea regnavit. 3 Hugo Heriberti II & Hildebrandæ filius, anno ætatis quinto in ſedem Remenſem intruſus. 4 Hugo Burgundiæ Dux, *Richardi filius* & *Niger* dictus. 5 Hugo Tetbaldi & Bertæ filius, ex Arelatenſium Comite Italiæ Rex, eoque ipſo *Tranſalpinus*. Vnicus ſupererat, quem Flodoardus ad annum 939 *Ciſalpinum* vocat: in hunc temerariâ manu injectâ involavit Chiffletius, ut in familiam Alſaticam vel invitum traduceret, & Guntranno Auſtriacorum parenti Germanum daret. quî enim ſententiam ſuam probat? ait tantum, noſque inani nudi ſui effati vento paſci vult: atqui Hugonem Ciſalpinum Burgundiæ Iuranæ non Alſatiæ Comitem fuiſſe longe probabilius eſt: quod ut in oculos facilius incurrat, en Burgundiæ tam ſuperioris quam inferioris Regum, Ducum, Comitum ſeriem.

Conradus Conrado & Adelhaidæ natus, Hermentrudis maritus, Rhæticarum & Iurenſium partium Dux.

Rudolphus I Willæ maritus, Burgundionum Iuranorum Rex, ab anno 888 ad annum 912. — Adelais Richardi Burgundiæ Ducis uxor. — Manaſſes Ermengardis maritus, Burgundiæ poſt Richardum Dux.

Rudolphus II Bertæ maritus, qui anno 929 S. Mauritii Lanceam Henrico Aucupi tradidit.

Conradus Rex.

Rudolphus poſt Robertum Francorum Rex. — Hugo Niger Burgundiæ Dux poſt Manaſſem. — Boſo. — Ermengardis. — Giſlebertus poſt Hugonem Nigrum Burgundiæ Dux. — Manaſſes Alſenſis & Divion. Comes, Iudithæ maritus.

Lutgardis, Othonis Hugone Francorum Duce nati uxor. — Rudolphus. — Hugo Burgundiæ Comes, *Ciſalpinus Flodoardo* dictus.

Gerberga, Adalberti Italiæ Regis Beringario II nati ac exinde Henrici Burgundiæ Ducis uxor.

1 *nupt.*

Otho Guilielmus Burgundiæ, Belnæ, Matiſconis, Cabiloni, &c. Comitum parens.

In Flodoardi Hiſtoriæ Remenſis lib.3 c.26. Eberhardum ex Lotharii Imperatoris Principibus illuſtriſſimum offenderat: hunc ſtatim Alſaticæ familiæ mancipandum prehendit; nec advertit Eberhardum illum longe ab Alſatico Monachorum oſore, Lutrenſiſque cœnobii ad ipſum uſque vitæ exitum direptore, diverſum fuiſſe, cum Belga fuerit, Ciſonii Comes, ac exinde Forojulii Dux, Giſlæ Lotharii Germanæ maritus, cleri univerſi tota vita obſervantiſſimus, eoque nomine ab Hincmaro laudatus, & Beringarii I Italiæ Regis & Romanorum Imperatoris parens.

Guilimanni, Guntrannum Altenburgicorum & Hapſpurgicorum parentem, ea de cauſa *divitem* dictum quod Eberhardi & Hugonis fratrum ſine prole defunctorum hæres ex aſſe fuerit, conjicientis, & à Luitfrido Comite

propin-

propinquo fratribus natu majoribus prælatum aſſerentis, opinionem ſecutus, ex Erchinoaldina gente Lotharingicum & Dagsburgenſem ramos audacter reſecat, & Vignierio ſuccenſet, qui in contraria ſententia eſt. ſed cum Guntrannus ob opulentum matrimonium exactioremque rei familiaris curam *dives* dici potuerit, nec Eberhardum & Hugonem Guntranni fratres improles deceſſiſſe probent qui id aliis perſuaſum volunt, nihil eſt quod inanem eorum conjecturam moremur aut Vignierii rationibus præferamus: ut enim aliis omnibus indiciis deſtituamur, cum Guntranni *divitis* ditio præcipua in Argovia fuerit; nulla Guillimannus, Chiffletio ipſomet fatente *Alſat. Vindicat. pag.3*, monumenta repererit quæ Guntranni poſteris ante annum 1186 Alſatiæ Lantgraviatum tribuerent; primus ex ejus nepotibus Adalbertus Itæ Pfullendorfenſis maritus, qui à Guntranno ordine ſeptimus erat, Lantgravii Alſatici titulo inſignitus appareat; Egensheimii Comitatus Alſaticus penes Gerardi Lotharingiæ Ducis poſteros, ex Chiffletii ipſius *in novis luminibus p.338* expreſſa confeſſione, ad annum uſque 1238 ipſamque Rudolphi, qui primus ex Hapsburgicis regnavit, ætatem manſerit; Daxburgenſem ad 1220 Lotharingorum propinqui tenuerint, Guntrannum eorum atavum, quod Landaloi Archiepiſcopi, qui Vindoniſſæ Comes erat, hæredem duxiſſet, & portioni, quæ ei ex paternis bonis in Alſatia obvenerat, dominium Alamannicum adjunxiſſet, *divitis* cognomen ſortitum fuiſſe, veriſimillimum eſt; cum præſertim in Landelini filii nuncupatione Landaloi Archiepiſcopi, cujus hæreditatem creverat, memoriam refricaſſe videatur.

Anonymi qui S. Deicoli vitam ſub Werdulfo Abbate ſcripſit, auctoritate minus certa fretus, incondita & inconvenientia multa coacervat. Lutrenſem enim Abbatiam extra Ottonis ditionem in alio Regno ſitam, ab Ottone Baltranno Abbati commiſſam & Rudolphi, neſcio cujus, curæ commendatam fuiſſe narrat; imo Rudolphum illum, qui *primo loco Lutræ Cuſtos & Advocatus* fuit, *Burgundiæ Transjuranæ Ducem ſive Comitem, à quo Henricus* I *Imp. lanceam Conſtantini Magni extorſerit*, fuiſſe vult. Sed cæco duci ſe temere commiſit, dumque *avia* ejus *peragrat*, & deliria venditanda ſuſcipit, falſa falſis cumulavit: quod Henricum Aucupem Imperatorem nuncupat, merum ejus delirium eſt, quandoquidem nec Henricus ſe unquam *Imperatorem* inſcripſit, nec coætaneus ullus aut ſuppar Imperatorio eum titulo inſignivit. Pari errore vitæ S. Deicoli ſcriptor, Ottonem I qui anno demum 962 Imperator ſalutatus eſt, Imperatorem ab ipſo Regni exordio imperite nominavit. uterque autem in Rudolphi Lutrenſis Monaſterii Advocati dignitate hallucinatus eſt; Rudolpho enim qui Burgundiæ Iuranæ regnum anno 888 fundaverat, & 912 deceſſerat, Rudolphus II filius ſucceſſit, qui anno 929, Henrico Aucupi Conſtantini lanceam tradidit, & 937 vita functus regnum Conrado filio reliquit, nec unquam Othonis Imperio ſe ſubmiſit; ſed pleno jure abſolutaque poteſtate in ditione ſubjecta uſus eſt. Cum igitur nullus Othone regnante Rudolphus Ducali titulo in Germanico regno inſignis vixerit, Burgundia univerſa Iurana extra regni Germanici fines jacuerit, & Duce propriè dicto qui regi ſubeſſet caruerit, prout Ditmarus loco à Chiffletio citato docet, nullum in Burgundia Comitem niſi qui Ducis honorem poſſideat, id eſt qui ſibi Ducalem poteſtatem non arroget, fuiſſe notans: Lutrenſe Monaſterium Burgundici regni membrum fuerit, in quod

nihil ſibi quod vindicarent habuere Othones: ante Hugonis Comitis & filiorum converſionem Rudolphus Rex è vivis abierit: Chiffletium, dum *aviis* ubique *peragrandis* ſe totum dedit, Rudolphum Regem ſuum nullius hominis imperio obnoxium in Othonis Ducem, qui in natura rerum nunquam fuit, transformaſſe, Othoni Burgundici regni jura temere tribuiſſe, & dum Sigeberto in errorem prolapſo, Rudolphumque regem in duos, quorum Rex alter, Comes alter fuerit, perperam dividenti nimium fidit, in patria peregrinum egiſſe clarum eſt. Luitprandus Henrici & Othonis
cap. 12 lib. 4. coætaneus, qui primus traditæ Henrico lanceæ meminit, quid ex vero ſtatuere debeamus expreſſis verbis indicat: *Cum*, inquit, *Rex Rodulphus modis omnibus ſe nunquam facturum ediceret, Rex Henricus, quia mollire hunc muneribus non potuit, minis terrere magnopere curavit. Omne quippe regnum ejus cæde atque incendiis ſe depopulaturum eſſe promiſit. Quia vero quod petebatur munus erat, quo cœleſtibus terrea Deus conjunxerat, lapis ſcilicet angularis faciens utraque unum, Rodulphi regis emollivit cor, juſtoque regi juſta juſte petenti cominus dedit. Neque enim pace præſente, ſimultati locus erat. Nam & eo qui his crucifixus eſt, à Pilato ad Herodem properante, facti ſunt amici in illa die, qui prius inimici erant ad invicem. Quanto autem amore Rex Henricus præfatum inæſtimabile donum acceperit, tum in nonnullis rebus, tum in hoc præſertim claruit: quod non ſolum eo donante ſe auri argentique muneribus, verum etiam Suevorum provinciæ parte non minima honoravit*, &c. unus ergo fuit qui lanceam à Samſone Comite accepit, Henrico donavit, & Sueviæ parte muneratus eſt, Burgundionum *Rex* non *Comes*, ut Sigebertus voluerat, aut *Dux* ut Siffridus à Chiffletio laudatus commentus erat. Si *Malmesburienſis Ethelſtani* ſororem Duci juxta Alpes nupſiſſe ſcripſit, non Chiffletii exemplo ad Rudolphum *Burgundiæ Iuranæ Ducem*, qui in natura rerum nunquam fuit, recurrere, ſed authoris memoria lapſi ſortem miſerari neceſſe eſt. quatuor enim Ethelſtani ſorores externis principibus junctas novimus; Otgivam Carolo ſimplici, Egitam Othoni I, Editham Hugoni Magno Francorum Duci, Elgiſam Ludovico cæco Arelatenſium ac exinde Italiæ regi, & Romanorum Imperatori: quem forte in mente Malmesburienſis habuit, cum Ducis prope Alpes meminit. Quidquid ſit, ſi quam Lutrenſis Monaſterii curam Othoni Magno tribuere libeat, eam poſt annum 937, quo Rudolphus Rex fatis conceſſit, ſuſceperit. tunc enim ſub poteſtatem redacto Conrado Rudolphi hærede adhuc impubere, Burgundis Iuranis aliquandiu imminere viſus eſt: ſed poſtea Conradum in integrum reſtituit & fraterno
p. 29. A.D. 1361 Martii 18. In luſtra data. amore complexus eſt. hoc unum ex Rudolphi Auſtriæ Ducis à Chiffletio prolata charta fixum ratumque nobis eſſe poteſt, cum ut & Maximilianum I ſe Ottiliæ propinquum gloriantem, plura certioraque de gentis ſuæ origine noviſſe quam qui poſt annum 1500 vixerunt, quos Auſtriacam originem à Merovingis regibus repetendi libido adeo dementavit, ut ad noſtra uſque tempora certatim inſanirent, nobiſque pro veris clariſſimæ familiæ fundatoribus mera ſpectra efformarent, quæ occaſione data procul abegimus.

Plura in Chiffletii-Auſtriaca tabula emendanda cum notaverimus, ut quod *Lantgraviorum Alſatiæ* titulum proximis Guntranni divitis poſteris appingit, Albertumque primum cum ſequentibus familiæ ejuſdem principibus, *Archiducali* anno demum 1488 invento inſigni cohoneſtat, jam orſam telam

telam redordiri ſupervacaneum foret, alia itaque ejuſdem peccata merita cenſura perſtringemus. Cum Erchinoaldum *patritium*, *majorem domus*, *Principum judicem*, &c. dictum, *majores Domus à Francis regno*que conſtitutos aliquoties offendiſſet, in novam nullique antea auditam inſaniam prorupit, *patritios* inter Francos, non qui *Principis patres honorarii* (prout à Conſtantini tempore in Romano Imperio aſſueverat) ſed *regis ac regni tutores, majoris Palatii munus dignitatem regiæ parem, re ipſa reges majores habitos & dictos, præfecturam Palatinam non à Rege Francorum, ſed à Francis olim conferri ſolitam, majores regibus antelatos, regi minime obſtrictos & poteſtate illo majores*, ut Auſtriacorum Principum *origini lucem aliquam* Vignerius noſter, *ejus ſplendorem imminuere conatus ſubtraheret*, cum *non inimico* quidem, *ſed ſuis blandienti animo glorioſum eſſe* ſcripſiſſe, Auſtriacam domum à *præfecto regis Francorum primario originem duxiſſe* fingens. Singula hæc in *novorum luminum* examine ſigillatim confutavimus; nunc vero in ipſius fingentis caput male feriatum cum bono Deo retorquebimus, & ad gentis Arnulfinæ decus (ſi concedere libeat) facere evincemus, tributum nonnunquam majoribus domus *regium* nomen, quia poteſtate pene regia, imo nonnunquam majori, ſed hoc ipſo illegitima & uſurpata, poſtquam reges ignavia corrupit, utebantur, quantumvis largiamur, nihil hinc ſibi commodi Chiffletius ſperaverit, quandoquidem ſcriptoribus vel ignobilibus, vel parum ſermonis ac rerum peritis, id facile evenit ut abuſive loquerentur, ſcelerique ac injuriæ jus infantili ſua balbutie dare viderentur. Vnde enim majores domus Reges dictos didicit Chiffletius? Genealogiam S. Arnulphi profert, cujus ſcriptor circa annum 1240 à Palatii majorum extincto munere 460 vixit, multaque incondita & falſa lectoribus obtruſit: annon pudet nuperum fœdatumque craſſiſſimis erroribus Auctorem allegare, ex quo quid antiqui ſtatuerint nobis nunc petere debeamus? Ex Chartulario Gorzienſi chartam laudat, cujus hic finis, *Acta ſunt omnia in conſpectu glorioſiſſimi Regis Pipini ſecundi*, XVII *Kal. Iulii, anno ab Incarn. Dom.* DCCLXII. Sed Chartam illam nullam fidem mereri annorum Dom. Incarn. temporibus illis nondum uſitata annotatio demonſtrat. Vt autem demus legitimam plenaque fide dignam eſſe, quidni id in mente Notarius habere potuerit, ut Pipinum Caroli Martelli filium *ſecundum* inter Pipinos ex Arnulphina familia ortos, etiamſi primus regnaret, fuiſſe oſtenderet? fuerit ergo inter Pipinos *ſecundus*, non inter Francorum Reges, qui unicum Pipinum nulli Regi ſecundum hactenus agnoverunt. Quod à Cedreno de *Præfecto Regiæ Francorum* eum *Regis & rerum omnium Regni curam habuiſſe* ſcriptum obſervat, ipſi prorſus inutile eſt, quandoquidem poſt annum 1100 ab extincto Præfectorum munere 350 vixit; quaque poſtremi Domus majores poteſtate uſi fuerint, indicare potuit. Si vero ad nativam eorum dignitatem reſpexiſſe largiamur, nihil in rem ſuam Chiffletius habuerit, cum *Regis & Regni curam* ſuſcipere olim potuerint, & uſque nunc poſſint, qui à Regibus quidquid poteſtatis habent conſequuti ſunt, eoque uno fine ad præfecturam vocati ſunt ut Regi Regnoque ſerviant, curamque ſuam univerſam utrique impendant.

p. 51.

Ad Majorum Domus qui nonnunquam Patritii dicti ſunt dignitatem, Carolo Magno à Romanis tributus Patritiatus referri nullomodo poteſt: cum

cum enim Domus Majoratus præfectura, Caroli Patritiatus dominium vere Regium fuerit, diverſiſſimi generis titulos eſſe debuiſſe nemo non videt. Carolus ergo jam Francorum & Longobardorum Rex, Romanorum anno 774 ſummum Imperium ſub Patritiatus nomine adeptus eſt, ex eoque tempore Conſtantinopolitanorum Imperatorum, qui à Iuſtiniani temporibus Romæ potentes fuerant, poteſtas abſolute concidit, totaque in Carolum tranſlata eſt. Acta publica Imperatorum annis conſignari deſierunt, iiſdem Carolini Patritiatus anni apponi cœperunt, duravitque ſub Patritiatus nomine Caroli Romanum Regnum ad annum uſque 800, quo exeunte titulum, non tituli rem, quæ ſemper eadem manſit, mutavit Carolus, *Romanorum* non ut ante *Patritius*, ſed *Imperator Auguſtus* exinde dictus: quod ab Engoliſmenſi Monacho, vitæ ejus poſt alium priorem ſcriptore, ſedulo notatum eſt. *Domnum*, inquit, *Carolum elegerunt ſibi in Patritium Romanorum*; *deinde elevaverunt in Imperatorem & Auguſtum:* non ut aliud quam antea habuerat conſequeretur, ſed ut novo titulo priſtina dignitas clarior evaderet: hæc enim Monachi jam laudati verba ſunt; *Antea* (id eſt ab anno 774 ad 800) *Domnus Carolus vocabatur ab omnibus Rex Francorum & Patritius Romanorum: ſed poſt laudes à Domno Apoſtolico more antiquorum adoratus eſt, atque ablato Patritii nomine, Imperator & Auguſtus eſt appellatus. Priori* ergo *nomine ablato*, novo cui rei novæ nihil ſuberat auctus eſt; & Conſtantinopolitanis Imperatoribus aperte exæquatus.

De Erchinoaldi & Dagoberti Regis *conſanguinitate*, poſterorum Erchinoaldi impropriè dictâ *ſtirpe Regiâ*, Leudeſiique uxore, an vere Sigiſmundo Rege edita fuerit, jam diximus. Berſwindam etiam Adelrici uxorem Reginæ ſororem fuiſſe monuimus. An proinde Adelrico nati vel eorum poſteri *Reges* dicendi fuerint? dicere nos jubet futili prorſus argumento nixus Chiffletius. nactus enim in Maſonis Monaſterio titulum ſepulchralem, cui hæc inſcripta verba ſunt: *Hic jacet ſepultus filius Regis Maſonis, fundatoris hujus Monaſterii*, Maſonem Adalrici, qui nunquam Rex audiit, nepotem, quod ex Adalrico ortum duxerit, *Regem* fuiſſe concludit; ſed viri cordati partes minus implevit, qui obvia quæque etiam ab imperitiſſimis inepte conficta pro legitimis habuit: nos vero non quod ille in Maſonis Monaſterio ſcriptum invenerit, ſed cujus ætatis & meriti quicquid ſcriptum eſt fuerit, attendere certi, inſcriptionem quæ Maſoni Regium nomen detulit, otioſe oſcitantis cujuſdam fraterculi, cui de Monaſterii ſui fundatore procul à vero abhorrentia ſomniare viſum eſt, ludicrum commentum fuiſſe reputamus, Chiffletiumque qui meris nugis pondus addere conatus eſt, eruditis exſibilandum proponimus.

p. 51. Ad novas nugas converſus hac Chiffletius veteris Fragmenti à Cheſneo editi auctoritate infeliciter abutitur: *Dagobertus Rex Monarchiam in tribus Regnis, Burgundionum, Auſtraſiorum & ſuperiorum Francorum ſagaciter accepit.* Cum hæc extra controverſiam ſint, ea in rem ſuam verſurus tam temere quam ridicule addit: *Etſi Erchinoaldus à Dagoberto ſummam Regni præfecturam accepiſſet, id muneris à noſtro etiam Rege habuiſſet, qui Franci fuimus ante Gallos Occidentales.* Atqui ex Chiffletii ipſius confeſſione pag. 6, 7 & 8 edita, tertio poſt Dagoberti obitum anno, Egani Palatii ſub Dagoberto Præfecto à Nanthilde Franciſque Occidentalibus Erchinoaldus ſuffectus eſt,

eſt, nec Auſtraſii Regni, quod Sigeberto ſuberat, præfecturam meruit, qui in Neuſtria ad vitæ exitum domicilium fixit, eodemque quo Clodulphus, Grimoaldus & Martinus Auſtraſiorum Palatium regebant tempore in poteſtate à Neuſtraſiis conſtitutus eſt, & præfecturam exercuit: cumque Burgundiones anno demum 524 poſt conſtitutam à Clodoveo Lutetiæ Pariſiorum regni totius ſedem decimo ſeptimo, à Clodovei filiis ſubactos Franciciæ ditioni poſt univerſam Neuſtriam acceſſiſſe conſtet; qua fronte ſe Burgundio Neuſtriis priorem; Erchinoaldum vero poſt diviſam & Sigeberto aſſignatam Auſtraſiam, à Neuſtrici regni proceribus Clodovei II regis ſui adhuc impuberis Palatio præfectum, ab eo qui in vivis eſſe deſierat Auſtraſioſque à Neuſtriis ſejunxerat, ad *Majoris* munus vocatum dixerit? ſed ipſi tam ineptire quam inepte conficta contumaciter aſſerere ſolemne eſt. ſic enim Erchinoaldi poſteros Merovingorum & Carlovingorum *legitimos hæredes per connubia*, quæ juris nihil in regnum puellas regias ducentibus conferre per leges noſtras apta ſunt factos eſſe, Capetinos reges *regnum* ad ſe non pertinens *uſurpaſſe*, Erchinoaldinam familiam regio Merovingorum ſanguine claram eſſe, tam importune quam falſo inculcat. p. 52.

Ad præcipuum Chiffletianæ malignitatis argumentum, ut propius accedamus parallelíſmum Carolinæ & Erchinoaldinæ gentis ab eo pag. 41; pro libidine inſtitutum expendere operæ pretium eſt. Carolo Martello uxorem unicam Swanichildem ex qua Pippinus proceſſerit tribuit, eoque quam prius ſecutus erat ſententiam *Gertrudem* Pippini matrem nominans evertit; ſed Pippinus Rotrude prima Caroli uxore natus eſt, ex Swanichilde quam ex Bavaria poſt Rotrudis dormitionem abduxit ſolus Grifo ortus eſt.

Pippinum ex ortu à Merovingis regibus per Blitildem ataviam *ad regnandum viam ſibi pateſeciſſe* pro arbitrio fabulatur. Cum enim ad annum uſque 841 nemo prodierit, cui Blitildis illa innotuiſſet, ex ejus traduce nihil Pippinus anno 768, ante prima fabulæ de Blitilde cunabula 73 denatus, ſibi ſuiſque vel ſperare vel patefacere potuit.

Vt Erchinoaldinam gentem Arnulphinæ præferendi color aliquis eſſet, hæc p. 42 chartis illevit. *Carlovingi reges à Majoribus domus regiæ citius ſunt exorti, regnaruntque in Europa ab anno 752 uſque ad 987, hoc eſt annis dumtaxat 235, ut quæ cito florent, celeriter ſolent marceſcere. Auſtriaci vero, qui cœperunt Imperare anno 1273, etiamnum feliciter regnorum atque Imperiorum in utroque orbe habenas moderantur.* Cum Pippinus, Zacharia Papa qui anno 752 Martii 15 denatus eſt procurante, ad regnum evectus ſit, ejuſque primordia annales vetuſti ex Monaſterio S. Nazarii petiti anno 751 aſſignent, Carolinorum regum tempora aliquanto ſerius inchoaſſe & iniquius contraxiſſe videri Chiffletius poſſit. ſed ut ipſi biennii ſurrepti gratiam faciamus, nec ultra annos 235 Carlovingos regno potitos, cito floruiſſe celeriter marcuiſſe largiamur, Childebrandini rami ex Arnulphina ſtirpe æquo cum Carolino jure educti, annoque 888 antequam Erchinoaldinus ullus Diademate redimiretur 385 regnare exorſi, & uſque nunc hæreditarium regnum feliciter tenentis, immarceſſibilis gloria tanto Erchinoaldinam poſt ſe intervallo relinquet quanto ſeculum nonum à decimo tertio diſtat. ſi vero ſtirpis Arnulphinæ ramos à ſe invicem nunquam divellendos junctis, prout æquum eſt, luminibus micare ſinamus ab anno 750 ad 1652, per ſecula con-

tinua novem eclipſim nullam paſſa, aut Deo dante in poſterum paſſura Arnulphina gens radiavit. Erchinoaldina verò ſerò admodum, id eſt anno 1273 Septemb. 30, regios flores emittere exorſa, gemina eclipſi ad tempus obtenebrata eſt. Cum enim Rudolphus I anno 1291 Iulii 15 mortalitatem explevisset, non Albertus Rudolphi filius, ſed Adolphus Naſſauvius ad annum uſque 1298 Iulii 2 ſceptrum Auſtriacis ablatum forti manu tenuit: qui in eum Martii præcedentis 27 inſurrexerat Albertus I, anni 1308 Kalendis Maji à Ioanne Germani filio miſere confoſſus, regnum cum vita reliquit, nec exinde ad annum uſque 1438, quo ineunte Albertus II Sigiſmundo ſocero ſuffectus eſt, per annos ſolidos 130, Auſtriacus ullus regio ſolio inſedit. Superſunt ergo ab anno 1438 ad 1652, anni 214: quibus ſi Rudolphi I annos 17, menſes 9, dies 16, & Alberti annos 9, menſem I, dies 5 addamus, conſurget ſumma annorum circiter 241, quæ vix Carolinorum periodum quadriennio ſuperabit. adeo ut nihil fere ſit, in quo Auſtriacis poſt annos 286 caput inter mortales attollentibus invidere debant jamdudum ad ſuperos tranſlati Carolini. Friderici pulchri Alberto I nati, regnumque anno 1314 invadere auſi, rationem nullam habuimus: quandoquidem propriæ factionis caput non Rex legitimus à Germania univerſa habitus eſt, annoque 1322 ſolio excuſſus, & ſub Ludovici Bavari cuſtodia poſitus anno 1325 Martii 13 abdicavit: nec exinde ab ullo etiam Auſtriaco Regibus adnumeratus eſt, quandoquidem Fridericus Alberto patrueli ſuffectus, ſe tertium non quartum, quod facere, ſi Fridericum Pulchrum pro Rege habuiſſet, debuerat, inſcripſit; unuſque in hanc diem Chiffletius repertus eſt, qui adverſus priorum omnium conſentiens judicium, quartum nuncupare auderet.

Pergit Chiffletius; *Carlovingos Proceres Regum inertia provexit ad ſolium: Pipinus enim Caroli Magni parens Childericum Regem ignavum in Monaſterium detrudi & tonderi præcepit, ac deinde Coronam uſurpavit.* Hæc ad invidiam Carolinæ genti conflandam malignus ejus obtrectator garrit: quaſi vero alienis vitiis non propria virtute commendabiles fuerint, qui ignavorum loco à Francis præoptati ſunt. Fredegarius teſtis oculatus ad annum 750; *cum conſilio & conſenſu omnium Francorum miſſâ relatione, à Sede Apoſtolica auctoritate percepta, præcelſus Pippinus electione totius Franciæ in ſedem Regni, cum conſecratione Epiſcoporum & ſubjectione Principum, una cum Regina Bertradane, ut antiquitus ordo depoſcit, ſublimatur in Regno.* Quis in animum inducat Francos univerſos tanta vertigine correptos fuiſſe, ut poſtquam eos Merovingorum ignavia ad nova conſilia traduxit, nullâ virtute redemptum à vitiis Regem ſibi præficerent, quique inertem non ferebant ſuo judicio optimum non eligerent? cui etiam credibile fiat Zachariam Papam, cujus impulſu Childericum comam ponere juſſerunt, ignobile eis nulliuſque pretii caput priori ſufficiendum commendaviſſe? is certe uſurpatæ Coronæ reus peragi non potuit, qui unanimi Francorum jam liberorum & Rege carentium conſenſu oblatam ſuſcepit, votiſque tam Romanæ Eccleſiæ, quam ſuæ gentis communibus ceſſit. Sed hoc ipſo, quod uſurpatum ab eo regnum mentitur Chiffletius, pudendam & calumniatore dignam inconſtantiam prodit. Qui enim in *Vindiciis Noviſque luminibus* univerſum Auſtriacorum decus ex Carolino traduce arceſſebat, idque in Capetinorum invidiam à fabulatoribus temere confictum inculcabat, vetitos ſub anathe-

matis pœnâ à Romanis Pontificibus Francos, ne Carlovingorum benedictum genus ſolio excuterent, ubi Carlovingos cum illis ipſis Auſtriacis, quos ob Carolinæ originis prærogativam ad cœlum ipſum extulerat, committere decrevit, Carlovingos ad Auſtriacorum pedes dejectos maledictorum ſuorum cœno obruere infamique uſurpatorum elogio inurere non dubitavit; nec vidit ſe temulenti vinitoris inſtar vineta ſua propriâ manu cædere, eorumque nomen quos univerſo orbi antelatos vult laſciviâ ſuâ dehoneſtare; cum fieri non poſſit ut alieni *uſurpatorum & perduellium* genus, *adeo electum & cæleſti ejus benedictioni conſecratum* ſani capitis quiſquam putet. Sed *dicit facitque* pro more, *quod ipſe non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes.* Quid de Auſtriaca gente poſt Carolinam infamatam Vir bonus pronunciet, audiamus: *Auſtriacam domum inſignis erga Deum & Cælites pietas ad utriuſque Orbis ſceptra permovit, electam à Divino Numine, ut ſparſa congregaret Imperia.* Eorum quæ vitæ S. Deicoli ſcriptor Chronicon Dominicanorum Colmarienſium, Albertus Argentinenſis, aliique non ſuſpectæ fidei Auctores de Auſtriacæ gentis atavo Eberhardo Adalindis marito, Rudolpho ipſo primo & Alberto filio ſcripſerint, quibuſque eorum capita floſculis aſperſerint, meminiſſe debuerat: nos ne in famam regiam graſſari adverſarii exemplo videamur, univerſa hic miſſa faciemus, aliaque paucula quæ Imperii Germanici miſerum ſtatum, veraſque Rudolphinæ Electionis cauſas ob oculos ponant recenſebimus. Albertus Argentinenſis ad annum 1273 *congregatis Principibus Electoribus in Franckfurt, rege Bohemiæ dempto, & inter ſe de periculo diutinæ vacationis Imperii & de perditione juris Principum invicem conquerentibus, ac de perſona eligenda, quæ Imperio expediret, tractantibus: Maguntinus Rudolphi Comitis de Habſpurg magnanimitatem ac ſapientiam commendavit: multiſque aliis potentibus nominatis, Maguntinus aſſerens ſapientiam & ſtrenuitatem divitiis & potentiæ eſſe præferendas, pro Rudolpho Comite inſtitit: Colonienſem quoque & Treverenſem ad id ipſum inducens. Dux autem Bavariæ, qui clariſſimam uxorem ſuam, & patre Duce Brabantiæ, & ex matre de Hollandia natam, ob falſam adulterii ſuſpicionem decollaverat, pater poſt Ludovici* IV *Principis, convocans Burggravium de Norimberg præſentem, qui & ipſius Rudolphi extitit conſobrinus, ait illi: ſi Rudolphus præfatus promoveretur in Regem, quomodo eſſem ab ejus læſione ſecurus? habetne aliquam filiam quam mihi daret in uxorem? & illo aſſerente, quod Rudolphus ſex haberet filias, & de danda ſibi una, ſub omnium bonorum ſuorum hypotheca Duci cavente, Dux annuit Maguntino. Quod audientes Dux Saxoniæ, & Marchio Brandenburgenſis, qui & ipſi non habebant uxores, receptis cautionibus de dandis ſibi Rudolphi filiabus, ſimiliter conſenſerunt, ſicque concorditer eſt Electus, anno Domini* 1273, *pridie Kalendas Octobris*, &c. Chronicon Colmarienſe Alberto antiquius: *Anno Domini* 1273 *venit in Baſileam nuncius quidam ab Electoribus miſſus, dicens, ſe allaturum regem omnibus. Hic cum in Baſilea ad Comitem Rudolphum veniſſet, dixit: Electores vobis ſignificant, quod ſi volueritis filias veſtras nuptui dare talibus Dominis, in regem vos eligent Romanorum. Qui reſpondit: hæc & quæcunque alia implebo*, &c. Hæ non aliæ eligendi cauſæ fuere; nec Electoribus Rudolphi, qui ipſo Electionis momento Baſilienſem Epiſcopum propinquum infeſtabat, pietas in mentem venit, ſed alia quæ rem eorum familiarem proprie tangebant, ſi Chiffletio

Carlovingos Proceres, inertia Regum ad ſolium provectos inſolenter pronuncianti, Auſtriacos diutinæ vacationis Imperii periculo, perditione juris Principum, carnalique Electorum aliquot de connubiis anxiorum affectu ad ſolium provectos quis regeſſerit, quid contra quod hiſcat habeat?

De Alberti electione à tribus tantum Electoribus anno 1298 facta, Chronicon Colmarienſe: *civitatum cives hunc Regem deriſerunt, & ei nullatenus parere voluerunt, eique vendere neceſſaria renuerunt: Regem Adolphum pro Rege tenuerunt, & ei neceſſaria præbuerunt, fidemque ad ipſius obitum uſque tenuerunt*, &c. Albertus Argentinenſis ad eundem annum: *intenderat Princeps facere brigam Duci Auſtriæ: propter quod multi Auſtralium ſuperbiebant contra Ducem. Dixerat enim Dux: ſi Dominus meus Romanorum Rex ſtipendiarius eſt Anglici factus, & ego minore dedecore ſtipendiarius ero Franci. Plures autem Electorum Principum, & ſpecialiter Gerhardus Moguntinus, Principem ipſis æſtimantes ingratum, Duci, quod veniret ad Rhenum, nuntios & literas deſtinarunt. Dux autem timens ſe à Rege in Auſtria viſitari, allata ſecum pecunia, partes Rheni & Sueviæ eſt ingreſſus: malens in partibus conſanguineorum ſuorum potius Regi litem inferre, quam in Auſtria viſitari*, &c. *cum propter flumen EltZam exercitus ſe mutuo invadere non poſſent, oppidumque Regi aperiretur: Dux cum hoſtili exercitu Suevorum & Rhenenſium equitum deſcendens, Moguntiam venit, ibique à quibuſdam Principibus quaſi congregatis, Regemque tanquam inutilem Reipublicæ & Imperii deſtructorem deſtituentibus, in Romanorum Regem eſt electus*, &c. *Occiſo itaque Adolpho, Albertus Dux Auſtriæ occiſor, ab omnibus Principibus eſt electus, & Aquisgrani ſolenniter eſt coronatus. Quem Papa Bonifacius diu odio proſequens, & læſæ Majeſtatis crimine reum dicens, tandem ſimiliter in odium Regis Franciæ approbavit*, &c. *Iſte Albertus Rex monoculus, potens in regno Alemaniæ, & inibi filiis ſuis omnia quæ potuit attrahens, partes alias non curavit.* Ad annum 301, *orta diſcordia inter Albertum regem & Wenceſlaum Bohemum, ſuper quibuſdam terris: Albertus cum tribus millibus galeatorum, de Suevia & Rheno, & cum quinquaginta millibus Hungarorum & aliorum, Bohemiam potenter ingreſſus, eam decem ſeptimanis ignis incendio devaſtavit, ſed nullam munitionem evicit. Quo egreſſo, mortuoque poſtea Wenceſlao, & poſt eum filio ſuo, vix per annum in Bohemia regnante, in lecto fraudulenter occiſo, dictoque Rudolpho, filio Alberti, facto Rege inibi, ſine prole defuncto, ac Henrico Duce Carinthiæ genero Wenceſlai & avunculo Alberti, ſibi Bohemiæ regnum adſcribente, ſed non poſſidente: iterum Albertus Rex animo obtinendi idem regnum, Bohemiam cum potentia eſt ingreſſus. Sed Baronibus regni terram pro juniore filia Wenceſlai tenentibus, Rex infecto negotio eſt reverſus: qui iterum poſtea paratus ingredi Bohemiam, morte eſt præventus. Idem autem Albertus factus Rex, tenenſque quaſdam munitiones in Miſnia, quas & Adolphus tenuerat, miſſo exercitu & capitaneo in Miſſenam, animo capiendi Marchionatum, initoque conflictu, Fridericus Marchio victo Regis exercitu, obtinuit terram ſuam*, &c. Qui Carlovingis dicam ſcribere non dubitat, eoſque quod Zachariæ Papæ conſilio, detonſo poſtremo Merovingorum Childerico, à Francis Rege carentibus, ſuique juris factis, propter egregia in patriam merita electi ſint, uſurpati Regni infamiâ, quantum poteſt, dehoneſtat, Eccleſiamque Romanam, quæ eorum electionem cum orbe univerſo laudavit, in ſceleris partem nefarie trahit; qua fronte

Auſtria-

Auſtriacos, quorum atavus Albertus à Papa *læſæ Majeſtatis crimine reus* habitus, vix tandem *Francorum Regis odio* ab eodem pro Rege agnitus, Bohemici Regni uſurpati, Miſniæ nullo jure invaſæ, Germanici Imperii neglecti & direpti inſimulatus eſt, Carlovingis præferendos ob pietatem putet? Si enim alieni uſurpatori Romanæ Eccleſiæ magnæque Principum parti exoſo ſucceſſerunt, & ab eo ſua habuerunt, quidni Carlovingis Pippini à Francis Rege deſtitutis ob virtutes Heroicas ſitienter expetiti, ab Eccleſia Romana univerſoque orbe laudati, hæreditariis ſucceſſoribus, in quorum ſinum ſe Eccleſia Romana cum univerſa fere Europa conjecit, eoſque æternâ memoriâ dignos reputavit, in perpetuum cedant?

Quinto loco hæc ad Carlovingorum depreſſionem, Auſtriacorumque majorem, ſi Deo placet, dignitatem profert Chiffletius: *A virili ſtirpe beati Arnulphi novem duntaxat prodiere Cæſares: nempe Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Lotharius* I, *Ludovicus* II, *Carolus Calvus, Ludovicus* III, *Carolus Craſſus, Arnulphus, & Ludovicus* IV. Inſperatam adverſarii liberalitatem mirare Lector, plura quam velimus largitur. ſepteni enim, non plures, Romani Cæſares ex beati Arnulphi progenie orti ſunt; *Ludovicus* ille, quem *Tertium* vocat, ſive *Caroli Calvi* filius, qui *Balbus* dictus eſt, ſive Ludovico Germaniæ Rege natus, Carolomannique & *Caroli Craſſi germanus* reputetur, inter Cæſares nec fuit, nec computari debuit. De Ludovico *Caroli Craſſi germano* clarum eſt; quandoquidem Francorum tantum Orientalium Regnum adeptus eſt, eoque vivente *Carolus Craſſus* à Romanis Imperator ſalutatus eſt. De Ludovico noſtro *Balbo*, qui prior è vivis exceſſit, non minus liquet. ut ut enim Trecis Ioannis Octavi Papæ manu anno 878 coronatus ſit, Francici Regni à Patre anno priore derelicti, non Imperii Romani, cujus titulum nunquam ſumpſit, nunquam ab antiquo ullo audiit, coronam promeruit; eodemque anno in Conventu Furonenſi Novembr. Kalendis habito, nihil ſe in Italia poſſediſſe confeſſus eſt. *De regno*, inquit, *quod Hludovicus Imperator Italiæ habuit, quia nondum ex illo aliqua diviſio facta eſt, quicunque modo illud tenet, ita teneat, donec Domino volente ſimul venientes cum communibus fidelibus noſtris inveniamus & definiamus quod ex hoc melius & juſtius viſum fuerit.* Hæc ille ad anni 878 finem. anno vero ſequenti April. 10 in Paraſceve, antequam ulla Italicæ ditionis diviſio facta eſſet, defunctus eſt. Si Italicum à Carolomanno jam occupatum Regnum non poſſedit, quanto minus urbis ditioniſque ſubjectæ Imperium à Romanis poſt Caroli *Calvi* mortem nulli delatum poſſederit? Ludovicus Arnulphi filius à multis jamdudum in Romanorum Imperatorum ſerie poſitus, ex eorum ſententia *tertius* fuit: hinc factum, ut Ludovicus Bavarus Henrico VII ſuffectus, *Ludovicus* IV in hanc uſque diem audiret; ſed univerſorum pace dixerim falſam de Ludovico Arnulphi filio (quo in Germania & Lotharingia regnante, Italicum regnum, hinc Berengarius I, inde *Ludovicus cæcus* ſibi vindicaverunt, Imperium Romanum *cæcus* idem ad annos aliquot tenuit) nec *Imperator* revera fuit, nec à coætaneo quoquam, aut à ſeipſo inſcriptus eſt, nec rationi conſentaneum fuerit, ei, quod nunquam habuit, temere tribuere. Arnulphus Ludovici parens, cum in Berengarii I propinqui gratiam, Italicam, adverſus Guidonem à Romanis Imperatorio titulo inſignitum, expeditionem anno 894 ſuſcepiſſet, denatique Guidonis loco Lambertus Guidone natus impe- Carolomannus.

rare cœpiſſet, adverſus eum à Formoſo Papa invitatus anno 896 duxit, Romæque quam expugnaverat *Imperator* coronatus eſt; ſed paulo poſt graviſſimo languore correptus in Germaniam pedem morbidum retulit, Lambertoque ſua recuperandi occaſionem dedit. ***Realis ergo Romanorum Imperator*** ad anni 896 ſeptimanas aliquot, ***nominalis*** ad vitæ reliquum fuerit; Lambertus vero cui Ludovicus cæcus ſucceſſit ***Realis.***

Vrbis Imperatorum ab anno 800 *ad* 962 *ſeries.*

1 Carolus Magnus Hildegardis maritus Imperator anno 800 Decemb. 25 ſalutatus.

2 Ludovicus *Pius* Imperator Ermengardis ac exinde Iudithæ maritus.

3 Lotharius Imperator Ermengardis maritus.
3 Ludovicus Germaniæ Rex Emmæ maritus.
3 Giſla Everardi Forojulii Ducis uxor.
1 *nupt.* 3 Adelhais Conradi uxor.
2 *nupt.* 3 Carolus *Calvus* Ermentrudis marit. Francorum Occident. Rex, & poſt Ludovicum II Imp. & Italiæ Rex.

4 Ludovicus II Imper. Engelbergæ marit.
4 Lotharius Rex Valdradæ marit.
4 Carolomannus Rex Bajoariæ.
4 Ludovicus Rex Francor. Orientalium.
4 Carolus *Craſſus* poſt Calvum Imp.
4 Harwi Othonis Saxoniæ Ducis uxor.
4 Berengarius I Bertilæ marit. Italiæ Rex, ac exinde ab an. 915 ad 923 Imperator.
4 Engeltrudis Guidonis ex Duce Spoletano Rom. poſt Carolum Craſſum Imp. uxor.
4 Conradus Hermentrudis marit.
4 Ludovicus Balbus Francorum Occidentalium Rex.

5 Ermengardis Boſonis uxor.
5 Berta Tetbaldi uxor.
5 Arnulphus Vtæ maritus, Lamberto devicto Imperator.
5 Henricus Auceps Germaniæ Rex, Mathildis maritus.
5 Giſla Adalberti Eporediæ Marchionis uxor.
5 Lambertus Romanor. Imperat. ab Arnulpho oppugnat.
5 Rudolphus I Burgundiæ Iuranæ Rex.

6 Ludovicus Cæcus poſt Lambert. Imper.
6 Hugo Rex Italiæ, Aldæ maritus.
6 Ludovicus Rex Germaniæ.
6 Otho I Adelhaidis Lotharii relictæ maritus, Imperator anno 962 ſalutatus.
6 Berengarius II Italiæ Rex, ab Othone I debellatus.
6 Rudolphus II Berthæ maritus, Italiæ per aliquot annos Rex.

7 Carolus Conſtant. Vien. Princeps.
7 Lotharius Rex Italiæ Adelhaidis marit. prior.
7 Conradus Rex.
7 Adelhais Lotharii Italiæ Regis, ac exinde Othonis I uxor.

Poſtquam de Carlovingis Imperatoribus non quæ vera & comperta erant, ſed quæ vel ex cerebro, vel ex vulgi imperiti ſomniis hauſerat protulit, ad Auſtriacos ſeſe adverſarius Principes confert; *ex proſapia* inquit *maſculina beatæ memoriæ Erchinoaldi, jam orti ſunt Romanorum reges & Imperatores quindeni,* &c. antea *à Guntranno divite ortos quindenos Cæſares; ex Habsburgenſi linea tredenos, binos è Zeringenſi* ſcripſerat: quam vere videamus. Germaniæ reges *Imperatores*, Germaniæ regnum *Imperium* dici Franco nemini diſplicuerit: cum enim Germania Europæ univerſæ latiſſima populorumque ad arma natorum feraciſſima portio ſit, cujus dominium alteri nulli in terris obnoxium ſit, viribuſque ſuis ſolis fretum injuriæ cuivis propulſandæ

p. 42. p. 33.

ſandæ per ſe par eſſe poſſit, aliaſque multas ditiones quæ *Imperiale* ſibi nomen vindicarunt dignitate ac potentia longe ſuperet, Imperiali titulo digniſſima fuerit, ſi *Imperium Germanicum* nuncupetur, eique cum ſummo Imperio præfecti *Germaniæ Imperatores* dicantur, ſui compos nemo refragabitur. at ſi Germaniam *Imperium Romanum*, Germaniæ reges *Romanorum Imperatores* ex uſu poſteriorum ſeculorum communi quis vocet, à vero proprio priſcoque majorum ſenſu & loquendi genere longiſſime abſcedere videbitur. Nemo enim neſcit titulos illos nec veteris à Cajo Iulio Cæſare fundati, nec novi anno 800 in Caroli Magni & poſterorum gratiam reſtituti Imperii ideam referre. Vetus ſi Europam noſtram ſpectemus anno 476 funditus everſum, Rheno Orientem verſus, Danubio ad Septentrionem clauſum, Gallias, Hiſpanias, Italiam, Africam, Illyricum Occidentale & Britannias complectebatur, orbemque Occidentalem conſtituebat; quæcunque inter Rhenum Danubiumque jacebant barbarica eoque ipſo à Romanis aliena cenſebantur. Cùm igitur Germanici Imperii hodierni pars potiſſima, imo ejuſdem fere univerſa compages, in barbarico inter Rhenum & Danubium protenſo, eoque à Romanis alieno ſolo quærenda ſit, Britanniæ, Hiſpaniæ, &c. nihil Germanico ſceptro obnoxium ſit; quæcunque in Italia illud colunt, Langobardici à Germanico diverſiſſimi, pariſque, quoad jura, dignitatis fragmenta ſint Gallica Rheno propinqua, ſi Moguntinam, Wormacienſem & Spirenſem diœceſes Ludovico trans Rhenano anno 843 conceſſas, excipiamus, ex Lotharingico ejuſdem cum Franciæ Orientalis & Occidentalis regnis ordinis ac meriti deciſa ſint, quis *Romanum* id in quo antiqui *Romani* fere nihil eſt dici non ſtupeat? Si novum Caroli Magni temporibus ejuſque ac poſterorum gratia anno 800 deſinente à Romanis conditum Imperium ſpectemus, non minor difficultas occurret; quidquid enim initio regni in Gallia à Pyrenæo totaque Germania poſſedit, poſtque annum 778 ab Ibero ad Pannonias ditioni avitæ adjunxit, Francici regni jure tenuit, Italica univerſa præter Romanam ditionem ab anno 774 regni Langobardici titulo inſignita ſub manu habuit, Romanam ditionem anno 774 ad 800 ſub *Romani patritiatus* titulo, poſt annum 800 ſub *Romani Imperii* nomine ſibi poſteriſque ſuis vindicavit, qui Francorum & Italiæ regna ab Imperio *Romano*, tanquam heterogenea, conſtanter ſejunxerunt: etiamſi nonnunquam Imperium illud uni eidemque Principi, cum Francico Italicoque regnis ſubeſſe, ejuſque *Imperium* ſeu ditionem ex pluribus dominiis conflatam conſtituere contingeret. Cum igitur nihil ab anno 1125 & quod excurrit in Romana ditione, quæ ſola ſub Carlovingis ejuſdem potentibus *Imperium Romanum* dicebatur, cujuſque unius gratia ab anno 800 ad 1125 quotquot in Germania, Gallia, Italia, *Imperatores* audierunt *Romani Imperatores* dicti ſunt, Germanicorum regum ullus poſſederit aut nunc poſſideat; imo ſi Romanam ditionem quæ Caroli Magni & poſterorum ætate *Imperium Romanum*, nunc *ſancti Petri patrimonium* proprie dicitur, Germanicorum regum quiſquam adeat, ibi hoſpitis in alieno, non domini in proprio territorio verſantis more agat, quodque de Lothario Henrico v ſuffecto ſcriptum eſt, palamque omnibus Romam inviſentibus propoſitum præſtare ante omnia teneatur.

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores:
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam.

Hac

Hac lege à Romanis admiſſus Lotharius, non dominium urbis adjacentiſque territorii, quod alterius erat, ſed nudum mutuatitiumque dominii realis, quod penes Carlovingos Principes fuerat, nomen adeptus eſt; nec regni Italici, quâ jam redimitus erat; aut Romani, quod ſibi Innocentius II retinebat, poteſtatem, ſed ſolam Coronam titulumque, re ſuâ vacuum, conſequutus eſt. Diverſa ſequentium ſors non fuit; Conradus III à Romanis ſeſe dedere & Pontificis jugum excutere paratis his verbis invitatus:

Otto Friſingenſis de geſt. Frid. I. Imp. lib. I c. 28.

Rex valeat, quicquid cupit obtineat, ſuper hoſtes
Imperium teneat, Romæ ſedeat, regat orbem,
Princeps terrarum, ceu fecit Iuſtinianus,
Cæſaris accipiat Cæſar, quæ ſunt ſua Præſul,
Vt Chriſtus juſſit Petro ſolvente tributum.

præbere aures abnuit; quinimo venientes ad ſe ex parte Rom. Eccleſiæ viros magnos & claros, quorum unus Guido Piſanus ejuſdem Curiæ Cardinalis & Cancellarius erat, renovationemque antiquorum privilegiorum ſuorum poſtulantes, honorifice ſuſcepit & honeſte dimiſit. Quo facto Cæſarem agere & Romæ Iuſtiniani exemplo jura dare ac ſedere recuſans, ſibi nihil in eâ ſubjectaque ditione veri dominii ſupremiq; Imperii, quod univerſum in Eccleſiam Romanam tranſlatum volebat, reliquum fecit. Fridericus Ahenobarbus ei anno 1152 ſuffectus, cum *anno 1152 promiſiſſet quod pro viribus laboraret Romanos ſubjugare domino Papæ*, & poſt Langobardiam ſubactam ejuſdemque ſolium inſeſſum Romam adeundi conſilium ſumpſiſſet, hæc à Romæ dominii Pontificii impatientis delegatis audiit; *Orbis imperium affectas, coronam præbitura gratanter aſſurgo, jocanter occurro. Cur enim ſuum viſitaturus populum non pacifice adveniret, non glorioſâ munificentiâ reſpiceret, qui indebitum clericorum excuſſurus jugum, ipſius magnâ ac diutinâ expectatione præſtolatus eſt adventum?* &c. *Tali rector Auguſti ſicut nomine, ſic induatur & gloriâ. Non ſibi nudum imperium veniſſe*, qui indignabundus reſpondebat, ſibi *nudum* revera *Imperii nomen* obveniſſe continuo poſt ſenſit: Româ enim excluſus armato milite ſuburbium, ut ibi tuto conſiſtere tantiſperdum coronationis ſolenne peragereturpoſſet, complere coactus eſt; *munitionem* (inquit Otho) *in poteſtate ſua Pontifex detinebat.* & paulo poſt Adriani Papæ verba refertus; *Maturato præmittantur fortes & gnari de exercitu juvenes, qui Eccleſiam beati Petri, Leoninumque occupent caſtrum: in præſidiis equites noſtri ibi ſunt, qui eos cognitâ voluntate noſtrâ, ſtatim admittent.* Ex his verbis jam conſtare poterat Fridericum non ut Dominum, ſed ut advenam, Romam, cujus Adrianus Papa eum admiſſurus potens erat, commeare. idipſum magis ac magis eventus comprobavit: *Rex caſtra movens, armatus cum ſuis per declivum montis Gaudii deſcendens, eâ portâ quam auream vocant, Leoninam urbem, in qua beati Petri Eccleſia ſita noſcitur, intravit,* &c. *Mox Princeps ad gradus Eccleſiæ beati Petri veniens, à ſummo Pontifice honorifice ſuſceptus ac uſque ad confeſſionem beati Petri deductus eſt. Dehinc celebratis ab ipſo Papa miſſarum ſolennibus, armato ſtipatus rex milite, cum benedictione debita Imperii coronam accepit, anno regni ſui 4 menſe Iunio 14 Kalendas Iulii,* &c. *Interim à ſuis pons, qui juxta caſtrum Creſcentii ab urbe Leonina uſque ad ingreſſum ipſius extenditur Vrbis, ne à furente populo celebritatis hujus jucunditas interrumpi poſſet, ſervabatur. Peractis omnibus, Imperator cum coronâ ſolus equum phaleratum inſidens, cæteris pedes euntibus, per eandem qua introierat*

lib. 2 c. 21.

rat portam,ad tabernacula quæ ipſis muris adhærebant,revertitur: Romano Pontifice in palatio quod juxta Eccleſiam habebat remanente. Dum hæc agerentur, Romanus populus cum Senatoribus ſuis in Capitolio convenerant. Audientes autem Imperatorem ſine ſua adſtipulatione coronam Imperii accepiſſe, in furorem verſi, cum impetu magno Tyberim tranſeunt, ac juxta Eccleſiam beati Petri procurrentes, quoſdam ex ſtratoribus, qui remanſerant, in ipſa ſacroſancta Eccleſia necare non timuerunt. Clamor attollitur. Audiens hæc Imperator, militem ex æſtus magnitudine ſitiſque ac laboris defatigatione recreari cupientem, armari jubet. Feſtinabat eo amplius, quo timebat furentem plebem in Romanum Pontificem Cardinaleſque irruiſſe. Pugna conſeritur ex una parte juxta caſtrum Creſcentii cum Romanis, ex altero latere juxta piſcinam cum Transtybe- c. 23. *rinis,*&c. *Romani tandem coguntur cedere,* &c. *Finito tam magnifico triumpho Imperator ad caſtra rediit, ibique & ſe & ſuis, feſſa lectulis recipientibus membra, nocte illa conquievit. Altera die cum mercatum à civibus amaricatis habere non poſſet, laborantem ciborum inediâ militem ad ſuperiora duxit, ac pauliſper ad campi planitiem procedens, tentoria locavit,* &c. *Princeps dolens ac nolens,ſuiſque tantum morem gerens,ad vicina montana transferre cogitur tabernacula. Itaque proximum aſcendens Apenninum ſuper Nar fluvium Rex tentoria fixit,circa Tyburtum à Romano Pontifice relictis ſibi captivis,diviſus.* Cum poſtea Romam ante annum 1167, eam fruſtra obſeſſurus non redierit, cives adeo immorigeros ut ipſi *mercatum denegarent* expertus fuerit, à Papa, eum in proprio palatio excipiente, nihil præter benedictionem cum ſolenni Coronæ impoſitione conſequutus, poteſtate in Romanos Romanamque ditionem tam vacuus quam acceſſerat Langobardiam repetierit,cum Romano Imperio proprie dicto caruiſſe nemo non videt. Si autem caruit,quî in alium tranſmiſerit?

De Henrico VI ejus filio res clara eſt. Godefridus S. Pantaleonis apud Coloniam Monachus ad annum 1191: *Henricus in Apuliam ducens exercitum, Romæ in Imperatorem, & Conſtantia uxor ejus in Imperatricem ſecundâ feriâ Paſchæ conſecrantur. Quæ conſecratio procedere non potuit, donec Imperator caſtrum Tuſculanum in poteſtatem Papæ & Romanorum contradidit: quod illi ſtatim expulſis & cæſis habitatoribus deſtruxerunt: erat enim inimicum eis, eo quod omne munimen Imperatoris contra ipſos in illo conſtabat.* Si Henricus hac unâ conditione Coronam nomenque Imperatoris promeruit, ut Tuſculum ſibi fidum Romaniſque infeſtum, ne quid Romani periculi ab eo, quod tanquam ſervitutis ſuæ inſtrumentum exhorrebant, deinceps experirentur, diruendum tradere coactus eſt: quid ſibi poteſtatis quâ coercerentur, retinuerit, aut quid urbis ſubjectæque ditionis univerſo dominio excuſſus à Papa Romaniſque præter nudum nomen & inſigne, re ſua vacuum, obtinuerit? nihil eo denato in Italia vel movit vel adeptus eſt Henrici Germanus Philippus, quem Romanæ Eccleſiæ exoſum, perpetuiſque in Germania bellis, adeo ut ſpirandi vix libertas eſſet, exagitatum nemo neſcit. Otho IV ejus æmulus nihilo felicius egit. Godefridus idem ad annum 1209: *Otto Rex Italiam cum magno apparatu intravit, ubi Principes totius Longobardiæ ei occurrentes cum gloria ſuſceperunt, civitates & caſtella ejus dominio ſubdiderunt, infinitam pecuniam vectigalium & tributorum à temporibus Henrici Imp. reſervatam tradiderunt. Poſt hæc Romam progreſſus, occurrente ſibi Papa cum Cardinalibus & Senatu cum honore ſuſcipitur, & ſequenti Dominica poſt feſtum*

S. Michaëlis Archangeli, id eſt XII *Kal. Octob. in Eccleſia majori S. Petri Apoſtoli in Imperatorem conſecratur: quo conſecrato oritur inter eos controverſia propter Marchiam Domnæ Methildis,* &c. *quæ ad ſenilem perveniens ætatem circumventa à Papa, tunc temporis Marchiam Imperium attinentem, quam regebat, magiſtratibus & poteſtatibus inſciis & inconſultis, beato Petro tradidit: quæ tamen poſt mortem ejus ab Imperatoribus ſedi Apoſtolicæ ablata, & Imperio reſtituta eſt. Hanc ergo terram Papa ante conſecrationem ſibi reſtitui poſtulans, Imperator ut novus homo & rei neſcius annuit & promiſit; ſed poſt conſecrationem à magiſtratibus & poteſtatibus revocatus & prohibitus, minime reſtituit.* Et ad annum 1210: *Novus Imperator in Italia commoratur, quæ ordinanda & diſponenda per provincias & civitates erant, ordinans & diſponens: Apuliam etiam Imperio reſtituere volens, quam Siculus à Papa in feudo ſe tenere affirmabat, quam etiam quidam Rutgerus nomine quondam Imperio vi ablatam invaſerat. Exercitum ſatis copioſum per quoſdam primores terræ illius in eam tranſmiſit, quos poſtea ſubſequutus juxta Capuam commoratur. Hinc graviſſimæ diſcordiæ inter Papam & ipſum oriuntur. Imperator à Papa excommunicatur.* Cum honore à Papa Cardinalibus & Senatu ad urbem Leoninam occurrentibus in ſuburbio Princeps, ſua tradere quam recipere, alios colere quam Dominum agere paratior, excipiebatur. Cum autem benedictionem Papalem cum Corona & titulo Imperiali promeriturus, Marchiæ propriæ ditionis poſſeſſione cedere coactus, ubi ad mentem rediit, Papæ odium incurrerit, Apuliamque ſibi vindicare conatus ab eodem excommunicatus fuerit, nihil eum veri in Romanos dominii conſecutum meridiana luce clarius eſt. Fuerit ergo *Romanorum Imperator* non *ſecundum eſſe*, ut phraſi Scholarum utamur, quandoquidem nec Romam nec ditionem ſubjectam, quæ à Caroli Magni temporibus *Imperium Romanum* proprie conſtituebat tenuit, ſed *ſecundum dici* tantum.

Godefrid.

Friderici II Henrico VI nati eadem quæ proxime præcedentium ſors fuit, anno 1220 *à Romano Pontifice Honorio & omni Senatu honorifice ſuſceptus, in feſto ſanctæ Ceciliæ in Imperatorem conſecratus fuerat.* an ut Romæ imperaret? Imo Romam Romanamque ditionem intactam Pontifici reliquit, nec ante annum 1228 in Papam inſurgens eam invadere conatus eſt. tunc enim Matthæo Pariſienſi teſte, *Imperator excitavit contra dominum Papam & Romanæ Eccleſiæ patrimonium ſeditionem graviſſimam: Invadens ejus civitates, & occupans ejus caſtella,* &c. *per idem etiam tempus, populus Romanus in Papam Gregorium ſeditionem excitavit; & in ſolemnitate Paſchali illum ejecerunt, ab inſequentes eum uſque Viterbium caſtellum ſuum; ubi fortiter invaleſcentes, fugaverunt eum uſque Peruſium,* &c. Vnde apparet Romanos non Friderico ſed Papæ ante ſeditionem paruiſſe, ipſumque Papale patrimonium Peruſium uſque occidentem verſus protenſum fuiſſe; adeo ut iidem tunc *patrimonii* qui olim *Imperii Romani*, ſub Carolo Magno & poſteris, fines fuerint. Lite nova inter Fridericum Romanamque Eccleſiam ſuborta, cum rurſus in Romanorum fines impreſſionem feciſſet, Viterbiumque occupaſſet, *pro* ejus *miniſtris nimis cives opprimentibus, ipſa tota civitas, cum partibus adjacentibus*, anno 1243 *converſa eſt ad Romanos, qui partes Papæ confovebant,* &c. *ad Reinerum Viterbienſem Cardinalem confugerunt, ut ipſius auxilio & conſilio Romanis confœderarentur, & ſopito antiquo odio, ex tunc in antea gens una forent, ut in hoſtes conſurgerent fortiores, & preſſuras Imperiales*

In ipſo patrimonii ſeu Imperii Romani Carolini Occidentali limite.

riales tutius evitando declinarent. Diligenter igitur procurante Reinero memorato, ſubito & clam elaboratum eſt, ut adventantes Romani in multitudine graviſſima, omnes cuſtodes Imperiales prudenter occupantes, incarcerandos Romam captos & captivos reduxerunt, inito pacis fœdere inter Romanos & Viterbienſes: & in loco Imperialium Magiſtratuum, in caſtrorum turribus, & in locis munitis, ſuos fideles tam Romanos quam Viterbienſes ſubrogarunt: ita ut penitus Imperatore contempto, Romani Viterbienſes, & Viterbienſes Romani viderentur. Quo audito, Imperator tactus doloris aculeo, cum impetu maximo & manu armata innumerabili, conatus eſt adimplere foſſatas doliis, ceſpitibus, ſtipitibus & aggere terreſtri, ut violenter intrans omnes ſtatim trucidaret. Cives autem videntes rem agi pro capite, conatus hoſtium viriliter inferius repulerunt, & ex adverſa parte, adventantes Romani cum innumerabili multitudine, propoſitum Imperiale potenter caſſaverunt. Et facto congreſſu hoſtili, multi ex parte Imperatoris ceciderunt. Inſuper quidam miles egregius ex parte Imperatoris, armis ipſius ſpecialibus decoratus, ſpiculo baliſtæ transfoſſus miſerabiliter expiravit, Imperatore nimium condolente. Et cum illo caſu inimici ejus exultantes, clamorem exultationis levaſſent, credentes ipſum Imperatorem interiiſſe, affuit Imperator præviis tubicinibus ſuis, & vix ab impetu adverſariorum exercitum ſuum liberavit, ex adverſo ante expectatum venientium. Et cedendo ſe verſus partes Piſanorum recepit, ut fortior poſtea reſpiraret, in ſuos rebelles inſurgendo. Sed ſuorum defectionibus & anathematis novo fulmine perculſus, quod animo verſabat implere nunquam potuit. Eo extincto Conradus filius, cum Guillielmo æmulo commiſſus, in ſuis tutandis ad ipſum vitæ exitum laboravit, nec de Pontificia ditione occupanda, aut Imperiali nomine & corona ſumendis, vel ad momentum cogitare potuit. Guillielmus ei ad biennium ſuperſtes nec Italiam vidit, nec in ea Conradi parte turbata quicquam movit: Idipſum de Richardo & Alphonſo jure dixerimus: quorum hic nec Germaniam, nec Italiam adiit; ille effuſis in Germania, quos ex Anglia detulerat, theſauris, domum ſpretus ac neglectus redire coactus eſt: nec Italica vel minimo digito attigit. Suffectus tandem Rudolphus Habsburgius, de quo anno 1291 denato hæc Henricus Stero notavit; *mortuus eſt Rudolphus Romanorum Rex ſine benedictione Imperiali, & apud Spiram Alſatiæ civitatem ſepultus fuit, regnavitque annis* XVII, *& Alemanniam & Italiam non intravit.* Cum non intraverit, imo abſens accepto à Langobardicis aliiſque civitatibus pretio regni jura infringi paſſus fuerit, quî de revocando ſub poteſtatem Imperio Romano Carolino jamdudum ab Eccleſia Romana occupato cogitaverit? à Carolo IV, quem Maximilianus I tanquam peſtem averſatus eſt, Regni tam Germanici quam Italici jura magis ac magis imminuta ſunt, nec poſtea, quæ ipſe alienaverat regalia, à ſucceſſoribus recuperata ſunt. Cum igitur Romani Imperii, proprie à Caroli Magni temporibus dicti, nunc vero patrimonii S. Petri titulo inſigniti, nihil Rudolphus poſſederit, Romani Imperatoris nec Nomen nec Coronam à Rom. Eccleſiâ conſequutus ſit; nihil præter ea quæ poſſederat ad ſucceſſores tranſmiſerit aut tranſmittere potuerit; unicus ex ejus poſteris Fridericus III Romæ à Pontifice coronatus, ibi ad paucos dies, ut externus & advena in alieno conſiſtens, moratus ſit; Carolus ipſe quintus Friderici pronepos anno tantum 1527 ad paucos menſes, quibus Pontificem cum tota Curia & Vrbe

ſub poteſtate habuit, Romæ potens fuerit, idemque violento & hoſtili dominatu ſponte abdicato, Clementem VII Papam in integrum reſtituerit, à quo anno 1530 Febr.24 feria 5, non Romæ, ne quid realis in Romanos ſubjectamque ditionem poteſtatis conſecutus videretur, ſed Bononiæ, urbe Pontificia longe extra fines Romani Imperii Carolini poſità diademate redimitus eſt: eum Romanorum Imperatorem nominalem tantum factum fuiſſe liquet. Anno certe 1536 ex Africa redux Romam, non ullâ poteſtate functurus, non in domicilio proprio ſedem fixurus, non Domini partes ullas obiturus, ſed actoris adverſus Franciſcum I munia executurus, & in alieno tantiſperdum ibi hæſit conſtiturus, adiit. Nullus exinde Germanicorum Imperatorum vel Italicum iter aggreſſus eſt, vel Coronationem Pontificiam promeruit, vel paſſu pedis in Italico regno auctior factus eſt, vel veri dominii quidpiam in urbe totoque patrimonio, quod antea Imperii Romani titulum geſtaverat, ſibi quæſivit. Cum non quæſiverit, cur de Imperatoris Romani nomine, re ſua prorſus vacuo, & ad alium à ſeculis multis pertinente, ſibi blandiantur, aut palponibus de mero rationis ente, aut accidente ſine ſubjecto, digladiari, invidiamque facere amantibus faveant?

Vt aſſertæ à nobis bona fide veritatis lux lectorum quorumcunque oculos fortius feriat, noſtram de Imperio Romano proprie ab annis octingentis dicto ſententiam, velut in pugnum contractam, argumentis aliquot muniemus;

1 Hanc unam, quam Romani dare poterant ditionem, ab iis Carolus Magnus accepit, & ſub Imperii Romani titulo poſſedit: unam Vrbis ſubjectæque regionis ditionem Romani dare potuerunt: ergo unam Vrbis ſubjectæque regionis ditionem à Romanis Carolus Magnus accepit, & ſub Imperii Romani titulo poſſedit.

2 Quorum nullum in Langobardiam & Germaniam jus fuit, ii Langobardicum nihil aut Germanicum Carolo Magno dare potuerunt; Romanorum nullum in Langobardiam & Germaniam jus fuit; Ergo Romani Langobardicum nihil aut Germanicum Carolo Magno dare potuerunt.

3 Quam ditionem longe poſt Francicum, continuo poſt Langobardicum regnum Carolus Magnus à Romanis accepit, quamque à Francico & Langobardico regnis conſtanter ſejunxit, ejuſque exemplo alii, ea nec Francicum, nec Langobardicum Regnum fuit, nec regnorum illorum quicquam complexa eſt. Vrbis ſubjectæque regionis ditionem longe poſt Francicum, continuo poſt Langobardicum regnum Carolus Magnus à Romanis accepit, eam à Francico & Langobardico regnis conſtanter ſejunxit, & ejus exemplo alii. Ergo Vrbis ſubjectæque regionis ditio nec Francicum, nec Langobardicum regnum fuit, nec regnorum illorum quicquam complexa eſt. Revera Carolus Magnus, Pippini patris exemplo quidquid ab anno 768 ad 773, regio jure tenuerat ſub *Francorum regni* titulo poſſedit: Vbi regno Langobardorum everſo Romam conceſſit, ibidemque *patriciatus* laudes audivit, ſe *Francorum ac Langobardorum Regem patriciumque Romanorum*, ab anno 774 ad 800 conſtanter inſcripſit: anno vero 800, quo deſinente *Imperator* primum ſalutatus eſt, mutato titulorum, quorum rem illibatam ſervabat, ordine, *Imperatorem Romanorum Auguſtum Francorumque ac Langobardorum Regem*, ad ipſum vitæ finem ſemet, prout ex chartis ejus conſtat, nuncupavit.

pavit. Carolus etiam *Calvus* ejus exemplo, Carolus *Craſſus*, poſt *Calvum* & Otto I *regnorum* ſuorum annos ab *Imperii* Epocha diſtinxerunt, ut aliud *regna*, aliud *Imperium*, quod regnantibus accreverat, fuiſſe, nec permiſceri à quoquam debuiſſe confirmarent. Idipſum ex Caroli V diplomatis à Chiffletio Alſatiæ vindicatæ p. 59. commentarii Lotharienſis p. 31 prolatis, ut & Ferdinandi I commentarii ejuſdem Lotharienſis p. 32, Rudolphi II commentarii ejuſdem p. 45, Matthiæ p. 47, Ferdinandi II p. 48, vel ad plenum, vel ex parte incertis. cum enim hi univerſi *Imperium Romanum*, cujus re carebant, à Germanico regno, cujus potentes erant, reipſa diviſerint, aliud *Imperium*, aliud *regnum Germanicum* fuiſſe confeſſi ſunt, nec tantum communi abuſui permiſerunt, ut diverſiſſimorum confuſioni locum darent; quod obiter ad pleniorem veri elucidationem notandum venit; ſed alia ejus firmamenta ex rerum ipſarum natura, ipſoque uſu ac rationis lumine petita, jam promenda ſunt, ut Caroli Magni ac poſterorum *Imperium Romanum* Germanicum nihil complexum fuiſſe, ſolaque urbis & regionis ſubjectæ ditione conſtitiſſe, certo certius appareat.

4 Quale quantumque Caroli Magni, quod à Romanis acceperat, *Imperium Romanum* fuit, tale tantumque à Carolo ad poſteros ſub *Imperii Romani* titulo tranſmiſſum eſt. Vna urbis ſubjectæque regionis ditio Caroli Magni, quod à Romanis acceperat, *Imperium Romanum* fuit. Ergo una urbis ſubjectæque regionis ditio à Carolo Magno ad poſteros ſub *Imperii Romani* titulo tranſmiſſa eſt.

5 Qua ditione fere univerſa Lotharius, univerſa Ludovicus II, Carolus *Calvus*, Carolus *Craſſus* ab anno 880 ad 883, Guido, Lambertus, Ludovicus *Cæcus*, & Berengarius I reales ac veri Romanorum Imperatores (utpote Romæ Romanæque ditionis potentes caruerunt) ea nec *Imperii Romani*, nec *Imperium Romanum* fuit, aut eſſe potuit. Germaniæ regno, quod *Auſtriacorum* Principum ab anno 1273, proprie *Imperium* eſt, fere univerſo Lotharius, univerſo Ludovicus II, Carolus *Calvus*, Carolus *Craſſus* ab anno 880 ad 883, Guido, Lambertus, Ludovicus *Cæcus* & Berengarius reales ac vere *Romanorum* Imperatores (utpote Romæ Romanæque ditionis potentes caruerunt.) ergo Germaniæ regnum, nec *Imperii Romani*, nec *Imperium Romanum* fuit, aut eſſe potuit.

6 Quæ ditio tota extra Caroli Magni poſterorumque *Imperium Romanum* poſita eſt, ea nec *Imperii Romani*, nec *Imperium Romanum* eſſe, aut dici legitime poteſt. Imperatorum hodiernorum ditio tam Germanica quam Italica tota extra Caroli Magni poſterorumque *Imperium Romanum* poſita eſt. Ergo Imperatorum hodiernorum ditio tam Germanica quam Italica nec *Imperii Romani*, nec *Imperium Romanum* eſſe, aut dici legitime poteſt.

7 Qui Romam Romanamque ditionem, qua una Caroli Magni & poſterorum *Imperium Romanum* conſtitit, ſive coronæ ſumendæ, ſive alia de cauſa ab anno 1273, ad hanc uſque diem adeuntes, in ea ut hoſpites in alieno vixerunt, nullumque in Romanos & circumpoſitæ regionis populos *Imperium* habuerunt, ſed Eccleſiæ Romanæ ſupremum in temporalibus dominium agnoverunt, ii *Romanorum Imperatores* nec re ipſa fuerunt, nec dici, niſi abuſive admodum potuerunt. Germaniæ *Imperatores* Romam Romanamque ditionem, qua una Caroli Magni & poſterorum *Imperium Romanum* conſti-

tit, ſive coronæ ſumendæ, ſive alia de cauſa, ab anno 1273 ad hanc uſque diem adeuntes, in ea ut hoſpites in alieno vixerunt, nullumque in Romanos & circumpoſitæ regionis populos *Imperium* habuerunt; ſed Eccleſiæ Romanæ ſupremum in temporalibus dominium agnoverunt. Ergo Germaniæ *Imperatores* Romam Romanamque ditionem, qua una Caroli Magni & poſterorum *Imperium Romanum* conſtitit, ſive coronæ ſumendæ, ſive alia de cauſa, ab anno 1273 ad hanc uſque diem adeuntes, *Imperatores Romanorum* nec re ipſa fuerunt, nec dici niſi abuſive admodum potuerunt. Eos certe nec præfectos Romanis dare, nec ab urbis plebe tributa exigere, nec legibus eam coercere potuiſſe, aut nunc poſſe conſtat: eos etiam quotieſcunque Romæ verſati ſunt, Romanæ Eccleſiæ temporale dominium coluiſſe, ejuſque dicto audientes fuiſſe, ſex fere ſeculorum hiſtoria comprobavit. ſi qui eos *Romanorum Imperatores* nuncupandos putent, unum idemque eſſe velint parere & dominari, ſervire & imperare, tamque rerum, quam vocabulorum chaos introducere in animum inducant, ſuo eos judicio frui ſinemus, quodque res ipſa exigit ut ſentire ſic loqui officii noſtri eſſe ducemus.

8 Quam ditionem regni Francici in Germania, Langobardici jure in Italia, Carolus Magnus ejuſque poſteri poſſederunt, nec *Romanum* nec *Romani Imperii* proprie fuit unquam aut dici debuit, ſed vel Francica in Germania vel Langobardica in Italia tantum, univerſam *Imperatorum* hodiernorum ditionem *regni Francici in Germania*, Langobardici jure in Italia, Carolus Magnus ejuſque poſteri poſſederunt. Ergo univerſa *Imperatorum* hodiernorum ditio, nec *Romana* nec *Romani Imperii* proprie fuit unquam aut dici debuit; ſed vel Francica in Germania, vel Langobardica in Italia tantum: quandoquidem ditio eorum Germanica *Francici regni* ſub Pippino, Carolo Magno, &c. à Pyræneo ad Pannonias protenſi, portio Orientalis fuit, Italica vero tota Langobardici regni membris aliquot conſtat.

Fuerint ergo hodierni Germani *Imperatores* proprie & ex uſu veterum loquendo *Franciæ Orientalis reges*, quorum majoribus cum *Romani Imperii* ſeu dominii temporalis in urbem regionemque ſubjectam titulus cum reali ditionis titulo, illo deſignatæ, poſſeſſione aliquandiu accreverit; adeo ut tam vere *Romanorum Imperatores*, quam *Francorum reges* dicerentur: poſtquam urbis regioniſque ſubjectæ temporale dominium, cum ſupremi Imperii jure ad Eccleſiam Romanam devolutum eſt, qui eo exciderant realeſque *Romanorum Imperatores* eſſe facto ipſo deſierant, Imperiale nomen quantumvis inane ſactum invadere, quam Eccleſiæ Romanæ, cujus unius erat & uſque nunc eſt, relinquere maluerunt. Nos vero qui de vocabulis litigandum nunquam putavimus, abuſumque quem non inveximus ferre, ſi modo veritati non officiat, parati ſumus, res ipſas ludificatoriis ambiguorum & in alienum ſenſum detortorum vocabulorum, fucis deterſis ſpectare ſpectandaſque aliis proponere, meliora compertioraque docentibus cedere, nullique vel minimo quidquam quod vere ſuum reputet, detrahere certi.

Tantiſperdum quid de inveterato àbuſu ſtatuendum Europa univerſa putet expectamus, Auſtriacæ gentis Principes ullos Romanorum Imperatores reales fuiſſe, pro jure noſtro negaturi, ex iiſdem non tredecim, ſed duodecim tántum Germaniæ ſeu Franciæ Orientalis reges, aut ſi quis nomen illud præoptet, Imperatores fuiſſe, ſponte fatebimur. Decimum tertium quem

nobis

nobis obſtinate Chiffletius obtrudit, etiamſi velimus, admittere nos vetat abdicationis cui anno 1325 Martii 13 obtruſus ipſe ſubſcripſit inſtrumentum. cum enim regium nomen depoſuerit, nec exinde Regibus à propinquis accenſitus ſit, à nobis qui ſanum eorum judicium exoſculamur accenſeri non debet, nec Chiffletio aut alii cuiquam de eo aliter quam ipſe ſtatuit, pronunciare licuerit.

De Bertoldo IV Zaringiæ Duce, an regibus à Chiffletio annumerandus fuerit nunc diſquirendum eſt. Godefridus S. Pantaleonis apud Coloniam Monachus, qui eadem ætate vivebat & comperta ſcribebat; *anno Dominicæ Incarnationis* 1198 *werra magna & diſſenſio nimis timenda oritur inter Principes Teutonicos de Imperio. Nam Colonienſis & Trevirenſis Epiſcopi electionem regis, ſui juris eſſe firmantes, habito conſilio apud Andernacum cum Bernhardo Duce Saxoniæ, & aliis Epiſcopis & Comitibus & nobilibus plurimis, curiam omnibus Principibus in Colonia habendam præfigunt in Dominica Oculi mei,* (Mart. 1.) *evocantes eodem & Ducem Zaringou Bertolſum, quem ipſi etiam deliberaverant Regem creare. Ad quam Curiam cum pauci occurrerent, & ideo tale negotium ad effectum non poſſent perducere, nunciatur eis Orientales Marchiones cum Duce Saxoniæ Bernhardo, & Magdaburg Archiepiſcopo & aliarum ſuperiorum partium Principibus, ad electionem novi regis Erpford conveniſſe. Qui mox Herimannum Monaſterienſem Epiſcopum, & alios honoratos viros, ad eoſdem qui convenerant Principes miſerunt, rogantes, ne abſentibus eis aliquam electionem celebrarent, ſed ad aliquem denominatum locum eis occurrerent, electuri cum eis idoneum & dignum Deo Imperatorem & Advocatum Eccleſiarum. Dum ergo jam dicti nuncii ad eandem curiam veniſſent, cognoverunt illos in Philippum Ducem Sueviæ Imperatoris fratrem concordaſſe, & eum in regem elegiſſe. Vnde moti redierunt, & prædictis Epiſcopis quæ facta fuerant retulerunt. Qui vehementer indignati, eo quod nunquam aliquis Rex in Saxonica terra electus ab his Principibus fuiſſet, mox Duci Bertolfo de Zaringon fidem fecerunt, quod ipſe repatrians exercitum ſecum duceret, & ſtatuto ſibi die Andernacum rediret, eum ibi remota omni dubitatione Regem crearent. Deſignato igitur die cum apud Andernacum ab Epiſcopis & omni multitudine cum apparatu & deſiderio maximo expectaretur, ecce rumor peſſimus & ejus ignavia dignus intonuit; ipſum ſcilicet cum Duce Sueviæ concordaſſe, & ut ipſe regno & electioni renunciaret* XX *millia marcarum & Ducatum ab eo accepiſſe. Hic ergo rumor & inhoneſtus eventus primores inferiorum partium graviter afflixit, eo quod indignum ſibi & intolerabile videretur, ſi contra ſuam voluntatem Philippus Dux regnaſſet. Conſtat tamen quod ipſe nuncios ad Archiepiſcopum Colonienſem cum precibus tranſmiſit, multa offerens, ſed plura promittens, ſi ad ſuam electionem animum vellet inclinare. Sed Epiſcopus hoc ſibi tutum non credens vel honeſtum, hæc facere penitus recuſavit; habitoque conſilio Ottonem Comitem Pictaviæ filium Henrici quondam Ducis Saxoniæ in Regem eligit.* Hæc ille: ex quo uno quicquid de Bertholdo habuit aut habere potuit mutuari ipſum neceſſe fuit: quandoquidem nec Chronica Auſtralis, nec Auguſtenſis, nec vetus Fragmentum Hiſtoricum Alberto Argentinenſi præfixum, nec Chronicon Elwangenſe Bertholdi meminerunt. Cum autem qui ſolus ejus nomen hiſtoriæ ſuæ inſeruit, *non electum, ſed de eligendo* à Colonienſi, Trevirenſi aliiſque factionis ejuſdem *deliberatum*; ab alia Principum parte,

quæ

quæ prioris conſilia disjecit, *Philippum Suevorum Ducem reipſa electum*; à Colonienſis factione, quæ Philippi electionem improbabat, Bertholdum novis promiſſis delinitum & evocatum, à Berthbldo ipſo, qui argentea Philippi pluvia perfuſus evocationem ſprevit, univerſa Colonienſis molimina adeo interturbata fuiſſe, ut abjectâ omni de Bertholdo ſpe, ad Ottonem, Henrico Saxoniæ Duce natum, inclinare cogeretur, diſerte narret, nullam Bertholdi proprie dictam electionem fuiſſe, ſed eum à nonnullis Suevicæ genti infenſis regno dignum viſum fuiſſe confirmat. Eum tamen revera *electum* fuiſſe, idque conſentiente ſcriptorum univerſorum calculo comprobari poſſedemus; an protinus Rex Chiffletii exemplo pronunciandus fuerit, qui non modo eligentibus non conſenſit, ſed regio nomine palam repudiato Philippum, cui æmulus deſtinabatur, coluit, eique tanquam vero Regi ſe ſuaque addixit? Si cuiquam regnum oblatum fuiſſe, aut ſuffragia ad regnum conſequendum promiſſa eſſe ſatis ſit, ut is qui promiſſis illis delinitus fuerat Rex habeatur, & in Regum ſerie collocetur: quo judicio Chiffletius qui hæc originis Auſtriacæ p. 35, de Alberto Archiduce anno 1621 denato ſcripſit, *Albertus Pius Archidux Auſtriæ, Dux & Comes Burgundiæ, Princeps Belgarum, Imperii Romani diadema à Ioanne Swichardo, Moguntinenſi Archiepiſcopo, aliiſque Principibus Electoribus bis oblatum* (*nempe poſt Rudolphi* II, *& mox poſt Matthiæ Aug. fratrum ſuorum obitum*) *modeſte recuſavit*, &c. clariſſimæ memoriæ Principis cui longe plus annis 1612 & 1619, quam Bertholdo Duci anno 1198 delatum eſt, quique bis ab Electoribus univerſis quod Bertholdus ſemel à duobus audierat, modeſte repulit, ex Imperatorum Germanicorum albo expunxit. Si Bertholdus regibus quià regno dignus ſemel à paucis iiſque factioſis habitus eſt annumerandus venit, quanto magis Albertus ſemel atque iterum à collegio electorum concordi ad regnum invitatus? Fuerint ergo ex Auſtriaca gente non tredecim, prout Chiffletius volebat, ſed quatuordecim Imperatores exorti: debuerit etiam Fridericus Miſniæ Marchio anno 1348, & Fridericus Saxoniæ Dux anno 1519, ab Electoribus ad diadema vocati, Germaniæ Imperatoribus accenſeri. Si vero nec Albertus nec Friderici regnare voluerunt, regio nomine caruerunt & uſque nunc carent; quidni careat Bertholdus qui regnum oblatum reſpuit? nobis certe ultra eam quam ſibimet delegit ſortem eum evehere Chiffletii exemplo integrum non fuit, nec eum livore ducti, ſed veritati ſervientes, inter Duces denegato regio titulo reliquimus.

De Conradi Teccenſis anno 1298 facta (ſi Deo placet) electione aſſentiri Chiffletio minime poſſumus, quandoquidem coætaneis & ſubparibus hiſtoriæ Germanicæ ſcriptoribus ignota fuit, quique alicujus nominis ſunt Adolphum Rudolphi demortui loco anno 1292, concordibus ſuffragiis electum certatim pronunciant. Annales Dominicanorum Colmarienſium ad annum 1292, *prima Maji*, *Electores reliqui electionem in Maguntinum tum præſentem transferunt. Maguntinus Comitem Adolfum de Naſſow cognatum ſuum eligit, conſentiunt reliqui*, &c. hiſtoria Auſtralis ad eumdem annum: *Eodem anno prædictus Dux Auſtriæ ſeductus à Suevis per literas & nuncios ſolennes vocatus & rogatus eſt aſcendere ad Rhenum, ſpondentes ei coronam regni, ac eligere eum in Regem Romanorum, qui cum ſolenniter aſcendiſſet, & Electores Principes regni die ſtatuta conveniſſent, uniformi conſilio & conſenſu Adolphum filium*

filium ſororis Comitis Eberhardi de Catzenellebogen elegerunt in Regem Romanorum, ſicque Dux Auſtriæ fruſtratus ſpe ſua, tamen exceptis ſex ſeptimanis, anno uno manſit ibi, cum diverſis diverſa exercens prælia, in quibus omnibus feliciter ac proſpere ſuccedens, receptis à Rege Romanorum feudis ſuis reverſus eſt cum triumpho ad Auſtriam, &c. Henricus Stero ad annum 1293: *Adolphus Rex imperavit apud Teutonicos annis ſex. hic fuit ante Comes in Naſſawe, & Electus fuit in Franckenfurt unanimiter ab omnibus Principibus in Majo menſe,* &c. Hainricus Rebdorfius: *Adolpho in Regem Romanorum (ut prædicitur)* [in Steronis annalibus] *electo,* &c. Albertus Argentinenſis ad annum 1292: *Mortuô Rudolpho & veniente Alberto Duce Auſtriæ filio ejus (pro quo eligendo Principes Electores miſerant) cum magnis expenſis uſque Hagenow: Adolphus Comes de Naſſawe in Regem Romanorum à Principibus Alemanniæ concorditer eſt electus: à quo idem Albertus de feudis ſuis, præſertim Ducatu Auſtriæ, inveſtitus, in Auſtriam eſt reverſus,* &c. Si quod hiſtoricorum conſenſus exigit de Alberto patri ſufficiendo Electores & Suevi, inter quos Conradus Teccenſis, cogitarunt, poſteaque mutata voluntate Adolphum *concorditer elegerunt,* quî fieri potuit ut Conradus Teccenſis *in Regem eligeretur,* aut ſi *electus* eſt, oblivione ſepulta manſerit ejus electio? dicat Chiffletius ſi poteſt; ſi vero, quod putamus, non poteſt, Conradum ſuum inter electos ad regnum computare deſinat. ſed nec ſi inter electos fuiſſe largiamur, regem dicendum fuiſſe obtinuerit. an quiſquis, vel electus eſt, vel eligi dignus, continuo Rex fit? quid ſi Electorum vota Bertholdi, Fridericorum & nuper Alberti exemplo fruſtretur, regnumque meruiſſe quam actu regnaſſe malit? ſi vero regnare recuſavit, cur regio titulo quem reſpuit, à Chiffletio qui eum ad ſolium adverſus antiquorum torrentem nitens trahere auſus eſt, inſigniatur, non ei ex gentis cui natales ſuos debuit odio, ſed ex veri quod omnibus colendum eſt ſtudio, regium quod nunquam geſtavit nomen detrahimus. ut vero tam ei, quam Bertholdo agnato Fridericoque & Alberto Auſtriacis Regii nominis ac poteſtatis gratiam faciamus, ſedeni in univerſum fuerint ex Erchinoaldi poſteris, re ipſa Germaniæ Reges, nomine cui res nulla ſubjecta ſit Romanorum ſive *Imperatores* ſive *reges*, eoque ipſo longe (prout ad oculum ſuo loco demonſtrabimus) infra Carolinæ gentis dignitatem ſubſidet Erchinoaldina.

Qui *Imperatorum*, *Regumque Romanorum* in alienum ſenſum violenter tractis vocabulis abuſus fuerat, in *Cæſaris* quem univerſis Germaniæ regibus pro liberalitate ſua aſſignat titulo novos ludos facit. eum à primitiva ſignificatione procul (ſic volente uſu) deflexiſſe nemo neſcit. qui enim *cæſo* matris utero natum proprie deſignabat, poſtea familiæ à tali aliquo fundatæ commune factum eſt, exinde ad Caji Iulii Cæſaris adoptivum Octavianum Auguſtum ejuſque adoptivos ac nepotes ex filiâ Tiberium, Caligulam, Claudium, & Domitium vulgo Neronem dictum, quaſi ſucceſſionis lege tranſiit: abuſive autem, licet promiſcue, ſequentibus Imperatoribus tributum eſt. Hinc Sexti Aurelii Victoris, tam Gruteriani, quam alterius cognominis libelli de *Cæſaribus*, id eſt urbis Imperatoribus, inſcripti ſunt: id tamen ab ipſo fere Romanæ Monarchiæ exordio, tam inter regnantes, quam eorum geſta ſcribentes invaluit, ut inter *Auguſtos* & *Cæſares* diſcrimine facto *Auguſti* qui ſuo jure regnabant, *Cæſares* qui ab *Auguſtis* allecti & *Imperatores* in fu-

turum *deſignati* erant, vocarentur. Nunc reges proprios Germania *Cæſares*, Ducem Magnum ſuum Moſcovia *Kſar* ſeu *Cæſarem* paſſim nuncupare ſolet. Si eodem cum Moſcovitis, quorum univerſa ditio extra veteris Romaniæ fines jacet, ſenſu *Cæſaris* vocabulum Germanis uſurpare libeat; ut quemadmodum Moſcovitæ Principem ſuum (quia latiſſimum *Imperium* tenet, in eoque jure vere Monarchico, quale Cæſarum in Romania fuit, utitur) *Cæſarem*, non *Romanorum*, quibuſcum illis nihil eſt negotii, ſed ſuæ gentis ac regionis inſcribunt: ſic Germani regem ſuum, quia late & vere Monarchica Cæſarumque in veteri Imperio pari pollet poteſtate, *Cæſarem ſuum* ſcilicet, non *Romanorum* in quos ei nihil Imperii eſt, nemo jure reclamaverit. Sed eadem ratione ſuum Franci, ſuum Hiſpani Regem, quia ſummo & vere *Cæſareo* imperio uterque in ditione ſua tremendus eminet, *Cæſarem* ſi quando collubitum ſit, veriſſime dixerint. Hinc anno 986 Gerbertus in Lotharii Francorum Occidentalium regis epitaphio:

Cujus ad obſequium coiere Duces, bonus omnis
Quem coluit, ſate Cæſaribus, monimenta doloris
Cæſar Lothari, prætendis luce ſecunda
Terrifici Martis quod eras conſpectus in Aſtro.

Fuerit ergo ex Gerberti mente Cæſar Lotharius, fuerint alii Franci, fuerint, ſiquidem placuerit, Hiſpani. Imo iis univerſis quam Germanorum regibus aptius *Cæſaris* titulus quadrabit, quandoquidem tota tam Francica quam Hiſpanica ditio veterum Cæſarum fuit, in quorum locum, qui nunc ad clavum ſedent, reges ſucceſſêre; Germanici vero Imperii intra Romaniam pauca, extra Romaniam plurima fuêre. Si vero Germanis Regem ſuum *Cæſarem*, quaſi *Romani Imperii*, ſive antiqui quod veterum Cæſarum fuit, ſive novi quod Carlovingis ab anno 800 paruit, appellare in mentem veniat, abuſivum ipſaque re falſum ei titulum adſcribent; quandoquidem Germaniæ Imperatores ſi trans-Danubiana nonnullaque ad Rheni lævam ſita excipias, extra veterem Romaniam regnant, & in Imperio Romano Carolino, quod à ſeculis aliquot Eccleſia Romana univerſum poſſidet, ne latum digitum ſibi quod retineant, habent. Fuerint ergo in præſens poteſtatis ſuæ temporalis ac ditionis jure maxime proprie, ſi titulum illum non aſpernentur, Cæſares Auguſti ac Romani Imperatores, Romani Pontifices: quorum in urbe, olim *mundi dominâ* & priſcâ Cæſarum ſede, totâque circumjacente regione, quæ Carlovingorum Romanum Imperium univerſum conſtituit, aliis quibuſcunque regibus excluſis, ſummum Imperium eſt; ut veriſſime ante quingentos annos Eugenium Papam dominii ſupremi temporalis in Romanos reſpectu, *non Petri*, cujus nullum in terris temporale regnum fuit, *ſed Conſtantini*, qui totam Romaniam per annos 32 rexit, hæredem ac ſucceſſorem Bernhardus noſter nuncupaſſe videatur: quantumvis *Conſtantini* (cujus ex regno vix ultra viceſimam, temporalis Imperii jure, Eccleſia Romana obtinet) minus proprie, *Caroli Magni* ac poſterorum, quorum univerſum *Imperium Romanum* ſub manu habet, propriiſſime hæres ſit & haberi debeat.

Auguſti titulum non alio jure ſibi Germaniæ Imperatores quam *Cæſaris* vocabulum vindicaverint. Si quia in ditione ſubjecta vel illa ipſa quæ veterum *Auguſtorum* in toto Romania fuit, vel pari gaudeant, ſe *Auguſtos* nuncupent, Europæus nullus ſanæ rationis capax refragabitur: ſed tunc regibus

uni-

univerſis,quorum nulli obnoxium Imperium eſt,ex æquo communis erit,nec eum præ aliis ſuum facere, aut aliis ſuum facientibus obniti Germanis licuerit. ſic olim Lotharius Carlovingæ gentis in Francia Occidentali Rex penultimus, Hugo ipſe Capetus, poſtremæ regum familiæ ſtirps, *ſe reges ſemper Auguſtos*, reclamante nemine, inſcripſerunt. Gerbertus tunc Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ac paulo poſt urbis Papa, *epiſt.*159 ad Adelaidem Capeti uxorem datæ, hunc titulum præfixit: *Dominæ & glorioſæ Adelaidi Reginæ ſemper Auguſtæ*, &c. Concilium Remenſe *anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti* 991 *indictione quarta*, *anno* V *Regni Domni Hugonis Auguſti*, &c. Fuerunt ergo ex Francorum Occidentalium mente *Auguſti*, quia veteribus Auguſtis in ditione ſua dignitate pares erant, quibus ſuberant reges. Si vero *Imperii Romani* tam veteris à Cajo Iulio Cæſare & Auguſto ſororis nepote fundati, quam novi in Carlovingorum gratiam anno 800 reſtituti reſpectu *Auguſtos* Imperatores ſuos Germani nuncupandos putent, illo ipſo quod jam notabamus incommodo urgebuntur, falſiſque quibus reale nihil ſubſit titulis, quos colere in animo habuerant, dehoneſtabunt magis quam ornabunt. quorum enim fere tota ditio Germanica extra veteres Romaniæ fines (eoque non Romana ſed Romanis adverſa) fuit, ii veterum *Auguſtorum* Romaniæ potentium ſucceſſores ac titulorum hæredes nec fuerint nec eſſe potuerint. Cum autem novi *Romani Imperii*, cujus univerſum temporale dominium in Romanos Pontifices à quingentis annis tranſlatum eſt, nihil poſſideant, ſummamque in eo poteſtatem Pontificum colant, proprios dominii illius titulos arrogare ſibi ex vero nequaquam potuerint, eos ſupremum regionis ſuæ Imperium *ſacrum Imperium* vocare non improbabunt, quibus Germaniam nobile Chriſtiani orbis membrum eſſe, Chriſtianis Principibus ſubeſſe, eoque Chriſto ſacrum Imperium eſſe debere, in mentem venerit. ſed eodem jure & Franciæ Occidentalis & Hiſpaniæ regna, quorum alterum *Chriſtianiſſimum*, alterum *Catholicum* dici ſolet, *Imperia ſacra*, id eſt ditiones ac Regna Chriſti nomine conſignata, Deoque conſecrata, ex officio fuerint ac nuncupari debuerint. *ſacrum* autem *Romanum Imperium* niſi abuſive admodum, nec Germania, in cujus regno antiquæ Romaniæ pauca, novæ nihil prorſus eſt, nec Francia Occidentalis, nec Hiſpania, nec alia (præter urbi ſubjectam regiunculam ab anno 800 *Imperium Romanum* proprie dictam) Europæ pars Chriſtiana *ſacri Romani Imperii* titulum ſortiri jure potuerit: hæc enim ſola & veterum tam Ethnicorum quam fidelium & novorum Carlovingorum, iiſque ſuffectorum Principum propria ſedes fuit, cujus nomine, titulos ab antiquo receptos ſuos facere, quotquot in ea regnarunt, ſine cujuſquam injuria potuerunt. Hæc obiter, non genti Germanicæ ejuſque regibus obtrectandi, ſed vera à falſis, realia à nominalibus, propria ab impropriis & abuſivis ſecernendi, quodque res eſt (prout probos & ingenuos decet) libere loquendi ſtudio, adverſus Chiffletii verſutas præſtigias perpetuaſque ludificationes obſervaſſe officii noſtri fuerit: ſcopumne attigerimus, Germania ipſa, naturâ à fucis & offuciis aliena, judicabit: Chiffletiumque inanibus ipſam blandimentis palpantem Poëtæ verbis abiget: *ad populum phaleras, ego te intus & in cute novi.* Vltimum ejus in Carolinæ familiæ decus impetum retundamus.

Carolus, inquit pag. 42, *Martellus è B. Arnulphi ſtirpe, Caroli Magni avus*,

impuro Alpaidis thoro genitus eſt. Alpaidis, ut ut *ſuperducta*, *thorum* in *Lampadum* Chiffletianarum everſione ab *impuritate*, quam ei tam temere & impudenter quam maledice univerſorum regum ea prognatorum adverſarius affingit, ex profeſſo vindicavimus, eumque prout res exigebat injuriæ poſtulavimus. Quid ſi *impuritatem*, quæ nulla erat, os maledicum fortius obſtructuri, dicis cauſa confiteamur, an protinus quod exultabundus ſubjunxit, ſine controverſia obtinuerit? *In poſteris Erchinoaldi Habsburgicis & Auſtriacis ſinceritas natalium perpetua fuit.* hæc ille; quæ impugnare proprie nec fert animus, nec ſi cuiquam ferret, aut refellere ad manum eſſet, probaremus, qui in defunctorum Principum Chiffletii exemplo graſſari viro probo ac cordato indignum putamus. in nebulones aliquot impoſtoreſque poſt annum milleſimum, ab Alpaidis dormitione trecenteſimum fere ad unum natos, qui ejus immerentis cineres lotio ſuo perfunderent, incidit putoremque nequaquam ferendum ſuas delicias fecit. quam facile eſſet malo cuneo malum nodum findere, lutumque luto detergere? memoria-ne excidit quod ante ſeptingentos annos de Adalinde; Eberhardi Comitis Habsburgicorum omnium atavi, conjuge, vitæ S. Deicoli ſcriptor fabulatus fuerat? *Adalindis poſt hæc quid fecerit, paginâ inſerendum honeſtas non ſinit.*

Probra alia ſuorum majorum multa Iohannes I Caſtellæ Rex agnoſcit, Chiffletio ipſomet referente, *nov. lamp. p.* 369, &c.

De Vrraca Hiſpanorum Regum ab anno 1100 parente, Rodericus Toletanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus ante 400 annos denatus lib. 7 cap. 1. Aldefonſus *ſoriam uſque eam duxit, ibique repudians dimiſit eam ſua arbitrio voluntatis*, &c. cap. 2. *Comes Gomitius ad Reginæ connubium anhelabat, ſicut patris tempore (ut prædiximus) à magnatibus fuerat pertractatum; ſed Reginæ Vrraca clanculo non legitime Comiti Gomitio ſatisfecit, unde & Comes quaſi de matrimonio jam ſecurus, cæpit agere bella regni, & pro viribus Aragones propulſare, & genuit ex Regina filium furtive qui dictus fuit Fernandus furatus. Interim autem quidam Comes Petrus de Lara Reginæ gratiam clandeſtine procabatur: quod voluit, impetravit, ut exitus comprobavit*, &c. *Petrus autem Comes de Lara cum familiare commercium cum Regina indebite propalaret, ſperans illud matrimonio confirmare, omnibus præminebat; & cæpit regis officium exercere, & quaſi Dominus omnibus imperitare. ſed magnates alii infamiam dominæ non ferentes, cæperunt ei reſiſtere & matrimonium propoſitum impedire.* De Barbara Cilia, Sigiſmundi Imperatoris uxore, & Annæ quæ Ferdinando I Imperatori nupſit, totiuſque Ferdinandici rami [illegible] fuit abavia, Æneas Silvius Picolomineus Eccleſiæ Romanæ Presbyter Cardinalis, ac exinde Pius II Pontifex, hiſtoriæ Bohemicæ anno 1457 ſcriptæ cap. 53. *Mulier jam anus novum conjugium mente complexa, filiam quæ in ſpem regni creverat, & Alberto Duci Auſtriæ nupſerat, ex animo dimovet, nec aliud quam novi concubitus gaudia meditatur. Inexhauſtam fæminæ libidinem, quæ tumulo quo propior eſt, eo genialis thori nuptialiſque facis cupidior & curioſior redditur. Non latuerunt Imperatorem furentis fæminæ excogitatus.* & cap. 69. *Apud Græcium Barbara imperatrix ea tempeſtate decedit, inexhauſtæ libidinis mulier, quæ inter concubinos illaudatum ævum publice agitans, ſæpius viros petiit quam peteretur, neque Chriſtianæ neque alteri cuipiam religioni adſtricta, quippe quæ ſuperos inferoſque ullos eſſe negabat. Ferunt eam ancillas ſuas ſæpe orantes jejunantesve increpaſſe, quæ corpus ſuum fruſtra macerarent, fictumque cæli numen placare verbis crederent. Vivendum ſuaviter dum vita ſuppetit, fruendumque*

volu-

voluptatibus. Id tantum homini datum, cujus anima ſimul cum corpore extinguitur, ſomniare qui alteram vitam ſibi promittunt, congrua moribus ſententia.

Quæcumque illi ſive credita ſive non credita tempore ſuo ſcripſerunt; nec præſtare nec in contumeliam cujuſquam vertere conſilium eſt: ſi conſilium eſſet, quæ preſſius tangeremus nequaquam deeſſent; viderit qui Auſtriacorum Principum, in quorum ſolo vitales auras primum hauſit, quorum in Comitatum benigne aſcitus eſt & honorariis ad hanc uſque diem ſæpius donatus, quibus ſe totum deditum mentitur, quam prudenter maternis eorum avis Carlovingis, qua revera carebant, *impuritatem* natalium, ſui ſimilium mendacia venditans, objiciat. Si enim Alpaidis quæ bona fide & ſolenniter ducta in Pippini poſt dimiſſam Plectrudem liberi domum tranſierat, impurus thorus dici meruit, quod priore Pippini uxore ſuperſtite nupſerit; ſi Pippinus, cujus prius matrimonium ſolutum fuerat, eam ducendo peccavit; ſi quod ab eo ducta ſit, ei criminis loco eſſe debeat, quid de Adalinde, Vrraca, Barbara, adulterii vitæque ſolutæ poſtulatis, nec à quoquam in hanc uſque diem purgatis, non ſuſpicetur in poſterorum dedecus Chriſtianus orbis? Alpaidem Caroli Martelli filii, ob Rigobertum Archiepiſcopum ſuum, tanquam perduellem ab eodem ſede pulſum, inviſi odio *Scortum* vocavit, qui poſt annos 250 ſcribebat Flodoardus. Sed idem graviſſimus & laudatiſſimus alias ſcriptor, irrogatæ defunctæ Principi præter meritum injuriæ juſtas pœnas debet: cum enim antiqui univerſi Plectrudem dimiſſam, Alpaidem ſolenni more ductam, juſtæque Pippini uxoris loco habitam teſtentur; nec *Scortum* revera fuit, quæ connubii lege marito vincta eſt, nec ejus impurus thorus eſſe potuit, quæ matrimonii fœdere prævio materfamilias facta eſt; imo hæc inter ſe pugnant, ut matrimonio junctorum, Paulo auctore, *immaculatus*, Chiffletio convitiari auſo, *maculatus & impurus* thorus ſit. Quis adeo Beta ſit ut Ludovicum Pium primogenitæ filiæ, Beggoni Comiti poſtea nuptæ, Alpaidis abaviæ nomen impoſiturum fuiſſe credat, ſi abaviam vel *Scortum*, prout Flodoardo placuit, vel ſaltem non legitimam uxorem haberi debuiſſe in animum induxiſſet? nemo enim ſanus pudenda majorum revelaverit, aut quod in iis infame eoque perpetua oblivione ſepeliendum fuit, ad decus ſuum pertinere & in poſterorum memoriam quomodocunque revocandum putaverit: nec minor Principes, famæ fere ſemper ſtudioſiſſimos, quam privatos religio ea in parte tanget. Id ergo, velit nolit Chiffletius, ratum fixumque æternum manebit, Carlovingos *impuro thoro* nequaquam editos, nec Erchinoaldinam gentem ob *natalium puritatem* eis præferendam fuiſſe.

Hiſtor. Remenſ. lib. 2. cap. 11.

Hebr. c. 13, 4.

Poſtquam univerſa Chiffletii Carlovingis injuria commenta in ſpongiam incumbere coëgimus, id unum reſtat, ut Arnulphinæ familiæ intaminatum decus, cuique alia nulla inter mortales gloria coæquari poteſt, ex officio aſſeramus. 1 Si in gentis totius fontem Arnulphum oculos intendamus, occurret primo nulli non laudata morum ſanctitas, pari tandem fine clauſa, quæque Latinis univerſis venerabilis adeo viſa eſt, ut ad 18 Iulii ejus memoriam, tanquam *Epiſcopi & Confeſſoris* non uni gregi, ſed toti regno colendi, Martyrologia Bedæ, Vſuardi, Flori, Adonis, Notkeri, Wandelberti, cum Romano recolant. Si ex adverſo Erchinoaldum ejuſque merita ob oculos ſtatuamus, in Monachum vitæ S. Furſæi ſcriptorem & alios incidemus, qui

eum *beatæ virum memoriæ* vocavit, ab eoque & S. Furſæum benigne exceptum, & Latiniacenſe, Peronenſe, Fontanellenſe & Duacenſe Monaſteria fundata fuiſſe narrant. Sed longe diverſa aliorum de eo judicia, ex eo quo ab iis inuritur elogio, fuiſſe apparet. S. Eligius Noviodunenſis Eccleſiæ ab anno 646 Maji 14 feria 1, ad 663 Decemb. 1. ſanctitate & pietate clariſſimus Epiſcopus: S. Audoënus ex Dagoberti Cancellario, Rotomagenſium ab anno 646 Maji 14 feria 1, ad 676 Aug. 24 Archiepiſcopus, cujus inſignem vitam Anſbertus, etiam ſanctitate conſpicuus, in Epiſcopatu ſucceſſor, nobis conſignavit, hæc de eo prodiderunt. *Rogavit* Eligium *aliquando Erchenoaldus Præfectus Palatio ut cum ipſo longius proficiſceretur: at ille ſecum multa reputans, nolebat ire cum eo. Sed tamen coactus à ſenioribus & abbatibus civitatis ſuæ, verentibus ne tanti viri animum offenderet, ita palam dixit. Quid neceſſe eſt fratres, ut tanta nos afficiatis moleſtia? Equidem novi quod vos ignoratis, ſi cum illo ierimus, male id ceſſurum. Ille enim hinc quidem exit, ſed ibi morietur. Ivit tamen cum illo: ventum eſt ad locum deſtinatum: cumque illic nocte quadam, aliis dormientibus, caſu beatus Eligius foras egreſſus obambularet, & de Pſalmis neſcio quid ſecum volveret: ſubito vidit columnam ignis è cælo deſcendere, & magna vi cubiculum Erchenoaldi penetrare. Rei itaque eventum tacite ſecum conſiderans, interitum beſtiæ illius Diacono ſuo, qui forte ſolus tum ei aderat, indicavit. Mox autem divinitus perculſus Erchenoaldus, ſentiens magno ardore cruciari viſcera ſua, jubet ad ſe ocius introduci Eligium. Venit Eligius, videt hominem magis correptum angoribus, hortatur eum ut quando deſperat ſe victurum, vel moriturus faciat quod vivens ſponte noluiſſet, videlicet ut loculos multos auro tumentes, quos equi vehebant, pauperibus quam primum erogaret pro refrigerio animæ ſuæ. Id ſolum profuturum ei aſſerens, nocitura vero quæ in theſauris eſſet relicturus. Sed ille ut rapax, ita etiam tenax, dum moras nectit, repente extremum efflat anhelitum. Corpus ejus miſericordia motus Eligius, ſecum abſportavit & tradidit ſepulturæ.* Hinc ergo Arnulphum nulli non laudatum, ab univerſa Eccleſia Latina inter cœlites commendatum; inde Erchinoaldum paucorum præconiis celebratum, ab Eligio Epiſcopo ſuo, qui morienti adfuit, ejuſque tandem funus procuravit; ut & ab Audoëno, in cujus diœceſi Fontanellenſe Monaſterium fundaverat, *Beſtiam cœlitus perculſam,* & miſerabiliter fatis concedentem, vocatum, habemus. Si Chiffletio à Monachi obligati, cuique de Monaſterii ſui fundatore præclare non loqui, grave pudendumque longe poſt viſum eſt, ſententiâ recedere incommodum & ingratum ſit; quanto aliis plurimis incommodius fuerit viros ſanctitate conſpicuos, Erchinoaldi familiares, nihilque affectibus in cujuſquam injuriam indulgere aptos, calumniæ inſimulare? Nobis, quibus in re odioſiſſima nihil pronunciare, nullius memoriam vellicare, decretum eſt, hoc unum ad plenam victoriam ſatis eſt, ut ſi Erchinoaldi ex nonnullorum ſententia *beata memoria* ſit; Arnulphi, quem omnes certatim prædicant, longe *beatior* cenſeri debeat. Fuerit ergo, ut adverſario gratificemur, Arnulpho *ſed longo proximus intervallo* Erchinoaldus, cujus proinde nepotes fontem ſuum purum minus ac limpidum fuiſſe agnoſcant.

Audoënus in vita Eligii.

2 Ætatis prærogativâ Erchinoaldo, velit nolit adverſarius, ſuperior Arnulphus fuerit. Qui à Gondulpho Palatii ſub Theodeberto Majore Reipublicæ admotus, ſub eodem Theodeberto Palatii Majoratu fungi cæpit, anno que

Vita Arnulphi.

noque Chriſti 641, 17 Kalend. Septembr. antequam Erchinoaldus ſummo magiſtratu fungeretur, ætate provectus obiit. Natus ergo circa annum 570, annos plus minus 70 vixerit, eodemque quo Erchinoaldi maternus avus Vulſo Patricio à Theoderico, Theodeberti minore natu germano, ſuffectus, tempore, majoratum tenuit. Erchinoaldus vero Egani Neuſtrici Palatii præfecto, anno 646 ab Arnulphi dormitione ſexto, ſucceſſit; annoque 661 mortalitatem explevit, vix ad ſenium provectus; quandoquidem aviæ maternæ Gertrudi Hamaticenſi Ricomeris relictæ, anno vero 655 ab Arnulphi deceſſu decimoquinto 6 Decemb. defunctæ, ad ſexennium ſolidum ſuperſtes non fuit. Vita Clodulphi. Carmen vetus Pontificali Metenſi inſertum. Miſeus in faſtis Belgicis.

3 Erchinoaldi cum natalis locus uſque nunc ignoretur, patriæ, quæ beatum Arnulphum prima excepit integram memoriam Eva Comitiſſa charta ſua de *Lajo villa* ante annos fere 700, Metis *anno* 965 *indictione* 8 *decimo ſeptimo Kalend. Septemb.* data ſervavit. *Quam,* inquit, *villam ſpecialius ipſi beatiſſimo Pontifici Arnulpho, idcirco volui delegare, quod idem venerandus antiſtes, de cujus germine Francorum ſtrenuiſſimi prodiere, in eadem villâ præſentis exordium ſuſcepit vitæ, & quia filii mei ab ipſo ducebant originem ex paterno genere*, &c. Ex Cartulario S. Arnulphi.

4 Nemo hactenus prodiit qui Arnulphinos veteres ex Erchinoaldina gente lucis aliquid traxiſſe ſcripſerit; cùm tamen S. Wandregiſili vita ante 600 annos ſcripta, hòc Erchinoaldum ipſum nomine commendet, quod S. Wandregiſili per matrem conſanguineus fuerit; *erat inſignis bonitate ac eleemoſynis largiſſimus, atque ex materna origine beati viri Wandregiſili conſanguineus.*

5 Erchinoaldum, Adalbaldum & Sigefridum germanos Gerberta, aliis Gerberga, Ricomeris & Gertrudis Hamaticenſis filia, tacito patris nomine natos vita Rictrudis refert. Ne quid ex nominis paterni jactura detrimenti Erchinoaldina gens capiat, hæc Chiffletius *Orig. Auſtr. p.52. Quia, ut jam oſtendimus, Majoris Palatii ſublimis honos non aliis dari conſueverat, quam viris genere claris, & eminentibus opum amplitudine, affirmamus Erchinoaldi noſtri, viri illuſtris & regiâ ſtirpe ſati, majores jam dudum fuiſſe natalium ſplendore conſpicuos; adeoque nobilitatem & claritatem ſanguinis Auſtriacorum Principum tam altas in ſæculis anterioribus egiſſe radices, ut ejus initia non niſi ab ipſis virtutum & honorum incunabulis ſint repetenda.*

Semina virtutum demiſſa & tradita cœlo Rutil. l. 1.
Non potuêre aliis dignius eſſe locis.

De Erchinoaldinæ gentis, cujus gloriæ nequaquam invidemus, regia ſtirpe jam vidimus; de Arnulphinæ vero decore agendum jam nobis eſt. Id ejus dignitati officere, eamque infra Erchinoaldinam aliquomodo dejicere, videri poſſit, quod vitæ Arnulphi ſcriptor coætaneus Paulus Warnefridus, Caroli Magni Arnulphi adnepotis familiaris, aliique univerſi qui ad Caroli Calvi tempora ſcripſerunt, Arnulphi parentum nomina non ediderunt. Sed cum Arnulphus ab iis ex nobiliſſimo & fortiſſimo genere Francorum ortus dicatur, fueritque longe ante Erchinoaldum Palatii Majoratu functus, eoque ipſo inter *illuſtres, genere claros & opum amplitudine eminentes* reponendus; id ipſum de eo quod de Erchinoaldo pronuntiaverat, ſtatuere eique primatum deferre debuerit Chiffletius. Cujus enim dignitas temporis ordine ante-

anteceſſit, poſteriori, cujus æque pater ignoratur, anteponendus fuerit. Sed quod Arnulphinæ vitæ ſcriptor nos celaverat, quod Paulus Warnefridus, Caroluſque ipſe Magnus ignoraſſe videbantur, alius neſcio quis, Carolo Calvo blanditus, ſibi compertum jactavit; tantumque ei tribuit Chiffletius, ut in Novorum ſuorum Luminum appendice Fabrum noſtrum oblati Carolo Calvo carminis auctoritatem nullam eſſe pronuntiare auſum impugnare non dubitaverit. Ipſi ergo velit nolit tam pater & mater, quam avus & avia Arnulphi noſtri noti certique fuerint; longeque Erchinoaldinâ gente ſuperior cenſeri debuerit Arnulphina. Cujus ex hypotheſi Ansbertus ſenator, Patritius Palatiique Major & Blithildis Clotarii 1 regis et Chunſena filia primi fontes fuerint; ſecundi vero, Arnualdus Aquitanorum Dux, & Oda Gunſonis Alamannorum Ducis filia. unde ex neceſſitate conficitur eum, cujus & parentes & avi tam paterni quam materni noti fuerunt, dignitate præſtare, longeque ſupra Erchinoaldum, cujus nec pater, nec patris pater è tenebris emerſerunt, ſtirpe regia inſigne caput attollere.

6 Ex ipſa Chiffletii de Gertrudis Hamaticenſis origine hypotheſi, Erchinoaldinæ gentis dignitas infra Arnulphinam ſubſidere vel ingratiis ejus cogetur. Quid enim ille? Erchinoaldum *ſtirpe regia* editum & *Wandregiſili conſanguineum* audierat; poteratque Wandregiſili *conſanguinitati* locus eſſe, ſi Wandregiſili mater Ricomeris & Gertrudis filia, Gerbertæ, quæ Erchinoaldum peperit, Germana ſtatueretur: nam quod Gertrudem Hamaticenſem anno demum 655 deſinente ad meliorem vitam tranſlatam, Arnulphi, qui anno 641 ſeptuagenarius obiit, amitam ex Ansberto & Blithilde ortam fuiſſe fingit, ludibrium merum, quodque vel ſola temporum ratio refellat, eſſe res ipſa clamat. Demus tamen quidquid Chiffletius deliravit, folii Sibyllini inſtar nobis eſſe debere; quid inde conſequetur? annon Erchinoaldinos Blithildis regiæ puellæ filia ortos, Arnulphinis puellæ ejuſdem filio natis, cedere debere? vel ex ipsâ Chiffletii tabulâ Arnulphinorum jus æmulorum inferiorem dignitatem aſſeramus.

Orig. Auſtr. p. 44.

Blitildis Clotarii I ex Chunſena filia Ansberti uxor.

- Arnoaldus Odæ maritus.
  - Arnulphus Dodæ maritus ex Palatii majore Metenſium Epiſcopus.
    - Anſigiſus Dux, Beggæ maritus.
      - Pippinus Heriſtalius Major Domus, Alpaidis maritus.
        - Carolus Martellus, ex quo Carlovingi omnes.
        - Childebrandus Dux, ex quo Capetini omnes.
    - Waltchiſus Waldradæ maritus.
      - Wandregiſilus Abbas.
- Gertrudis Ricomeris uxor.
  - Gerberga.
    - Erchinoaldus Dux Major Palatii, Leudeſindis maritus.
      - Leudeſius Palatii Major N. maritus.
        - Adalricus Ethico Habspurgicorum omnium parens.

pag. 45, 46, 47. 7 Ad majorem dignitatis Erchinoaldinæ commendationem eum *virum illuſtrem*, *Patritium*, *Palatii Majorem*, *Francorum Ducem & Principem*, *Regi parem*, *imo Regem & Rege ſuperiorem*, *Principum judicem* vocaverat Chiffletius. Nos contra Palatii majores Regum miniſtros eoque regibus *minores* non *majores* ex officio fuiſſe evicimus. Vt vero Chiffletio quicquid libuit ſomnianti aſſentiamur, quo celſius *majorum* faſtigium fuerit, eo micantior, quæque Erchinoaldinæ obſcurandæ par ſit, Arnulphinæ genti lux accreſcet. Annon

Annon enim ex ejus confeſſione Ansberti Palatii *Majoris* & Clotarii generi nepos, idemque Palatii Major, *regiſque ac regni bajulus* Arnulphus fuit? Prius ergo vel ingratiis ejus confluxere in Arnulphinam gentem cum ſuprema dignitate eam deſignantes tituli: fueritque non tantum *Illuſter*, *Major*, *Patritius*, *Principum Iudex*, &c. ſed etiam ex *Illuſtribus*, *Majoribus*, *Principum Iudicibus*, &c. Arnulphus; eoque Erchinoaldo, de cujus patre & avo, in hanc uſque diem ignotis, tale nihil dici poteſt, ſuperior. Paulus Warnefridus de Epiſcop. Metenſ.

8 Erchinoaldum Neuſtrici Palatii Majorem qui fuiſſe fatetur Chiffletius, cum dignitate Arnulphinam gentem exuperaſſe temere ſecumque pugnans pronuntiat. Temerarium ejus effatum vel hinc refelli poteſt, quod Ansbertum, Arnulphi avum, ſub Clotario majore, qui tam in Auſtraſia quam in Neuſtria regnavit, Palatii Præfecturâ perfunctum nec negat, nec ex hypotheſi negare poteſt. Nos vero Erchinoaldum ſub Clodoveo II, qui tunc Neuſtriam & Burgundiam regebat, ad majoratum domus evectum, nullaque in Auſtraſia, quæ Sigeberto ſuberat, poteſtate auctum fuiſſe, aut augeri, ab eo qui Auſtraſiam non poſſidebat, potuiſſe, demonſtravimus. Vt tamen ipſum fortius conſtringamus, alterutrius ei optionem damus, ut vel in Neuſtricos, vel in Auſtraſios propendeat; ſi enim Neuſtrici regni majorem Auſtraſium ſuperare contendat, Neuſtrico regno, cujus major primas ex hypotheſi tenuit, prima dignitas, adverſus eam quam tuetur ſententiam, aſſignanda erit: nec forte præter rationem, quandoquidem Clodoveus Magnus tam Auſtraſiæ quam Neuſtriæ potens, totius regni ſui ſedem, Gregorio Turonenſi teſte, Lutetiæ Pariſiorum urbe Neuſtrica, circa annum 508 collocavit. In diviſione regni Clodoveani Auſtraſia Theoderico notho, Neuſtria legitimis anno 511 obtigit. Clotarii I primogenito Chariberto Lutetia cum Neuſtriæ parte, Sigeberto minimo Divodurum Mediomatricum cum Auſtraſia anno 561 obvenit. Clotarius II, Dagoberto primogenito regii nominis ac poteſtatis participe facto Auſtraſiæ regnum anno 622 aſſignavit, ſibi Neuſtriam & Burgundiam retinuit. Dagobertus univerſi Francorum regni potens, anno 644 Sigeberto notho Auſtraſiam, Clodoveo II legitimo Neuſtriam cum Burgundia legavit. poſt Clodovei II mortem, anno circiter 661, Childerico inter filios ab eo relictos minori Auſtraſia tributa eſt: poſt Pippini dormitionem diviſione inter liberos facta, Francia Occidentalis Carolo Magno primogenito, Orientalis Carolomanno ſecundogenito ceſſit: anno 878 Nov. Kalend. regum conventu Furonis in Neuſtrico ſolo indicto, Ludovicus Francorum Orientalium Rex, Ludovici ante Carolum *Calvum* ex priore conjugio nati filius, Ludovico noſtro *Balbo Calvi* filio primas detulit, prout ex actis conſtat. In Bonnenſis conventus anno 921 Novemb. 7 peracti inſtrumento, Henricus *Francorum Orientalium Rex* qui *Auceps* dictus eſt, poſt Carolum *Francorum Occidentalium Regem* qui *Simplex* audiit, nominatus legitur. S. Henricum Othoni III patrueli ſuffectum, ab anno 1002 in tota *Francia Orientali* late dominantem, Romæ jam in Imperatorem coronatum urbiſque ac totius ſubjectæ regionis potentem, ad Robertum noſtrum *Francorum Occidentalium Regem*, Moſomagi in regni limite poſitum officioſe & *humiliter* tranſiiſſe notat Glaber Roberti ſubditus, & paulo poſt Baldricus in Henriciana ditione ortus Præſul. Hæc vero univerſa Chiffletianam de *Auſtraſiorum* ſupra *Neuſtricos* prærogativa hypotheſim funditus evertunt; ſed quia à vete- Glaber. l. 3. c. 2. Baldricus l. 3. c. 37. In Vind. Hiſpanicis & origine Auſtriaca.

ribus nonnunquam variatum eſt, quandoquidem poſt Caroli *Martelli* deceſſum Carolomannus primogenitus ejus *Franciæ Orientalis*, Pippinus ſecundogenitus *Occidentalis* regimen anno 741 ſortitus eſt; in diviſione regni Francorum poſt Ludovici *Pii* mortem anno 843 facta, Lothario primogenito *Media*, Ludovico ſecundogenito *Orientalis*, Carolo *Calvo* minimo *Francia Occidentalis* obvenit: rationi forte convenientius fuerit, utriuſque regni paritatem aſſererè, nec invidioſum contentionis funem ultra inter ea trahere. Sed ſi in Chiffletianam opinionem, admiſſa *Auſtraſiorum* ſupra *Neuſtricos* prærogativa tranſire libeat, quidquid de prima Erchinoaldinæ gentis dignitate machinatus eſt corruat oportet; cum enim Arnulphus, Clodulphus, Martinus, Pippinus, aliique Arnulphi poſteri in *Auſtraſia*, (cui primus ex Chiffletii mente locus aſſignandus eſt) Erchinoaldus & Leudeſius in *Neuſtria*, cui ſecundum relinquit, Majoratum domus tenuerint, quî fieri poſſit ut regni ex ejus placito potioris præfecti, ab iis qui *Neuſtricum* ipſi minus nobile regebant, tanquam dignitate inferiores exſuperentur? Vani nec fere unquam ſecum concordis vitilitigatoris ſibimet adverſam inconſtantiam indicaſſe, refutaſſe ſit: nobis ad cauſam obtinendam ſatis eſt, eum quocunque ſe vertat ad herbam nobis porrigendam cogi, nec ulla velificatione id aſſequi poſſe, ut Erchinoaldinæ genti Arnulphinam longe ſuperiorem ſubmittat: quod ex inferioribus manifeſtius fiet.

9 In quam gentem ut prius ſic ſæpius Majoratus dignitas tranſiit, ei primus locus ſine controverſia aſſignandus eſt. In Arnulphinam gentem ut prius ſic ſæpius Majoratus dignitas tranſiit. Ergo Arnulphinæ genti primus locus ſine controverſia aſſignandus eſt. Ante Arnulphum circa ſexti ſæculi medium Ansbertum paternum ejus avum, Domuſque ſub Clotario ſocero Majorem, nobis Chiffletius procudit; Arnulphum *ſub Theodeberto* Clotarii nepote, Clodulphum Arnulphi primogenitum *ſub Dagoberto & Sigeberto* Majores fuiſſe à veteribus, quos non impugnat, audiit; ante Erchinoaldum cujus patrem & avum, quos ne de nomine novit, nullum quem Majoratu domus functum aſſerat, indicare poteſt; ex veteribus quibus non refragatur Erchinoaldum poſt Arnulphi & Dagoberti obitus ad Majoratum evectum conſtat; unicum ex Erchinoaldi poſteris Leudeſium Majoratus poteſtate inſignit; ex Arnulphina familia poſt Dagoberti & Sigeberti mortes Martinum, Pippinum *Heriſtalium*, Grimoaldum, Theodoaldum, Carolum *Martellum*, Carolomannum, & Pippinum qui poſtea regnavit, Majoratu domus functos, etiamſi forte velit negare, nequeat: cui veriſimile fiat gentem quæ Majores tantum duos vel ad ſummum tres produxit, illius in qua decem, vel ſi Ansbertum adverſus Chiffletii mentem expungere libeat, cuivis numerare licet, dignitatem exuperare?

Vita Clodulphi.

10 Illius gentis quæ Franciæ tam Orientalis quam Occidentalis Majoratum aliquoties tenuit, potior; illius vero quæ nunquam ad eum evecta eſt, inferior cenſeri dignitas debet. Arnulphina gens Franciæ tam Orientalis quam Occidentalis Majoratum aliquoties tenuit, Ansberti à Chiffletio ipſomet ſubornati, & Pippini in quem regnum tranſlatum eſt temporibus; Erchinoaldina vero ad eum nunquam evecta eſt. Ergo Arnulphina gens potior; Erchinoaldinæ vero inferior cenſeri dignitas debet.

11 Illius gentis quæ quinquaginta unum Reges, antequam ex æmula ullus exori-

exoriretur produxit, gloria longe ſplendidior exſurgit. Arnulphina gens quinquaginta unum Reges, antequam ex æmula Erchinoaldina ullus exoriretur produxit; nam in Carolino ramo triginta regia capita, ſi Henrici Lantgravii anno 1246 ad regnum Germanicum in ſchiſmate evecti, rationem ullam habere libeat; in Childebrandino, ex quo Capetini pullularunt, viginti unus computari ante annum 1273, quo primum Rudolphus Habsburgius Rex ſalutatus eſt, poſſunt.

12 Quæ familia *Imperatores Romanorum reales* produxit, ea illi præſtat, quæ ne unum quidem *Romanis Imperatorem realem* dedit. Arnulphina gens ex Carolino ramo *Imperatores Romanorum reales* 7 produxit, Erchinoaldina ne unum quidem, prout ante docuimus, dedit, ſed 12 tantum *Franciæ Orientalis* ſive *Imperatores* ſive *Reges*, quibus ex inveterato abuſu *Romanorum* titulus adſcriptus eſt. Ergo Arnulphina gens Erchinoaldinæ præſtat.

13 Quæ gens potiore jure in Francia Orientali regnavit, ea illi præſtat quæ minori regnavit & uſque nunc regnat. Carlovinga gens potiore jure in *Francia Orientali* regnavit, Erchinoaldina vero minore; nam *electionis* tantum jure poſſidet, quæ Carlovinga *hæreditatis* titulo poſſedit; multis etiam *regalibus* caret, quæ univerſa Carlovingi ſub manu habuerunt. Ergo Carlovinga gens Erchinoaldinæ præſtat.

14 In quam gentem regum filiæ plures ductæ ſunt, ea illi dignitate præſtat in quam pauciores. In Arnulphinam gentem Regum filiæ plures ductæ ſunt, in Erchinoaldinam pauciores. Ergo Arnulphina gens Erchinoaldinæ præſtat.

Regum filiæ in Arnulphinam gentem ductæ.

1 Blithildis Clotarii I ex Chunſena filia, quam Chiffletius Ansberto Senatori nupſiſſe vult.

In Carlovingorum ramo.

2, 3 Hermengardis & Berta Deſiderii Langobardorum Regis filiæ, Carolo & Carolomanno Franciæ Regibus nuptæ 769.

4 Otgiva Eduardi Anglorum Regis filia, Carolo ſimplici Franciæ Occidentalis Regi circa annum 912 nupta.

5 Gerberga Henrici Aucupis Francorum Orientalium Regis filia, Ludovico IV Francorum Occidentalium Regi anno 939 nupta.

6 Emma Lotharii Italiæ Regis filia, Lothario Francorum Occidentalium Regi circa annum 960 nupta.

In Childebrandino ramo.

7 Adelhais Ludovici Pii Imperatoris filia, Roberto forti Francorum Duci anno 862 nupta.

8 Hadwidis Henrici Aucupis filia, Hugoni Magno Francorum Duci anno 938 nupta.

9 Berta Conradi Burgundiæ Iuranæ Regis filia, Roberto II Regi anno 996 nupta.

10 Anna Iaroſlai Ruſſorum Kiovienſium Regis filia, Henrico I Regi circa annum 1054 nupta.

11 Conſtantia Alphonſi VIII Hiſpaniarum Imperatoris filia, anno 1155 Ludovico VII nupta.

12 Ingeburgis Voldemari Danorum Regis filia, Philippo Auguſto circa annum 1192 nupta.

13 Blanca Alphonſi IX Caſtellæ Regis filia, Ludovico VIII anno 1200 nupta.
14 Iſabella Iacobi I Arragoniæ Regis filia, Philippo audaci anno 1262 nupta.
15 Iohanna Henrici I Regis Navarræ filia & in regno hæres, Philippo Pulchro anno 1284 nupta.
16 Clementia Caroli Martelli Hungariæ Regis filia, Ludovico X anno 1315 nupta.
17 Maria Henrici VII Germanorum Imperatoris filia, Carolo Pulchro anno 1322 nupta.

In palmite Valeſio.

18 Bona Iohannis Bohemiæ Regis filia, Iohanni II Francorum regi anno 1332 nupta.
19 Maria Ludovici II Andegavi Siciliæ Regis filia, Carolo VII anno 1413 nupta.
20 Margareta Iacobi I Scotorum Regis filia, Ludovico XI anno 1436 nupta.

In palmite Aurelianenſi.

21 Iſabella Caroli VI filia, Richardi II relicta, Carolo Aurelianenſium Duci anno 1406 nupta.
22 Maria Henrici VII Anglorum Regis filia, Ludovico XII anno 1514 nupta.
23 Claudia Ludovici XII filia, Franciſco I anno 1514 nupta.
24 Leonora Philippi I Auſtriaci filia, Manuelis Regis relicta, eidem Franciſco anno 1530 nupta.
25 Maria Iacobi V Scotorum Regis filia & in regno hæres, anno 1556 Franciſco II nupta.
26 Elizabetha Maximiliani II Germanorum Imperatoris filia, Carolo IX anno 1570 nupta.

In Andegavenſi palmite.

27 Yolendis Iohannis Arragonum Regis filia, Ludovico II Andegavo Siciliæ Regi anno 1400 nupta.

In Bituricenſi palmite.

28 Catharina Caroli V filia, Ioanni Bituricenſi Montiſpenſerii Comiti anno 1386 nupta.

In Burgundico palmite.

29 Michaëlis Caroli VI filia, Philippo bono Burgundiæ Duci an. 1411 nupta.
30 Iſabella Ioannis Portugaliæ Regis filia, eidem Philippo anno 1430 nupta.
31 Catharina Caroli VII filia, Carolo Burgundiæ Duci anno 1439 nupta.
32 In priore palmite Aurelianenſi Blanca Caroli Pulchri filia, Philippo Aurelianorum Duci anno 1344 nupta.

In Ebroicenſi palmite.

33 Ioanna Navarræ Regina Ludovici X filia, Philippi Ebroicenſis anno 1318 uxor.
34 Ioanna Ioannis II Regis filia, Carolo II Navarræ Regi anno 1353 nupta.
35 Leonora Henrici II Caſtellæ Regis filia, Carolo III Navarræ Regi nupta.

In Borbonio palmite.

36 Ioanna Caroli VII filia, Ioanni II Borbonii Duci anno 1450 nupta.
37 Anna Ludovici XI filia, Petro II Borbonii Duci anno 1473 nupta.
38 Beatrix Caroli III Navarræ Regis filia, Iacobo II Marchiæ Comiti 1405 nupta.

39 Ioan-

39 Ioanna ſecunda Siciliæ Regina Caroli III filia, Iacobo eidem anno 1415 nupta.

40 Ioanna Navarræ Regina Henrici II filia, Antonio Vindocini Duci anno 1548 nupta.

41 Anna Philippi III filia, Ludovico XIII anno 1615 nupta.

In Siciliæ palmite.

42 Maria Stephani V Hungarorum Regis filia, Carolo II Siciliæ Regi anno 1270 nupta.

43 Clementia Rudolphi I Germaniæ Imperatoris filia, Carolo Martello Hungariæ Regi anno 1281 nupta.

44 Beatrix Henrici VII Germaniæ Imperatoris filia, Carolo Roberto Hungariæ Regi anno 1318 nupta.

45 Elizabetha Ladiſlai Poloniæ Regis cognomento *Lochici* filia, Carolo eidem anno 1320 nupta.

46 Margareta Caroli IV Germaniæ Imperatoris filia, Ludovico Magno Hungariæ, Poloniæ, &c. Regi circa annum 1340 nupta.

47 Elizabetha Stephani Boſniæ Regis filia, eidem Ludovico an.1363 nupta.

48 Ioanna prima Siciliæ Regina, Andreæ Ludovici fratri anno 1332, ac exinde Ludovico Tarentino 1346 nupta.

49 Yolendis Petri III Aragonum Regis filia, Roberto Siciliæ Regi anno 1297 nupta.

50 Sancia Iacobi Aragonii Balearium Regis filia, Roberto eidem anno 1305 nupta.

51 Catharina Alberti I Germaniæ Imperatoris filia, Carolo Calabriæ Duci anno 1313 nupta.

52 Maria Iacobi I Cypri Regis filia, Ladiſlao Siciliæ Regi anno 1403 nupta.

In palmite Drocenſi.

53 Blanca Theobaldi Navarræ Regis filia, Ioanni I Britanniæ Duci anno 1235 nupta.

54 Beatrix Henrici III Anglorum Regis filia, Ioanni II Britanniæ Duci anno 1359 nupta.

55 Iſabella Sancii IV Caſtellæ Regis filia, Ioanni III anno 1310 nupta.

56 Maria Eduardi III Anglorum Regis filia, Ioanni V circa annum 1345 nupta.

57 Ioanna Caroli II Navarræ Regis filia, Ioanni eidem anno 1386 nupta.

58 Ioanna Caroli VI Francorum Regis filia, Ioanni VI anno 1404 nupta.

59 Yolendis Ludovici II Siciliæ Regis filia, Franciſco I Duci an.1431 nupta.

60 Iſabella Iacobi I Scotorum Regis filia, Franciſco eidem anno 1441 nupta.

61 Maria Ioannis Brennæi Hieroſolymorum Regis filia, Balduino II Conſtantinopolitano Imperatori anno 1234 nupta.

62 Beatrix Caroli I Siciliæ Regis filia, Philippo Conſtantinopolitano Imperatori anno 1273 nupta; ex qua

63 Catharina Imperatrix, Caroli Valeſii uxor ſecunda.

In Burgundico antiquo palmite.

64 Mathildis Alphonſi I Portugaliæ Regis filia, Odonii III Burgundiæ Duci nupta.

65 Beatrix Theobaldi Navarræ Regis filia, Hugoni IV Duci an.1258 nupta.

66 Agnes Ludovici IX Regis filia, Roberto II Duci anno 1272 nupta.
67 Iohanna Philippi V Regis filia, Odoni IV Duci anno 1316 nupta.
68 Tereſia Alphonſi VI Hiſpaniæ Imperatoris filia, Henrico Burgundo Portugaliæ Comiti nupta.
69 Dulcia Raimondi Barcinonis Comitis & Petronillæ Arragonum Reginæ filia, Sancio I Portugaliæ Regi anno 1181 nupta.
70 Vrraca Alphonſi IX Caſtellæ Regis filia, Alphonſo II Regi anno 1206 nupta.
71 Beatrix Alphonſi X Caſtellæ Regis filia, Alphonſo III Regi anno 1250 nupta.
72 Iſabella Petri III Arragonum Regis filia, Dionyſio Regi an. 1282 nupta.
73 Beatrix Sancii IV Caſtellæ Regis filia, Alphonſo IV Regi nupta.
74 Blanca Petri Caſtellæ Regis filia, Petro Regi nupta & ab eo exinde dimiſſa.
75 Leonora Ferdinandi I Arragonum Regis filia, Eduardo Regi anno 1428 nupta.
76 Iohanna Henrici IV Caſtellæ Regis filia, Alphonſo V Regi anno 1475 nupta.
77 Iſabella Ferdinandi Catholici filia, Alphonſo Principi anno 1490, ac exinde Emanueli anno 1497 nupta.
78 Maria Iſabellæ germana, Emmanueli eidem anno 1500 nupta.
79 Leonora Philippi I Regis filia, Emmanueli eidem anno 1519 nupta.
80 Catharina Philippi Regis filia, Iohanni III Regi anno 1525 nupta.
81 Iohanna Caroli V Germaniæ Imperatoris filia, Iohanni Principi anno 1553 nupta.

Regum filiæ in Erchinoaldinam familiam ductæ.

1 Berta Pippini I Aquitaniæ Regis filia, Gerardo Luithardi filio circá annum 840 nupta.

In ramo Lotharingico quem Chiffletius exſcindit.

2 Margareta Theobaldi Navarræ Regis filia, Friderico II Lotharingiæ Duci nupta.
3 Iſabella Alberti I Germaniæ Imperatoris filia, Friderico III Duci nupta.
4 Margareta Ruperti Germaniæ Imperatoris filia, Carolo I Duci nupta.
5 Chriſtierna Chriſtierni III Danorum Regis filia, Franciſco Duci nupta.
6 Claudia Henrici II Francorum Regis filia, Carolo II Duci nupta.
7 Catharina Anthonii Navarræ Regis filia, Henrico Duci nupta.

In ramo Dagsburgico, quem rurſus Chiffletius exſcindit.

8 Hadwidis Hugonis Capeti Regis filia, Hugoni Comiti nupta.

In ramo Habsburgico.

9 Agnes Ottocari Bohemiæ Regis filia, Rudolpho Sueviæ Duci nupta.
10, 11 Elizabetha Primiſlai Poloniæ Regis filia, & Blanca Philippi III Francorum Regis filia, Rudolpho Auſtriaco nuptæ.
12 Iſabella Iacobi II Arragonum Regis filia, Friderico Auſtriæ Duci nupta.
13 Anna Iohannis Bohemiæ Regis filia, Otthoni Auſtriæ Duci nupta.
14 Elizabetha Sigiſmundi Germaniæ Imperatoris filia, Alberto II Imperatori nupta.

15 Io-

15 Iohanna Caroli III Siciliæ Regis filia, Guilhelmo Auſtriæ Duci nupta.
16 Leonora Eduardi Portugaliæ Regis filia, Friderico III Germaniæ Imperatori nupta.
17 Ioanna Ferdinandi Catholici filia, Philippo I Regi nupta.
18 Iſabella Emanuelis Portugaliæ Regis filia, Carolo V Germaniæ Imperatori nupta.
19 Anna Ladiſlai Hungariæ & Bohemiæ Regis filia, Ferdinando I Germaniæ Imperatori nupta.
20 Maria Ioannis Portugaliæ Regis filia, Philippo II Regi nupta.
21 Maria Angliæ Regina Henrici VIII Regis filia, eidem Philippo nupta.
22 Iſabella Henrici II Francorum Regis filia, eidem Philippo nupta.
23 Anna Maximiliani II Germaniæ Imperatoris filia, eidem Philippo nupta.
24 Maria Caroli V Germaniæ Imperatoris filia, Maximiliano II Imperatori nupta.
25 Iſabella Henrici IV Francorum Regis filia, Philippo IV nupta.
26 Maria Anna Ferdinandi III Germaniæ Imperatoris filia, Philippo eidem nupta.
27 Maria Philippi III filia, Ferdinando III Germaniæ Imperatori nupta.

15 Quæ gens plures Regum uxores produxit, ea illi præſtat ex qua pauciores proceſſerunt: Arnulphina gens plures Regum uxores produxit: ergo Arnulphina gens Erchinoaldinæ præſtat ex qua pauciores proceſſerunt.

Regum uxores ex gente Arnulphina ortæ.

In Carlovingorum ramo.

1 Ermengardis Ludovici II Imperatoris filia, anno 876 Boſoni poſtea Regi nupta.
2 Giſla Lotharii Regis ex Valdrado filia, Godefrido Danorum Regi anno 885 nupta.
3 Iuditha Caroli *Calvi* Regis ac exinde Imperatoris filia, Etelvulpho ac exinde Ethelredo Anglorum Regibus nupta.
4 Mathildis Ludovici *Tranſmarini* filia, Conrado Burgundiæ Iuranæ Regi circa annum 955 nupta.
5 Beatrix Herberti I Veromanduorum Comitis filia, Roberto I Regi nupta.

In Childebrandino ramo.

Cum Theganus Ludovici Pii coætaneus *Immam* quæ Hildegardim Caroli Magni uxorem *peperit* Nebi filiam, Houchindi neptim, Godefridi Alamannorum Ducis proneptim fuiſſe notet; Adelhardum Caroli Magni patruelem Hildegardim Reginam adeo averſatum fuiſſe, ut ſeculum relinquere & aulâ ſecedere maluerit quam eam pro uxore Caroli legitima agnoſcere, Paſchaſius Radbertus Corbeiæ veteris Abbas coætaneus in Adelhardi vita ſcribat; Hildegardis patrem Germani ſcriptores recentiores Childebrandum Alemannorum Ducem fuiſſe magno conſenſu velint, veriſimile admodum eſt Childebrandum Ducem, *Caroli Martelli germanum* & Caroli *Magni propatruum*, Immam Godefridi Ducis proneptim & Nebi filiam duxiſſe, ex qua Hildegardis proceſſerit, à Carolo vivente patre ducta; paulo poſt ubi Hermingardim Deſiderii Langobardorum Regis filiam, Bertha ſive Bertradane matre procu-

procurante duxit relicta, quamque urgente Stephano IV Papa ſibi reclamante Adelhardo rurſus ſociavit. *Cum* (inquit de Adelhardo Paſchaſius) *eſſet regali proſapia, Pippini magni Regis nepos, Caroli conſobrinus Auguſti, inter Palatii Tyrocinia omni mundi prudentia eruditus, una cum terrarum Principe magiſtris adhibitus, elegit magis juſtitiæ fore & veritatis amicus, quam in illicita conſentire, etiam multis oblectatus blanditiis. Vnde factum eſt, cum idem Imperator Carolus deſideratam* (Hermengardim) *Deſiderii Regis Italorum filiam repudiaret, quam ſibi dudum etiam quorundam Francorum juramentis petierat in conjugium, ut nullo negotio beatus ſenex perſuaderi poſſet, dum eſſet adhuc tyro Palatii, ut ei, quam vivente illa Rex acceperat,* Hildegardim ſcilicet, *aliquo communicaret ſervitutis obſequio. Sed culpabat modis omnibus tale connubium, & gemebat puer beatæ indolis, quod & nonnulli Francorum eo eſſent perjuri, atque Rex illicito uteretur thoro, propria ſine aliquo crimine repulſa uxore. Quo nimio Zelo ſuccenſus, elegit plus ſeculum relinquere adhuc puer, quam talibus admiſceri negotiis: ut propinquo, quem contra ire prohibendo non poſſet, non ſe conſentire fugiendo monſtraret,* &c. Expetitam à Carolo ſolennique more ductam Langobardi filiam domum remitti non ferebat: ſed prævaluerat Stephani Papæ dira minantis authoritas, cui ut morem gereret Carolus ad priſtinum cum Hildegarde conſortium, fruſtra reclamante Adelhardo, rediit. hæc enim Papa ad Carolum & Carlomannum germanum ſcripſerat: *Didicimus, quod Deſiderius Langobardorum Rex veſtræ perſuadere dinoſcitur excellentiæ, ſuam filiam uni ex veſtra fraternitate in connubio copulare. quod certe ſi ita eſt, hæc propria diabolica eſt immiſſio, & non tam matrimonii conjunctio, ſed conſortium nequiſſimæ adinventionis eſſe videtur; quoniam plures comperimus, ſicut divinæ ſcripturæ hiſtoria inſtruimur, per aliæ nationis injuſtam copulam à mandatis Dei deviare & in magno devolutos facinore. Quæ eſt enim, præcellentiſſimi filii, Magni Reges, talis deſipientia ut penitus, vel dici liceat, quod veſtra præclara Francorum gens, quæ ſuper omnes gentes enitet, & tam ſplendiflua ac nobiliſſima regalis veſtræ potentiæ proles, perfida, quod abſit, ac fœtentiſſima Langobardorum gente polluatur; quæ in numero gentium nequaquam computatur, de cujus natione & leproſorum genus oriri certum eſt. Nullus enim, qui mentem ſanam habet, hoc vel ſuſpicari poteſt, ut tales nominatiſſimi Reges, tanto deteſtabili atque abominabili contagio implicentur. Quæ enim ſocietas luci ad tenebras, aut quæ pars fideli cum infidele? Etenim, mitiſſimi & à Deo inſtituti benigniſſimi Reges, jam Dei voluntate & conjugio legitimo ex præceptione genitoris veſtri copulati eſtis, accipientes, ſicut præclari & nobiliſſimi Reges, de eadem veſtra patria, ſcilicet ex ipſa nobiliſſima Francorum gente, pulcherrimas conjuges, & earum vos oportet amori eſſe adnexos. Et certe vobis non licet eis dimiſſis alias ducere uxores, vel extraneæ nationis conſanguinitate immiſceri.*

In Epiſtola Papæ Stephani.

Ex prædictis quæ Abbatis & Pontificis de Caroli conjugiis ſententias è diametro pugnaſſe perſpicue docent, ſingula hæc habemus. 1 *ex Pippini præcepto* pactas ac forte conſummatas Caroli & Carolomanni cum puellis gentis ſuæ nuptias. 2 eaſdem pactis novis cum Langobardi filiabus initis ſolutas. 3 plures ex Francorum magnatibus ſacramento Langobardo dicto connubia pacta confirmaſſe. 4 Papæ connubia illa cum alienigenis, ex gente infeſta & exoſa ortis, *immiſſionem diabolicam* viſa fuiſſe. 5 repetitis ex ſcriptu-

ſcriptura veteri monitis utrumque fratrem terruiſſe. 6 eis ex patris præcepto ductas dimittere nequaquam licere pronunciaſſe. 7 repudio dato Langobardi filias res ſibi ſuas habere juſſiſſe. 8 ad prius ductarum conſortium Carolum cum fratre reverti debere cenſuiſſe. 9 Carolum Papæ obſecutum Adelhardo propinquo adeo diſplicuiſſe, ut ab ejus aulâ diverteret. 10 cum Langobardæ conjugium legitimum, Hildegardis illicitum reputaſſe; contra vero Papa reprobato Langobardæ tanquam ſuperductæ matrimonio, Hildegardim unam pro juſta Caroli uxore habuiſſe. 11 Cum *ex gente* ipſa Caroli ductam Papa ſcribat, *illicitum* ejus matrimonium, ob Caroli propinquitatem, Adelhardo creditum fuiſſe, probabile admodum eſt: Papam vero, qui in caſu ejuſmodi diſpenſari poſſe, totamque graduum infra patrueles prohibitionem matrimonio jungendis factam, jure ſolo Eccleſiaſtico niti noverat, Hildegardis conjugium ſtabile ratumque judicaſſe. nec mirum ſi Reipublicæ cauſa talia matrimonia valida reputata ſint, quandoquidem Eccleſia interdicti ſui fibulam, quotieſcunque expedire vidit, laxare potuit, imo ſæpius in Carolina familia laxavit, cum Pippinus & Ludovicus Pius, germani, Caroli patris juſſu propinquas duxiſſe comperiantur, prout ex ſubjecta tabella perſpicuum fiet.

Pippinus Heriſtalius Alpaidis maritus.

Carolus Martellus Rotrudis maritus. — Childebrandus Dux. —— Imma. (Nebi Huchindi filius, Godefridi Ducis nepos.)

Carolus Martellus: Pippinus Rex Bertæ maritus. — Bernhardus Comes. — Aldana Theodorici uxor. — Landrada Sigiranni uxor.

Childebrandus & Imma: Hildegardis Caroli Magni uxor. — Nibelungus in materni avi memoriam ſic dictus. — Geroldus. — Vlricus. — Ioſue Abbas S. Vincentii Vulturnenſis.

Pippinus Rex: Carolus Magnus Hildegardis marit.
Bernhardus Comes: Adelhardus qui Hildegardis matrimonium improbavit.
Aldana: Guilhelmus Dux Cunegundis maritus.
Landrada: Sigirannus.
Nibelungus: Theodebertus.

Carolus Magnus: Pippinus Bertæ maritus. — Ludovicus Pius Hermengardis & Iudithæ maritus.
Guilhelmus: Berta Pippini Italiæ Regis uxor.
Sigirannus: Ingoirannus.
Theodebertus: Ingeltrudis Pippini Aquitaniæ Regis uxor. — Odo Comes Ingeltrudis maritus. — Robertus Aganæ maritus.

Pippinus: Pippinus Aquitaniæ Rex, Ingeltrudis maritus. — Adelhais Roberti fortis uxor. — Carolus Calvus Hermentrudis maritus.
Ingoirannus: Hermengardis Ludovii Pii uxor.
Odo Comes: Hermentrudis Caroli Calvi uxor I.
Robertus: Robertus fortis Adelhaidis maritus.

Nihil eſſe quod à Carolo Magno propinquam ductam ſentire nos prohibeat ex præcedenta tabula evicimus. potuerit ergo Caroli parens Pippinus, ſtatuminando in familia novo regno intentus, arctius liberos cum propinquis colligaſſe, & Childebrandi patrui, cujus ope jam ſæpius ſubnixus fuerat, filiam, quam Carolo primogenito ſociaret, præ aliis omnibus ſelegiſſe. quam poſtea Carolus, in Langobardorum partes inclinans, cum deſpexiſſe videretur, Stephani Papæ auctoritate fractus domum reduxit, & ad vitæ finem, indignante Adelhardo, retinuit. Sed nihil ultra conjecturam, quam lectorum judicio ſubmiſſam volumus, nobis dare decretum eſt: tantiſperdum eruditorum ſententiam expectamus, Hildegardim Childebrando Martelli fratre natam, opinari, licitum nobis reputavimus.

5 Hildegardis Childebrandi Ducis & Immæ filia, Carolo Magno anno 768 nupta.
6 Ingeltrudis Theodeberti Comitis Matricenſis filia, Pippino Aquitaniæ Regi anno 822 nupta.
7 Hermentrudis Odonis Aurelianorum Comitis filia, Carolo Calvo Regi anno 842 nupta.
8 Emma Roberti I Regis filia, Rudolpho Regi Roberto ſuffecto nupta.
9 Margareta Ludovici VII filia, Henrico Angliæ Regi anno 1173, & Belæ III Hungarorum Regi circa annum 1190. nupta.
10 Agnes Conſtantiæ ſoror, Alexio ac exinde Andronico Imperatoribus Conſtantinopolitanis nupta.
11 Iſabella Ludovici IX filia, Theobaldo Navarræ Regi anno 1258 nupta.
12 Margareta Philippi III filia, Eduardo I Angliæ Regi anno 1299 nupta.
13 Blanca Margaretæ germana, Rudolpho Auſtriaco Bohemiæ Regi anno 1300 nupta.
14 Iſabella Philippi IV filia, Eduardo II Anglorum Regi anno 1308 nupta.
15 Ioanna Ludovici X filia, Philippo Ebroicenſi Navarræ Regi anno 1318 nupta.

In palmite Valeſio.

16 Blanca Caroli Valeſiæ Comitis, Carolo IV Germaniæ Imperatori nupta.
17 Ioanna Ioannis II Regis filia, Carolo II Navarræ Regi anno 1353 nupta.
18 Iſabella Caroli VI filia, Richardo II Anglorum Regi anno 1396 nupta.
19 Catharina Iſabellæ germana, Henrico V Anglorum Regi anno 1420 nupta.
20 Claudia Ludovici XII filia, Franciſco I anno 1514 nupta.
21 Margareta Caroli Engoliſmæ Comitis filia, Henrico II Navarræ Regi anno 1527 nupta.
22 Magdalena Franciſci I filia, Iacobo V Scotorum Regi anno 1536 nupta.
23 Iſabella Henrici II filia, Philippo II anno 1559 nupta.
24 Margareta Iſabellæ germana, Henrico IV anno 1572 nupta.

In Andegavenſi palmite.

25 Maria Ludovici II Andegavi Siciliæ Regis filia, Carolo VII anno 1413 nupta.
26 Margareta Renati Andegavi Siciliæ Regis filia, Henrico VI Anglorum Regi anno 1444 nupta.

In Ebroicenſi palmite.

27 Ioanna Ludovici Ebroicenſis filia, Carolo IV anno 1326 nupta.
28 Maria Philippi III Navarræ Regis filia, Petro IV Arragonum Regi anno 1338 nupta.
29 Iohanna Caroli II Navarræ Regis filia, Henrico IV Anglorum Regi anno 1403 nupta.
30 Blanca Caroli III Navarræ Regis filia, Martino Siciliæ Regi anno 1401 ac exinde Ioanni Arragonum Regi anno 1420 nupta.

In Borbonio palmite.

31 Maria Ludovici I Borbonii Ducis filia, Roberto Imperatori Conſtantinopolitano anno 1355 nupta.
32 Beatrix Mariæ germana, Ioanni Bohemiæ Regi anno 1334 nupta.

33 Ioan-

33 Ioanna Petri I Borbonii Ducis filia, Carolo V Francorum Regi anno 1349 nupta.
34 Blanca Ioannæ germana, Petro Caſtellæ Regi anno 1352 nupta.
35 Carlotta Ioannis Borbonii Marchiæ Comitis filia, Iano Cypri Regi anno 1408 nupta.
36 Iſabella Henrici IV filia, Philippo IV anno 1615 nupta.
37 Henrica Maria Iſabellæ germana, Carolo I magnæ Britanniæ Regi anno 1624 nupta.

In Atrebatenſi palmite.

38 Blanca Roberti I Atrebatûm Comitis filia, Henrico I Navarræ Regi anno 1262 nupta.

In Andegavenſi antiquo palmite.

39 Beatrix Caroli I Siciliæ Regis filia, Philippo Imperatori Conſtantipolitano anno 1273 nupta.
40 Blanca Caroli II Siciliæ Regis filia, Iacobo II Arragonum Regi anno 1295 nupta.
41 Leonora Blancæ germana, Friderico Trinacriæ Regi anno 1302 nupta.
42 Maria ſuperiorum germana, Sancio Balearium Regi anno 1305 nupta.
43 Clementia Caroli Martelli Hungariæ Regis filia, Ludovico X anno 1315 nupta.
44 Maria Ludovici Magni filia, Hungariæ Regina, Sigiſmundo poſtea Imperatori circa annum 1380 nupta.
45 •Hedwigis Mariæ germana Poloniæ Regina, Ladiſlao Iagelloni Regi anno 1386 nupta.
46 Iſabella Stephani Sclavoniæ Ducis filia, Philippo Tarentino Imperatori Conſtantinopolitano nupta.
47 Margareta Philippi Tarentini Imperatoris Conſtantinopolitani filia, Eduardo Scotorum Regi nupta.
48 Irene Margaretæ germana, Leonibus patruo & nepoti Armeniæ Regibus nupta.
49 Margareta Caroli Dyrrachii Ducis filia, Carolo III Neapolitano Regi anno 1368 nupta.

In Drocenſi palmite.

50 Yolendis Roberti IV Comitis filia, Alexandro III Scotorum Regi anno 1286 nupta.
51 Anna Franciſci II Britanniæ Ducis filia, Carolo VIII anno 1491 ac exinde Ludovico XII anno 1499 nupta.

In Curtiniacenſi palmite.

52 Yolendis Petri Conſtantinopolitani Imperatoris filia, Andreæ Hungarorum Regi nupta.
53 Maria Yolendis germana, Theodoro Laſcari Niceno Imperatori nupta.

In Burgundico palmite.

54 Conſtantia Roberti I Ducis filia, Alphonſo VI Hiſpaniæ Regi circa annum 1080 nupta.
55 Sibylla Hugonis II Ducis filia, Rogerio Siciliæ Regi circa annum 1148 nupta.

56 Iſabella Hugonis IV Ducis filia, Rudolpho I Germaniæ Imperatori circa annum 1283 nupta.
57 Margareta Odonis Niverni Comitis filia, Carolo I Siciliæ Regi nupta.
58 Margareta Roberti II Ducis filia, Ludovico X Regi anno 1305 nupta.
59 Ioanna Margaretæ germana, Philippo VI Regi anno 1313 nupta.
60 Vrraca Alphonſi I Portugaliæ Regis filia, Ferdinando II Legionis Regi nupta.
61 Mathildis Sancii I Regis filia, Henrico I Caſtellæ Regi nupta.
62 Beringaria Mathildis germana, Valdemaro II Danorum Regi nupta.
63 Conſtantia Dionyſii Regis filia, Ferdinando IV Caſtellæ Regi nupta.
64 Maria Alphonſi IV Regis filia, Alphonſo XI Caſtellæ Regi nupta.
65 Leonora Mariæ germana, Petro IV Arragonum Regi anno 1348 nupta.
66 Beatrix Ferdinandi Regis filia, Ioanni I Caſtellæ Regi anno 1383 nupta.
67 Leonora Eduardi Regis filia, Friderico III Germaniæ Imperatori anno 1452 nupta.
68 Ioanna Leonoræ germana, Henrico IV Caſtellæ Regi anno 1455 nupta.
69 Iſabella Petri Conimbricæ Ducis filia, Alphonſo V Regi anno 1475 nupta.
70 Iſabella Ioannis S. Iacobi Magni Magiſtri filia, Ioanni II Caſtellæ Regi nupta.
71 Leonora Ferdinandi Viſei Ducis filia, Ioanni II Regi anno 1470 nupta.
72 Iſabella Emmanuelis Regis filia, Carolo V Germaniæ Imperatori anno 1526 nupta.
73 Maria Ioannis III filia, Philippo II anno 1543 nupta.

Quibus merito adjungi poteſt ex *Burgundico ſecundo palmite*

74 Maria Caroli Ducis filia, Maximiliano I anno 1477 nupta.

Regum uxores ex gente Erchinoaldina ortæ.

1 Hermengardis Hugonis Comitis filia, Lothario Imperatori anno 821 nupta.

In Lotharingico, quem Chiffletius reſecandum pronunciat, ramo.

2 Iſabella Caroli I Ducis filia, Renato Andegavenſi Siciliæ Regi circa annum 1420 nupta.
3 Ioanna Friderici de Vadonis Monte Comitis filia, Carolo Andegavo Siciliæ Regi nupta.
4 Ludovica Nicolai Lotharingi Mercorii Ducis filia, Henrico III Regi anno 1575 nupta.
5 Maria Claudii Lotharingi Guiſiæ Ducis filia, Iacobo V Scotorum Regi circa annum 1537 nupta.

In Auſtriaco ramo.

6 Iutta Rudolphi I Germaniæ Imperatoris filia, Wenceſlao Bohemiæ Regi poſt annum 1278 nupta.

7 Cle-

7 Clementia Iuttæ germana, Carolo Martello Hungariæ Regi anno 1281 nupta.

8 Agnes Alberti I Germaniæ Imperatoris filia, Andreæ Veneto Hungarorum Regi nupta.

9 Elizabetha Alberti II Germaniæ Imperatoris filia, Caſimiro IV Poloniæ Regi nupta.

10 Leonora Philippi I Regis filia, Manueli Portugaliæ, ac exinde Franciſco I Regibus nupta.

11 Elizabetha Leonoræ germana, Chriſtierno Danorum Regi nupta.

12 Maria priorum germana, Ludovico Iagelloni Hungariæ Regi nupta.

13 Catharina priorum germana, Ioanni III Portugaliæ Regi nupta.

14 Maria Caroli V. Germaniæ Imperatoris filia, Maximiliano II patrueli nupta.

15 Elizabetha Ferdinandi I Germaniæ Imperatoris filia, Sigiſmundo Auguſto Poloniæ Regi nupta.

16 Catharina prioris germana, Sigiſmundo eidem nupta.

17 Anna Maximiliani II Germaniæ Imperatoris filia, Philippo II avunculo nupta.

18 Elizabetha Annæ germana, Carolo IX Francorum Regi anno 1570 nupta.

19 Margareta Caroli Stiriæ Archiducis filia, Philippo III nupta.

20, 21 Anna & Conſtantia Margaretæ germanæ, Sigiſmundo III Poloniæ Regi ſucceſſivè nuptæ.

22 Anna Ferdinandi Tirolis Archiducis filia, Matthiæ Germaniæ Imperatori nupta.

23 Anna Philippi III filia, Ludovico XIII nupta.

24 Maria Annæ germana, Ferdinando III nupta.

25 Cecilia Renata Ferdinandi II filia, Ladiſlao IV Poloniæ Regi nupta.

26 Maria Leopoldina Leopoldi Tirolis Archiducis filia, Ferdinando III nupta.

27 Maria Anna Ferdinandi III filia, Philippo IV avunculo nupta.

Ducum, Marchionum, Comitum, ex Arnulphina & Erchinoaldina gentibus ortos, recenſere tædioſum ac fere infinitum foret. ſed ex hiſtoriarum monumentis perito cuilibet facile apparebit Erchinoaldinas, & numero & dignitate longe ab Arnulphinis ſuperari: cum fere omnes Regum uxores, quas ſupra recenſuimus, regibus fratribus & patribus inſignes fuerint, id ſeorſim notare ſupervacaneum viſum eſt. ne quid tamen Lotharingici rami gloriæ ſubtrahere videamur, Principes duas Regum germanas, non tamen filias annotabimus; Adelaidem nimirum Lotharii Germaniæ Imperatoris ſororem, Gebhardo Suppelemburgi Comite natam, Simoni vero primo Lotharingiæ Duci nuptam: & Bertham Friderici Ahenobarbi Germaniæ Imperatoris ſororem, Friderico Sueviæ Duce natam, & Matthæo I Lotharingiæ Duci matrimonio junctam, quarum dignitas Regum filiabus proxima fuit.

16 Illius gentis quæ Romanorum & Conſtantinopolitanorum Imperatores, Francorum, Hungarorum, Polonorum, Siculorum, Navarrorum, Portuga-

tugalenſium Reges, Reginas octo, quæ ſuo ſibi jure propria Conſtantinopolis, Siliciæ, Hungariæ, Poloniæ, Navarræ regna ante ſecula aliquot vindicarunt, alias plurimas quæ maritorum jure in Caſtella, Anglia, Arragonia, Dania, &c. regnarunt protulit, & ex ramo Carolino 13, ex Childebrandino 81 regia ſuo jure regnantia capita numerat, dignitatem coæquare nullomodo poteſt; quæ 21 vel ad ſummum 23, ex Chiffletii ſententia, regia capita ſuo jure regnantia protulit. Arnulphina gens Romanorum & Conſtantinopolitanorum Imperatores, Francorum, Hungarorum, Polonorum, Siculorum, Navarrorum, Portugalenſium Reges; Reginas octo, quæ ſuo ſibi jure propria Conſtantinopolis, Siciliæ, Hungariæ, Poloniæ, Navarræ regna ante ſecula aliquot vindicarunt, alias plurimas, quæ maritorum jure in Caſtella, Anglia, Arragonia, Dania, &c. regnarunt, protulit; & ex ramo Carolino 30, ex Childebrandino 81 regia ſuo jure regnantia capita numerat; Erchinoaldina vero 21, vel ad ſummum 23 ex Chiffletii ſententia regia capita ſuo jure in Germania ſeu Francia Orientali, Italiæ parte, Hiſpania, &c. regnantia protulit. Ergo Arnulphinæ gentis dignitatem Erchinoaldina coæquare nullomodo poteſt.

Quiſquis vel rerum noſtrarum criminator, vel à criminatoribus deluſus, quod Balduinum de Curtiniaco Conſtantinopoli totaque Orientali ditione pulſum cum Philippo filio, ejuſque filia & nepte Imperatorio titulo inſignivimus, & Renatum Andegavenſem regno Neapolitano ſpoliatum cum Carolo hærede nuncupato, Siciliæ Regibus accenſuimus, ſugillandum duxerit; ad animum revocet, nihil nos præter officium, æquitatis legem, eorumque quibus unice conſultum volunt, exemplum admiſiſſe; cum enim injuriæ ſuccumbere rebuſque propriis exinde carere infortunium ſit, non dedecus; viſque major quæ regnantium fortunas evertit, nec afflictorum titulos expungat, nec jura in poſſeſſiones dominiaque eis adempta aboleat, regia dignitate, regnique quo exacti ſunt titulo nequaquam exciderint, quorum manibus ſceptrum violenter excuſſum eſt. Si Hieroſolymorum novo ſub Francorum auſpiciis fundato regno ad præclaras ſpes anno 1099 erectorum, continuoque annorum 87 ſubſidio, à Barbarorum injuriis fortiter vindicatorum; ſed ab anno 1187. in hanc uſque diem Turcico jugo preſſorum, regium titulum iis ad quos fugatorum Principum jura tranſierant ſumere licuit, quantumvis ne latum unguem in Paleſtina poſſiderent: ſi ab anno 1511 Ferdinandus Catholicus, ejuſque exemplo Carolus V, cum poſteris, Hieroſolymitani regni, ut Neapolitani Francis erepti appendicis, nomen retinuerunt, & uſque nunc retinent: ſi Philippus IV Portugalico ſolio ab avo violenter inſeſſo deturbatus, Portugalici regni titulum deponere Majeſtate ſua indignum putat: quanto indignius fuiſſet manifeſtam injuriam paſſos Curtiniacenſes & Andegavos, poſt miſerandum rerum ſuarum naufragium, nominum quæ ſola priſtini culminis ac poteſtatis indicia ſupererant ſpontaneam jacturam facere? Conſtantinopolitanos igitur ſe Imperatores ac Siciliæ Reges inſcribere poſt calamitatem nequaquam deſtiterunt qui ſibi dominium non dominii jus ab æmulis ademptum noverant, neque nos eos ex albo regum expungere decuiſſet, quos reges legitimos vimque iniquam paſſos fuiſſe credebamus. Sed in Erchinoaldinorum regum ſerie tria velit nolit Chiffletius nomina abradenda ſunt, Bertholdi nimirum, Zaringiani, & Conradi Teccenſis,

ſis, quos nec reges, nec ad regnum electos, nec regio nomine vel ad momentum uſos, probat aut probare idoneè poteſt. Expungendus etiam venit Fridericus Pulcher, qui anno 1325 regium titulum propria manu induxit, nec ab Auſtriaco ullo exinde regibus annumeratus eſt; ſed pari ſorte Germanico throno dejectus eſt, qua Maximilianum Archiducem ante annos circiter 60 Polonico, cujus nec titulos ſibi ſervavit, nec ab aliis deinceps audiit, detractum ſeculum præcedens vidit. Rudolphi VI denique Alberto I nati, quod in Bohemia aliquandiu tenuit regnum legitimum, hoc ipſo quod ſucceſſionis leges everterit, cenſeri non poſſe, clariſſimum eſt. cum enim Wenceſlaum poſt Ottocari patris cladem, Annam & Elizabetham Wenceſlai filias, poſt Wenceſlai germani mortem, ad avitum ſolium naturæ lex populorumque univerſorum deſideria vocaverint, intrudi ex aliena nulloque jure freta gente Rudolphus nequaquam debuerit.

Ottocarus Rex Conegundis Ruſſicæ maritus anno 1278 cæſus.

- Wenceſlaus Juttæ Habsburgicæ, ac exinde Elizabethæ Primiſlao Poloniæ Rege natæ maritus, juſtus patris hæres.
  - Wenceſlaus poſt patrem Rex, ſine liberis anno 1305 defunctus.
  - Anna Henrici Carinthiæ Ducis uxor, juſta fratris hæres, cujus loco Albertus I Rudolphum filium Elizabethæ Wenceſlai prioris relictæ maritum intruſit.
  - Elizabetha Regina, Joannis Lucemburgici uxor, anno 1309 ad regnum evecta.
- Agnes Rudolphi Habspurgici Sueviæ Ducis uxor.
  - Johannes Alberti I patrui percuſſor.

Expunctis ergo Bertholdi, Conradi, Friderici Pulchri, & Rudolphi Alberto I nati, nominibus ex familia Erchinoaldina, Germaniæ Imperatores 12, Hiſpaniæ Reges 4, Hungariæ & Bohemiæ Reges, quorum jus in dubium revocatum non eſt, 2, Ladiſlaus nimirum & Ferdinandus, Ferdinandi III filius, reſtant: in univerſum 18: quos 30 Carlovingis, 81 Capetinis, quiſquis vel præferendos vel æquandos putaverit, cum ratione inſanire videatur.

17 A qua gente ceu fonte communi ante ſecula multa poſt Carlovingos Auſtriaci, Caſtellenſes, Legionenſes, Arragonii, Navarri, &c. maternam originem repetunt, ea cæteris univerſis dignitate præſtat. A Childebrandino, Arnulphinæ gentis ramo, ceu communi fonte, ante multa ſæcula poſt Carlovingos Auſtriaci, Caſtellenſes, Legionenſes, Arragonii, Navarri, &c. maternam originem repetunt. Ergo Childebrandinus, Arnulphinæ gentis ramus, cæteris univerſis dignitate præſtat.

Chil-

Childebrandus Suevię Dux, Imnæ Nebi natæ maritus.

Hildegardis Caroli Magni uxor prior, ex qua Carlovingi omnes.

Nibelungus.

Theodebertus Comes Matricenſis.

Ingeltrudis Pippini Aquitaniæ Regis uxor.

Robertus Aganæ maritus, Aquitanici Palatii primus.

Odo Comes Aurelianenſis, Ingeltrudis maritus.

Robertus Fortis Dux Francorum, Adelhaidis marit.

Ermentrudis Caroli Calvi uxor prima.

Robertus I Rex, Beatricis maritus.

Ludovicus Balbus, ex quo cæteri Reges Carolini.

Juditha Balduini Comitis uxor, ex qua Flandri omnes.

Hugo Magnus, Hadwidis maritus.

Hugo Capetus Rex, Adelhaidis maritus.

Beatrix Friderici I Lotharingiæ Ducis uxor.

Robertus II Rex, Conſtantiæ maritus.

Hadwidis Reinerii IV uxor.

Itta Radebotonis Altemburgi Comitis uxor, ex qua Habſpurgici & Auſtriaci omnes.

Henricus I ex quo alii Reges.

Robertus Burgundiæ Dux Elæ maritus.

Adela Flandriæ Comes.

Beatrix Ebali I Comitis de Roſceio uxor.

Henricus Sibyllæ Burgundicæ maritus.

Conſtantia Alphonſi IV uxor.

Balduinus, ex quo Hannonici.

Robertus, ex quo Flandri.

Mathildis Guillielmi Angliæ Regis uxor.

Juditha Welffi Altorfi Comit. uxor, ex qua Welffic. gens univerſa.

Ælis patris hæres, Hilduini Comitis de Arceiis uxor.

Henricus Portugaliæ Comes, ex quo Reges Portugalici univerſi.

Vrraca Regina, Raimundi Comitis uxor.

Henricus I Mathildis Scoticæ maritus.

Felicia Sancii Arragonum Regis uxor.

Beatrix Gaufridi Moretaniæ Comitis uxor.

Alphonſus VII Berengariæ maritus.

Mathildis Gaufridi Andegavenſis uxor.

Ranimirus II Agnetis marit.

Iuliana Giſlebertí de Aquila uxor.

SanciusCaſtellæ Rex, ex quo reliqui Caſtellæ Reges.

Ferdinandus Legionis Rex, ex quo cæteri Legionis Reges, Caſtellenſium & Arragoniorum hæreditate aucti, ad annum uſque 1555.

Henricus II Alienordis maritus.

Petronilla Regina Raimundi Comitis uxor, ex qua reliqui Arragonum Reges.

Margareta Garciæ Navarrorum Regis uxor, ex quæ cæteri Navarræ Reges.

Ioannes Anglorum Rex, ex quo alii Reges.

Mathildis Henrici Leonis Ducis uxor, ex qua Luneburgi, Bavariæ, Saxoniæ Duces, Brandeburgi Marchiones, Danorum Reges, &c.

18 Quæ gens priſtinæ in Francia Occidentali dignitatis ſemper retinens, præter Romæ & Conſtantinopolis Imperia, Francorumque, Siculorum, Hungarorum, Polonorum, Portugalenſium, Navarrorum regna, tot fere Ducatus alioſque Principatus à mille annis poſſedit, quot Auſtriacus ramus à Rudolpho I Germaniæ Imperatori capita protulit, ea Auſtriacæ familiæ longe anteferri debet. Arnulphina gens priſtinæ in Francia Occidentali dignitatis ſemper retinens, præter Romæ & Conſtantinopolis Imperia, Francorumque, Siculorum, Hungarorum, Polonorum, Portugalenſium, Navarrorum regna, tot fere Ducatus alioſque Principatus à mille annis poſſedit,

dit, quot Auſtriacus ramus à Rudolpho I Germaniæ Imperatore capita protulit. Ergo Arnulphina gens Auſtriacæ familiæ longe anteferri debet.

De Imperiis & Regnis Arnulphinæ gentis tam in Carolino quam Childebrandino ramo res clara eſt; Ducatus illa, *Francorum* inter Sequanam & Ligerim univerſa complectentem; *Suevorum* quadrantem fere Germaniæ continentem; *Campaniæ* late inter Moſam & Sequanam porrectum, *Burgundiæ* ab Authiſſiodoro ad Ararim protenſum; *Aquitaniæ* à Ligeri ad Garumnam & ultra extenſum; *Britanniæ*, *Lotharingiæ utriuſque* à Voſago monte ad Oceanum; *Aurelianenſium*, *Andegavorum*, *Bituricenſium*, *Arvernorum*, *Borboniorum*, *Alenſionenſium*, *Vindocinenſium*, *Engoliſmenſium*, *Valeſiorum*, *Brabantiæ*, *Limburgi*, *Lucemburgi*, *Geldriæ*, *Meraniæ*, *Calabriæ*, *Sclavoniæ*, *Dyrrhachii*, *Montiſpenſerii*, *Mercorii*, *Caſtri Airaldi*, *Stuttevillæ*, *Longevillæ*, &c. *Veromanduorum*, *Remenſium*, *Sueſſionum*, *Senonum*, *Cenomanorum*, *Thuringiæ*, *Flandriæ*, *Attrebatum*, *Hannoniæ*, *Burgundiæ*, *Namurci*, *Hollandiæ*, *Zelandiæ*, *Zutphaniæ*, *Iſtriæ*, *Tarenti*, *Gravinæ*, *Delphinatus*, *Provinciæ*, &c. Principatus poſſedit & uſque nunc in avito ſolo magna ex parte poſſidet. Si vero recentioribus Genealogiæ Bavaricæ ſcriptoribus aſſentiamur, Bavariæ univerſæ & Auſtriæ Ducatus cum Rheni Palatinatu tenuerit, & in præſens Bavariam & Palatinatum tenebit; cum enim Bavaricæ gentis originem à Bernhardo Pippini Comitis, Bernhardo Italiæ Rege nati, filio repetant, ad noſtram uſque ætatem, ex eorum ſententia, primogenitorum Carlovingorum ramus duraverit. Sed ne in eorum partes tranſeamus, ratio temporum vetat: ex annalibus enim noſtris univerſis & vitæ Caroli Magni ſcriptoribus Bernhardum Italiæ Regem anno demum 813 matrimonio illigatum fuiſſe conſtat; ex quo proinde ante annum 814 naſci Pippinus Comes nequaquam potuerit, quem ante annum 840 uxorem non duxiſſe, ætas Heriberti & Pippini filiorum, poſt annum nongenteſimum defunctorum, docet. Heribertus enim I anno 902 Arnulphi Flandriæ Comitis juſſu peremptus, antequam ſenio marcuiſſet, è vita exceſſit. Ei autem Pippinus Sylvanectenſium Comes ſuperſtes Sprotam filiam, Guilielmo I Normannorum Duci nuptam, genuit; cui circa annum 935 Richardus I natus eſt. Arnulphus, quem Bavaricæ Genealogiæ ſcriptores Bernhardi, Pippino Comite nati, & Bernhardi Italiæ Regis nepotem fuiſſe volunt, anno 896 in prælio cæſus eſt: cumque Bavariam Ducali titulo rexerit, ſummoque cum imperio exercitui præfuerit, Lupoldum filium regendæ Bavariæ aptum hæredem reliquerit; Lupoldo vero anno 908 in prælio cæſo Arnulphus filius jam grandior ſucceſſerit, utpote qui Eberardum & Arnulphum filios militiæ jam aſſuetos & factionis capita, Iuttam filiam anno 937, quo deceſſit, viro maturam habuerit, ex qua, Henrico Ottonis I germano nupta, Henricus filius paulo poſt natus ſit, ut Bernhardus Pippini Comitis filius poſt annum 840 natus, Arnulphi Ducis, quo tempore è vivis exceſſit, tricenario imo quadragenario majoris parens fuerit, fieri nullomodo poteſt; quod ut manifeſtius fiat, tabellam quæ Pippini poſteros ex Bavarorum mente exhibeat ſubjiciemus.

Bernhardus Italiæ Rex anno 813 maritus, anno 818, vitæ circiter 20, denatus.

Pippinus Comes, poſt annum 840, qui vitæ vigeſimus ſextus ad ſummum fuit, maritus.

Bernhardus. | Herbertus I Veromanduorum Comes an. 902 cæſus. | Pippinus Silvanectenſium Comes, circa annum 910 denatus.

Arnulphus Bavariæ Dux, anno 896 vitæ ad minimum 40 cæſus. | Herbertus II anno 943 denatus. | Bernhardus patris hæres. | Sprota Guillielmo I Normannorum Duci nupta, quæ ei circa annum 935 Richardum peperit.

Lupoldus Bavariæ Dux anno 908, vitæ ad minimum 40. cæſus.

Arnulphus Bavariæ Dux anno 937 cæſus.

Eberhardus Auſtriæ Marchionum & Ducum ſtirps. | Arnulphus Schirrenſium & Vitelspachiorum ſtirps: ex qua Comites Palatini & Bavariæ Duces. | Iutta Henrico I, Ottonis I germano, anno 938 nupta.

Henricus II Bavariæ Dux, circa annum 940 natus.

Cui veriſimile fiat Bernhardi, quem Bavarici ſcriptores veterum gentis ſuæ Ducum ſtirpem fuiſſe volunt, nepotem Lupoldum, Arnulphi parentis patruis fere æquævum fuiſſe? Vnde Bernhardum in Bavariam tranſiiſſe habeant, doceant illi, ſi poſſunt; ſi non poſſunt, à fabulis improbabilibus, quæque Bernhardum impuberem parentem fuiſſe fingunt, abſtineant, nec ſereniſſimæ genti ſerviliter blandituri, veræ ejus gloriæ, quam ei illibatam ſervari volumus, officiant. Sed ſi eorum opinionem admittere libeat, longa Auſtriæ Marchionum & Ducum Schirrenſium, Vitelspachiorum, Palatinorumque Rheni Comitum & Bavariæ Ducum ſeries Carlovingæ genti accreſcet, quæ eam Erchinoaldinæ familiæ longe præſtare magis ac magis doceat. In ramo ejus Lotharingico Lotharingiæ, Barri, Mercorii, Guiſiæ, Gaudioſæ, Caproſii, Meduanæ, Aquilonii, Ellebovii Ducatus, Egensheimii, Vadonis montis, Albi montis, Haricuriæ, Riuſii, Iuliobonæ, Armeniaci, Breaunæ Comitatus, Moncionis, Attonis caſtri, Moij Marchionatus ad manus erant ex quibus gentis decus demonſtraret; ſed eorum univerſorum rationem nullam habuit, Gerardum Lotharingorum univerſorum ſtirpem ſine liberis defunctum fingens, in Altemburgico ramo præter Zaringianum antiquiorem, Auſtriæ, Carinthiæ, Sueviæ, Carniolæ, Stiriæ, Brabantiæ, Limburgi, Gueldriæ, Lucemburgi, Teccæ Ducatus ante quadringentos annos gentis nemo poſſedit, ubi poſſidere cœpit ex Arnulphina gente magna ex parte traxit, prout ad oculum infra demonſtrabimus.

19 Quæ gens ab anno ſexcenteſimo ad 750 Palatii majoribus & Francorum Ducibus, à 750 ad hodiernam diem (ſi interregnum annorum 12, ab anno 923 ad 936 excipiamus) regibus hæreditariis nunquam caruit; ei quæ duobus Palatii majoribus ab anno 646 ad 680 inſignita, tribuſque Alſatiæ Ducibus aucta; ab anno circiter 735 ad 1273 Comites tantum protulit; anno 1273 regnare exorſa, bis interregna paſſa eſt, nec in Germania hæreditario jure ſceptrum tenuit unquam, aut nunc tenet; in Bohemia & Hungaria ab anno tantum 1547, in Hiſpania ab anno 1555 hæreditario jure regnat, longe

longe præferenda eſt. Arnulphina gens ab anno 600 ad 750 Palatii majoribus & Francorum Ducibus; à 750 ad hodiernam diem (ſi interregnum annorum 12, ab anno 923 ad 936 excipiamus) regibus hæreditariis nunquam caruit. Ergo Arnulphina gens Erchinoaldinæ, quæ duobus Palatii majoribus ab anno 646 ad 680 inſignita, tribuſque Alſatiæ Ducibus aucta; ab anno circiter 735 ad 1273 Comites tantum protulit; anno 1273 regnare exorſa, bis interregna paſſa eſt, nec in Germania hæreditario jure ſceptrum tenuit unquam, aut nunc tenet; in Bohemia & Hungaria ab anno tantum 1547, in Hiſpania ab anno 1555 hæreditario jure regnat, longe præferenda eſt.

Arnulphinæ gentis Principes decem Palatii majoratu perfunctos, totidemque imo plures Francorum Duces ab anno 600 ad 750 fuiſſe notavimus. Carlovingos ab anno 750 ad 987. Capetinos Carlovingis propinquis immediate ſuffectos ab anno 987, ad noſtram uſque ætatem regnaſſe hæreditarie & regnare clarum eſt. At Erchinoaldinum neminem ante annum 1273 ullibi regnaſſe, qui in Germania per intervalla regnarunt & nunc regnant ſolo electionis jure regnum ſortitos, Bohemicum regnum Annæ parentis ad ſe anno 1547 devoluto jure tenuiſſe ac tenere, Hiſpanicum ejuſque appendices univerſas, proprio, poſt Ioannæ Reginæ anno demum 1555 defunctæ dormitionem, jure poſſediſſe & in præſens poſſidere fatentur omnes. cum autem 900 annorum ad 400 fere nulla proportio ſit, penes quos ætatis & dignitatis prærogativa ſit in dubium ſanus nullus revocaverit.

20 Cujus gentis aviti regni majeſtatem conſtanter tuentis, nunquamque à ſeculis novem niſi forte per annos duodecim à 923 ad 936 ſolio patrio excuſſæ opibus & dominiis, qua ſucceſſionis lege qua vi, ad ſe tractis, Erchinoaldina gens ante annos 175 tenuior ditata eſt, & in immenſum crevit, ea Erchinoaldinæ genti longe præferenda eſt. Arnulphinæ gentis aviti regni majeſtatem conſtanter tuentis nunquamque à ſeculis novem niſi forte per annos duodecim à 923 ad 936 ſolio patrio excuſſæ, opibus & dominiis, qua ſucceſſionis lege, qua vi, ad ſe tractis, Erchinoaldina gens ante annos 175 tenuior ditata eſt, & in immenſum crevit. ergo Arnulphina Erchinoaldinæ genti longe præferenda eſt.

Quantum Auſtriaca gens ex Capetinorum hæreditariis bonis opum ac dominiorum congeſſerit, ex ſequenti tabella manifeſtum fiet.

Iacobus I Arragonum Rex, Yolendis Hungaricæ maritus.

Petrus III Conſtantiæ Manfredo natæ maritus, qui immanis à Siculis adverſus Carolum I Capetinum anno 1282 rebellantibus admiſſi ſceleris fœdum pretium tulit, Siciliamque ſibi ſuiſque invaſit. — Yolendis Alphonſi X uxor, ex qua Caſtellenſes reliqui. — Iſabella Philippi III Francorum Regis uxor prior, ex qua Reges 18.

Iacobus II Blancæ Andegavenſis maritus. — Fridericus Trinacriæ ad vitam Rex, Leonoræ Andegavenſis maritus.

Alphonſus IV Tereſiæ Entezæ maritus. — Petrus Siciliæ adverſus pacta uſurpator, Eliſabethæ Carinthiacæ maritus.

Petrus IV. — Leonora.

Ioannes I Yolendis de Barro maritus. — Martinus Montis Blanci Dux, regnorum fratris in filiarum ejus injuriam uſurpator. — Leonora Ioannis I Caſtellæ Regis uxor, quæ fraternam hæreditatem calcato Yolendis fratre genitæ jure ad ſe traxit, & in filium ſecundogenitum tranſtulit.

Yolendis, juſta patris in Arragonum, Valentiæ, Balearium, Sardiniæ, Siciliæ trans Pharum regnis & Catalauniæ Principatu hæres, Ludovici II Andegavi Siciliæ Regis uxor. — Henricus III Caſtellæ Rex, Catharinæ Lancaſtriæ marit. — Ferdinandus Leonoræ Albuquerquiæ maritus, qui Arragonum, Valentiæ, Balearium, Sardiniæ, Siciliæ regna tenuit.

Ludovicus III Renatus Siciliæ Rex, qui hæredem fratris filium nuncupavit, anno 1480. — Carolus Cenomannorum Comes, Iſabellæ Lucemburgicæ maritus. — Maria Caroli VII Regis uxor. — Ioannes II Iſabellæ Portugalenſis maritus. — Alphonſus Arragonum, &c. Rex, qui Neapolitanum regnum Renato an. 1442 extorſit & filio notho reliquit. — Ioannes Blancæ Navarræ Reginæ ac exinde Ioannæ Henriquez maritus, fratris hæres.

Carolus IV Siciliæ Rex qui Francorum Reges, Regnorum hæredes anno 1482 ſcripſit. — Iſabella Catholica. — Ferdinandus Catholicus, qui Neapolitanum regnum anno 1505, Navarrenum anno 1512 uſurpavit. — Leonora.

Ioanna Hiſpanicarum ditionum hæres ex aſſe, Philippi I Auſtriaci uxor.

Carolus V Germaniæ Imperator, Iſabellæ Portugalenſis maritus, qui Franciſco I Mediolanum proaviæ patrimonium, Neapolitanum regnum, Flandriæ, & Atrebatum ſuprema jura abſtulit: & Navarreni regni violentam poſſeſſionem ſibi ſuiſque retinuit.

Philippus II qui anno 1580 Portugalenſe Regnum Capetinæ gentis hæreditarium invaſit, & ad poſteros tranſmiſit.

Hinc apparet Siciliam ab Arragonibus cum Sicilia, Arragones Valentiam, Baleares, Sardiniam, Neapolim, à Caſtellenſibus in Francorum, Navarræ maximam partem fœderatorum injuriam, Mediolanum cum Neapolitano & Portugalenſi Regnis ab Auſtriacis, Capetinæ genti infeſtis, uſurpata fuiſſe, ob Portugaliam invaſam Franciam cum Anglia ſpe devoratas. Philippum II Mediolanenſes palpones, Auſtriacam gentem univerſam Chiffletius, *Electam à Divino numine, ut ſparſa congregaret Imperia.* Quaſi vero Sequanus divinator, de futuro famaque ſecurus, in Principum ſuorum gratiam, quicquid vel illi cupiunt, vel ipſe ſomniavit, eis tanquam ex tripode promiſſurus in ſcenam prodierit, aut Mediolanenſes conjectores vera non dicam, ſed veriſimilia de Rege Philippo pronuntiaverint, nec eos eventus ſpei vanæ parum propitius, fere ſemper deſtituerit. Quantum enim à *congregandis ſparſis Imperiis* abfuit, qui tota vita ad nova molimina anhelus, & univerſæ Europæ inhians, infinitam opum vim ex utroque orbe avide corraſam, nullo fructu profudit, in Francia & Anglia tamdiu oppugnatis pedem figere nequaquam potuit, congregatos à majoribus in Belgio dominatus præter votum ſparſit, tamque mœrore quam ſenio ac morbis confectus, laſſatum curis ſpiritum efflavit? Portugalenſes, qui in caſſes ejus inciderant, redeunte in præcordia

Orig. Auſtr. pag. 42.

cordia

cordia virtute, ſolium nepoti erectum fortiter everterunt, eumque ad ſpargenda quæ avus congregaverat, coëgerunt: nec alius in poſterum Deo dante calliditatis & rapacitatis Hiſpanicæ machinamenta exitus manebit. *parturient montes, naſcetur ridiculus mus.* Quæ Hiſpanicæ hæreditatis ad Auſtriacos Principes devolutæ conditio fuerit breviter docuimus. Quibus nunc incrementis ex gregali Comitum ſorte ad regios titulos evecta ſit, ſigillatim demonſtrandum venit. Guntrannum divitem Altemburgicam, quæ Landaloi Archiepiſcopi ante annos 770 fuerat, ditionem, ſive materno ſive uxorio jure poſſediſſe ſupra notaveramus; anno circiter 1180 Alſatiæ Landgraviatus poſteris ejus commiſſus eſt, qui tunc præfectura potius quam dominium fuiſſe videtur: quem Rex ſalutatus, in principatum hæreditarium Rudolphus vertit. Hunc Annæ Kiburgicæ filium, Kiburgi Comitatum Argentinenſi Eccleſiæ legatum occupaſſe, refert hiſtoriæ Dominicanorum Colmarienſium ſcriptor Anonymus: *Comes* inquit *de Kiburg filiam Comitis de Sabaudia duxit uxorem: videns autem ſe ex ea filios non habere poſſe, dignitates ſuas Epiſcopo Argentinenſi tradidit, tali conditione* (*ut quidam dixerunt*) *quod Comitiſſa quaſdam res libere poſſidere deberet ad tempus vitæ ſuæ, & poſtea dignitates ad Epiſcoporum Argentinenſium poſteros devenire. Mortuo verò Comite de Kiburg Comes Rudolſus omnes pene res & dignitates per violentiam obtinuit, cum verus tamen hæres eſſe à pluribus negaretur.* Albertus Argentinenſis: *Obiit Comes de Kiburg ipſius Rudolfi avunculus, ſolam relinquens filiam, quam ipſi commiſit, qui eam Eberhardo, filio patrui ſuo, dedit in uxorem, retinens ſibi dominium in Kiburg, Winterthur, Dieſſenhofen, Baden, Mellingen, Arowe, Friburgum Vehtlandiæ & quædam alia: aſſignans tandem ei patrueli, poſtquam aliquandiu cum Duce Burgundiæ avunculo ſui morabatur, ſuperius dominium, quod ſocer ejus à matre ſua, ſorore Ducis Zeringiæ habuit, ſcilicet Burgdorff, Thune & alia quæ illius poſteritas hodie tenet: alia vero Rodolfus ſuæ poſteritati reliquit.* Qua occaſione & poteſtate Auſtriæ, Sueviæ, Stiriæ manus injecerit, earumque poſſeſſionem ad poſteros tranſmiſerit Rudolphus I, ut facilius lector capiat, pauca ei de Auſtriacorum & Suevorum veterum ſucceſſione ob oculos ponenda ſunt.

Fridericus II Germaniæ Imperator ex familia Suevica, Cônſtantiæ Arragonicæ, ac exinde Yolendis Brennææ maritus.

- 1 *nupt.* Henricus Rex, Margaretæ Auſtriacæ maritus prior.
  - Fridericus Auſtriæ Dux, ante matrem denatus.
- Margareta Alberti Miſniæ Marchionis uxor.
  - Fridericus Marchio.
- 2 *nupt.* Conradus Germaniæ Rex, Iſabellæ Bavaricæ maritus prior.
  - Conradinus Rex Suevicæ gentis poſtremus, an. 1268 Neapoli decollatus.

Lupoldus V Auſtriæ Dux, Theodoræ Angelæ maritus.

- Henricus III Agnetis maritus.
  - Gertrudis, Hermanni Badenſis uxor.
    - Fridericus Auſtriæ Dux, Neapoli 1268 decollatus, cujus hæreditas ad Margaretam matris amitam devoluta eſt.
- Fridericus.
- Lupoldus.
- Conſtantia.
- Margareta, Henrici Regis Friderico II nati, ac exinde Ottocari Regis uxor.
  - 1 *nupt.* Fridericus Dux ante matrem denatus, cujus proinde hæreditas univerſa ad matrem rediit.

Ex præmiſſis, Suevicæ & Auſtriacæ gentis mares, quo tempore Rudol-

phus ad Imperium Germanicum vocatus eſt, penitus defeciſſe apparet: ſupererant Margaretæ Friderici II filiæ liberi, Miſniæ Marchiones; ſed cum Sueviæ Ducatus maſculinus cenſeretur, eum ceu caducam poſſeſſionem fiſci viribus adjunxit, regiaque poteſtate Rudolpho filio anno 1283 tradidit Rudolphus Imperator: Ioannis vero, Rudolpho Sueviæ Duce nati, hæreditatem agnati Auſtriaci, Alberto I nati, creverunt, quam uſque nunc ſibi ſuiſque retinent.

De Auſtriæ, Stiriæ, &c. in Habſpurgicam familiam caſu hæc in hiſtoria cap.27. Bohemica Pius II. *Cum obiiſſet Fridericus Dux Auſtriæ ſine liberis, ſoror ejus Margareta hæreditatem accepit. Nupſerat hæc olim Henrico Imperatoris Friderici* II *filio, eoque ſine ſobole vita functo, in patriam redierat. Eadem jam anus Othocarum ſibi virum aſcivit, qui non tam conjugis ætatem quam dotem animo volvens, ſterile matrimonium contraxit, & principatum nobilem conſequutus, more humano, quanto plura poſſedit, tanto majora concupivit. Vlricus eo tempore Carinthiorum principatum tenebat, qui cum virili ſobole careret, accepta ex Ottocaro pecunia, Carinthiam illi, Carniolam, Marchiam Slavonicam & Portum Naonis tradidit*, &c. *Bellum Hungaris indixit, commiſſoque prælio victor ingentem prædam reportavit, Stiriamque provinciam illis ademit*, &c. *Vivente legitima uxore, & quæ ſibi tantum Imperium adjecerat, alteram ſuperduxit Cunigundam Regis Muſchooiæ filiam*, &c. *Rodolphus miſſis ad Ottocarum legatis Auſtriam & Carinthiam, cæteraſque vicinas Italiæ provincias, tanquam juris Imperii repetit, quando nec Auſtria muliebre feudum eſſet, nec Carinthiam injuſſu Cæſaris Vlricus venundare potuiſſet*, &c. *intervenientibus amicis* Rodolphus & Ottocarus *ea lege reconciliati ſunt ut Auſtria Imperatori cederet*, &c. *Anno vero* 1283 *Rudolphus Rex Auguſtæ celebravit curiam, ubi Albertum filium ſuum Ducem Auſtriæ & Stiriæ conſtituit & Rudolphum filium Ducem Sueviæ creavit.* Anno 1331 prout Albertus Argentinenſis notat, Carinthiam Auſtriacæ genti Ludovicus IV attribuit. *Mortuo*, inquit, *Duce Carinthiæ ſine filio, ſolâ ipſius Regis Bohemiæ nuru relictâ, cum ipſe Rex ſine omni brigâ crederet in ipſo Ducatu filium ſucceſſurum, Ludovicus Princeps de ipſo Ducatu Duces Auſtriæ, filios ſororis ipſius, quondam Ducis Carinthiæ, inveſtivit: filio autem Regis Bohemiæ Comitatus Tirolis remanſit.* Quis Ludovico Auſtriacis propinquis Carinthiam tradendi color fuerit, hinc Lectori perſpicuum fiet.

Otho Bavariæ Dux Agnetis Palatinæ maritus.

Ludovicus II Bavariæ Dux & Comes Palatinus, Mathildis Habſpurgicæ Rudolpho I Imperatore natæ & Alberti I germanæ maritus.

Elizabeth Meinardi Goricii & Tirolis Principis uxor.

Rudolphus Comes Palatinus.

Ludovicus IV Imperator, Beatricis Glogovicæ maritus, qui Carinthiam Auſtriacis dedit.

Henricus Carinthiæ Dux, Annæ Venceſlao Bohemiæ Rege & Iutta Alberti I germana natæ marit.

Elizabetha Alberti I Imperatoris uxor.

Ludovicus.

Margareta Maoultaſchia, Ludovici ac exinde Rudolphi Auſtriaci uxor.

Albertus Auſtrię Dux *Contractus* dictus, Ioannæ Firret. marit.

Meinardus, quo denato Margareta mater Rudolpho Auſtriaco marito Tirolim dedit.

Rudolphus Maoultaſchiæ maritus poſterior, quæ ei Tirolim dedit.

Hinc

Hinc apparet Ludovicum in partes Auſtriacorum propinquorum, poſtquam Fridericus æmulus ſublatus eſt, proniorem, & à Lucemburgicis affinibus alienum factum, Margaretæ Maoultaſchiæ propinquæ annoque 1341 nurui futuræ Ducatum paternum abſtuliſſe, eumque Alberto Contracto datum in Auſtriacam gentem tranſtuliſſe: Albertus Alberti I filius *Contractus* dictus, Ioanna Vlrici Firretenſis Comitis hærede ducta Firretenſis Comitatus dominium adeptus eſt, quod Ioanna anno 1351 defuncta ad liberos tranſiit. Eorum primogenitus Rudolphus cum Margaretam Maoultaſchiam Ludovici Bavariæ Ducis relictam, ſecundis nuptiis anno 1361 duxiſſet, pauloque poſt Meinardus Margaretæ unigenitus fatis conceſſiſſet vix puber, totam ejus ditionem ad ſe ſuoſque traxit. hinc Henricus Rebdorffius ad annum 1362. *Meinardus modico tempore ſupervixit*, &c. *& ad annum* 1363 *Duces Auſtriæ intrant terram Carinthiæ cum magno exercitu, per vallem Eniſi fluvii volentes intrare Comitatum Tirolis, ſed non potuerunt. Tandem cum aliquo tempore fuiſſet lis inter præfatos Duces Bavariæ & Duces Auſtriæ, concordati ſunt, videlicet ut ipſi Duces Auſtriæ Ducibus Bavariæ exſolverent centum millia florenorum, & ipſi præfatum Comitatum & terram poſſiderent uſque ad metas, prout hodie poſſident.*

Anno 1477 Maximilianus I Alberti Contracti abnepos, Auguſto menſe Mariam Caroli Burgundiæ Ducis unigenitam duxit, ejuſque anno 1483 Martii 25 defunctæ jure Philippus Auſtriæ Archidux primus fretus Brabantiæ, Limburgi, Gueldriæ, Lucemburgi Ducatus, Burgundiæ, Flandriæ, Attrebatum, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci, Zutphaniæ, Caroleſii Comitatus aliaque dominia Belgica poſſedit, & poſteris reliquit. Idem Ioannæ Ferdinando & Iſabella Catholicis Regibus natæ dominiorumque hæredis matrimonio anno 1496 Auguſti 13 auctus, anno 1504 Elizabethæ ſocrus uxorio jure hæreditatem crevit, annoque 1506 Septembris 24 defunctus, adeundæ ejuſdem certam ſpem filiis reliquit. ex eo tempore ad annum uſque 1555, quo Ioanna vivere deſiit, non ſuo ſed matris ſuperſtitis jure Hiſpanicam univerſam ditionem Carolus V rexit; ab ejus vero dormitione abſolutus dominus effectus Caſtellæ, Legionis, Arragonum, Valentiæ, Siciliæ trans pharum, Balearium, Sardiniæ Regna, cum Navarræ maxima parte, Catalaunia Indiciſque poſt annum 1492 ſubactis dominiis ſibi vindicavit: fueruntque in hanc diem in Auſtriaca gente quaterni Hiſpanicæ ſucceſſionis gradus; Caroli nimirum ab anno 1555 ad annum 1558 Sept. 21. Philippi II ad annum 1598 Sept. 13. Philippi III ad annum 1621 Mart. 18. Philippi IV ad 1652 alioſque quotquot ſuper addere dominus dignabitur: annum vero vaſti illius incrementi (ne canam cuiquam antiquitatem redolere videatur) nonageſimum ſeptimum in præſens numeramus.

Ferdinandus Caroli V germanus, & in Imperio Germanico ſucceſſor, diviſione bonorum tam paternorum quam maternorum facta, Germanicarum ditionum ad Auſtriacam gentem pertinentium potens factus eſt, Annaque Ludovici Hungariæ Regis germana ductâ, poſt miſerandam Ludovici, à Turcis anno 1526 profligati, cædem, uxorio jure nixus, Hungariæ, Bohemiæ, Croatiæ, Dalmatiæ Regna cum Sileſiæ Ducatu, Moraviæque & Luſatiæ Marchionatibus ſibi vindicavit, & ad mortem uxoris anno 1547 defunctæ tenuit; ab anno vero 1547 Maximilianus II, cui cum Carolo germano

com-

communis ſucceſſionis gradus eſt, ad annum 1576 Octob. 11; poſt Maximilianum II Rudolphus & Mathias filii, quorum cum Ferdinando II patruele anno 1637 Febr. 8 denato communis rurſus ſucceſſionis gradus eſt, ordine ſortiti ſunt, nunc vero Ferdinandus III ſucceſſionis hærede, deſignato Ferdinando filio, tenet. Fluxerunt vero ab Annæ Iagellonicæ morte, quæ filios in Hungaricarum & Bohemicarum ditionum poſſeſſionem miſit anni 105: quod rurſus dominationis, in quam hæreditario jure ad poſteros devolvendam, tam Hungari quam Bohemi ægre conſenſerunt, non antiquitatem ſed novitatem ſpirat.

Vt ſuperiora velut in pugnum contrahamus, poſt Palatii Neuſtrici Majores duos, eoſque Francorum Duces, tres Alſatiæ Duces Erchinoaldina familia tulit; exinde per annos trecentos dignitatis Ducalis totale deliquium paſſa, rurſus eodem ornata eſt: nam Lotharingiæ ſuperioris Ducatus Alberto conſobrino anno 1046, Gerardo Alberti germano anno 1048 ab Henrico II commiſſus eſt, quem ad hanc uſque diem ſibi Gerardi poſteri diverſimode decurtatum ſervarunt; anno vero 1055 poſt Welphum Carinthiacum Bertholdus obtinuit, quem dimittere juſſus, Ducalem titulum mordicus retinuit, ſeque Zaringhiæ Caſtri, in Briſiaci vicinia poſiti, Ducem inſcripſit. id autem eo accuratius notandum venit, quod multi rerum minus periti Zaringhiam regionem Ducali titulo ornatam fuiſſe ſuſpicari poſſint. Paulo poſtquam Rudolphus, ex Rheinfeldiæ Comite Alamannorum Dux, Germaniæ Rex in ſchiſmate ſalutatus eſt, in Bertholdum II Agnetis filiæ maritum Alamannici Ducatus titulus à Rudolpho tranſmiſſus eſt; qui tituli rem ſibi vindicare conatus, cum Friderico ab Hohenſtauffen, Duce ab Henrico IV pronunciato, generoque aſcito, manus ſæpius conſeruit, ſed in ordinem coactus intra fines ſe modicos continuit. Poſt Henrici V mortem Lotharius ei ſuffectus Conradum Bertoldi II filium in majus extulit & Burgundiæ Iuranæ præfecturâ donavit; ſed poſt ejus anno 1152 denati dormitionem, pactis cum Friderico Ahenobarbo Imperatore initis, Bertholdus Conradi filius trium in Burgundia Iurana diœceſeon regimen ſuſcepit, & exinde ſe Burgundiæ, minoris ſcilicet & montanæ Ducem inſcripſit. Otto Friſingenſis de geſtis Friderici lib. 1, c. 8. *Sic itaque prædictus Fridericus, Dux ſimul Suevorum & gener Regis factus, ad propria rediit; & ne multis morer, Bertolfum tandem pacem petere coëgit: quod tamen quidam ſub filio ſuo Friderico factum tradunt. Conditio autem pacis talis fuit, ut Bertolfus Ducatum exfeſtucaret, ſic tamen quod Turegum nobiliſſimum Sueviæ oppidum, à manu Imperatoris ei tenendum remaneret*, &c. cap. 26. *Poſt hæc Conrado Duci, ſupradicti Bertolfi Ducis filio, bellum indicit: captoque ſupra memorato Alemanniæ oppido Turego, præſidia ibidem poſuit. Dehinc junctis ſibi etiam quibuſdam de Bajoaria nobilibus, præfati Ducis terram cum magna manu militum introivit, atque ad ultima pene Alemanniæ procedens, ad Zaringen uſque ejuſdem Ducis caſtrum pervenit, nullo ſibi obviante, vel reſiſtere valente. Non multo poſt etiam arcem ipſius quandam, quæ cunctis adhuc cernentibus inexpugnabilis eſſe videtur, cepit & expugnavit: ac contra multorum opinionem, fortiſſimum & ditiſſimum Ducem tam acriter debellavit, ut ad patrem patruumque ſuum ſupplicem eum venire, ac pacem petere cogeret*. lib. 2, c. 29. *Longa itaque concertatione in tantum ut etiam in campo congreſſu publico ab eis pugnaretur, pene uſque in præſentiarum*

dedu-

ducta eſt hæc controverſia, donec recenter ab Imperatore, ſicut cognovimus, eo tenore deciſa eſt, quod Bertolfus prædicti Conradi filius, in negotii tranſactionem, tres civitates inter Iuram & montem Iovis, Loſannam, Gebennam & N. accepit, cæteris omnibus Imperatrici relictis. Otto de S. Blaſio c.21. *Burgundiam ingreſſus, terram ſoceri ſui Reginaldi Comitis, qui jam obierat, in ditionem ſuam redegit, ac regnum Burgundiæ cum Archiſolio Arelatenſi, quod Duces de Zeringen, quamvis ſine fructu, tantum honore nominis jure beneficii ab Imperio jam diu tenuerant, à Bertolfo Duce extorſit, præſtitis ſibi trium Epiſcopatuum advocatia, cum inveſtitura regalium, ſc. Lauſanenſis, Genevenſis, Sedunenſis.*

Anno 1218 Zaringiæ Ducum ſeries defecit, ſed Albertus Conradi anno 1152, defuncti ſecundogenitus, quod ex Ducali familia originem duceret, Teccæ ſe Ducem inſcripſit, per quem novem gradus Teccenſium Ducum perducta linea eorum dominium ad Wirtembergicos Principes, poſtremi Ducis Friderici filia oriundos, devolutum eſt. Quam inter Lotharingiam & Zaringiam mediam, natura conſtituerat poſtremam, ad honores evexit temporum conditio. Habsburgica gens ſolo Comitis titulo hactenus contenta, circa annum 1180 Landgraviatus Alſatiæ dignitate aucta eſt: poſt annum 1240 Kiburgenſem Comitatum ſibi ſubjecit: anno 1273 ad regnum Germanicum primum aſſurrexit; anno vero 1283 Ducatuum hæreditariorum titulos primum obtinuit. hoc igitur ordine poſt gentiles familias caput attollere cœpit: ante annos 472, anno nimirum 1180, Landgraviatum Præfecturam verius quam dominium ſortita eſt: cum jam per annos 134 Lotharingii, per 125 Zaringiani Ducali titulo inſigniti fuiſſent; ante annos 379, anno nimirum 1273, Rudolphus Habsburgi Comes Germaniæ Imperator electus eſt; cum jam ex Arnulphinæ gentis Carolino ramo Reges, in quibus Romani Imperatores ſeptem, numero 30, in Childebrando 13 regnaſſent, eorumque reſpectu Habsburgica gens origine antiquiſſima in Regno recens & plane nova dici vere potuit: ante annos 369, anno nimirum 1283, Auſtriæ & Stiriæ Ducatibus Albertus, Suevico Rudolphus, à Rudolpho parente, jure regio uſo, donati ſunt: ante annos 321, anno nimirum 1331, Carinthiacum Ducatum à Ludovico IV Imperatore, Albertus Auſtriacus cognomento *Contractus*, obtinuit: ante annos 289, anno nimirum 1363, Margareta cognomento *Maultaſchia*, Rudolpho Auſtriaco marito, Tyrolis Principatum donavit: ante annos 169, anno nimirum 1483, univerſa Mariæ Burgundicæ parentis hæreditate Philippus I Archidux cum poſteris locupletatus eſt: ante annos 105, anno nimirum 1547, Auſtriacorum Principum linea Germanica, Hungariæ, Bohemiæ, Croatiæ, Dalmatiæ Regna, Sileſiæ Ducatum, Moraviæ & Luſatiæ Marchionatus hæreditario jure poſſidere cœpit: ante annos vero 97, anno nimirum 1555, Hiſpanicorum linea Hiſpanicam univerſam, præter Portugalenſes & Algarbios, cum Balearibus, Sicilia utraque, Sardinia & Indicis ditionibus hæreditario titulo tenuit: ante annos 117, anno nimirum 1535, Mediolanum: ante 72, anno nimirum 1580, Portugaliam, qua anno 1640 pulſi ſunt, occupavit. Sunt autem ex univerſa gente Germaniæ Imperatores 12, Reges 6, Imperatorum ſibimet ſuccedentium lineæ Hiſpanicæ reſpectu gradus 5, Germanicæ 7, Hiſpaniæ Regum gradus 4, Hungaricorum & Bohemicorum 3, cum Fer-

 dinan-

dinandus qui nunc Hungariæ Rex audit, patris uſque nunc ſoſpitis, non proprio jure regnet.

Vniverſa hæc ut fortius evidentia ſua oculos lectorum feriant ſubjecta tabella exhibebit.

I. *Gradus Imperatorii.* 1 Rudolphus I Germaniæ Imperator electus anno 1273.

II. 2 Albertus I Auſtriæ & Stiriæ Dux anno 1283, Germaniæ Imper. anno 1298 creatus. — Rudolphus Sueviæ Dux anno 1283 creatus.

3 Rudolphus Auſtriæ Dux, Regno Bohemico anno 1307 detruſus. — 4 Fridericus qui regnum Germanicum affectavit, anno 1325 abdicare coactus. — Albertus *Contractus* Ioannæ Firretarum Comitatus hæredis marit. anno 1331 Carinthiæ Ducatu donatus. *Gradus Duca.*

Gradus Ducales. Albertus Auſtriæ Dux. — Leopoldus Sueviæ Dux.

III. Albertus Auſtriæ Dux. — Erneſtus Stiriæ, &c. Dux.

IIII. 5 Albertus II Germaniæ Imperator anno 1438 electus. — 6 Fridericus III Germaniæ Imperator anno 1439 electus.

7 Ladiſlaus Hungariæ & Bohemiæ Rex. — 8 Maximilianus I Germaniæ Imperator anno 1494 electus.

9 Philippus Archidux I in Hiſpania uxorio regnans jure.

V. *Gradus ſucceſſionis Hiſpanicæ.* 10 Carolus V Germaniæ Imperator anno 1519 electus. primus jure proprio poſt annum 1555 in Hiſpania regnans. — 11 Ferdinandus I Germaniæ Imperator anno 1556 electus.

VI. 12 Philippus II. — *Succeſſionis in Hungaria gradus.* 13 Maximilianus II Germaniæ Imperator 1564 electus, in Hungaria Bohemia, &c. jure proprio ab anno 1547 regnans. — Carolus Archidux.

VII. 14 Philippus III. — 15 Rudolphus II Imper. & poſt patrem Hungariæ & Bohemiæ Rex. — 16 Mathias poſt fratrem Imperat. Hungariæ & Bohemiæ Rex. — 17 Ferdinandus II poſt Mathiam Imper. & Hungariæ &c. Rex.

18 Philippus IV. — 19 Ferdinandus III poſt patrem Germaniæ Imp. & Hungariæ ac Bohemiæ Rex.

20 Ferdinandus Hungariæ Rex.

Poſtquam Arnulphinam cum Erchinoaldina gente compoſuimus, quantumque hæc infra illam ſubſidat, demonſtravimus, id unum à nobis exigi poſſe videtur, ut Rudolphi I cum Roberto Borboniorum proprio fonte comparationem juſtam inſtituamus.

1 Rudolphum Regio diademate anno 1273 redimitum fuiſſe, novum & in gente univerſa; ex qua nemo ad regnum evectus fuerat antea, inauditum fuit: Robertum noſtrum regibus atavis editum non per ſe regnare novum fuit.

2 Rudolphus Palatii majores Francorum Duces duos tantum, Alſatiæ Ducem unicum, inter avos numerare potuit. Palatii majores duos, imo ſi Chiffletium Ansbertum nobis ſubornantem audiamus tres, Francorum Duces tres, Sueviæ Ducem unum, Reges decem avos quos numeraret Robertus noſter habuit.

3 Inter Adalricum Ethiconem Alſatiæ Ducem, & Rudolphum I Comites 15, per quos ad eum Adalrici tradux deveniret, poſiti ſunt: Inter Arnul-

nulphum tam Carolinæ quam Childebrandinæ gentis fontem communem duos tantum Comites,· cæteros vel Palatii Majores, vel Francorum Duces, vel Reges invenire à quibus ortum duxerit licet.

4 Vxorum quas Roberti majores duxerunt univerſarum, ſi duas, Nibelungo & Theodeberto junctas, excipiamus, nomina nota ſunt. Rudolphi ataviarum ſuarum ſex nomina ab oblivione vindicare non potuit, imo uſque nunc ignorantur.

5 Rudolphi ataviarum nulla quod ſciamus, Rege vel Duce parente nata eſt. Inter Roberti atavias Begga Palatii Majore, Imma Sueviæ Duce, Agana regia ſtirpe edita eſt, Adelhais Imperatoris filia, Beatrix regii ſanguinis Princeps, Hadwidis Regis Adelhais Ducis filia, Anna Rege nata, Blancæ Rege, Margareta regii Arragonum ſanguinis Principe edita eſt.

6 Anna Rudolphi uxor prior Suevici, Comitis; Beatrix Roberti uxor regii ſanguinis ex Burgundica linea Princeps fuit.

7 Rudolphus cum Regibus editus non ſit, Regum nec filius, nec germanus, nec patruus, nec agnatus, nec nepos, nec cognatus fuit. Robertus Rege patre & atavis editus, Philippi III Regis frater, Philippi IV patruus, Ludovici X, Philipporum V & VI, Caroli IV propatruus, Caroli I Siciliæ Regis ex germano primogenito nepos, ſecundi patruelis, Alphonſi III Portugaliæ Regis agnatus, Caſtellæ & Aragoniæ Regum cognatus fuit.

8 Rudolphi pater à nonnullis *ſapiens & ſenior*, à nemine hactenus ſanctus audiit: Roberti parentem ob vitæ ſanctimoniam Romana Eccleſia cœlitum albo aſcripſit & cultu dignum judicavit.

9 Si Rudolphus per ſe regnâvit, regem genuit, Regum Hungariæ & Bohemiæ ſocer fuit, hiſque nominibus Roberto præeminere videatur, id Roberto & poſteris ad regii culminis decus vindicandum ſatis fuerit, quod ille in germano & germani filiis, filii in patruelibus & proximis agnatis late, hæreditarioque jure ſemper regnaverint: Quod Rudolphi poſteris nonniſi per intervalla in Germania electionis ſolo jure, extra Germaniam nunquam niſi poſt annum 1500 contigit.

10 Coætaneos & duplici affinitatis vinculo colligatos Rudolphum & Robertum fuiſſe hinc conſtare poteſt; Rudolphus anno 1218, Robertus vero 1256, qui Rudolphi 38 erat, utero materno fuſus eſt, eodem fere tempore quo Rudolphus Germanicum ſolium inſcendit. Robertus noſter Beatricem duxit, cujus amita Iſabella anno 1284 Rudolpho juncta eſt: Cumque Robertus Burgundiæ Dux Iſabellæ frater ὁμοπάτριος, Agnetem Roberti germanam matrimonio ſibi ſociaverit, fuerit, Roberto noſtro, Rudolphus, hinc ex affinitate amitinus, inde ſororius.

Hugo IV Burgundiæ Dux, Yolendis Drocenſis ac exinde Beatricis Navarræ maritus.

1 nupt.		2 nupt.
Iohannes Agnetis Borboniæ maritus.	Robertus II Dux, Agnetis Ludovico IX natæ & Roberti Comitis germanæ maritus.	Iſabella Rudolphi I Germaniæ Imperatoris uxor 2.
Beatrix Roberti Comitis Borboniorum parentis uxor.		

Rudolpho anno 1291 denato ad annum 1317 ſuperſtes Robertus, bis

Habſpurgicorum Principum manu excuſſum & ad alienos tranſlatum Germaniæ ſceptrum vidit. Anno enim 1292 Rudolphi loco Adolphus Naſſovius; 1308 poſt Albertum à fratris filio confoſſum, Henricus VII Lucemburgi Comes electus eſt. Quo vero tempore ad meliorem vitam tranſlatus eſt, totis de Regno viribus certabant, hinc Ludovicus Bavarus, inde Fridericus pulcher Alberti filius, qui tandem æmulo ut jure potiori, ſic proſperiore fortuna uſo, cedere, regiumque nomen manu propria abradere coactus eſt, tantiſperdum glorioſa nulloque procellæ ſævientis impetu concuſſa Francorum ſucceſſio decurrebat, Philippo III in *Pulchri* filii Regno Navarræno aucti manus regias ſceptrum, dum naturæ concedit, deponente, hoc vero natis ordine ſucceſſuris placide relinquente.

Roberto Borboniæ gentis fonti Ludovicus ſucceſſit, ducali dignitate ornatus, qui Mariam Hannonicam duxit, proavo Balduino I Conſtantinopolis Imperatore, proavunculo Guillielmo Germaniæ Imperatore, editam, Henrici VII Germaniæ Imperatoris materteram, Margaretæ Ludovici IV Germaniæ Imperatoris & Philippæ Eduardi III Anglorum Regis uxorum amitam, Mariæ Cypri & Beatricis Bohemiæ Reginarum matrem. Rudolpho I natus Albertus I Auſtriæ & Stiriæ Dux Eliſabetham Carinthiacam duxit, cujus genus nec Imperatorium nec Regium fuit; ex eaque Regina unica Agnes Andreæ Hungarorum Regis uxor proceſſit; unde facile colligitur, Ludovicum qui infra Albertum, ad Regnum Germanicum evectum, ſubſediſſe videri poſſit, uxoris, filiarum & agnatorum Regum, quibus Albertus caruit, reſpectu, ſuperiorem fuiſſe. Ludovico nati Petrus & Iacobus, quorum ille Iſabellam Valeſiam, Franciæ & Navarræ Regum patruelem & amitam, Siciliæ, Hungariæ, Portugaliæ Regum conſanguineam, Ioannæ Franciæ, & Blancæ Caſtellæ Reginarum matrem duxit; hic Ioannam de ſancto Paulo, ex Caſtilionea gente Regum affinitatibus clariſſima, ſibi matrimonio ſociavit. ſi vero Albertus, quod Rege natus, fratreſque Rudolphum & Fridericum titulo regio aliquandiu ornatos habuerit, præcellere videatur; Ioannæ Firretenſis, quam ex familia Comitali duxit, matrimonium, cum Petro Borbonio regii ſanguinis matronæ juncto cedere cogit, Iacobo vero Comite genitæ marito æquat: quod etiam Reginæ nullius parens fuit, cum infra Petrum Borbonium dejicit.

Petro I Borboniorum Duci Ludovicus II ſucceſſit, Annæ Delphinæ ex Comitum Arvernicorum progenie & avia Borbonia editæ matrimonio felix; Iacobo Ioannes I Catharinæ Vindocini Comitis, cujus mater, Ioanna de Pontivo, regii Caſtellenſium ſanguinis Princeps erat. Tale nihil Albertus Auſtriæ Dux & Leopoldus Germanus, Alberto Contracto nati, ſibi vindicare potuêre; cum ille Beatricem Nurembergicam, ex Comitum Soleranorum gente ortam; hic Viridem Bernabonis Vicecomitis Mediolanenſium Principis filiam duxerit; neuter vero Regis tempore illo ſuperſtitis agnatus fuit; aut Regis ullius vel Reginæ parens; quâ in parte iis Borbonii longe ſuperiores fuerunt, Francicorum, Siculorum, Hungaricorum, Polonicorum, Portugalenſium & Navarrorum agnati: Ioannes vero Carlottæ, Iano Cypri Regi nuptæ & Iacobi Ioannæ II Siciliæ Reginæ, quam Guillielmus Leopoldi Auſtriaci filius, antequam illa regnaret, duxerat, mariti parens fuit; quâ in parte Auſtriacæ gentis Principibus præcelluit.

Poſt

Poſt Ludovicum II Borboniorum Ducatus ad Ioannem I devenit, Mariæ Bituricenſis, regio ſanguine ortæ, maritum. Poſt Ioannem Marchiæ & Vindocini Comitem Marchiæ Comitatus ad Iacobum II gemino matrimonio Regio clarum; cum ille prioribus nuptiis Beatricem Navarram; ſecundis Ioannam II Neapolitanam, Guillielmi Auſtriaci, ante Regnum relictam, duxerit. Vindocini Comitatus Ludovico I Ioannæ de Valle, cujus avia regii ſanguinis ex familia Brittanica Princeps fuerat, marito obvenit. Albertus Alberto & Beatrice Nurembergica natus, Ioannam Bavaricam, cujus avus Ludovicus IV in Germania regnaverat, Erneſtus Leopoldi filius Zimburgim Maſſovicam ex Regio Polonorum ſanguine oriundam duxit; fuitque uterque Regum parens; quandoquidem Alberto Albertus II filius, Sigiſmundo, Erneſti filius Fridericus III, Alberto propinquo ſuffectus eſt; hac in parte Borboniis ſuperiores fuerint, à quibus viciſſim longe in eo ſuperati ſunt, quod nec Albertus nec Erneſtus Regum ullorum vel Reginarum agnati fuerint: Ludovicus Vindocinenſis Carlottæ Reginæ germanus, Ioannæ II ſororius, Regum vero plurimorum agnatione nobilitatus eſt.

Carolo I Borboniorum poſt Ioannem I patrem Duci, Agnes Ioannæ Burgundiæ Ducis regii ſanguinis Principis filia, Ludovico germano Montiſpenſerii Comiti, Gabrielis de Turre Bertranni Avernorum & Bononiæ Comitis filia; Ioanni Vindocini Comiti, Ludovici filio, Iſabella de Bellovallo, ex nobiliſſima in Turonibus gente orta, nupſit: Alberto vero Alberti & Ioannæ Bavaræ filio Elizabetha Sigiſmundo Germaniæ Imperatore nata, Friderico Erneſti filio Leonora Eduardi Portugalliæ Regis filia, juncta eſt: Albertus ſocero, Fridericus patrueli ſuffectus, ſceptrum Germanicum tenuit: Cumque ille Ladiſlaum Hungariæ & Bohemiæ Regem & Elizabetham Caſimiri Poloniæ Regis uxorem genuerit; hic Maximiliani, cui ſceptrum Germanicum poſtea delatum eſt, parens fuerit, primuſque ex Auſtriaca gente Regem & Reginam agnatos habuerit, ſupra Borbonios uterque aliquid conſecutus fuiſſe videri poſſit: ſed id ad Borboniorum prærogativam ſupra Auſtriacos referendum fuerit, quod plures Reges hæreditarios agnatos habuerint.

Ioannes II Caroli I filius Ioannam Caroli VII filiam, ac exinde Catharinam Armeniacam, cujus & mater & avia regii ſanguinis Principes fuerant; Petrus II Ioannis frater Annam, Ludovico XI Rege natam, Giſlebertus Seſſæ Archidux Ludovici Montiſpenſerii Comitis filius Claram Friderico Gonzaga Mantuæ Marchione natam; Franciſcus Ioannis II Vindocini Comitis filius, Mariam Lucemburgicam, ex familia quæ Germaniæ Henricum VII, Carolum IV, Wenceſlaum, Sigiſmundum Iodocum Imperatores Bohemiæ, Ioannem Regem dederat, ortam duxerunt: Maximilianus I Friderici III filius Mariam Carolo Burgundiæ Duce natam, eoque Ioanna & Anna Regum filiabus inferiorem Borboniorum uxoribus, ſibi matrimonio junxit, qua denata Blancam Sfortiam, ex gente nuper ad Ducatum evectâ, adſcivit, eaque in parte à Borboniis nonnihil ſuperari viſus eſt.

Carolus II Giſleberti filius Suſannam Petro II & Annâ Francicâ natam; Carolus Franciſci filius Vindocini Dux Franciſcam Alenzoniam Regii ſanguinis Principem: Philippus vero Maximiliani I filius, Auſtriæ Archidux primus, Ioannam, Ferdinando & Iſabella Catholicis Regibus natam, duxit;

eaque in parte ſupra Borbonios evectus eſt: Sed iis viciſſim in eo cum patre ceſſit, quod Regibus agnatis caruit. Antonius Caroli filius, Ioannæ Labretanæ Navarræ Reginæ, Franciſci I ex ſorore neptis, Henrici II conſobrinæ, matrimonio auctus eſt, & uxorio, prout paulo ante Philippus Auſtriacus, jure regnavit. Carolus V Germaniæ Imperator Iſabellæ, Manuelis Portugalliæ Regis filiæ; Ferdinandus I, poſt Carolum germanum ad Imperium vocatus, Annæ Ladiſlai Hungariæ & Bohemiæ Regis filiæ junctus eſt. Cum autem Regni unicam hæredem & Reginam, jure ſuo regnantem, quam Regis filiam paternum regnum nunquam adepturam, aut fratri immaturo funere ſublato armata manu ſufficiendam, duxiſſe majus ſit; Antonii unicæ Navarreni Regni hæredis & Reginæ, jure ſuo regnantis, mariti, quam Caroli V Regis filiæ, paternum Regnum nunquam adepturæ, & Ferdinandi Ludovico fratri armata manu ſufficiendæ, junctorum, potior conditio fuerit.

Henricus IV, Antonii & Ioannæ filius, Mariam Mediceam, cujus mater Ferdinandi I Germaniæ Imperatoris filia, Maximiliani II germana, Caroli V neptis, Rudolphi II, Mathiæ, Ferdinandi II Annæque Philippo II nuptæ amita, & Philippi ejuſdem agnata fuerat, duxit: quæ ſi Philippi II uxoribus quatuor Regum filiabus, quarum prima Portugalliæ, ſecunda Angliæ, tertia Franciæ, quarta Germaniæ Rege nata eſt, ſecunda vero jure ſuo Regina fuit, & Maximiliani II conjugi, Caroli V filiæ cedere debeat, Mathiæ & Ferdinandi II conjugibus propinquis æquiparari poſſit.

Ludovicus XIII Annam Philippi III primogenitam ſibi matrimonio ſociavit, cujus in prærogativa ſupra Margaretam matrem Philippo III nuptam, eminet, quod Rege patre, matre vero Duce nata ſit, quodque in Regis illius, qui primas inter Chriſtianos Reges tenuit, filiumque primæ dignitatis hæredem reliquit, domum ducta eſt.

Abſoluta inter Borboniam & Auſtriacam familias comparatione, quæ utriuſque genuinum decus aſſeruit, & bona fide indicavit, quid affinitatibus mutuo contractis Arnulphina gens Erchinoaldinæ & Erchinoaldina Arnulphinæ contulerit ordine referendum eſt.

Arnulphinæ Erchinoaldinis nuptæ.

1 Berta Pippini Aquitaniæ Regis filia, Gerardo Luithardi & Grimildis filio nupta.

2 Yolendis Renati Andegavi Siciliæ Regis filia, Friderico Lotharingo Vadonis montis Comiti nupta.

3 Renata Giſleberti Borbonii Montiſpenſerii Comitis filia, Antonio Lotharingiæ Duci nupta.

4 Antonia Franciſci Borbonii Vindocini Comitis filia, Claudio Lotharingo Guiſiæ Duci nupta.

5 Claudia Henrici II filia, Carolo II Lotharingiæ Duci nupta.

6 Catharina Antonii Borbonii Navarræ Regis filia, Henrico Barri ac exinde Lotharingiæ Duci nupta.

7 Franciſca Maria Ludovici Emmanuelis Valeſii Engoliſmæ Ducis filia, Ludovico Lotharingo Gaudioſæ Duci nupta.

8 Catharina Henrica Henrici IV filia naturalis, Carolo II Lotharingo Elleboviì Duci nupta.

In

In ramo Dagsburgico, quem cum Lotharingo Chiffletius expungit.

9 Hadwidis Hugonis Capeti Regis filia, Hugoni Dagsburgico nupta.

In ramo Habsburgico.

10 Iſabella Hugonis IV Burgundiæ Ducis filia, Rudolpho Habsburgico Germaniæ Imperatori nupta.

11 Blanca Philippi III Regis filia, Rudolpho Alberti I Germaniæ Imperatoris filio nupta.

12 Catharina Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filia, Leopoldo Auſtriaco Leopoldi filio nupta.

13 Ioanna Caroli III Siciliæ Regis filia, Guilhelmo Leopoldi germano nupta.

14 Leonora Eduardi Portugaliæ Regis filia, Friderico III Germaniæ Imperatori nupta.

15 Maria Caroli Burgundiæ Ducis unigenita, Maximiliano I Germaniæ Imperatori nupta.

16 Iſabella Emmanuelis Portugaliæ Regis filia, Carolo V Germaniæ Imperatori nupta.

17 Maria Ioannis III Portugaliæ Regis filia, Philippo II Hiſpaniarum Regi nupta.

18 Iſabella Henrici II Regis filia, Philippo eidem nupta.

19 Iſabella Henrici IV filia, Philippo IV nupta.

Erchinoaldinæ Arnulphinis nuptæ.

1 Ermengardis Hugonis Comitis filia, Lothario Imperatori nupta.

Ex ramo Lotharingico.

2 Adelais Mathei I Lotharingiæ Ducis filia, Hugoni III Burgundiæ Duci nupta.

3 Iſabella Caroli I Lotharingiæ Ducis filia, Renato Andegavo Siciliæ Regi nupta.

4 Margareta Friderici Lotharingi Vadonis montis filia, Renato Alenſionis Duci nupta.

5 Ioanna Margaretæ germana, Carolo IV Andegavo Siciliæ Regi nupta.

6 Ludovica Nicolai Lotharingii Mercorii Ducis filia, Henrico III Regi nupta.

7 Franciſca Philippi Lotharingi Mercorii Ducis filia, Cæſari Vindocini Comiti nupta.

8 Margareta Franciſci Lotharingi Vadonis montis Comitis filia, Gaſtoni Aurelianorum Duci nupta.

9 Maria Claudii Lotharingi Guiſiæ Ducis filia, Ludovico Longævillæ Duci nupta.

10 Catharina Franciſci Lotharingi Guiſiæ Ducis filia, Ludovico Borbonio Montiſpenſerii Duci nupta.

11 Ludovica Henrici Lotharingi Guiſiæ Ducis filia, Franciſco Borbonio Contii Principi nupta.

In ramo Habsburgico.

12 Clementia Rudolphi I Germaniæ Imperatoris filia, Carolo Martello Hungariæ Regi nupta.

13 Ca-

13 Catharina Alberti I Germaniæ Imperatoris filia, Carolo Andegavo Calabriæ Duci nupta.

14 Leonora Philippi I Regis filia, Emmanueli Portugaliæ ac exinde Franciſco I Regibus nupta.

15 Catharina Leonoræ germana Ioanni III Portugaliæ Regi nupta.

16 Ioanna Caroli V Germaniæ Imperatoris filia, Ioanni Portugaliæ Infanti nupta.

17 Anna Philippi III Hiſpaniarum Regis filia, Ludovico XIII Regi nupta.

Id unum nunc ad veri pleniſſimam aſſertionem ſupereſt, ut tam Arnulphinæ, quam Erchinoaldinæ gentis gradus ſingulos breviter percurramus, quantumque æra lupinis diſtent, luce clarius oſtendamus.

Arnulphinæ gentis Gradus XXXIII; *vel ex communi Ansbertum & Arnualdum Arnulpho præmittentium hypotheſi* XXXV.

1 S. Arnulphus, ex Majore Palatii & Duce Francorum Metenſium Epiſcopus: anno 641 denatus.

2 S. Clodulphus, ex Majore Palatii & Duce Francorum Metenſium Epiſcopus: Anſgiſus Clodulphi germanus Francorum Dux: Waltgiſus Comes.

3 Martinus Clodulphi filius, Major & Dux Francorum. Pippinus Anſgiſi filius Major & Dux Francorum. S. Wandregiſilus Abbas, Waltgiſi filius.

4 Drogo Dux Campaniæ & Burgundiæ: Grimoaldus Palatii Major: Sylvinus Pippini filii ex Plectrude. Carolus Martellus Major & Dux Francorum: Childebrandus Dux, Martelli frater, Pippini filii ex Alpaide.

5 Arnulphus Burgundiæ Dux: Hugo: Godefridus Dux. Pippinus Dux, Drogonis filii: Theodovaldus Major Palatii, Grimoaldi filius. *Rami Carolini*: Carolomannus ex Majore & Duce Francorum Monachus: Pippinus ex Majore & Duce Francorum Rex, Caroli Martelli filii. *Childebrandini rami:* Nibelungus Comes, Childebrandi Ducis filius.

6 Theodebaldus Suevorum Dux, Godefridi filius. *Carolini rami:* Carolus Magnus Imperator Romanorum, Rex Francorum & Langobardorum, & Carolomannus Francorum Orientalium Rex, Pippini Regis filii. *Childebrandini rami:* Theodebertus Matricenſis Comes, Nibelungi filius.

7 *Carolini rami:* Carolus Rex Francorum: Pippinus Italiæ Rex: Ludovicus Pius Imperator, Caroli Magni filii. *Childebrandini rami:* Odo Comes Aurelianenſis. Robertus Palatii Aquitanici Primus.

8 *Carolini rami:* Bernhardus Italiæ Rex, Pippini filius: Lotharius Imperator: Pippinus Aquitaniæ Rex: Ludovicus Germaniæ Rex; Ludovici Pii filii ex Ermengarde. Carolus Calvus poſt Ludovicum II Imperator, Ludovici Pii filius ex Iuditha. *Childebrandini rami:* Robertus fortis; Emeno Comes, Roberti filii.

9 *Carolini rami:* Pippinus Comes Bernhardi Regis filius: Ludovicus II Impe-

Imperator: Lotharius Rex Franciæ mediæ: Carolus Rex Provinciæ, Lotharii Imperatoris filii. Pippinus Rex, Pippini Aquitaniæ Regis filius. Carolomannus Rex Bajoariæ: Ludovicus Franciæ Orientalis Rex: Carolus Craſſus poſt Carolum Calvum Imperator, Ludovici Germaniæ Regis filii. Ludovicus Balbus Franciæ Occidentalis Rex, & Carolus Aquitaniæ Rex, Caroli Calvi filii. *Childebrandini rami.* Odo ex Duce Rex Francorum; & Robertus ex Duce Rex Francorum, Roberti fortis filii. Ademarus Aquitaniæ Dux, Emenonis filius.

10 *Carolini rami.* Bernhardus: Herbertus I Peronæ Comes: Pippinus Sylvanecti Comes, Pippini Comitis filii. Arnulphus Imperator, Carolomanni Regis filius. Ludovicus Rex & Carolomannus Rex, Ludovici Balbi filii ex Anſgarde. Carolus ſimplex Rex poſt Odonem, Ludovici Balbi filius ex Adelhaide. *Childebrandini rami.* Arnulphus Odonis filius, Aquitaniæ Rex. Hugo Magnus Francorum Dux, Roberti Regis filius.

11 *Carolini rami.* Herbertus II, I filius, Veromanduorum Comes. Bernhardus Sylvanecti Comes, Pippini filius. Ludovicus Germaniæ Rex, Arnulphi Imperatoris filius legitimus. Zuentibaldus Lotharingiæ Rex,& Ratoldus Comes ab Andechs, Arnulphi Imperatoris filii naturales. Ludovicus Vltramarinus Caroli ſimplicis filius,Francorum Occidentalium Rex. *Childebrandini rami.* Hugo Capetus ex Duce Francorum Rex. Otto, Odo & Henricus ſucceſſive Burgundiæ duces, Hugonis Magni filii.

12 *Carolini rami.* Odo Albertus Veromanduorum Comes: Robertus Trecenſium Comes: Herbertus Meldorum ac exinde Trecenſium Comes, Herberti II filii. Herbertus Sylvanectenſium Comes, Bernardi filius. Rathbotho Ratholdi filius. Lotharius Francorum Occidentalium Rex, & Carolus Lotharingiæ inferioris Dux, Ludovici Vltramarini filii. *Childebrandini rami.* Robertus Hugonis Capeti filius, Francorum Rex.

13 *Carolini rami.* Herbertus III & Odo Veromanduorum Comites, cum Guidone Sueſſionenſi Comite, Alberti Comitis filii. Stephanus Herberti Meldorum Comitis filius. Ratho & Fridericus I Rathbothi filii. Ludovicus V Lotharii Regis filius, ex familia Carlovinga Francorum Rex poſtremus. Otto Lotharingiæ inferioris Dux, Caroli Ducis filius ex Bona. Ludovicus Thuringiæ Landgravius, & Carolus,Caroli ejuſdem filii ex Agnete. *Childebrandini rami.* Hugo Rex,ante patrem denatus: Henricus I Rex: Robertus Burgundiæ Dux, Roberti Regis filii.

14 *Carolini rami.* Albertus II, & Otto poſt fratrem Comes, Herberti III filii. Rainaldus Guidonis filius. Aribo Rathonis filius. Ludovicus II, I filius, Thuringiæ Landtgravius. *Childebrandini rami.* Philippus I Rex, & Hugo Magnus Veromanduorum Comes. Henrici I filii. Henricus Roberti Ducis filius, ante patrem denatus.

15 *Carolini rami.* Herbertus IV Ottonis filius. Fridericus II Aribonis filius. Ludovicus III, II filius, Thuringiæ Landtgravius. *Childebrandini rami.* Ludovicus VI Rex, Philippi I filius. Radulphus I Veroman-

duorum Comes, & Henricus Calvi Montis Comes, Hugonis Magni filii. Hugo I Burgundiæ Dux: Odo I poſt Hugonem fratrem Dux: Henricus Portugaliæ Comes, Henrici Roberto Duce nati filii.

16 *Carolini rami:* Odo, Heriberti IV filius exhæredatus. Luitpoldus Friderici II filius. Ludovicus IV, III filius, Thuringiæ Landtgravius. *Childebrandini rami:* Philippus Rex ante patrem denatus: Ludovicus VII Rex: Robertus Drocenſium Comes: Petrus Curtiniaci Dynaſta, Ludovici VI Regis filii. Radulphus II, Radulphi I filius. Hugo II Burgundiæ Dux, Odonis I filius. Alphonſus I, Portugaliæ Rex, Henrici Comitis filius.

17 *Carolini rami:* Fridericus III Rocho dictus, Luitpoldi filius. Ludovicus V, IV filius, Thuringiæ Landtgravius. *Childebrandini rami:* Philippus II Rex. Robertus II Drocarum Comes, I filius. Petrus II, I filius, Conſtantinopolis Imperator. Robertus Concharum Dynaſta, multorum in hanc uſque diem parens. Guillielmus, Tanlæi Dynaſta: & Ioannes, Petri Imperatoris germani. Odo II Burgundiæ Dux, Hugonis II filius. Sancius Portugaliæ Rex, Alphonſi I filius.

18 *Carolini rami:* Bertholdus I Meraniæ Dux, Friderici III filius. Hermannus, Ludovici filius, Thuringiæ Landtgravius. *Childebrandini rami:* Ludovicus VIII Rex, Philippi II filius ex Iſabella Hannonica. Philippus Clarimontis Comes, Philippi ejuſdem filius, ex Agnete Meranica. Robertus III Drocenſium Comes, Roberti II filius; & Petrus Britanniæ Dux. Philippus Namurci Marchio: Robertus Imperator Conſtantinopolitanus, & Balduinus poſt fratrem Imperator, Petri Imperatoris filii. Hugo III Odonis II filius, Burgundiæ Dux. Alphonſus II Portugaliæ Rex, Sancii filii.

19 *Carolini rami:* Bertholdus II, I filius, Meraniæ Dux. *Childebrandini rami:* S. Ludovicus Ludovici V filius, Thuringiæ Landtgravius. Henricus Germaniæ Rex, ejuſdem Ludovici V ex Sophia Bavarica filius. S. Ludovicus Rex: Robertus Attrebatum Comes: Alphonſus Pictonum & Tholoſæ Comes: Carolus I Andegavorum Comes & Siciliæ Rex, Ludovici VIII filii. Ioannes I Drocarum Comes, & Robertus Dunicaſtri Vicecomes: aliorum multorum parens, Roberti III filii. Ioannes I Britanniæ Dux Petri filius. Philippus Balduini Imperatoris filius, Imperator Conſtantinopolitanus. Odo III Burgundiæ Dux, & Alexander Montis acuti Dynaſta; plurium aliorum parens: Hugonis III ex Aleide Lotharingica filii. Andreas Delphinus Hugonis ejuſdem ex Beatrice Delphina filius. Sancius II & Alphonſus III Portugaliæ Reges, Alphonſi II filii.

20 *Carolini rami*: Bertholdus III, II filius, Meraniæ Dux. Hermannus III S. Ludovici filius, Thuringiæ Landtgravius poſtremus; cujus hæreditas ad Haſſos & Miſnicos devoluta eſt. *Childebrandini rami:* Philippus III Rex: Ioannes Triſtannus dictus, Valeſiæ & Niverni Comes: Petrus Alenſionis Comes: Robertus Clarimontis Comes; S. Ludovici Regis filii. Robertus II, I filius, Attrebatum Comes. Carolus II, Siciliæ Rex, Caroli I filius. Robertus IV Drocarum Comes, Ioannis I filius. Ioannes II, I filius, Britanniæ Dux. Catharina Philippi Imperatoris

toris filia Conſtantinopolis Imperatrix, Caroli Valeſii uxor ſecunda. Hugo IV, Odonis III filius, Burgundiæ Dux. Guigo & Ioannes Andreæ Delphini filii. Dionyſius Portugaliæ Rex, Alphonſi III filius.

21 *Carolini rami:* Bertholdus IV, III filius, Meraniæ Dux. *Childebrandini rami:* Philippus IV Rex, & Carolus Valeſiæ Comes, Philippi III ex Iſabella Arragonica filii. Ludovicus Ebroicum Comes, Philippi III ex Maria Brabantina filius. Ludovicus I Borboniorum Dux, & Ioannes Caroleſii Comes, Roberti Comitis filii. Philippus Concharum Dynaſta, Roberti II Attrebatum Comitis filius. Carolus Martellus, Hungariæ Rex. Robertus Siciliæ Rex. Philippus Tarenti Princeps & Imperator Conſtantinopolitanus: Ioannes Dyrrachii Dux, Caroli II Regis filii. Ioannes II, Roberti IV filius, Drocarum Comes. Arturus II, Ioannis II filius, Britanniæ Dux. Odo Burgundus, Niverni Comes: Ioannes Burgundus, Borboniorum Dynaſta: Robertus II Burgundiæ Dux: Hugonis IV filii. Ioannes I, Andreas & Anna Guigonis Delphini filii. Alphonſus IV Portugaliæ Rex, Dionyſii filius.

22 *Carolini rami*: Otto I, Bertholdi IV filius, Meraniæ Dux & Burgundiæ Comes. *Childebrandini rami*: Ludovicus X Rex: Philippus V poſt Ioannem nepotem Rex: Carolus IV poſt fratrem Philippum Rex, Philippi IV filii. Philippus VI Rex, & Carolus Alenſionis Comes, Caroli Valeſii ex Margareta Sicula filii. Philippus jure uxorio Navarræ Rex, & Carolus Stamparum Comes, Ludovici Ebroicum Comitis filii. Petrus I Borboniorum Dux, & Iacobus Marchiæ Comes, Ludovici I filii. Robertus Bellimontis Comes, Philippi Concharum Dynaſtæ filius. Carolus Robertus Hungariæ Rex, Caroli Martelli filius. Carolus Calabriæ Dux, Roberti Siciliæ Regis filius. Petrus Romaniæ Deſpota: Carolus Achajæ Princeps, Philippi Tarentini ex Tomara filii. Robertus Conſtantinopolis Imperator. Ludovicus jure uxorio Siciliæ Rex: Philippus II poſt fratrem Robertum, Conſtantinopolitanus Imperator, Philippi ejuſdem ex Catharina Valeſia Conſtantinopolis Imperatrice filii. Ludovicus Ioannis Dyrrachii Ducis filius, Gravinæ Comes. Robertus V, Ioannes III, & Petrus Drocarum ſucceſſive Comites, Ioannis II filii. Ioannes III, Britanniæ Dux, Guido Pentebriæ Comes, & Petrus, Arturi II ex Maria Lemovicenſi filii. Ioannes IV ejuſdem Arturi ex Yolendi Drocenſi filius. Hugo V Dux: Odo IV poſt fratrem Dux, Roberti II Burgundiæ Ducis filii. Petrus Portugaliæ Rex, Alphonſi IV filius.

23 *Carolini rami*: Otho II. primi filius, Meraniæ Dux poſtremus. *Childebrandini rami*: Ioannes I Rex, Ludovici X ex Clementia Hungarica poſthumus. Ioanna Navarræ Regina, Ludovici ejuſdem ex Margareta Burgundica filia. Ioannes II Rex, & Philippus Aurelianenſium Dux, Philippi VI Regis filii. Carolus II ex Comite Alencionenſi Cardinalis. Petrus Alencionenſis poſt fratrem Comes, Robertus Pertici Comes, Caroli I Alencionenſis filii. Carolus II, Philippi Regis filius, Navarræ Rex, Philippus Longævillæ Comes, Ludovicus Bellimontis Comes, Caroli germani. Ludovicus II, Petri primi filius, Borboniorum Dux. Petrus Iacobi primi filius, Ioannes Petri frater, Mar-

chiæ Comes, Iacobus Pratellorum Dynaſta, Petri & Ioannis frater. Ioannes Roberti Atrebatis Bellimontis Comitis filius, Augi Comes. Carolus Ioannis germanus, Longevillæ Comes. Ludovicus Hungariæ & Poloniæ Rex. Andreas jure uxorio Siciliæ Rex: Stephanus Sclavoniæ Dux, Caroli Roberti Regis filii. Ioanna I Siciliæ Regina; Philippus III ſecundi Imperatoris filius, Tarenti Princeps. Carolus III Siciliæ Rex, Ludovici Gravinæ Comitis filius. Ioanna I Petri Drocarum Comitis filia, cujus hæreditas ad Ioannam amitam Ludovico Thoarcenſi Vicecomiti nuptam devoluta eſt. Ioannes V, IV filius Britanniæ Dux. Philippus Atrebatum & Burgundiæ Comes, Odonis IV Burgundiæ Ducis filius. Ferdinandus Portugaliæ Rex Petri filius. Ioannes I Rex poſt fratrem, Petri ejuſdem filius naturalis.

24 Carolus V Rex. Ludovicus Andegavorum Dux & Siciliæ Rex. Ioannes Biturigum & Arvernorum Dux. Philippus I Burgundiæ Dux. Ioannes I Petri filius Alencionenſium Dux. Carolus III, II filius Navarræ Rex. Petrus Maritonii Comes Caroli III germanus. Ioannes I Ludovici II filius Borboniorum Dux, Iacobus Marchiæ Comes jure uxorio Siciliæ Rex, & Ludovicus Vindocini Comes, Ioannis Comitis ex Catharina Vindocini Comite filii. Ioannes Carinthiaci Dynaſta ex Ioanna Vindocinenſi Ioannis ejuſdem filius. Robertus Ioannis filius Augi Comes, Philippus Augi poſt Robertum fratrem Comes. Ladiſlaus Caroli III filius, Siciliæ Rex. Ioanna Ladiſlai germani hæres eoque denato Regina. Philippus Philippi Atrebatis filius Burgundiæ Dux, ex ſua gente poſtremus. Eduardus Ioannis I filius, Portugalliæ Rex. Petrus Conimbricæ Dux, Henricus Viſei Dux, Ioannes S. Iacobi Magiſter, Ferdinandus, Eduardi germani. Alphonſus Bragantiæ Dux eorumdem frater naturalis.

25 Carolus VI Rex & Ludovicus Aurelianorum Dux, Caroli V Regis filii. Ludovicus II Siciliæ Rex & Carolus Tarenti Princeps Ludovici I filii. Carolus & Ioannes Montiſpenſerii Comites, Ioannis Biturigum Ducis filii. Ioannes Burgundiæ Dux, Antonius Brabantiæ Dux, Philippus Niverni Comes, Philippi I Burgundiæ Ducis filii. Ioannes II, I filius Alencionis Dux. Blanca Caroli III Navarræ regis hæres, Ioannis Arragonii Pennæ Floris Ducis ac exinde Arragonum Regis, uxor. Carolus I Ioannis I filius Borboniorum Dux, Ludovicus Montiſpenſerii Comes Caroli germanus. Ioannes Ludovici filius Vindocini Comes. Alphonſus V Portugaliæ Rex & Ferdinandus Viſei Dux, Eduardi Regis filii. Petrus Arragonum Rex electus & Ioannes Conimbricæ Dux, Petri Ducis filii. Ferdinandus Alphonſi filius, Bragantiæ Dux.

26 Carolus, Ludovicus, Ioannes, ſucceſſive Delphini. Carolus VII Rex Caroli VI filius. Carolus Aurelianorum Dux, Philippus Virtutum Comes, Ioannes Engoliſmæ Comes, Ludovici Aurelianorum Ducis filii. Ioannes Pagi Dunenſis Comes frater eorundem naturalis. Ludovicus III Siciliæ Rex: Renatus poſt fratrem Siciliæ Rex, Carolus Cenomannorum Comes, Ludovici II Regis filii. Philippus II Ioannis filius, Burgundiæ Dux. Ioannes & Philippus Antonii filii, ſucceſſive Bra-

Brabantiæ Duces. Carolus & Ioannes, ſucceſſive Niverni Comites. Philippi Comitis filii. Renatus Ioannis II filius Alencionis Dux. Ioannes II, Carolus II, Petrus II ſucceſſive Borbonii Duces, Caroli I filii. Giſlebertus Ludovici Montiſpenſerii Comitis filius, Seſſæ Archidux. Franciſcus Vindocini Comes & Ludovicus Rupis Princeps, Ioannis II Vindocini Comitis filii. Ioannes II Alphonſi V filius Portugalliæ Rex. Ioannes & Iacobus Viſei Duces. Emanuel poſt Ioannem II Rex, Ferdinandi Viſei Ducis filii. Ferdinandus II, I filius Brragantiæ Dux.

27 Ludovicus XI Rex & Carolus Aquitaniæ Dux, Caroli VII filii. Ludovicus XII, Caroli Aurelianenſium Ducis filius, poſt Carolum VIII Rex. Carolus Engoliſmæ Comes Ioannis filius. Franciſcus Longævillæ Comes, Ioannis Duni Comitis filius. Ioannes Calabriæ & Lotharingiæ Dux, Yolendis Lotharingiæ Duciſſa, Renati Regis filii. Carolus Renati filius Alencionis Dux poſtremus. Carolus III Borboniorum Dux, Franciſcus Caſtri Airaldi Dux, Giſleberti filii. Carolus Franciſci filius Vindocini Dux primus. Ludovicus Montiſpenſerii Dux & Carolus Rupis Princeps, Ludovici Rupis Principis filii. Ioannes III Portugaliæ Rex, Ludovicus Bejæ Dux, Henricus Cardinalis poſt Sebaſtianum Rex, Eduardus Barcellorum Dux, Emmanuelis Regis filii. Iacobus Brragantiæ Dux Ferdinandi II filius.

28 Ioachimus Delphinus & Carolus VIII Rex Ludovici XI filii. Delphini duo Ludovici XII filii. Franciſcus I Caroli Engoliſmæ Comitis filius, poſt Ludovicum XII Rex. Franciſcus & Ludovicus, Franciſci filii, Longævillæ Duces. Nicolaus Calabriæ & Lotharingiæ Dux, Ioannis filius. Antonius Caroli filius Vindocini Dux, & uxoris jure Navarræ Rex. Franciſcus, Carolus Cardinales. Ioannes, Ludovicus I Condæi Princeps, Antonii germani. Franciſcus Ludovici filius Montiſpenſerii Dux. Henricus Bellíprati Dux, Caroli Rupis Principis filius. Ioannes Infans, Ioannis III Portugaliæ Regis filius. Antonius, Ludovici Bejæ Ducis filius, à Portugalenſibus Rex electus, cujus poſteri uſque nunc ſuperſunt. Maria & Catharina Eduardi Barcellorum Ducis filiæ. Theodoſius I, Iacobi filius, Brragantiæ Dux.

29 Carolus Rolandus, Delphinus, Caroli VIII filius. Franciſcus Delphinus: Henricus II Rex: Carolus Aurelianorum Dux, Franciſci I filii. Claudius & Ludovicus II, Longævillæ Duces, & Franciſcus Rotelini Marchio Ludovici I filii. Henricus IV Rex, Antonii filius. Henricus I, Condæi Princeps: Franciſcus Contii Princeps, ex Leonora de Roya Ludovici I filii. Carolus Sueſſionum Comes, Ludovici ejuſdem ex Franciſca Aurelianenſi filius. Henricus Montiſpenſerii Dux, Franciſci filius. Sebaſtianus Portugaliæ poſt avum Ioannem III Rex, Ioannis Infantis filius. Ioannes Theodoſii I filius Brragantiæ Dux, Catharinæ Eduardo Barcellonum Duce natæ maritus.

30 Franciſcus II Rex: Carolus IX Rex: Henricus III Rex: Franciſcus Andegavorum Dux, Henrici II filii. Henricus Franciæ Magnus Prior, Henrici ejuſdem filius naturalis. Leonor Longævillæ Dux, Franciſci Rotelini Marchionis filius. Franciſcus Rotelini Marchio,

Franciſci ejuſdem filius naturalis. Ludovicus XIII Rex: N. Aurelianenſium Dux: Gaſto Aurelianenſium Dux, Henrici Magni filii. Cæſar Vindocini Dux, Henrici ejuſdem filius naturalis. Henricus II, I filius, Condæi Princeps. Ludovicus, Caroli filius, Sueſſionum Comes. Maria Montiſpenſerii Dux, Henrici filia, Gaſtonis Aurelianorum Ducis uxor prior. Theodoſius II, Ioannis & Catharinæ filius, Bragantiæ Dux.

31 Carolus Engoliſmæ Dux, Caroli IX filius naturalis. Henricus I, Longævillæ Dux, Leonori filius. Franciſcus S. Pauli Comes, Henrici I germanus. Ludovicus XIV Rex: Philippus Andegavorum Dux, Ludovici XIII filii. N. Valeſiæ Dux, Gaſtonis filius. Ludovicus Mercorii Dux, Franciſcus Bellofortii Dux; Cæſaris Vindocini Ducis filii. Ludovicus II Condæi Princeps: Armandus, Contii Princeps, Henrici II filii. Ioannes IV Portugaliæ Rex, Theodoſii II Bragantiæ Ducis filius. Eduardus Ioannis IV frater.

32 Ludovicus Emmanuel Engoliſmæ Dux, Caroli filius. Henricus II, I filius, Longævillæ Dux. Leonor Fronſacii Dux, Franciſci S. Pauli Comitis filius. Henricus Iulius Enghiani Dux, Ludovici II Condæi Principis filius. Theodoſius Bragantiæ Dux, & Alphonſus Henricus, Ioannis IV Portugaliæ Regis filii.

33 N. Duni Comes, Henrici II Longævillæ Ducis filius.

Erchinoaldinæ gentis gradus XXXIII.

1 Erchinoaldus Palatii Neuſtrici Major & Dux Francorum, anno 661 denatus.

2 Leudeſius Palatii Neuſtrici Major & Dux Francorum, Erchinoaldi filius.

3 Erchinoaldus & Adalricus Ethicho, Alſatiæ Dux, Leudeſii filii.

4 Adalbertus Alſatiæ Dux, Hugo, Ethicho & Dataco Comites, Adalrici filii.

5 Eberhardus Alſatiæ Dux, Luitfridus & Maſo Adalberti filii. Bleonius, Remedius & Bodalus Hugonis filii. Albericus Ettonis ſive Ethichonis Comitis filius.

6 Hugo & Luithardus Comites, Luitfridi filii. Eberhardus & Theobaldus Comites, Alberici filii.

7 Luitfridus & Adalardus Comites, Hugonis filii. Gerardus Comes ac exinde Dux, Luithardi filius. Eberhardus II Comes, Eberhardi I filius.

8 Hugo II & Luitfridus III Comites, Luitfridi II filii. Theodericus Comes, Eberhardi filius.

9 Huntfridus & Luitfridus IV Comites, Hugonis II filii. Gerardus Metenſium Comes; Hugo Dagsburgi Comes; Guntrannus dives, Altemburgi Comes, Hugonis Comitis filii.

10 Gerardus II Comes; Albertus Metenſium Comes, Gerardi I Comitis filii. Hugo II, Hugonis I filius, Dagsburgi Comes; Landelinus Altemburgi Comes, Guntranni filii.

11 Sigo-

11 Sigefridus Gerardi II Comitis filius: Gerhardus Theodericus & Albertus Comites, Alberti filii. Hugo III, Bruno, qui Leo Papa IX dictus eſt, & Gerardus Dagsburgi Comites, Hugonis II filii. Radeboto Altemburgi Comes. Wernerus Argentinenſium Epiſcopus, Habspurgi conditor. Rudolphus & Landolus Comites, Landelini filii.

12 Albertus Lotharingiæ Dux anno 1046. Gerardus poſt fratrem Dux anno 1048. Conradus; Adelbero; Cuno; Azelinus; Adelricus, Gerardi Comitis filii. Gerardus, & Mutilac Valmari uxor, Alberti Metenſium Comitis filii: Albertus Hugonis III filius, Dagsburgi Comes. Otto, Adalbertus & Wernerus II Habspurgi Comites, Radebotonis filii. Bezelinus, Gebhardus & Bebizo Comites, Birctilonis filii.

13 *In Lotharingico ramo.* Theodericus II Dux; Gerardus I Vadonis montis Comes; Gerardi Ducis filii. *In Dagsburgico ramo.* Henricus & Hugo, Alberti filii, poſtremi Dagsburgi Comites. *In Habspurgico ramo.* Otto II & Adalbertus Comites, Werneri II filii. *In ramo Zaringhiano.* Bertholdus I Carinthiæ Dux anno 1055, & Luitfridus Comes, Bezelini filii.

14 *In Lotharingico ramo.* Simon I, Dux: Theodericus Flandriæ Comes: Gerardus Egensheimii Comes, Theodorici II Ducis filii. *In Vadonis montis ramo.* Hugo I, Gerardi I filius. *In Habspurgico ramo.* Wernerus III & Rodulphus, Ottonis II filii. *In ramo Zaringhiano.* Bertholdus II, Gebhardus & Hermannus, Bertholdi I filii.

15 *In ramo Lotharingico.* Mattheus I; Balduinus; Adalbero, Robertus Florengiarum Dynaſta: Waltherus, Simonis I Ducis filii. *In ramo Egensheimienſi.* Vlricus & Stephanus, Gerardi filii. *In Vadonis montis ramo.* Gerardus II; Vlricus; Odo & Hugo, Hugonis I filii. *In ramo Habspurgico.* Wernerus IV, Rudolphus & Otto, Werneri III filii. *In ramo Zaringhiano.* Bertholdus III, & Conradus poſt fratrem Dux, Bertholdi II filii. Hermannus II Badæ Marchio, primi filius.

16 *In Lotharingico ramo.* Simon II, Fridericus I, Theodericus, & Mattheus Tulli Comes, Matthei I Ducis filii. *In Florengiarum ramo.* Philippus I, Roberti I filius. *In Egensheimienſi ramo.* Henricus I Vlrici filius. *In ramo Vadonis montis.* Hugo II, Odo, Gerardus & Gaufridus, Gerardi II filii. *In ramo Habspurgico.* Albertus IV, Werneri IV filius. *In ramo Zaringhiano.* Conradus, ante patrem denatus. Bertholdus IV; Rudolphus, Adalbertus Teccæ Dux; Hugo Briſgaviæ Comes, Conradi Ducis filii. Hermannus III Badæ Marchio, Hermanni II filius.

17 *In Lotharingico ramo.* Fridericus II. Mattheus, Theodericus, Philippus Friderici I filii. Fridericus & Renardus Matthei filii, Tullenſium Comites. *In Florengiarum ramo.* Egidius, Philippinus & Ancilio, Philippi I filii. *In Egensheimienſi ramo.* Simon, Henrici I filius. *In ramo Vadonis montis.* Hugo III, Gaufredus, Theobaldus, Hugonis II filii. Hugo & Guilhelmus, Gaufredi Dullæi Dynaſtæ filii. *In ramo Habspurgico.* Rudolphus I & Albertus, Alberti IV filii. *In ramo Zaringhiano.* Bertholdus V, IV filius, in quo ſtirps maſcula defecit. Hermannus, Lucelmannus & Ludovicus, Alberti Teccæ Ducis filii. Hermannus IV Badæ Marchio, III filius.

18 *In Lotharingico ramo.* Theobaldus I, Mattheus II, Iacobus & Reinaldus Friderici II filii. Odo Friderici Tullenſium Comitis filius. *In Florengiarum ramo.* Robertus II, Egidii filius, Ancilio Ancilionis filius. *In Egensheimienſi ramo.* Henricus II, Simonis filius. *In ramo Vadonis montis.* Henricus I, & Gerardus Hugonis III filii. Guilielmus Gaufridi filius, Gaufridus II, Guilielmi Dullæi Dynaſtæ filius. *In ramo Habspurgico.* Albertus V, Rudolphus & Wernerus, Rudolphi I filii. *In ramo Zaringhiano.* Hermannus II, I filius. Ludovicus II, & Hermannus, Ludovici filii, Teccæ Ducis. Hermannus V, Badæ Marchio, IV filius.

19 *In Lotharingico ramo.* Fridericus III & Burchardus, Matthei II filii. *In Florengiarum ramo.* Philippus II, Roberti II filius. *In Egensheimienſi ramo.* Henricus III, II filius, in quo ſtirps maſcula defecit. *In ramo Vadonis montis.* Henricus II, Iacobus, & Guido, Henrici I filii. Ioannes Gaufridi III filius, Dullæi Dynaſta. *In ramo Habspurgico.* Rudolphus I Germaniæ Imperator, anno 1273 electus. Albertus, Carolus & Hartmannus, Alberti V filii. Godefridus, Rudolphus, Hermannus, Otto, Vernerus & Eberardus Rudolphi taciturni filii. *In ramo Zaringhiano.* Albertus & Bertholdus, Hermanni II Teccæ ducis filii. Rudolphus III, & Hermannus VI, Hermanni V Badæ Marchionis filii.

20 *In Lotharingico ramo.* Theobaldus II, Mattheus, Fridericus, Fridericus alter & Ioannes, Friderici III filii. *In Florengiarum ramo.* Philippus III, II filius. *In Vadonis montis ramo.* Henricus III, & Ludovicus, Henrici II filii. Henricus Ioannis filius Dullæi Dynaſta. *In ramo Habspurgico.* Albertus I, Auſtriæ & Stiriæ Dux anno 1283 creatus, Germaniæ Imperator 1298, poſt Adolphum electus. Rudolphus Sueviæ Dux anno 1283 creatus. Hermannus & Carolus, Rudolphi I filii. Godefridus & Rudolphus Godefridi filii. Eberhardus & Hermannus Eberhardi filii. *In ramo Zaringhiano.* Conradus, Simon, Sigiſmundus, Hermannus & Ludovicus, Alberti Teccæ Ducis filii. Rudolphus IV, Rudolphus junior & Hermannus VII, Rudolphi III Badæ Marchionis filii.

21 *In Lotharingico ramo.* Fridericus IV, Mattheus, Hugo & Theobaldus Theobaldi II filii. *In Florengiarum ramo.* Robertus III, Philippi III filius, in quo ſtirps maſcula defecit. *In Vadonis montis ramo.* Henricus IV, III filius, in quo ſtirps maſcula defecit. Ioannes, Nicolaus, Simo, Henrici Dullæi Dynaſtæ filii. *In ramo Habspurgico.* Rudolphus ex Auſtriæ Duce Bohemiæ Rex anno 1305 creatus. Fridericus Pulcher Germaniæ Imperator anno 1314 electus, & 1325 abdicare coactus. Leopoldus Sueviæ Dux. Henricus Virnembergæ Dynaſta. Albertus contractus dictus, fratrum hæres, Carinthiæ Dux anno 1331 creatus: Otto, Alberti I filii. Ioannes Rudolphi Sueviæ Ducis filius. Ioannes I, Lauffenbergæ Comes, Rudolphi filius. Hermannus, Bertoldus, Eberardus, Ioannes, & Rudolphus, Eberhardi Kliburgi comitis filii. *In ramo Zaringhiano.* Conradus & Simon Conradi Teccæ Ducis filii. Rudolphus VI, Hermannus VIII, Fridericus, Hermanni VII Badæ Marchionis filii.

22 *In*

22 *In Lotharingico ramo.* Rudolphus Dux, Fridericus, Theobaldus & Albertus, Friderici IV filii. *In Vadonis montis ramo.* Ioannes Nicolai filius, & Petrus Simonis filius ex Dullæi Dynaſtis. *In ramo Habsburgico.* Rudolphus Auſtriæ Dux, Tyrolis Princeps anno 1363. Albertus Auſtriæ Dux poſt fratrem, Leopoldus Styriæ & Sueviæ Dux, Alberti Contracti filii. Ioannes II. Rudolphus & Godofridus, Ioannis I Lauffenbergæ Comitis filii. Eggo Rudolphi filius, Kiburgi Comes poſtremus. *In ramo Zaringhiano.* Vlricus & Conradus, Simonis Teccæ Ducis filii. Rudolphus VII, Fridericus & Hermannus IX, Rudolphi VI Badæ Marchionis filii. Rudolphus VII Friderici Marchionis filius.

23 *In Lotharingico ramo.* Ioannes Dux, Rudolphi filius. *In Vadonis montis ramo.* Henricus & Carolus, Petri ex Dullæi Dynaſtis filii, in quibus ſtirps maſcula defecit. *In ramo Habsburgico.* Albertus Auſtriæ Dux, Alberti filius. Guillelmus Leopoldus, Fridericus & Erneſtus, Leopoldi Ducis filii. Ioannes III, Ioannis II Lauffenbergæ Comitis filius, in quo ſtirps maſcula defecit. *In ramo Zaringhiano.* Conradus, Hermannus & Fridericus, Conradi Teccæ Ducis filii. Bernhardus I & Rudolphus X, Rudolphi VIII Badæ Marchionis filii.

24 *In Lotharingico ramo.* Carolus I Dux, & Fridericus Vadonis, Margaritæ Vadonis montis Comitis maritus. *In ramo Habsburgico.* Albertus Alberti Auſtriæ Ducis filius, Germaniæ Imperator anno 1438 electus. Sigiſmundus Friderici Ducis filius. Fridericus Germaniæ Imperator 1439 electus, & Albertus Dux, Erneſti Ducis filii. *In ramo Zaringhiano.* Fridericus & Vlricus, Friderici Teccæ Ducis filii. Iacobus, Rudolphus XI, & Bernardus II, Bernardi I Badæ Marchionis filii.

25 *In Lotharingico ramo.* Antonius Vadonis montis Comes. Fridericus, Carolus & Ioannes, Friderici filii. *In ramo Habsburgico.* Ladiſlaus Hungariæ & Bohemiæ Rex, Albertus Germaniæ Imperatoris filius poſthumus. Maximilianus I, Germaniæ poſt Fridericum III patrem Imperator. *In ramo Zaringhiano.* Ludovicus, Fridericus, Georgius, Vlricus & Conradus, Friderici Teccæ Ducis filii. Bernhardus III, Ioannes, Carolus, Georgius & Marcus, Iacobi Badæ Marchionis filii.

26 *In Lotharingico ramo.* Fridericus II, Antonius, Henricus, Philippus & Ioannes, Antonii Vadonis montis Comitis filii. *In Habspurgico ramo.* Philippus I Auſtriæ Archidux & Hiſpaniarum Rex, Maximiliani Germaniæ Imperatoris filius. *In ramo Zaringhiano.* Fridericus Teccæ Dux poſtremus, Conradi filius, cujus hæres in familiam Wirtenbergicam ducta eſt. Chriſtophorus, Albertus & Fridericus, Caroli Badæ Marchionis filii.

27 *In Lotharingico ramo.* Renatus Lotharingiæ & Barri Dux; Friderici Vadonis montis Comitis filius. *In ramo Habspurgico.* Carolus V & Ferdinandus I Germaniæ Imperatores, Philippi I filii. *In ramo Zaringhiano.* Iacobus, Bernardus IV, Carolus, Chriſtophorus, Philippus, Rudolphus XII, Erneſtus, Chriſtophori Badæ Marchionis filii.

28 *In Lotharingico ramo.* Nicolaus: Anthonius Dux Lotharingiæ & Barri; Claudius Guiſiæ Dux, Ioannes Cardinalis, Ludovicus, Franciſcus, Claudius minor, Renati Ducis filii. *In ramo Habspurgico.* Philippus II,

Hiſpaniarum Rex, Ferdinandus & Ioannes, Ioannes nothus, Caroli v Imperatoris filii. Maximilianus II, Germaniæ Imperator: Ferdinandus Tirolis Princeps, & Carolus Stiriæ Dux, Ferdinandi I, Germaniæ Imperatoris filii. *In ramo Zaringhiano.* Philibertus & Chriſtophorus, Bernhardi IV Badæ Marchionis filii. Albertus, Carolus, Bernhardus v, Erneſti Marchionis filii.

29 *In ramo Lotharingico.* Franciſcus, Lotharingiæ & Barri Dux, & Nicolaus Mercorii Dux, Anthonii Ducis filii. Franciſcus Guiſiæ Dux; Carolus Cardinalis; Claudius Albæ Marlæ Dux; Ludovicus Cardinalis; Philippus, Franciſcus, S. Ioannis Hieroſolymitani Eques; Petrus; Renatus, Ellebovii Marchio. *In ramo Habspurgico.* Carolus, ex Maria Portugalenſi. Ferdinandus; Carolus; Iacobus; Philippus Ermenegildus III, Hiſpaniarum Rex, Philippi II ex Annâ nepte filii. Ferdinandus; Rudolphus II, Germaniæ Imperator; Erneſtus Archidux; Matthias, Germaniæ poſt Rudolphum fratrem Imperator; Maximilianus Archidux; Albertus Archidux; Wenceſlaus, Fridericus, Carolus, Maximiliani II filii. Andreas Cardinalis, & Carolus Burgoviæ Marchio, Ferdinandi Tirolis Principis, ex Philippina Welſera filii. Ferdinandus; Ferdinandus II, Germaniæ poſt Matthiam Imperator; Carolus; Leopoldus Archidux, Carolus, Caroli Stiriæ Archiducis filii. *In ramo Zaringhiano.* Eduardus Fortunatus, Guſtavus Chriſtophorus, Philippus, Carolus, Ioannes, Chriſtophori Badæ Marchionis filii. Albertus, Erneſtus Fridericus, Iacobus, Georgius Fridericus, Caroli Badæ Marchionis filii.

30 *In ramo Lotharingico.* Carolus II Lotharingiæ & Barri Dux, Franciſci Ducis filius. Philippus Emmanuel Mercorii Dux; Carolus Cardinalis; Ioannes; Franciſcus Marchio. Henricus Chalinii Comes, Henricus Virduni Epiſcopus, Nicolai Mercorii Ducis filii. Henricus Guiſiæ Dux, Carolus Meduanæ Dux, Ludovicus Cardinalis, Franciſcus, Anthonius, Franciſci Guiſiæ Ducis filii. Carolus, Albæ Marlæ Dux; Henricus S. Valerii Comes, Claudius Hieroſolymitani Ordinis eques, Claudii Albæ Marlæ Ducis filii. Carolus Ellebovii Dux, Renati filius. *In ramo Habspurgico.* Philippus Dominicus Victor, Hiſpaniarum Rex, Carolus Infans, Ferdinandus Cardinalis, Alphonſus & Ioannes Nothus, Philippi III filii. Ioannes Carolus; Ferdinandus III, Germaniæ Imperator, Leopoldus Guilielmus Archidux, Ferdinandi II filii. Ferdinandus Carolus, & Sigiſmundus Franciſcus, Leopoldi Archiducis filii. *In ramo Zaringhiano.* Guilielmus Hermannus, Hieronymus & Albertus, Eduardi Fortunati Badæ Marchionis filii. Carolus Erneſtus, Erneſtus Iacobus, Iacobi Badæ Marchionis filii. Fridericus, Philippus, Carolus, Rudolphus, Chriſtophorus, Georgii Friderici Badæ Marchionis filii.

31 *In ramo Lotharingico.* Henricus Lotharingiæ & Barri Dux, Carolus Cardinalis, Franciſcus Vadonis montis Comes, Caroli II Ducis filii. Franciſca Mercorii, Martigiarum, Stamparum, Pentebriæ Duciſſa; Philippi Emmanuelis filia, Cæſaris Vindocini & Bellofortii Ducis uxor. Carolus Guiſiæ Dux, Henricus, Claudius Caproſii Dux; Ludovicus

dovicus Cardinalis, Franciſcus Hieroſolymitani Ordinis eques; Henrici Guiſiæ Ducis filii. Henricus Meduanæ & Aquilonii Dux, Carolus Emmanuel Comes, Caroli Meduanæ Ducis filii. Anna Albæ Matlæ Duciſſa, Caroli filia, Henrici Sabaudi Nemoroſii Ducis uxor. Carolus II & Henricus Haricuriæ Comes, Caroli I Ellebovii Ducis filii. *In ramo Habspurgico.* Philippus Balthaſar Infans, Maria Infans; Infantula alia, Philippi IV Hiſpaniarum Regis filii. Ferdinandus Franciſcus, Hungariæ Rex, Leopoldus Ignatius, Carolus Ioſephus, Ferdinandi III Germaniæ Imperatoris filii. *In ramo Zaringhiano.* Ferdinandus Maximilianus, Leopoldus Guilielmus, Philippus, Guilielmus Chriſtophorus, Hermannus Bernhardus, Hermanni Badæ Marchionis filii. Fridericus II, Carolus Magnus, Guſtavus Adolphus, Friderici I Badæ Marchionis filii.

32 *In ramo Lotharingico.* Nicolaa & Claudia, Henrici Lotharingiæ & Barri Ducis hæredes. Henricus, Carolus III, Nicolaæ propinquæ maritus; & Nicolaus Franciſcus, Claudiæ propinquæ maritus; Franciſci Vadonis montis Comitis filii. Ludovicus, Caroli Cardinalis nothus. Franciſcus, Henricus Guiſiæ Dux, Ludovicus Gaudioſæ Dux, Rogerius Ordinis Hieroſolymitani eques, Caroli Guiſiæ Ducis filii. Carolus Haricuriæ Princeps, Franciſcus Riuſii Comes, & Iulius, Iuliobonæ Comes, Caroli II Ellebovii Ducis filii. Ludovicus, Philippus, &c. Henrici Haricuriæ Comitis filii.

33 *In ramo Lotharingico.* Plures Caroli III liberi naturales. Ferdinandus Philippus Franciſcus &c. Nicolai Franciſci Ducis filii.

Vbi nunc Chiffletiano vento temere excitatæ in Erchinoaldinorum gratiam inanes ampullæ & bullæ? pag. 52 adverſus monumentorum, quorum auctoritate nitebatur, fidem, Erchinoaldinam gentem Merovingorum Regum conſanguineam, eoque nomine Merovingorum hæredem fuiſſe volebat; cum tamen hoc unum ex prolatis à ſe antiquorum locis habuerit, Erchinoaldum totius gentis fontem *ex parte genitricis Dagoberti*, Regis ejuſdem propinquum fuiſſe. unde apertiſſime conficitur, Regiam Merovingorum hæreditatem Erchinoaldinos contingere nequaquam potuiſſe, falſoque *Merovingorum genere claros* à Chiffletio lectoribus impudenter illudente pronunciari. Ibidem rurſus urgebat *ortum maſculinum Regum & Cæſarum Auſtriacorum ſimilem eſſe (ſi non illuſtriorem) origini Caroli Magni Imperatoris; cui nullum ex antiquis præferendum eſſe contendebat Ludovicus* XI *Franciæ Rex; & cujus ſanguinem verbis terreri non poſſe ajebat Philippus Bonus, Burgundiæ Dux.* Sed nos qui eum Cæſaris titulo ſcienter prudenter abuti evicimus, & Erchinoaldinæ gentis originem cum Carolina & Childebrandina ſimile quid habere ſponte fatemur; neutri æquiparari poſſe, fidenter aſſerimus. Si enim duos Palatii majores & Francorum Duces Erchinoaldina gens protulit; decem ad minimum ex Chiffletii ipſius hypotheſi Carolina & Childebrandina habuerit, fueritque vel ingratiis ejus ſimpli Erchinoaldini cum quintuplo Arnulphino proportio. Si Regia capita in Carolina gente numeremus, triginta occurrent hæreditario jure ad unum fere regnantia. Si Childebrandinum ramum attentius conſideremus, octoginta & unum dia-

demate redimita habebimus. In Erchinoaldi poſteris ex Chiffletii ipſius mente viginti unum per intervalla non continua ſerie ad ſolium evecta offendemus, eritque Carlovingorum Erchinoaldinæ gentis reſpectu proportio ſeſqui altera, Childebrandinorum quadrupla, Arnulphinorum omnium conjunctim fere ſextupla. ex Carolina gente Romani Imperatores reales ſeptem prodiere, ex Childebrandina familia Conſtantinopolitani tres, qui legitimum titulum poſteris reliquerunt, ex Erchinoaldini poſteris, ut ut nonnulli *Romanorum Reges & Imperatores* improprie dicti ſint, Romæ & Conſtantinopoli ne unus quidem imperavit. Cum Leudeſii uxorem *de proſapia* S. Sigiſmundi fuiſſe legiſſet Chiffletius, ambigui ſenſus locum avide arripuit & ad Erchinoaldinæ gentis gloriam trahere conatus eſt. Nos qui Gregorii Turonenſis & Marii Aventicenſis conſentientibus ſuffragiis fulti Sigiſmundum cum uxore & liberis trucidatum novimus, quem ſenſum verba à Chiffletio allegata commode ferre poſſint jam indicavimus, nunc vero vel Chiffletii ingratiis Burgundicam ſancti Arnulphi, Arnulphinorumque univerſorum originem extorquebimus, quamque Erchinoaldinis propriam eſſe voluerat, Arnulphinæ genti ex ejus hypotheſi debitam ad oculum docebimus.

1 Meroveus Francorum Rex. — 1 Gundicarius Burgundionum Rex.

2 Childericus Francorum Rex. — Chilpericus Rex. — 2 Gundobagodus Rex Charitenes maritus.

3 Clodoveus, ſive Ludovicus Francorum Rex. — 3 Chrotieldis. — 3 S. Sigiſmundus cum uxore & liberis anno 524 trucidatus.

Chlodomeres cujus juſſu Sigiſmundus cum uxore & liberis trucidatus eſt. — 4 Childebertus. — Clotarius. —— Cunzena. — 3 Godomarus Rex poſt fratrem.

5 Blithildis Ansberti Senatoris uxor.

6 Arnualdus Odæ maritus.

7 S. Arnulphus Dodæ maritus.

8 Clodulphus. — Anſigiſus Dux, Beggæ maritus. — Waldegiſus Comes.

9 Pippinus Major Palatii, Apaidis maritus. — 9 S. Wandregiſilus.

10 Carolus Martellus, à quo Carlovingi omnes. — Childebrandus Dux, à quo Capetini omnes.

Si ut Chiffletio gratificemur Gertrudem Hamaticenſem Erchinoaldi aviam maternam Arnualdi Ducis germanam fuiſſe concedamus, per Blithildis filium in Arnulphinam gentem univerſam; per ejuſdem filiam in Erchinoaldinam familiam tam Merovingorum, quam Burgundionum Regum ſanguis fluxerit, fuerintque Arnulphini tanto dignitate ſuperiores, quanto mares fœminas exſuperare ſolent, herbamque vel invitus porrigere cogetur Chiffletius.

In Carolina familia Germaniæ Regum hæreditariorum gradus continui ſeptem reperiuntur, in Erchinoaldina Germaniæ ejuſdem Regum, ſive ut nunc loqui ſolemus Imperatorum Electivorum, non hæreditariorum aut continua ſerie ſuccedentium gradus octo, Bohemicorum hæreditariorum ſed interrupta ſerie ad ſolium evectorum gradus totidem, Hiſpanicorum hæreditariorum gradus tantum quatuor. Franciæ Occidentalis in gente Carolina

16 Philippus Re
trem denat

17 Ph
n

3 nupt.
18 Philippus Clarimontis &
Comes ex quo Comitiſſa

19 Ludovicus I X Margaretæ Provincialis maritus.

20 Philippus I I I dictus au
Mariæ Brabantinæ mar

21 Philippus I V dictus pulcher, Ioannæ Reginę maritus, ex quo Francorum
& Navarræ Reges 4,
Regina Navarræ 1.

19 Rudolphus, ex
Annæ Hohen

20 Albertus, ex primo Duce Auſt
Iſabellæ Carinthiacæ maritus.

21 Rudolphus, Sueviæ Dux, Agnetis
Ottocare Rege natæ maritus.

Fri
e
a

22 Rudolphus, Margaretæ Tirolis Principis maritus.

A

23 Alber

24 Albertus ex Auſtriæ D
Sigiſmundo Impera

25 Ladiſlaus Hungariæ & Bohemiæ Rex.

Anna, Guillelmi
Saxoniæ Ducis
uxor.

lina regii gradus directi & continui novem, in Childebrandina, exordio ab Hugone Capeto ſumpto 21, quos nullum interregnum à ſe invicem diſparavit, Capetinæ gentis in regno Siciliæ à prioribus Andegavis adminiſtrato hæreditarii & continui ad annum 1435 gradus ſeptem, quibus alii duo poſtea acceſſere. In Hungarico quatuor, in Polonico duo, in Conſtantinopolitano directi duo, in Portugalenſi ad annum 1580 gradus continui & hæreditarii tredecim, quibus acceſſit poſt annorum ſexaginta intercapedinem XIV, in Navarreno ab anno 1284 ad 1441 ſeptem, à 1548 in hanc uſque diem quatuor.

Arnulphinæ gentis ab ipſo Arnulpho ad tempora noſtra gradus triginta tres, ex Chiffletii hypotheſi triginta quinque numerantur, quorum viginti ſeptem regii ſunt ab anno 750 auſpicandi, reliqui Ducales. Erchinoaldinæ gentis ex Chiffletii, qui Eberardi duos in unum conflat Lotharingicumque & Daxburgenſem ramos amputans Ducum circiter quadraginta, Ducatuum plus minus tredecim ſpontaneam jacturam facit triginta unus, ex noſtra quandoquidem Lotharingico & Daxburgico ramis locum ſuum ſervamus triginta tres, ex quibus regii iique interrupti undecim, ab anno 1273 inchoandi, Ducales ab anno 646 quinque, ab anno 1046 in ramo Lotharingico 21. Ab anno 1055 in Zaringiano & Teccenſi ramo 14. Ab anno 1283 in Habſpurgico ramo tredecim gradus Ducales. adeo ut in Lotharingico ramo Comites directa ſerie novem, in Zaringiano octo, in Habſpurgico ſexdecim, antequam Ducem ullum offendamus, numerare neceſſe ſit, in Borbonio ramo ſeorſim conſiderato duo ſupra Robertum Borboniorum fontem, poſt ipſum quinque tantum Comites reperientur, reliqui vel majores vel poſteri Regali aut Ducali titulo inſignes occurrant.

Cum igitur, quocunque ſe Chiffletius vertat, Erchinoaldinorum dignitatem minorem deprehendat, compertæ veritati cujus ineluctabili vi, ſi contra hiſcere audeat, conſtringendus veniet, obſtrepere, ſi ſapit, deinceps deſinat. Erchinoaldinam gentem ut antiquiſſimam, ſic illuſtriſſimam ſponte fatemur; ſed in regno nuperam, ſi cum Arnulphina paulo antiquiore & longe illuſtriore contendatur. utrique ſuum, quantum quantum eſt, ſervatum bona fide volumus, tantumque ab invidia abſumus, qui noſtris nihil novum poſcimus, ut hoſtilem noſtrorumque æmulam gloriam obſcurari nolimus. Sive familiam, cum familia componere ferat animus, ſive Galliam cum Hiſpania, ſive Gallos cum Hiſpanis veteribus, ſive Francos cum Gothis, Hiſpaniſque novis committere libeat; quandoquidem alia ſunt familiarum, alia regionum, alia regnorum, alia gentium, quæ regna fundaverunt, jura & decora, poſſuntque nobiliſſimi in regno minus nobili, nudius tertius exorti in antiquiſſimo & nobiliſſimo regno imperare: quamcunque in partem adverſarius nobiſcum manus conſerturus inclinet, facile vicerimus. Nunc vero familiæ Arnulphinæ cauſa ex voto peracta, Ludovicum noſtrum ſi à Ludovico *Pio* Caroli *Magni* filio initium ducamus, *decimumquartum*; ſi à Clodoveo, qui primus inter *Ludovicos* Francorum Imperium tenuit, numerum ineamus *decimum ſeptimum* totius Chriſtianæ nobilitatis facile Principem ex officio credemus, & fidenter pronunciare non dubitabimus. quiſquis reclamandum putaverit, familiam in orbe univerſo ullam, quæ per ſæcula fere undecim vel regnaverit, vel regibus proxima fuerit, Arnulphinæque gloriam æquaverit, indicare di-

 gnetur,

gnetur, qui non putaverit nullam aliam familiam, præter patriarchalem quæ in ſæculorum fine Dominum Ieſum ſecundum carnem protulit, anteferri poſſe fateatur; cumque ſapientiſſimus Regum Salomon beatam terram cujus Rex nobilis eſt pronunciaverit, Francicam cui *nobiliſſimus* jure hæreditario præfectus eſt *beatiſſimam* ore rotondo proferet, dum nos ut fidem oculis propriis credituris pleniſſimam faciamus, Arnulphinæ & Erchinoaldinæ gentium tabulas Genealogicas ex adverſo ſtatuimus.

Hic inſerendæ Tabulæ, Arnulphina & Erchinoaldina.

De Pace cum Francis ineunda Conſilium.

QVod ad vim ſubitam ex intimis latebris & occultis inſidiis, imparatis & incautis inferendam, erupturis evenire ſolet, ut quo pejora & triſtiora moliuntur, eò meliora & lætiora promittant; quique nec vera, nec fortia loqui apti nati ſunt, blandiore garritu & delenifico ſuſurro ſimplicitate ſua ſecuras mentes de ſede dejicere conentur; Id in ſe Francicæ pacis juratus hoſtis Chiffletius repræſentare ſategit, qui *de ea ineunda conſilia* ſe dare mentitus, altera manu panem porrigere, altera lapidem jam jam vibrandum oſtentare non dubitavit. Francos à multis annis provocatos in hoſtico pedem fixiſſe illataſque injurias non ſine uſura ulciſci mœrebat, qui eos continuis cladibus attritos & domi concluſos tremebundam ſub ictu animam agere maluiſſet; ne occaſione undecunque oblata belli vices alternandi, quodque Francis jamdudum frendentes imprecabantur, infortunium importaturi ſi ſe Hiſpani desererent, iis anno 1647 ultroneus & à nemine rogatus conſultor imminere cœpit, tantumque ſibi conditione privato à Reipublicæ gubernaculis meritò remoto & ad alia omnia vocato tribuere auſus eſt, ut Hiſpanicæ Aulæ quaſi rerum neſcia bellum meticuloſa differre, quam invadentibus audacter ſi fortuna votis arrideret, inferre conſtituiſſet Ducum qui fortiter adverſus laceſcentes inſurgendum & in medium eorum ſinum, converſa vi irrumpendum ſatius duxerant exempla aliquot congeſſit, & Hiſpanis, ad alia prout res eorum ferebant intentis temere obtruſit. Iacuerat ad triennium conſilii, nec poſtulati, nec tunc temporis eorum quibus dabatur viribus reſpondentis authoritas; ſed cum inteſtinis diſſidiis conflictata rimam per quam impune irrumperent, Hiſpanicis armis res Francica faceret, abductoque Burdegalam uſque præcipuo limitis præſidio, incuſtoditum & prædæ expoſitum Tiraſcenſem pagum invadere, sereniſſimus Archidux occaſione data uſurus decrevit. tunc verò ne novus ætate noſtra Diogenes Chiffletius, dum militaribus curis Bruxellæ fervent, dolio ſuo tumultuoſe & ſtrepere verſando non inſudaret, oblatum nequicquam Hiſpanis exequendo imparibus ante triennium conſilium, quaſi novum è tripode oraculum ebuccinavit, typis mandari curavit, & Auguſtino Navarro Burenæ, Philippo IV Regi à ſecretis, Auguſti X, poſt iteratam & fauſtiorem Hiſpanici exercitus ante trimeſtre à Guiſiæ propugnatoribus durius excepti tandemque retro pedem referre coacti, tunc vim vi repellente è noſtris nemine impreſſionem, exultabundus inſcripſit, nec virum bonum paciſque noſtræ,

noſtræ, ſed eo quo Pſaltes Domini noſtri typus ſenſu loquebatur, hominem, Pſalm. 40; 10.
in quo læta omnia obtendere ſperare debueramus, cuique vel in amplexus ruenti & de collo tantiſperdum de quiete publica ſpecioſa conſilia demurmurat pendenti jure dixerimus, *amice ad quid huc veniſti*, inſolentem, ob furias ſuas in agrum noſtrum immiſſas; Lutetiamque ipſam, ſi votis reſponderet eventus, igni ferroque devaſtaturus plauſum, ac præpoſterum ante victoriam triumphum *pacis conſilium* vocare puduit. Sereniſſimi Archiducis anno 1649 expeditionem Pariſienſibus (qui de ea nihil antequam Regnum ingreſſus eſſet audiverant, ubi audiverunt, clam à paucis turbandis magis ac magis rebus intentis, evocatum ſe, invidia acciti in patriam hoſtis, præter meritum oneratos ex animo doluerunt) *tantopere arriſiſſe* fabulatur, *ut ejus iconem ære excuſam domibus ſuis gratulabundi affigerent*, elogiumque vernacula lingua à poëtaſtro neſcio quo ſcriptum, probarent. Quaſi vero Pariſienſibus patriæ rerumque ſuarum ſtudioſis imputari debeat, quod à Sequanis aliquot, Burgundici Collegii *Burſariis*, Auſtriacæ genti ab anno 1477 ſubditis, Principumque ſuorum gloriæ addictiſſimis, procuratum fuerat: aut in elogii adulatoria verba conſenſerint unquam, aut nunc conſenſuri ſint, quotquot iconem à terræ filiis in urbe afflicta, pacis undecunque venturæ ſupra modum avida, vænum ſine authoritate publica expoſitam, domum rei novæ cupidi detulerunt.

Quis Lutetiam advenis quibuſcumque vaſtum ſinum aperire ſolitam, ab Hiſpanicæ partis hominibus, qua data porta erat irruentibus, pererratam diroque tunc turbine perflatam fuiſſe miretur, in hanc uſque diem eo mentito habitu exteri quilibet perrepunt. In Burgundico Collegio antiquo more Sequani, qui totidem rerum noſtrarum exploratores & hoſpitum proditores ſunt, nidificare ſinuntur, à quibus quiſquis amicum aut ſalutare quidpiam expectet, ſciens prudens fallatur. Sed elogium ſereniſſimi Archiducis picturæ appoſitum attendamus:

Le bruit de ſon renom remplit toute la terre:
Nos plus fameux guerriers admirent ſes beaux faicts;
Et quoi que ſa valeur ne preſche que la guerre,
L'intereſt du public luy fait chercher la paix.

Id eſt; *famæ ejus clangor totam terram replet, bellatorum noſtrorum famoſiſſimi præclara ejus facinora mirantur, ut ut vero fortitudo ejus nihil præter bellum prædicet, Reipublicæ commodum eum ad pacem quærendam inducit.* Francorum certe nemo ulla ei in Germania & Belgio uſquam erecta trophæa aut viderat aut audierat, varia fortuna uſum, imo ad Helenen caſtrum, ſive *Lens* à Condæo noſtro profligatum & in fugam æſtate proxime præcedente compulſum noverant omnes, nec infauſti prælii aleam ſubire coactum belli adeo avidum reputabant, qui poſt ſemeſtre à nonnullis Lutetiæ incubantibus clam accitum doluerunt ultra Fimes nequaquam progredi auſum, tandemq; Fimes.
retro pedem retuliſſe ex animo lætati ſunt. hæc univerſorum Reipublicæ ſtudioſorum conſtans ſententia fuit, quam nec expreſſit nec exprimere in animo habuit ſcriptoris anonymi adulatoria dicacitas, quam cur tanti faciat Chiffletius? annon *pictoribus atque poëtis quid libet audendi ſemper fuit æqua poteſtas?*

Sereniſſimum Archiducem cum expeditis copiis Regnum Franciæ ingreſſum, neque

neque finitimas urbes obſidione cingi, neque hoſtiles agros à milite deprædari voluiſſe, ſed velut Caduceo inſtructum numen unicam Pacem eamque honeſtam, ſe in votis habere palam feciſſe, exultabundus prædicat. Sed nec ejus, nec accerſentium res, ut hoſtilem in modum noſtra invaderet, ferebant. qui enim eo conſilio ac fine evocatus erat, ut odia adverſus Reginæ regentis dictaturam magis ac magis accenderet, antiquoſque hoſtes populo commodiores & quietis appetentiores imperito vulgo perſuaderet; ſi rem vi gerere & animum renudare conſtituiſſet, à propoſito in quem collimabat ſcopo aberrans evocantium machinamenta univerſa diſturbaſſet, dementatamque venenatis maleficarum mentium ſuſurris plebeculam veternum vel ingratiis ſuis excutere coëgiſſet. maluit ergo pacis, quam belli, quod totus ſpirabat, ſtudium ſimulare. ubi vero artem non procedere præter ſpem ſenſit, ad hoſtilia, quæ protenſa olea tegi voluerat, confeſtim relapſus eſt.

Anno ſequenti novis in Aquitania motibus æſtuans Regnum aggreſſus, indefenſum limitem facile perrupit, Guiſiam parum munitam fruſtra tentavit, ſigna domum referre coactus, aliquandiu ſe continuit. ubi vero à regio exercitu longius poſito nihil ſibi metuendum vidit, rurſus in fines noſtros intulit, nulloque obſiſtente Heriſſonium, Stratam, Caſtellum, Capellam, Verbinum, Reiſtetum, ignobilia & infirma loca occupavit, & Tiraſſenſem pagum Torenio ductore varie populatus eſt. quod ut in majus evehat conſultor noſter, Antonini itinerarium prehendit, noſque quot inter Bagacum Nerviorum & Durocortorum Rhemorum milliaria jaceant intempeſtive monet. quaſi vero totum illud iter hoſtilis exercitus permenſus ſit, aut Bagaco movere cœperit, aut ulli literarum perito priſcam viam militarem Bagaco Durocortorum duxiſſe ignotum eſſe poſſit: aut primus inſtituta novorum cum antiquis vocabulorum collatione Duronum, Verbinum, Catuſiacum, Niutiacum, Muennam, la Capelle, Vervins, Taveau, Nici le Comte, & Neuchaſtel ſur Aine hodie dici deprehenderit. hæc enim ante annos triginta Philippus Cluverius Germanus & Nicolaus Bergerius Rhemenſis ei indicaverant. Sed nec Durocortorum, nec Muennam Hiſpanicus exercitus profectus eſt, qui Verbino ad lævam iter deflexit, rectaque Reiſtetum dirutum ante annos triginta quinque oppidum contendit, avehendis miſerorum tractus illius incolarum meſſibus quam forti cuiquam facinori intentior. nec eum pede pæna claudo perſecuta eſt; jam enim ingruente hyemis rigore totam fere Galliam emenſiæ Regiæ copiæ Reiſtetum primo impetu Hiſpanicis uncis avulſerunt: advenientem cum hoſtilibus ſignis Torenium conſerto prælio fuderunt, cervorumque exercitum leone duce fortem animum præſtare non poſſe docuerunt. Hic autem conſilii Chiffletiani quarto poſtquam typis excuſum eſt menſe eventus fuit, quo *malum conſilium conſultori peſſimum*, inanique ejus ſpei adverſiſſimum tunc fuiſſe ac porro futurum divina providentia oſtendit.

Poſtquam Archiducis ad pacem pronam mentem nobis quod res eſt, non quid dicatur, intuentibus prædicavit, adverſus anonymi Franci, Hiſpanos à pace alienos aſſerentis, ſcriptum bacchatur manifeſtiſſime (ſi Deo placet) mendacii reum peragit: nec videt ſimulata ab Hiſpanis pacis ſtudia contrariis eorum factis velut ex profeſſo refelli. Si enim pacificas mentes eos induiſſe velit adverſarius qui pacifica omnia crepant, ſuperumque ac mortalium fidem, quaſi ſerio rem agant, implorare non verentur, quî factum ut in condi-

conditiones pacis nullas niſi iniquas aut ad generis humani ludibrium effictas in hanc uſque diem conſenſerint? quo animo relictorum Francis oppidorum territoria ipſis præfracte negavere? an ut Hiſpanis Francica præſidia tanquam irremeabili nulliſqúe auxiliis pervio carcere claudere & fame enecare quandocumque liberet ad manum eſſet? quis in animum induxerit bona fine & pacis ſincero ſtudio offerri, quæ in paciſcentis noxam vergunt, nec ab eo niſi forte mente captus ſit admitti poſſint? Si Franci Hiſpanico ludibrio ſubjacere indignum putent, quis eos à pace alienos vere dixerit?

Ne ſine colore Francorum famam impetiiſſe videretur, à pacis Hiſpanicæ tractatu ad Germanicam tranſitu ſubdole facto, in hanc Francos ægre conſenſiſſe, ex *legati* neſcio cujus *Cæſarei*, *ad amicum Eburonem* æque ignotum *Epiſtola*, anno 1650 Iulii 2, Norimberga, ſi eum audiamus, data evincere conatur. hoc enim fine eam clauſam fingit, *multum quidem hic pro hujus rei effectu laboratum eſt*; *ſed potiſſimam in eo partem arma Auſtriaca, Regis videlicet Catholici*, *ſibi vindicant*, *ſine quibus parum profeciſſemus*, &c. Sed ſuo ſorex indicio pereat neceſſe eſt; cum enim Germanicæ paci anni 1648, Octobri menſe, integro antequam ſuam in Francos expeditionem pararet Archidux ſeſquianno, ſubſcripſerint Franci, quî fieri potuerit ut expeditionis quæ nondum ſuſcepta fuerat metu ad pacem Germanicam adacti fuerint quos adactos mentitur? Sub cenſultationis ſuæ finem in eumdem ſcopum collimans Belgici ſui Martíalis Epigramma profert, quo Francos animo à pace alieno, quod domi eos interturbet nemo, aſſeritur. ſed poetam quidquid libuit in ſuorum gratiam ſomniare tam facile fuit, quam Hiſpanis, antequam Franci inteſtino diſſidio laborarent, Chiffletiana conſilia ſequi difficile fuerat. nec enim quibus ſuccenderentur iræ, odia & nocendi artes, ſed vires & occaſio deerant, quam ſimulac ſeſe per noſtrorum rixas obtulit, ambabus manibus avide arripuerunt. pag.13.

Manum ab Epiſtola Chiffletiana priuſquam retrahamus, nonnulla notare operæ pretium fuerit, quæ ejus vel inſcitiam vel vanitatem prodant. Archiducalis expeditionis progreſſum deſcripturus pro Heriſonio, Caſtello, Strata ad pontem, vernacule *Eſtrée au pont* & Iſara, *Hierſonum*, *Caſtelctum*, *Stratæ pontem*, quam imperite & adverſus uſum receptum *Eſtre pont* vocat & *OEſiam* procudit. nec enim ſi vulgus *Hirſon* pronunciare ſoleat, ex ejus corrupto loquendi more vox nova efformanda fuit; quemadmodum *caſtrum* Gallice *chaſteau* & *chaſtel*, & ex Picardorum idiomate *câteau* & *câtel* vocare ſolemus, caſtri diminutivum *chaſtelet* & Picardice *câtelet*, ex Latini ſermonis analogia *caſtellum*, non *caſtelletum*, quod diminutivi diminutivum eſſet dixerimus; flumen à nobis vernacule *Oize* dictum antiqui *Iſaram* nuncuparunt, hinc *Briva ad Iſaram* in itinerario, hodie *Pontoiſe*: *Stratam* à ſternendo dictam, multaſque militares vias Romanorum ſilicibus ſtratas, quod conſultor notat, non negamus, Belgicas tamen à Bagaco Durocortorum aliaque circumpoſita loca ducta, ſilicibus ad ſoli ſuperficiem, ut in Appia, Flaminia, aliiſque Italicis poſitis ſtratas fuiſſe jure negaverimus; quandoquidem ex viarum illarum quæ uſque nunc ſuperſunt reliquiis aperte conſtat eas ad aggerum modum ſupra ſolum fundatas & directas fuiſſe: ea de cauſa ipſis ex fabulatorum medii ævi commentis *Brunehaldi*, quem Bagaci Regem fuiſſe finxerunt, *calciatarum*, vernacule *chauſſées de Brunehaud*, imperite vulgus nomen indidit: quarum

fundus rotundis, medium quadratis ſilicibus munita fuerunt, pars ſuperior quæ nucleus appellari jure poſſit ex terra aggeſta, ſuperficies cæmento quodam glareato incruſtata eſt, prout accurate opere *des grands chemins* vernacule ſcripto Nicolaus Bergerius docuit. ſed hæc extra cauſam, nec enim nos ad pacem via ſua militari perducere conſultori noſtro conſilium fuit.

pag. 1. Quod ex Lampridio Alexandrum Imperatorem *hiſtoriæ peritos* à quibus veterum exempla *requireret convocaſſe*; ex Seneca *futuri conſilium ex præterito venire*; pag. 2. ex Valeriani homilia 17 *haud difficile eſſe inire pugnam ubi videas præceſſiſſe victoriam*; pag. 2. ex Frontini ſtratagematis *conſilii & providentiæ exemplis ſuccinctos Duces eſſe* debere refert, extra controverſiam eſt. hoc tamen obſervandum, prolata teſtimonia non magis eos qui *clypeum gladio* (quod Chiffletius in votis habebat) quam qui *gladio clypeum* (quod idem in Hiſpanis ſuis improbat) mutant ſpectare, eoque ipſo conſilium ab eo Archiduci datum tam ſufflaminare, quam munire.

Exemplorum duodecim cuneo ſtipatus ad Francici Regni invaſionem Hiſpanos ſuos impellit; ſed in exemplis ordo primum, exinde res ipſa quam demonſtrandam ſuſcepit Chiffletius deſideranda ſunt; cum enim Agathoclem primo, Ageſilaum ſecundo, Periclem tertio, Hieronem quarto, Scipionem quinto, Athenienſes ſexto loco collocet, temporum ratio exigit ut Pericles qui ipſi tertius eſt, primo, Athenienſes quos in ſextum rejecit ſecundo, Ageſilaus qui ipſi ſecundus eſt tertio, Agathocles quem primum voluit quarto, Hiero cui quartum locum reſervavit quinto, Scipio qui ipſi quintus eſt ſexto loco ſtatuatur: quod ne diffiteri poſſit, Dionyſium Petavium ad finem laborioſiſſimi de doctrina temporum operis libro poſtremo, ſi verum amet, adibit ex eoque quantum aberraverit diſcet.

Equis tamen aurigam ferri nec audire currum habenas, quandoquidem inordinata Chiffletius amat, ſinamus, oculiſque intentis prolata ab eo exempla perluſtremus. Agathocles Syracuſarum à Pœnis obſeſſarum Rex in Afri-
lib.7 cap.4. cam cum exercitu trajecit, hoſteſque ad pacem Valerio Maximo referente
Xenoph. c.3. coëgit. Ageſilaus in regno recens ne Græcos armis infeſtis peteret Perſa
Polyæn.lib.1. bellum in Aſiam Perſæ ſubditam transferendum judicavit. Pericles Lacedæ-
Tit.Liv.l.22. monios Atticam vaſtantes miſſis quæ maritima eorum popularentur trire-
Florus lib.2. Tit.Liv.l.28. mibus compeſcuit. Hiero Syracuſanorum Rex Romanos fœderatos per le-
Silius Italic. lib.16. gatos monuit, ut miſſo in Africam exercitu Pœnos à ſummittendis Annibali
Iul. Front. lib. 1. auxiliis averterent. Scipio poſt Cannenſem cladem belli ſedem in Africam
Mamert. in transferendam cenſuit. Athenienſes claſſe Peloponeſum miſſa Lacedæmo-
Panegyrico. niorum exercitum Decelea quam Alcibiadis impulſu occupaverat abegerunt.
Sigebert. Herman. Maximianus Auguſtus Scipionis exemplo tranſlato in hoſticum bello bar-
Contract. baros ab Imperii vaſtatione deterruit. Otho II à Lothario Rege bello peti-
Otho Friſius. Wippo. tus vaſtatis Laudunenſium & Sueſſionum agris Pariſios uſque progreſſus eſt.
Franc.Belcar. Conradus Salicus ferro flammaque in Odonis Campaniæ Comitis ditionem
Duplex. Thuan.l.19. ſæviens eum Burgundiæ Regnum invadere auſum coërcuit. Carolus V ſocia-
Heuter. l.15. Matheus l.3. tis cum Anglo viribus in Francicum Regnum irrumpens Franciſcum Re-
Belcar.l.27. Spondanus. gem ad iniquas pacis conditiones adegit. Philippus II fuſo ad Auguſtam Ve-
Monluc.l.4. romanduorum Francorum exercitu expugnataque quam obſederat urbe ipſis
Serrius T.3. Paſchaſ.l.4. quæcunque antea extra Regnum occupaverant extorſit. Albertus Archidux
Aub.Miræus. Caleto & Arda expugnatis Francos ad Verbinenſem pacem compulit.

Hæc

Hæc exemplorum Chiffletianorum ſumma : ex qua id tantum conficitur aliquoties hoſtem fortiter aggreſſis fortunam arriſiſſe. quis negat? an quod nonnunquam evenit, ſemper eventurum ſibi quiſquam ſanus polliceri audeat? nec Chiffletius ipſe conſilii ſui fructum corruptum negaverit, cum Archiducalis quam urgebat expeditionis finis clades ad Reiſtetum fuerit fruſtraque ac temere congeſta ab ipſomet duodecim exempla evicerit. Si enim Archiducalis exercitus invaſæ Franciæ meritas pœnas dedit, nec ejus invadendæ conſilio belli ſors favit, nec exemplis ſuis quod animo verſabat Chiffletius obtinuit, in exemplis ab eo prolatis quiſquis omnia adeo læta putet, ut proſperorum exempla haberi debeant, toto cœlo aberraverit. ut ut enim Agathocles, Ageſilaus, Scipio, Maximianus, Conradus Salicus, Carolus V, Philippus II & Albertus Archidux proſpere rem geſſiſſe videantur, reliquorum diſpar fortuna fuit. Pericles repetundarum reus patriam calamitoſo bello, cujus ipſemet exitum non vidit, hoc uno fine ut pœnæ ſe eximeret implicuit, nec Laconicæ oræ populatione pacem ſuis peperit aut victoriam, ſed calamitatem tantum diſtulit: abducti ex Decelea Lacedæmoniorum exercitus fructus Athenienſium quies non fuit, ſed modicum ad tempus levamentum. Othonianæ expeditionis fœdus tandem exitus fuit. *Rex Lotharius Hugone Capucii Comite Pariſienſi & Heinrico Duce Burgundionum fratre ſuo evocatis, ingentem congregaverat exercitum; cum quo ſubito irruens ſuper hoſtes, eos fugere compulit, quos etiam perſequutus eſt uſque ad Sueſſionenſem urbem: illi autem ingreſſi fluminis alveum, quod dicitur Axona, neſcientes vadum, maximum detrimentum perpeſſi ſunt. Nam plures multo conſumpſit aqua quam gladius: & tot ibi perierunt, ut etiam aqua redundaret cadaveribus. Aqua enim repleverat ripas ſuas. Lotharius autem conſtanter perſequens eos tribus diebus & tribus noctibus, & uſque ad flumen quod fluit intra Ardennam, interfecta ex hoſtibus maxima multitudine, cum triumpho reverſus eſt in Franciam; Otho autem Imperator cum his qui evaſerant confuſe repatrians non appoſuit ultra redire in Franciam.*

Guilielmus Nangiacus ad annum 978.

Moſam.

Odonis Campaniæ Comitis infortunium Henrici Regis iræ imputari debuit, qui Conſtantiæ matris Rempublicam turbare auſæ partes ſecutum Conrado Salico fœderato & affini conculcandum objecit. Quam à Franciſco I anno 1544 duris Regno conditionibus extorſit Carolus V pacem, non Regis trepidatio & in rebus fractis deſperatio, ſed aulæ in factiones ſciſſæ diſſidium peperit. *Aurelianenſibus pacem licet iniquam accipere conſulentibus, ac tandem vehementi importunitate perſuadentibus; quam Gabriel Cuſinanus, Sodalis dominicinus, Reginæ Eleonoræ nomine procurabat. Contra, qui à Delphino ſtabant, iniquas pacis conditiones admittendas non putabant. poſtremo Rex in priorum ſententiam conceſſit, Anna Piſſeleva aliiſque ejuſdem factionis urgentibus*, &c. Sic factum ut Regni afflicti, ſed in novas ſpes (annitente Delphino cordatiſque univerſis) ſurgentis decus muliebri impotentiæ traderetur, reſque ex voto Germanæ importunitate fretus ageret Carolus V.

Franc. Belcarius n. 5.

Caroli Germanæ.

Cladis ad Auguſtam Veromanduorum acceptæ cauſam ſi requiramus, eam in intempeſtivam è Regno ad bellum Italicum copiarum noſtrarum abductionem conferre neceſſe fuerit. quo enim tempore cum præcipuo militiæ flore Guiſius aberat, limitem noſtrum cum ſex fere myriadum exercitu perrupit Philippus II, cui longe viribus impar congredi auſus Stabuli Comes

ſuccumbere tandem ac deditionem facere compulſus eſt. Poſt Francici exercitus ſtragem & Auguſtæ expugnationem non ſine cauſa trepidatum eſt, cum Regnum exarmatum videretur, præcipuuſque inter Duces in poteſtate hoſtium eſſet: ſtatim tamen rediit victis in præcordia virtus, revocatus propere ex Italia Guiſius cum veteranis advenit, novæ undique copiæ conſcriptæ ſunt, quæ tantiſperdum auxiliaris exercitus abeſſet, hoſtilem impetum ſiſterent. expugnata anno ſequenti Theodonis villa aliæque in Lucemburgico Ducatu munitiones: extortum Anglis in Morinis Caletum, nequicquam obſiſtente Philippo, poteratque priſtina jactura feliciter reſarciri, niſi ſemet Rex ingeniti vigoris oblitus deſeruiſſet; tædio igitur reflantis tunc primum fortunæ fractus, ad pacis ignominioſæ conditiones iniquas inclinavit: quique in aula licet abſens & captivus nihil non poterat ſtabuli Comes, ne abſentia ſua æmulorum res promoveret, & liber factus iis primo gratiæ apud Regem loco cedere cogeretur, toto nixu contendit & obtinuit, ut vel ruina incendium jam deſæviens reſtingueretur: cumque primas inter delegatos qui Regis nomine paciſcerentur teneret, mandatis Regiis in proprium commodum uſus, ne rurſus ſub cuſtodiam redire cogeretur, univerſa Regno parta in libertatis pretium quodammodo publici largus, ſui parcus, prodegit. hinc factum ut Philippo, Sabaudo, Genuenſibus, univerſa ablata reſtituerentur, *uno calami ductu triginta annorum bello quæſita* nobis perirent. *Rex*, ex Hiſpani ſcriptoris ſententia, *centum nonaginta octo munitas arces & urbes redderet; aliis haud numeratis, quæ ſub illarum juriſdictione conſtitutæ erant.* Ex Serranii mente *ultra quadringentas arces traderet*, & *Dominii* ſi Monlucium audiamus *tertiam Regni Franciæ partem adæquantis poſſeſſione cederet.* Sic faſtidio noſtro, nimiæ facilitati & aulicæ libidini quam armis ſuis & machinamentis longe plura debuerit Philippus. Nec enim viribus exhauſtum Regnum fuiſſe credendum, quod ab anno 1560 ad 1601, per annos ſolidos 41 ad bella fere continua ſuffecit: cum anno 1560 inteſtinis tumultibus æſtuare cœpiſſet, vix quadriennii quiete in annum 1566 deſinente refocillatum eſt; ab anno 1567 ad 1578, rurſus belli civilis incendio depaſtum eſt: poſt biennii intervallum, anno nimirum 1581, in expeditionem Belgicam inclinavit: ab anno rurſus 1583 ad 1585 non nihil interquievit; ſed ab anno 1585 ad 1598 Henoticiis furiis patuit: pace Verbiniana ad novam quietem compoſitum, vix ea per biennium gaviſum eſt, ſuccedente belli Sabaudici quod anno 1601 confectum eſt, ineluctabili neceſſitate: ſed exinde ſub Henrici Magni felici regimine vicinis circumquaque tremendum, profundæ pacis bonis Deo miſericorditer providente ſatiatum eſt.

Annas, vel potius Anno ſeu Agano Montis Moranciaci Dux.

Paſchaſius. lib. 4. Ep. 2.

Caletum neceſſariis munimentis deſtitutum, cum præter ſpem ſubegiſſet, Ardam Belinii culpa deditam juris Hiſpanici feciſſet, Samarobrinam aſtu ſuorum occupaſſet Albertus Archidux, ſimulac eam Francico Imperio redditam vidit, velut in alium verſus Richardotum Præſidem delegavit, qui Villaregium compellaret, primuſque pacem rogans, Hiſpanicam ditionem ultricibus Henrici noſtri armis ſubduceret. Non itaque Francos ad pacem coëgit, ſed coactus de ea inſtauranda, leniendiſque quos priores offenſæ ſupra modum exacerbaverant Francorum animis ſerio cogitavit. Si Alberti propinqui exemplo pacificam mentem induat Leopoldus Guilielmus, noſtriſque pacatis uti velit, nemo pius non probabit; ſed Chiffletiana eum conſilia de Lutetia invadenda abjicere ante omnia neceſſe fuerit.

Hiero-

Hieronis & Scipionis exempla in unum idemque recidunt: quod enim Hiero conſuluit, Scipio exequendum ſuſcepit, nec debuere ſejungi quæ uno eodemque tempore & in eundem finem contigere: ſed Chiffletio in non neceſſariis luxurianti, in iis quæ ad rem erant jejuno, unum idemque ferculum diverſimode conditum lectoribus, quam eorum nauſeam quæ uno verbo expedire poterat iterando provocare ſatius viſum eſt: hoc fine poſt Livii longiorem laciniam prehenſam, ad Silium Italicum à Livio deſcripta fuſius poëtico more narrantem, & Florum eadem brevius inculcantem recurrit, terque nobis unum idemque factum obtrudit.

In Philippi II exemplo multus, quidquid in Belcario, Thuano, Paſchaſio, Monlucio, Serrano, Scipione du Plex, Petro Matthæo, Ioanne Spondano & Ponto Euthero offendit ad idipſum quomodocunque pertinens, ſtudioſe corradit, nequid ad exaggerandum calamitoſi eventus infortunium ſerviens intactum è manibus elabi ſiviſſe videatur; quoque turget felle & calumniandi libidine in noſtros concitatus, eos ſtili maledici mucrone petit, *Francos Dominandi libidinem belli cauſam habere* mentitus. Imo, quod mirere magis lector, tam præcipiti animi levitate teſtimonia noſtros rogat, ut Petro Matthæo, Scipioni du Plex, & Ponto Euthero adverſa fronte concurrenti, quodque ipſemet conſulebat ex profeſſo refellenti, ſententiæ dicendæ jus Livii authoritate confirmatum tribuat, uno eodemque ore calorem & frigus ſpirare doctus blatero. quid enim in Philippi II expeditione deſiderandum Scipio & Pontus judicavit? annon quod victoriæ curſum ſponte nullaque neceſſitate obligatus ſiſtere maluerit, quam recta Lutetiam tremebundam petere, & Regni caput fortiter aggredi? annon Leopoldo Archiduci ferro viam ad Lutetiam aperiendam toto libello ipſemet ſuadet? annon denique Thomæ Cariniani Principi vitio vertit, quod trajecto ad Corbeiam Samara ad Lutetiam terrore perculſam feſtinus non accurrerit? *progredi*, inquit Scipio, *tunc debebat ad principem Regni urbem, aperta ſibi via*, &c. *Videbat Rex* addit Pontus *amiſſo S. Quintini Fano, ad muros uſque Pariſienſes Sabaudum tuto progreſſurum, niſi ei juſtus opponeretur exercitus, qui adhuc eſſet imparatus*, &c. *Quid ni*, inquit Chiffletius, *ipſemet sereniſſimus Archidux Leopoldus Guilielmus, ſi majorum exemplo idem moliatur, ſi arces & ſtationes aliquot in Francia, ad Somonam vel Oeſiam fluvios, vi armata occupet, muniat occupatas; & inde in Regni fontis turbarum primarii viſcera inferat belli incommoda*, &c. *Idem conſilium Martialis Belgæ mentem jam ſubierat*, &c.

Pag. 10.

Pag. 13.

Cur tam ſera venit noſtris pax debita terris?
An quia ſtat Gallis paxque quieſque domi?

Quod ſi objiciatur ex occupatis anno 1636 *per Thomam Principem Sabaudum, exercitus Regii tunc ſummum Ducem, Capella, Caſteleto & Corbeia, nihil tale ſubſecutum: reſpondebitur, eorum culpa id ita eveniſſe qui, commota jam turbataque Lutetia, haud conſtanter incœpto perſeverarunt*, &c.

At contra Matthæus Philippum Regem laudat, *quod in proſpero illo ſucceſſu animum ſic temperavit, ut commoda, quæ per illam victoriam fortuna ipſi obtulerat, neglexerit: quod Ferdinandi Gonzagæ conſilium ſpreverit, qui ei ſuadebat, ut diſſipatis jam Regni Franciæ viribus turbatam Lutetiam invaderet*. Cum *magnæ prudentiæ factum* fuerit, *cogitare haud duratarum diu illam faventem auram: quodque in Pariſienſem illum gurgitem ſi ſe præcipitaſſet, im-*

prudenter ingreſſus fuiſſet locum, *à quo regredi forſan ipſe neſciviſſet.* Petri Matthæi ſententiæ favere Livium ipſemet Chiffletius notat, ubi ait, *modum imponere ſecundis rebus*, *nec nimis credere ſerenitati præſentis temporis*, *prudentis hominis*, *& merito felicis eſſe.* Si turbulento Chiffletii conſilio obniti, fortunam reverenter habere, *modum ſecundis rebus ponere*, &c. *felicis & prudentis hominis eſt*, quid in Thomæ Principis laudato, & Livii judicio, confirmato Philippi avi materni exemplo freti facto culpandum invenerit, qui id tam audacter improbat? quid-ni etiam (quòd *prudentis & felicis eſſe* conſultor non diffitetur) imitari, quam ejus inconſulto arbitrio ſemet fortunamque Hiſpanicam denuo committere, imo *imprudentis & infelicis* indignas partes exequi Leopoldus Archidux poſt immiſſi anno 1650 in Franciam exercitus cladem præoptandum putet?

Quam periculoſum fuerit imperitum conſultorem audire, cum manifeſtum fuerit eventus *de pace cum Francis ineunda*, non hoſtilia moliendo eoſque ſtricto mucrone invadendo, quod à pace alieniſſimum eſt, ſed ſibimet in poſterum ne maximum malum infortunium incurrant metuendo, & ab armis ceſſando, conſilium ſereniſſimus Archidux ſuſceperit. ſi enim aliena invaſiſſe vi rem gerentibus aliquoties feliciter ceſſit, longe ſæpius infauſtum ac pænitendum fuit. *Quum audiſſet Abram* Pentapolim ſubactam & *captum Loth*

Geneſ. 14. *fratrem ſuum*, *numeravit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo*, *& perſequutus eſt* Reges quatuor *uſque Dan*, *& diviſis ſociis*, *irruit ſuper eos nocte*, *percuſſitque eos*, *& perſequutus eſt eos uſque Hoba*, *quæ eſt ad lævam Damaſci*, &c.

Iudic. cap.4, verſ. 12. *Nuntiatum eſt Siſaræ* Iabini Regis Azor legato, *quod aſcendiſſet Barac filius Abinoem in montem Thabor*, *& congregavit nongentos falcatos currus*, *& omnem exercitum de Haroſeth gentium ad torrentem Ciſon. Dixitque Debora ad Barac, ſurge: hæc eſt enim dies in qua tradidit Dominus Siſaram in manus tuas: en ipſe ductor eſt tuus. Deſcendit itaque Barac de monte Thabor & decem millia pugnatorum cum eo: perterruitque Dominus Siſaram & omnes currus ejus, univerſam multitudinem in ore gladii ad conſpectum Barac: in tantum ut Siſara de curru deſiliens pedibus fugeret*, *& Barac perſequeretur fugientes currus & exercitum uſque ad Haroſeth gentium*, *& omnis hoſtium multitudo uſque ad internecionem caderet*, &c.

cap.7, 22. *Inſiſtebant trecenti viri*, qui Gedeoni militabant, *buccinis perſonantes. immiſitque Dominus gladium in omnibus caſtris Madianitarum*, *& mutua ſe cæde truncabant*, *fugientes uſque ad Bethſeca & crepidinem Abelmehula in Tebbath*, &c.

1 Sam. cap.7, 10. *Factum eſt quum Samuel offerret holocauſtum*, *Philiſthiim iniêre prælium contra Iſrael: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthiim & exterruit eos*, *& cæſi ſunt à filiis Iſrael. Egreſſique viri Iſrael de Maſphath*, *perſequuti ſunt Philiſthæos: & percuſſerunt eos uſque ad locum qui erat ſubter Bethchar*, &c.

cap.11, 11. *Factum eſt*, *quum dies craſtinus veniſſet*, *conſtituit Saul populum in tres partes: & ingreſſus eſt media caſtra in vigilia matutina*, *& percuſſit Ammon* ad Iabes Galaad *uſque dum incaleſceret dies: reliqui autem diſperſi ſunt*, *ita ut non relinquerentur ex eis duo pariter*, &c:

cap.14, 13. *Aſcendit Ionathas manibus & pedibus reptans*, *& armiger ejus poſt eum. itaque alii cadebant ante Ionatham*, *alios armiger ejus interficiebat ſequens eum*, &c.

reſpe-

reſpexerunt ſpeculatores Saul, qui erant in Gabaa Benjamin: & ecce multitudo proſtrata, & huc illucque diffugiens, &c. *Conclamavit ergo Saul, & omnis populus qui erat cum eo, & venerunt uſque ad locum certaminis: & ecce verſus fuerat gladius uniuſcujuſque ad proximum ſuum, & cædes magna nimis. ſed & Hebræi qui fuerant cum Philiſthiim heri & nudiustertius, aſcenderantque cum eis in caſtris, reverſi ſunt ut eſſent cum Iſrael, qui erat cum Saul & Ionatha. Omnes quoque Iſraelitæ qui ſe abſconderant in monte Ephraim, audientes quod fugiſſent Philiſthæi, ſociaverunt ſe cum ſuis in prælio, & ſalvavit Dominus in die illa Iſrael: pugna autem pervenit uſque ad Bethaven*, &c.

Congregantes Philiſthiim agmina ſua in prælium, convenerunt in Socho Iudæ: & caſtra metati ſunt inter Socho & Aſeca in finibus Dommim, &c. *Videntes autem Philiſthiim, quod mortuus eſſet fortiſſimus eorum* Goliath *fugerunt, & conſurgentes viri Iſrael & Iuda vociferati ſunt, & perſequuti ſunt Philiſthæos, uſque dum venirent in vallem & uſque ad portas Accaron*, &c. cap.17, v.1.

Abiit David & viri ejus in Ceilam, & pugnavit adverſum, Philiſthæos, & abegit jumenta eorum, & percuſſit eos plaga magna: & ſalvavit David habitatores Ceilæ, &c. cap.23, 5.

Ortum eſt bellum durum ſatis in die illa, fugatuſque eſt Abner & viri Iſrael à pueris David in Gabaon, &c. *Philiſthiim venientes diffuſi ſunt in valle Raphaim, & conſuluit David Dominum dicens, ſi aſcendam ad Philiſthiim, & ſi dabis eos in manu mea. & dixit Dominus ad David, aſcende, quia tradens dabo Philiſthiim in manu tua. Venit ergo David in Baalpharaſin, & percuſſit eos ibi*, &c. *addiderunt adhuc Philiſthiim ut aſcenderent & diffuſi in valle Raphaim*, &c. *fecit David ſicut præceperat ei Dominus, & percuſſit Philiſthiim de Gabaa uſque dum venias Gezer.* 2 Sam. cap. 2, 17. 2 Sam.cap.5, 18.

Bellum fuit in Gob contra Philiſthæos: tunc percuſſit Sobochai de Huſathi, Saph de ſtirpe Arapha, tertium fuit bellum in Gob contra Philiſthæos. in quo percuſſit Adeodatus filius Saltus, polymitarius Bethlehemites, Goliath Gethæum, &c. 2 Sam. cap. 21, 18.

Habuit Aſa in exercitu ſuo portantium ſcuta & haſtas de Iuda trecenta millia, de Benjamin vero ſcutariorum & ſagittariorum ducenta octoginta millia; omnes iſti viri fortiſſimi. Egreſſus eſt autem contra eos Zara Æthiops, cum exercitu ſuo decies centena millia & curribus trecentis, & venit uſque Mareſa. porro Aſa perrexit obviam ei, & inſtruit aciem ad bellum in valle Sephata, quæ eſt juxta Mareſa, & invocavit Dominum Deum, &c. *Exterruitque Dominus Æthiopes coram Aſa & Iuda, fugeruntque Æthiopes; & perſequutus eſt eos Aſa & populus qui cum eo erat uſque Gerara, & ruerunt Æthiopes uſque ad internecionem*, &c. 2 Paral. cap. 14, 8.

Egreſſi ſunt pueri Principum Provinciarum in prima fronte. miſit itaque Benadad, qui nuntiaverunt ei dicentes, viri egreſſi ſunt de Samaria. at ille ait, ſive pro pace veniunt, apprehendite eos, vivos eos capite. Egreſſi ſunt ergo pueri Principum Provinciarum ac reliquus exercitus ſequebatur eos, & percuſſit unuſquiſque virum qui contra ſe veniebat: fugeruntque Syri & perſequutus eſt eos Iſrael, fugit quoque Benadad Rex Syriæ in equo cum equitibus ſuis, nec non Rex Iſrael percuſſit equos & currus & percuſſit Syriam plaga magna, &c. *poſtquam annus tranſierat recenſuit Benadad Syros & aſcendit in Aphec, ut pugnaret contra Iſrael. porro filii Iſrael recenſiti ſunt & acceptis cibariis profecti ex adverſo, caſtraque metati ſunt contra eos, quaſi duo parvi greges caprarum: Syri autem repleverant terram*, &c. 1 Reg. cap.20,

ſeptima

ſeptima die commiſſum eſt bellum: percuſſeruntque filii Iſrael de Syris centum millia peditum in die una. fugerunt autem qui remanſerant in Aphec, in civitatem: & cecidit murus ſuper viginti ſeptem millia hominum qui remanſerant. porro Benadad fugiens ingreſſus eſt civitatem, in cubiculum, quod erat intra cubiculum. dixeruntque ei ſervi ſui, ecce audivimus quod Reges domus Iſrael clementes ſint, ponamus itaque ſaccos in lumbis noſtris & funiculos in capitibus noſtris, & egrediamur ad Regem Iſrael: forſitan ſalvabit animas noſtras, &c.

Iudith. c. 15. *Cum omnis exercitus decollatum Holophernem audiſſet, fugit mens & conſilium ab eis, & ſolo tremore & metu agitati, fugæ præſidium ſumunt; ita ut nullus loqueretur cum proximo ſuo, ſed inclinato capite relictis omnibus evadere feſtinabant Hebræos, quos armatos ſuper ſe venire audierant, fugientes per vias camporum & ſemitas collium. Videntes itaque filii Iſrael fugientes, ſequuti ſunt illos: deſcenderuntque clangentes tubis & ululantes poſt ipſos; & quoniam Aſſyrii non adunati in fugam ibant præcipites: filii autem Iſraelis uno agmine perſequentes, debilitabant omnes quos invenire potuiſſent,* &c.

1 Maccab. cap. 3, 10. *Quum Apollonius ex gentibus copias contraxiſſet, atque à Samaria magnum comparaſſet exercitum, ut Iſraeli bellum inferret, Iudas re cognitâ, obviam ei proceſſit, cladeque illata, eum interfecit; tum multi cæſi occubuerunt, & celeritate in fugam ſe conjecerunt,* &c.

Ibid. verſ. 13. *Seron Dux exercitus qui erat in Syria, quum audiviſſet Iudam collegiſſe copias, fideleſque homines ſecum habere, qui ad bellum profecti erant,* &c. *adſcendit valido agmine impiorum eum comitante, ut & auxilio ei eſſent, & vindictam in Iſraelem exercerent; cumque appropinquaſſent uſque ad clivum Bethoron, Iudas ei obviam progreſſus eſt, cum militibus perpaucis,* &c. *repente in eos irruit: & Seron cum exercitu ſuo fuſus confectuſque eſt,* &c.

cap. 4, 1. *Aſſumpſit Gorgias quinque millia virorum & mille equites electos, & moverunt caſtra nocte, ut applicarent ad caſtra Iudæorum, & percuterent eos ſubito: & filii qui erant ex arce, erant illis Duces. & audivit Iudas, & ſurrexit ipſe & potentes percutere virtutem exercituum Regis, qui erant in Emmaum. adhuc enim diſperſus erat exercitus à caſtris. & venit Gorgias in caſtra Iudæ noctu, & neminem invenit, & quærebat eos in montibus; quoniam dixit, fugiunt hi à nobis. & quum dies factus eſſet, apparuit Iudas in campo cum tribus millibus virorum tantum: qui tegumenta & gladios non habebant ut volebant; & viderunt caſtra gentium valida,* &c. *congreſſi ſunt & contritæ ſunt gentes, & fugerunt in campum; noviſſimi autem omnes ceciderunt in gladio, & perſequuti ſunt eos uſque Gezeron, & uſque in campos Idumææ & Azoti & Iamniæ: & ceciderunt ex illis uſque ad tria millia virorum.*

cap. 5, 57. *Dixit Ioſephus Zachariæ filius, faciamus & ipſi nobis nomen, & eamus pugnare adverſus Gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt. & præcepit his qui erant in exercitu ſuo, & abierunt Iamniam, & exivit Gorgias de civitate, & viri ejus obviam illis in pugnam; & fugati ſunt Ioſephus & Azarias uſque in fines Iudææ, & ceciderunt illo die de populo Iſrael ad duo millia viri, & facta eſt plaga magna in populo,* &c.

En ex hiſtoria Iudaica aliena appetentium, quibus male cecidit, octodecim exempla. infinita ex Græca Romana & noſtra peti poſſent; nos intento digito è plurimis pauca indicabimus. Cyro & Dario Hyſdaſpidæ Scythica; Dario eidem & Xerxi Græca; Niciæ Sicula; Cyro minori, Perſica; Marco Regulo

gulo Africana; Haſdrubali Italica; Pyrrho Italica, Sicula, Argolica; Scipionibus Hiſpanica, Cimbris Gallica & Italica, Helvetiis Gallica trans Rhodanum; Arioviſto Sequanica, Craſſo & Anthonio Parthica; Decio Dacica; Valeriano & Iuliano Perſica; Maximino Pers-Armenica; Conſtantino juniori & Radagaiſo Italica; Attilæ & Alamannis Clodovei tempore, Gallica; Saracenis ad Tholoſam, Pictavos, Berram & Avenionem Gallica; Carolo Calvo ad Andernacum Lotharingica, Ottonibus II & IV Gallica, Conrado III & Ludovico VII Damaſcena; Conradino Sicula; Ladiſlao Poloniæ Regi & Sigiſmundo Imperatori ad Nicopolim & Varnam Bulgarica; Carolo V Provincialis & Argeriana; Hiſpanis ante annos fere 63 ad Ebriacum & nuper ad Leucaten, Rupem Regiam, Helenen Caſtrum & Reiſtetum Gallica expeditio infauſta & luctuoſa fuit.

Nequaquam tamen adeo deſipuerimus, ut infeſto Marte alios adortis certi quicquam, vel improſperi vel proſperi Chiffletii exemplo ſpondere audeamus; cum enim futuri caligo humanis mentibus impervia, quò res natura ſua fluxæ caſuræ ſint nobis occultare ſoleat, quamque facile audentes fortuna juvat, audaciſſimos ſæpenumero deſtituere ſoleat, ex eventibus per vices alternantibus, fixum nihil in partem hanc vel illam exſculpi poſſe merito cenſebimus, eventuſque cujuſcumque modi uni Numinis arbitrio permittemus, qui tam pacem creare, quam adverſa formare, collapſas ſpes erigere, ac velut ex tumulis excitare erectas, jamque cœlo minantes momento dejicere pro ſumma poteſtate ſolet, nequis Chifflerianæ dementiæ œſtro percitus, quod aliquando ex voto evenit, eventurum ſemper ſibi perſuadeat, & decretorio more aliis prædicet.

Antequam in Francici Regni fines immiſſus adverſi quicquam expertus fuiſſet Hiſpanicus exercitus, imo antequam de eo conſcribendo & ducendo Leopoldus Archidux cogitaſſet, Chiffletiani libelli rem titulo nullomodo reſpondere, oculatis univerſis conſpicuum eſſe poterat: cum enim bellum acrius urgere & pacem inire, è diametro pugnent, qui belli urgendi conſilium dedit, non modo à pace ineunda alienus fuit, ſed de eâ non ineundâ ex animo cogitavit. debuerat ergo adverſarii conſilium non de pace cum Francis ineundâ, ſed de bello infeſtius perſequendo, omnique pacis ſpe Francis tollendâ inſcribi: ſed impoſturam incautis lectoribus facere, quam larvam ponere maluit, quoque immanius hoſtilia & dira ſpiravit, eò callidius pacata & modeſta ſimulare auſus eſt.

Vbi totam ſceleſti machinamenti molem profligatis ad Reiſtetum Hiſpanicis copiis eventus evertit, inconſulta Chiffletiani conſilii vanitas nulli non patuit. *magno nummorum conatu à Rege Catholico adjutus Archidux, de copiis, tormentis, curribus & annonâ*, quantum ex Chiffletii voto fieri potuerat, *mature ſibi providerat*; *ſepoſitis morarum ambagibus cæteri ſub ejus imperio Duces in ejus conſilium concurrerant unanimes: oſtendere bellum* non deſtitit; *ad vim paratus videri voluit*, *trajecto Iſarâ munitiones aliquot occupavit*; *in Regni*, quod *fontem turbarum primarium* per calumniam conſultor vocat, *viſcera, belli incommoda inferre cogitavit*, nec tamen cogitata implere, qui paulo poſt vapulavit, ſpeſque longas in perniciem noſtrorum præter votum inchoare vetitus eſt, ullomodo potuit. Chiffletiano ergo temere bellandi conſilio cautionis contrarium conſilium opponemus, ut experimento ſuo Hiſpani diſ- pag. 14. pag. 13.

 cant

cant Regnum noſtrum, quod *abſumpto nobilitatis flore, vexatis vectigalium immenſitate popularium animis, militibus & pecuniis exhauſtum*, quia ſummopere cupiunt, credi volunt, diris eorum conatibus retundendis, ſi modo implorato ſceleſtis vindicis patrocinio purgatoque jurgiorum inteſtinorum fermento ſui meminiſſe velit, nunquam non par futurum. Francos, quos Hiſpanorum injuriæ ad arma compulerunt, ad pacem, à qua alieni nunquam fuerunt, cogi, ſi æqua & honeſta offeratur, minime opportebit: qui enim impoſitam ſibi, vel ingratiis ſuis, ultricia arma corripiendi neceſſitatem doluerunt, ſenſuque indigniſſimarum offenſarum puncti, in juſtas iras exarſerunt; ſimulac ad modeſtiam compoſitos hoſtes viderint, ea ponere dextramque ad ſaniorem mentem revertentibus offerre, factoque ipſo Chiffletianas calumnias refellere, non dedignabuntur.

De Ampulla Remenſi diſquiſitio.

Epiſt. Alſatiæ vindicatæ præfixa.

EVm qui *nihil vereri*, nulli, ſive in poteſtate conſtituto, ſive privato parcere; famam propriam (genuinum in nominibus Regiis infigendo, amicos antiquos ſugillando ingenium δοξομανὲς blandius palpare auſos indignis modis prodendo, vanitatique ſeſe capere neſciæ quodammodo immolando) prodigere ſecum decrevit, pretioſiora eorum quibus male vult κειμήλια depretiare, petulciſque pedibus conculcare decebat. Ampullæ Remenſi quantam quantam tribuerant à ſeculis aliquot noſtrates, qui Hiſpanicæ cauſæ patrocinium ſuſceperant, Iacobus Valdeſius, Cornelius Ianſenius, qui ſub *Patricii Armachani* perſonâ latens *Martem Gallicum* edidit, aliique ex adverſariis dignationem religioſe ſervaverant; nec de narrationis, quam S. Remigii vitæ Hincmarus inſeruerat, fide & auctoritate diſputandum cenſuerant; unus Chiffletius, qui hoc nomine dicam noſtris ſcriberet, hactenus exortus eſt. Is anno 1651, III Nonas Iunii Gaſpari Bracamontio Peñarandæ Comiti, in conventu Monaſterienſi coronæ Hiſpanicæ nuper Plenipotentiario, libellum hoc titulo *De Ampulla Remenſi diſquiſitio* prænotatum, hoc fine inſcripſit ut everſâ communi, tam noſtratium quam exterorum, de Ampulla illa ſententiâ, Francicorum Regum, quorum unctioni à ſeculis aliquot inſerviit, primæ inter Reges Chriſtianos dignitati licentius obſtreperet: quodque ſano cuiquam probari non poſſit Caſtellæ Regno, anno 1032 nondum exorto, πρωτεῖα, proculcatis antiquioribus univerſis, exſufflatoque Romanæ Eccleſiæ de Francorum Regibus judicio, aſſererent: nulli enim vel infanti ignotum erat, quo ſemper loco Franci noſtri conſtitiſſent, quos inter Reges omnes caput extollere ante ſecula undecim, longe prius quam *Caſtellæ* ulla in rerum natura mentio eſſet, annis antequam *Caſtellæ* Regnum conderetur fere 440, Gregorius Magnus ſcripſerat; univerſorum Latinorum manibus trita fuerat Stephani IV Papæ ad Carolum Magnum & Carolomannum germanum, ex Gregorii primi mente, anno 769, ante conditum *Caſtellenſe Regnum* 264, data Epiſtola, quâ *præclaram Francorum gentem præ reliquis omnibus enitere*, palam profeſſus fuerat: res vero ipſa (ſepoſitis, quæcumque æmulorum væcordia commenta eſt, nugamentis) per ſe clamabat, novos vetuſtis, infimæ notæ primis præponere indigniſſimum eſſe: cum præſertim Hiſpanicæ gentis nemo ante annum 1557 de primo inter Reges gradu vel

cogitaverit, vel ſi cogitavit, contentioſum cum Francis funem trahendum cenſuerit. Vbi id Philippo II in mentem venit, filium & nepotem paria aggreſſos, cæteroſque Auſtriacos, inter quos illi primas ſibi vindicant, eis faviſſe & uſque nunc favere nemo mirabitur: ſed cum nulli in cauſa ſua judicem ſedere & unanimi generis humani conſenſui reclamare liceat, audax Hiſpanicæ gentis facinus ab Eccleſia Romana, Anglico, Polonico, Suecico, Danico Regnis, Venetâ, Helveticâ, Belgicâ Rebuspublicis, Germanico, Moſchico, Othomannico & Perſico Imperiis, jam pridem retuſum fuiſſe, ad plenam Francorum victoriam ſatis eſt. Audiamus tamen quid adverſus ſummam eorum dignitatem prolaturus ſit poſtremus perditæ cauſæ Patronus Chiffletius: à fœdis in Reges noſtros calumniis exorſus, adeo deliramentis ſuis indulget, ut *Francorem Reges ex Ampulla unctione ambiiſſe ſupra Reges alios honoris ac dignitatis prærogativam*; *vanos ex illa ad fracturam opportuna baſi uſurpaviſſe titulos*, *primumque conſequutos dignitatis ordinem*, tam mendaciter quam impudenter ſcribere non erubeſcat. Cum enim nihil unquam *ambiverint*, aut in præſens *ambiant*, nullo unquam *ambitu* indiguerint, ipſis à ſæculis fere XII, quo tempore Caſtella *non entibus* annumeranda erat, primus ſine controverſia locus conceſſus ſit, Chriſtiani nominis nemo ante Philippum II primatui eorum reclamaverit; ex ipſis Regibus qui Ampullam cœlo devectam crediderunt deſignari nullus poſſit, qui ſibi principatum in Regum collegio hoc uno nomine vindicaverit, aut vindicandum à quoquam aſſeri voluerit, quod unguine divinitus miſſo delibutus ſit; manifeſtæ in eorum majeſtatem injuriæ reum Chiffletium teneri palam eſt. Sive familiam cum familia componere libeat, tantum inter regias reliquas Capetina ſublime caput effert, *quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.* Regnavit enim in agnatis Carolinis ab anno 750, in ſuis ab anno 888; antequam Habsburgicus ullus ad ſolium aſſurgeret annis 385; antequam qui Britannicum Regnum ſibi vindicant Roberti Stuarti hæredes oſtro imbuerentur annis 498; antequam Chriſtianus Oldenburgicus ad Regnum Danicum eveheretur annis 560: antequam Guſtavus Suecici Regni reſtaurator, Polonorumque & Suecorum Regum ſtirps diademate redimeretur annis 634. Si Francorum gentem cum Weſogothica, quæ Hiſpanias anno 476 occupavit, & ad annum 712 tenuit longe ſuperior evaſerit: utpote quæ Gothos unico prælio devictos anno 507, tota fere Gallia expulit, quos poſtea Saraceni à Francis ſæpius obtriti ſub jugum miſerunt: ſi Regnum Francicum ante annos 1200 fundatum, quodque menſuram ſuam ab annis octingentis implevit & uſque nunc implet, cum Caſtellenſi poſt annum 1032 exorto, paulatimque in majus aucto, conferre quis velit, ætatis & adultæ poteſtatis prærogativam Francico deberi ſtatim deprehendet. Francicum enim ab anno 870 nihil fere incrementi accepit, Caſtellenſe quod ante annum 1032 Comitatus à Legionis regibus pendentis titulo inſignitum fuerat, Legionenſis & Gallæciæ Regnorum ſub Ferdinando I, Toletani Regni ſub Alphonſo VI, Hiſpalenſis, Cordubenſis & Giennenſis ſub Ferdinando III, Murcienſis ſub Alphonſo X, Arragonici, Valentini & Balearici ſub Carolo V, Granatenſis & Navarreni ſub Ferdinando Catholico acceſſionibus, tandem in eam quam nunc obtinet menſuram crevit; nemo autem ſanus ætate noviſſimos, ſi paulatim adoleverint & ad ſtaturam majorum natu proxime acceſſerint, iis præferendos, ut *primi noviſſimi*

Epiſt. ad Bracamontium.

viſſimi fiant, unquam cenſuerit. Si Galliæ cum Hiſpania comparatio inſtituatur, ut ut æque late patere regio utraque videri poſſit, ex juſta Romanorum, rerum Dominorum, ante annos 1200 æſtimatione facta, Hiſpaniam univerſam ne trienti Galliarum æquiparari poſſe conſtabit. Sive enim ſoli feracitatem & incolarum numerum, ſive alia ex quibus potiſſimum robur exſurgit ſpectemus, longe infra Galliam ſubſtiterit Hiſpania. Galliam in ſeptemdecim, Hiſpaniam in quinque tantum provincias *ſub diſpoſitione illuſtris viri præfecti prætorio Galliarum*, & Imperatoribus origine Hiſpanis diviſas fuiſſe Romani Imperii notitia docet. Si dignitate potior erat Hiſpania, cur prætorium & prætorio præfectum non habuit? ſed Galliarum prætorio ejuſque præfecto paruit. Si ſoli naturam advertamus, vix ulla Hiſpaniæ pars fœcunda dici poteſt: unam Bæticam pleno copia cornu ditavit; reliquarum *glebæ*, ut cum Buchanano Scoto proprio experimento edocto loquamur, *fertiles* tantum *penuriæ* viſuntur, arente fere ubique & cautibus obſita terræ ſuperficie. flumina etiam majora navigiorum, niſi forte ad oſtia, vix patientia ſunt, nec limum fœcundandis agris aptum devehunt, aut ſinuoſo flexu quam præterlabuntur regionem humectant. Galliæ contra *glebæ*, Solino teſte, fere ubique *præpingues*, rerumque omnium ad uſum neceſſariarum & deliciarum luxuriem comparatarum feraciſſima, eoque nomine illo ipſo qui *glebæ fertiles penuriæ & miſeræ teſqua Luſitaniæ valere* jubebat teſte *beatæ*. flumina ubique tam navigationi, quam irrigandis & fœcundandis agris opportuna. adeo denſa ubique & inexhauſta incolarum ſeges, ut in una Lutetia plura indigenarum capita, quam in univerſa Caſtella numerari poſſint. hinc factum ut illo ipſo tempore, quo maxime Hiſpania floruit, Carolo ſcilicet V regnante, vix 1200 militum millia infœcundo ſinu emittere potuerit: Gallia à multis ſeculis infinitis exercitibus tam vicinas quam procul poſitas regiones inundaverit, anno 1097 pluſquam trecenta millia, 1100 pluſquam centum millia cruciatorum Chriſtianorum in Paleſtinæ incolarum ſubſidium miſerit. Si metallorum & auriferorum fluviorum pretioſâ glareâ gloriabunda celebris olim Hiſpania evaſit, jam pridem ad egeſtatem redacta eſt: nullæ enim in eâ nunc, vel paucæ admodum, *effodiuntur opes irritamenta malorum*; nec habet aut habuit unquam quo Galliam ſuperet, cujus Pyrenæum & Cebeni montes & Voſagus auro, argento, aliiſque metallis referti ſunt: nec tamen è fodinis eruuntur, tum quia aliunde ſine ullo effoſſionis labore advecto auro, quod frugibus ſuis permutet, quotidie ad vicinorum invidiam ditatur Gallia, tum quia mancipiorum uſum nec novit nec noſſe vult, ab omni in humanum genus diritate aliena. Quicquid ſit, cum ſtante Imperio Romano 17 ejus Provincias complexa fuerit, Hiſpaniæ reſpectu fere quadrupli rationem tenuerit. Quantum vero Francicum in ea fundatum Regnum Caſtellenſi, laciniis hinc inde aſſutis aucto, præſtet, hinc quilibet facile conjecerit; ex ſeptendecim Gallicanis ſub Imperio Romano Provinciis, integræ novem ei ſubjacent, Lugdunenſes ſcilicet quatuor, Aquitaniæ duæ, Novempopulania, Narbonenſes prima & ſecunda: quinque magna ex parte ei compaginatæ ſunt: totam enim Viennenſem, Avenionenſi, Vaſionenſi, Carpentoractenſi ſeu Vendaucenſi Comitatus capite, Cabalicenſi & Arauſicana diœceſibus exceptis complectitur: Alpes maritimas univerſas, unica diœceſi Nicænſi excepta; in Belgica prima Metenſem, Tullenſem, Virdunenſem diœceſes; in ſecundâ præter Cameracenſem, Torna-

Tornacenſem & Morinenſis partem univerſa; in maxima Sequanorum Belicenſem diœceſim, cum Suntgovia; in Germania prima, Alſatiam cum Philippiburgo Nemetum munitione primaria. Solæ ſuperſunt Germania ſecunda, Alpesque Penninæ & Grajæ, in quibus nihil poſſideat. Hiſpanicæ Provinciæ univerſæ, Vicarii ſub præfecti Prætorio Galliarum diſpoſitione poſiti regimini contributæ, quinque erant: Tarraconenſis, Carthaginenſis, Bætica, Luſitania, Gallæcia; quibus adjuncta trans fretum fuerat Mauritania Tingitana cum Balearibus inſulis: hodie vero tota Regni Hiſpanici moles ne quatuor in continente complectitur; cum Portugalenſe Regnum hinc Gallæciæ, inde Luſitaniæ pars conſtituat. Vnde conficitur totam ditionem Hiſpanicam quinque veteris Romani Imperii provinciis conſtare, Franciam vero plus quam quatuordecim, longeque pluris à Romanis æſtimatam fuiſſe. Vt univerſa hæc velut in pugnum contrahamus, æmulorumque contumaciam ad incitas redigamus, hoc eos nodo conſtringemus; Quod Regnum in regione Prætorii præfecturâ & præfecti ſede olim nobilitata ante annos 1200 fundatum eſt, & ex 17 Provinciis Gallicanis pluſquam 14 complectitur, eo longe prius, illuſtrius & validius cenſeri debet, quod poſt annum 1000 condi cœptum, anno tandem 1515 plenam menſuram accepit, Præfecturæ Gallicanæ totum olim contributum eſt, vixque ex ſeptem Provinciis, Hiſpaniarum Vicario commiſſis, quinque ſibi vindicare poteſt. Regnum Francicum in regione Prætorii præfectura & præfecti ſede olim nobilitata ante annos 1200 fundatum eſt, & ex 17 Provinciis Gallicanis pluſquam 14 complectitur; Hiſpanicum vero poſt annum 1000 condi cœptum, anno tandem 1515 plenam menſuram accepit, Præfecturæ Gallicanæ totum olim contributum eſt, vixque ex ſeptem Provinciis, Hiſpaniarum Vicario commiſſis, quinque ſibi vindicare poteſt. Ergo Regnum Francicum Hiſpanico prius, illuſtrius & validius cenſeri debet.

Auguſta Trevirorum in prima Germania: Vienna & Arelate in provincia Viennenſi, longiſſime ab Hiſpania.

Hujus & conſimilium argumentorum ſponte in oculos incurrente evidentia permotus Chriſtianus orbis, ab ipſo fere priſci imperii Romani caſu & Clodovei temporibus, primas Francicis Regibus conſtanter detulit, nec ullus ad annum uſque 1557, ſive Hiſpanus, ſive gentis alterius homo repertus eſt, qui de iis primo loco deturbandis cogitaret: nec iis alios quicquam rogare aut *ambitu* ſibi quærere neceſſe fuit, ſed avito decore contenti, nulli conditionem iniquam, quod jura vetant, inferre certi, ſuo ſine cujuſquam injuria jure uſi ſunt, novum nihil in orbem Chriſtianum ſuâ ſuorumque causâ induci voluerunt, nec ante de vindicanda dignitate laborarunt, quam exoriretur qui in eam involare auderet; ſed quamprimum exortus eſt, injurium ejus conatum fortiter repulerunt, in irritum cadere coëgerunt, Deoque auxiliante impoſterum cogent. Non tamen ſibi temperare indefeſſus tam incertorum quam certorum, & à ſcopo alienorum corraſor Iacobus Valdeſius potuit, quin quæſtione de Regis ſui ſupra Francum prærogativa aliam nullam *nobiliorem, pondere graviorem, re & dignitate ſublimiorem, publicâ auctoritate fructuoſiorem* dari, ſcriberet: Chiffletiumque clauſis oculis cæcum ſequi auſum in vaniſſimi pronunciati admirationem traheret. non ſane de nihilo lis eſt, quandoquidem *de re*, inter ſumma Chriſtianæ Reipublicæ capita agitur, *quæ tantum cæteris præſtat, quantum* HONOS *omnibus humanis rebus præeſt atque excellit.* Sed quo gravior ab adverſariis, antiquos Patrum ter-

minos movere immani & injurio molimine aggreſſis, Regibus noſtris intentata lis eſt, eo infelicius & infructuoſius, cum ſpe ſuâ in hanc uſque diem exciderint, intentatam fuiſſe nemo non videt. Si cui enim quem Regi ſuo quæſivit Valdeſius *fructum*, Chiſſletium rogare libeat, alium nullum præter pudendam repulſam quem proferat habebit; eique id ipſum, quod poma ad Aſphaltitem lacum naſcentia carpentibus, continget; nec enim edulii in eis quicquam, ſed fœtidum tantum cinerem offendet, cujus graveolenti odore ille ipſe prius infeſtetur, cui nihil ingratius eſſe poſſit miſerandâ faſtus Hiſpanici ubique gentium in olidos fumos ac cineres abeuntis cataſtrophe, fœdoque ei ſuccollantium, ob disjecta Venetiis, Romæ, Tridenti, Warſoviæ, univerſa eorum machinamenta, probro.

Imperium Germanicum abdicantis, univerſamque hæreditatem in filium anno 1556 transfundentis Caroli V apud Venetos Miniſter Franciſcus Vargas, qui ante tanquam Cæſaris Legatus Francorum Legatis prælatus fuerat, ubi novis à Philippo II mandatis acceptis in nudum Regis Hiſpanici Legatum verſus eſt, ſuum ſibi locum vindicantibus Francis, ſolum vertere Legatique nomen ponere, noſtrorum cauſam propugnante Senatu Veneto, anno 1557 coactus eſt. *Manebat alta* Philippi *mente repoſtum* ſereniſſimæ Reipublicæ judicium, *ſpretaque* Hiſpanicæ *φιλοτιμίας injuria*: nihil tamen toto tam Pauli IV Pontificis, cui ſumme inviſus erat, quam Henrici II Regis, quem juris ſui callentiſſimum noverat, cuique utpote ſocero nonnihil deferre tenebatur, vitæ tempore novi movere auſus eſt: ſed ſimulac Paulo IV Pius IV Mediolano oriundus, cujus germanus Meleniani Marchio ipſi patrique perpetuo militaverat, ſuffectus eſt, Regnumque Francicum in partes ſcindi cœptum ad Franciſcum II, ac exinde Carolum IX nondum ephebos tranſiit, ad nova ſe molimina accinxit, occaſione data uti certus. Tertiò convenerat indictum à Pio Pontifice Tridenti Concilium, cui Ferdinandum Avalum Piſcariæ Marchionem ſuo nomine intereſſe Philippus juſſerat, iſque ante Francicorum Legatorum adventum Ferdinandi I Legatis proximus aſſederat; at ubi anno 1562 Francorum adventum inſtare ſenſit, ne loco cedere cogeretur, Mediolanenſis præfecturæ neceſſitatem cauſatus, propere abiit, prout expreſſe HiſtoriæConcilii Tridentini ex LegatorumPontificiorum diariis conſarcinator accuratiſſimus Paulus Sarpius lib. 7 notavit. Locum igitur ſuum, æmulo nullo obſiſtere auſo, tenuere Franci; ſed cum Philippus ſua intereſſe putaret alium, qui Legationis munus obiret, ad Patres mittere, jamque mandata ejus Claudius Fernandez Quignonius Lunæ Comes ſuſcepiſſet, tam delegans quam delegatus animo anxii, qua ſub perſona *periculoſæ plenum opus aleæ* aggrederentur cogitare cœperunt. Conſultius initio videbatur ut Legatus cum Ferdinandi Imperatoris mandatis concilium adiens Archiepiſcopo Pragenſi tanquam ſuccenturiatus allegeretur, nec Hiſpanicæ Coronæ, ſed Germanici Imperii Miniſter haberetur: poſtea tamen reſumptis animis tanquam Hiſpanicus Legatus Tridentum ſe contulit, cumque Francorum locum invadere non auderet, obnixis precibus à Pontificiis Legatis anno 1563 Maji 21 obtinuit ut extra numerum ſellæ portatili inſidens ad ſecretarii latus conſiſteret. ne quid in Regis ſui detrimentum ex inopinato nullaque majorum authoritate munito facto impoſterum naſceretur, confeſtim Legati Francici ſilente, imo ne contra hiſcere auſo Hiſpano, proteſtati ſunt.

Vide libellum Michaëlis Suriani.

Maji

Maji 29, feria 7, ante Pentecoſten, Romæ Ludovicus de Requeſenis, magnus Caſtellæ Commendator & Philippi Regis Legatus, qui de æqualitate parique gradu Regi ſuo impetrando ſumma vi laboraverat, velut ex deſperatione in alium mutatus, Domino ſuo primum locum deberi, ab eoque paritatem, quam antea ambierat, admitti nequaquam poſſe, publice edito & Pontifici oblato inſtrumento fruſtra proteſtatus, urbe tandem indignabundus exceſſit.

Paritatem Hiſpanos (poſtquam ſuperioritatis ſpes decollavit) rogaviſſe Natalis Comes ad annum 1564 hiſtor. lib. 14 refert; *Iubetur*, inquit, *Hiſpanus Orator nullo modo perferre, ſi concederetur Gallico Oratori ut præcederet; atque omnino vel* honorificentiorem locum *poſt Cæſarem procuraret, vel certe parem Gallico dignitate*, &c. *Scribit Philippus ad Pontificem niſi conveniens locus ſuo Oratori aſſignetur, ſe non Oratorem modo, verum etiam omnes ſubditos Roma evocaturum. Monet Oratorem ut primum locum procuret à ſiniſtra Pontificis, cum locus à dextra Cæſari conveniat, vel Gallo, ſi abſit Cæſaris Orator*, &c. *non placuit petitio Philippi Regis quibuſdam purpuratis, cum parem locum videretur poſtulare, & tamen honorificentiorem clam aucuparetur*, &c. Onufrius Panvinius in additionibus ad Platinam vitaque Pii IV. *Hiſpanus ſuperiorem conſeſſum Gallo negabat, Gallus Hiſpanum æqualem recuſabat*, &c. Mambrinius Rosſeus in ſupplemento ad Tarcanotæ hiſtoriam vol. 2, part. 3, lib. 8. *Dimandava il Re di Spagna che il primo luogo à la ſiniſtra del Pontifice foſſe aſſignato al ſuo Ambaſſiatore, eſſendo il primo à la dextra del Ambaſſiatore Imperiale*, &c. Id eſt: *Petebat Rex Hiſpaniæ primum à læva Pontificis locum Legato ſuo aſſignari, cum primus à dextra Legati Imperatorii eſſet.* Cardinalis Vitelli ſcriptum, Il Papa *propoſe come ſi trovava haver promeſſo di dare il ſuo luogo all' Ambaſſiatore di Francia, e che voleva in ogni modo oſſervarlo; ma quando ſi fuſſe trovato modo che non haveſſe prejudicato a Francia e fuſſe ſtato di ſodisfatione à Spagna le haverebbe havuto molto a caro*, &c. *furono dunque propoſti due parti, uno che era ſtato mandato dalla corte di Spagna cioè che all' Ambaſſiatore Catholico ſideſſe il luogo ſotto il ſiniſtro Diacono aſſiſtente*, &c. *Fù detto che gli era troppo degno e honorato, e tale che non ſarebbe ſtato ameſſo in modo alcuno dall' Ambaſſiatore* (di Francia;) *ſe ben ſi diceva che ſi darebbe l'electione a Francia che pigliaſſe qual voleſſe*, &c. Id eſt: *Propoſuit* Papa *quemadmodum inveniebatur promiſiſſe ſe locum ſuum Franciæ Legato daturum, idque ſe velle quocumque modo præſtare; ſed ſi repertus eſſet modus aliquis qui Franciæ non præjudicaret, Hiſpano vero ſatisfaceret, ſibi gratiſſimum futurum. duo igitur in optionem propoſita ſunt, alterum Hiſpania mandatum ut nempe Legato Catholico, infra Diaconum à ſiniſtra aſſiſtentem locus aſſignaretur*, &c. *digniorem honoratioremque quam par eſſet, talemque quem Legatus* (Francicus) *non admiſſurus eſſet videri, dictum eſt, ut ut diceretur electionem Franciæ dandam fore ut qualecumque vellet ſibi ſumeret*, &c. præferendum tamen Francum Hiſpano Papa judicabat, prout idem Vitellius in ſequentibus notat: *Occorrevano anchora ſopra d'eſſo altre difficolta, come dire que haveſſe a portar la coda a ſua Santita, a darle l'acqua alle mani quando celebrava; pigliar la mano deſtra, haver l'incenſo prima e la pace; ma (per all' hora) ſi diceua, che non occorreva determinare coſa alcuna di queſte, poi che ſua beatitudine non celebrava; ancora che poi in ultimo, ſua Santita ſi laſciaſſe intendere che quello di Spagna cedeſſe in tutti*

quelli

quelli atti all'Ambaſciatore di Francia, &c. Id eſt. *Difficultates adhuc aliæ ſuper eadem re occurrebant, quis videlicet caudam Pontificis portaturus, ejus celebraturi manibus aquam affuſurus, ad dextram ejus inceſſurus, thuris ſuffitu paciſque oſculo prior dignandus eſſet; ſed (tunc) dicebatur nullam eorum quicquam determinandi; quandoquidem Papæ beatitudo celebratura non erat, occaſionem eſſe, licet id ſibi placere ut in univerſis hiſce Franco Hiſpanus cederet, Sanctitas ejus tandem manifeſtum feciſſet*, &c.

Iunii ſequentis die vigeſima nona, ſanctorum Apoſtolorum memoriæ ſacra, feria tertia, aliud Lunæ Comes Tridenti, tam invidioſi quam inſidioſi ambitus exemplum edidit, quod Epiſtolæ Tridento ad Cardinalem Romæ degentem ſcriptæ & à Valdeſio commentario ſuo inſertæ verbis exprimemus. *La mattina di S. Pietro eſſendo gli Signori Legati due Cardinali gli padri tutti & Ambaſciatori in capella nel domo & incominciata gia la Meſſa, che celebrava il Veſcovo de Auoſta Ambaſciator del Duca de Savoia, ſi vidde all' improviſo uſcir di ſacriſtia una ſedia di velluto morato, che il maeſtro di cerimonie, ignorante del miſterio faceva condurre & locare dinanzi a gli Patriarchi, dico tra'l ultimo luogo di Cardinali, & primo di Patriarchi; che diede maraviglia à ognuno, & molto magior ne diede, Il vedere ſopragiongere & ſeder in quella ſedia il Signor Conte di Luna, inſolito di comparire in ſimili attioni, dove oltre la differenza del luogo, neviene anco quella dell incenſo, della pace & altre ceremonie; hor oltre che* Inter patres *in quello inſtante nacquero diverſe ſorde mormorationi, come ſono diverſi gl'humori & gli cervelli; ſi vide ſubito il Cardinale di Lorena & gl'Ambaſciatori de Francia dar ſi lochio l'uno all'altro; & Loreno cominciar a parlar con gli legati, maravigliandoſi di queſto atto, coſi improviſo & celato à lui & agli Ambaſciatori del ſuo Re, il ſimile fecero gli Ambaſciatori co il mezo del maeſtro de ceremonie che lo mandorno dagli ſegnori legati, mettendogli in conſideratione apunto le ſudette ceremonie che ho detto, de incenſo & di pace, al che fu riſpoſto che ſi ſaria rimediato confare che in un medeſimo tempo con due torriboli & due paci, due miniſtri haveſſero fatto quelle ceremonie, di che gli Franceſi non ſi contentorono dimandando di eſſere conſervati nel poſſeſſo della precedenza & che non erano per comportar innovatione alcuna*, &c. *fini il ſermone che non era finita la negotiatione & il celebrante continuando la Meſſa in tono il* credo *che non paſſo piu oltre che à* in unum Deum patrem omnipotentem, &c. *uſci fuori il Conte, il Cardinal Madruccio & cinque chieſe, i quali doppoi un pezzeto di dibattimento, laſciorno quel Signiore con l'iſpediente che ſi era preſo di laſciar ſtare per quella Matina & incenſo & pace, con le quali conditioni ſi uſci di ſacriſtia & ſi continuo la Meſſa ſenſa incenſo & ſenſa pace; Et a pena detto:* Ite Miſſa eſt, *Il Signor Conte ſi parti di capella*, &c. *i poveri Signiori Legati per fugire l'imputatione che apertamente ſe gli dava che coſi clandeſtinamente con fraude & ingiuſtitia manifeſta ſi procecedeſſe alla condemnatione d'un pupillo & d'una vedova Re & Regina Chriſtianiſſimi.* Etiam indicta cauſa *mettendo in conſideratione oltre l'honeſta della cauſa coſi giuſta, il luogo, il tempo, il modo, lo ſcandalo di tutto il mundo, furono neceſſitati quei Signori deſcuſarſi con l'ordine eſpreſſo di Roma di dover fare ogni coſa in quel tempo, in quel luogo, & in quel modo & ſenza communicarlo*, &c. *Il Signor Conte di Luna vedendo & intendendo queſte novelle & parendo gli che queſti Signori Miniſtri Franceſi vogliono non ſolo eſſere ſoverchie-*

voli

voli con lui, che è Miniſtro del re Philippo ma eſſere anco ingiuroſi alla perſona del Signore à cauſa di haver favore, con le ragioni del medeſimo Re, ha convocato a parte gli prelati di ſua Majeſta Catholica, a gli quali a parlato,&c. *che ſi vedeva la dureſſa & oſtinatione di Franceſi, non ſolo in non voler cedere (come devono) al Re Philippo, ne à non ammetterlo ne anche in uguale, al che eſſo non era per haver piu pacienza, & che havena inſtato con gli Segnori Legati alla prima occaſione, che ſaria al piu la prima Dominica, le haveſſero al ſuo luogo ammeſſo & cerimonie uguali conforme alle ordine di ſua Sanctita,* &c. Id eſt: *Die S. Petri matutino tempore cum Domini Legati Cardinales duo Patres omnes & Oratores Principum in cappella in Dominico, jamque miſſa inchoata eſſet, quam Auguſtæ* prætoriæ *Epiſcopus Sabaudiæ Ducis Orator celebrabat; ſedile holoſerico fuſco ornatum è ſacriſtia exire viſum eſt, quod ceremoniarum Magiſter myſterii minime conſcius deferri, & collocare curabat è regione Patriarcharum inter Cardinalium locum noviſſimum dixerim & primum Patriarcharum; quod unicuique mirandi occaſionem dedit; ſed longe majorem præbuit quod Dominus Luna Comes, in actis ſimilibus comparere minime ſolitus, exinde accedere & ſedili eodem ſedere viſeretur, ubi præter loci diſcrimen acceſſit inſuper incenſi, pacis, aliarumque ceremoniarum intuitus; tunc verò præterquam quod varia ſurda* inter Patres *murmura exorta ſunt, prout diverſa hominum ingenia & capita eſſe ſolent; Lotharingiæ Cardinalis & Franciæ Oratores oculo ſibi invicem innuere ſubito viſi ſunt, Lotharinguſque Legatos compellare, mirabundus ob actum iſtum improviſum, ipſique & Regis ſui Oratoribus celatum; id ipſum præſtitere Oratores ceremoniarum Magiſtri interventu, quem ad Dominos Legatos miſerunt, ipſis conſiderandas proponentis quas dixi ceremonias incenſi, & pacis: cui reſponſum datum de remedio providendum fore, uno eodemque tempore duobus thuribulis, totidemque patinis, Miniſtri totidem ceremonias illas exercerent. quo Franci minime contenti ſe in poſſeſſione primi loci ſervari petierunt, innovationem nullam ferre certi,* &c. *ante finita concio quam negotiatio fuit, quique celebrabat miſſam continuando* credo, *intonare cæpit, quod ultra* in unum Deum Patrem Omnipotentem *non proceſſit,* &c. *foras exiit Comes, Madrucius Cardinalis & Quinqueccleſienſis, qui poſt concertationis paululum Dominum illum reliquerunt, in id quod expedire viſum fuerat conſentientem, ut ſcilicet mane illo ab incenſo & pace abſtineretur; quibus conditionibus ex ſacriſtia exitum eſt, miſſaque ſine incenſo & pace continuata fuit; vixque* ite miſſa eſt *pronunciatum fuerat, cum Dominus Comes capella egreſſus eſt,* &c. *pauperculi Domini Legati quo id incommodum effugerent, ne ipſis prout jam aperte fiebat imputaretur, quod clam fraude, injuria manifeſta ad pupilli & viduæ Regis ac Reginæ Chriſtianiſſimorum damnationem* etiam indicta cauſa *procedebatur; ſecum præter cauſæ adeo juſtæ honeſtatem, locum, tempus, modum, univerſi orbis ſcandalum attendentes, in eum neceſſitatis articulum devenerunt ut ſe coram Dominis excuſarent, allegato Roma miſſo mandato univerſa præſtandi eo tempore, loco, modo, nulla conſilii participatione data,* &c. *hæc Dominus Lunæ Comes ubi vidit & audiit, eique viſum eſt Dominos illos Francos, non tantum ipſi Philippi Regis Miniſtro ſuperiores eſſe velle, ſed etiam Domini perſonæ injurios, quod Regis ejuſdem rationibus faviſſet, ſeorſim convocavit Majeſtatis Catholicæ Prælatos, quos allocutus eſt,* &c. *Duritiem & contumaciam Francorum non in eo tantum videri quod cedere (prout debent) Regi Philippo nollent, ſed etiam quod tan-*

quam æqualem admittere recuſarent, ipſum deinceps hæc patienter non laturum inſtitiſſe vero coram Dominis Legatis, ut prima occaſione data, quæ ultra proximam Dominicam non differretur, ſecundum Sanctitatis ſuæ mandata loco proprio & ceremoniis æqualibus admitteretur, &c.

Carolus Cardinalis à Lotharingia Epiſtolâ ad Pium IV Papam Iunii trigeſimo. *Beatiſſimo Padre: non potrei giamai con parole eſprimere il diſpiacere ch'io hebbi hier mattina, quando io vedi che gli Signiori Legati (ſenza dirſi alcuna coſa) havevano conſentito ch' il Signior Conte di Luna fuſſe venuto alla meſſa, & ch' inteſi che havevano deliberato di dargli luogo in capella, & dargli l'incenſo & la pace nel medeſimo tempo che ſi dava a gl' Ambaſciatori di Francia, innovando & mutando in prejudicio del noſtro Re l'antico rito & coſtume ſempre oſſervato nella chieſa*, &c. *la prego dunque che voglia conſiderare l'eta del Re pupillo & gli beneficii ch' hanno fatto gli ſuoi predeceſſori a coteſta ſancta Sede, & da queſto conſiderare quanto ſia grave il torto che ſi gli fara, ſe da lei che deve eſſere padre commune & protettore de tutti gli pupilli, gli vien tolto quello che tutti gli ſuoi anteceſſori hanno pacificamente & ſenza contraſto alcuno goduto, ſenza eſſere inteſa, ne udita la ſua ragione*, &c. *aviſato da un buon Prelato Spagnuolo che perſuaſe al Signior Conte di Luna a contentarſe che per quella matina non ſi deſſe ne incenſo ne pace ad alcuno, ne anco a gli Legati*, &c. *gli noſtri Ambaſciatori dichiareranno che havendo ella laſciato l'officio di padre & fatta ſi parte, ſenza udire la ragione del Re loro, ſententiato con tanto prejudicio di ſu majeſta, & di* ſuperiore *voluto ridurlo* a uqualita, &c. *m'ha moſſo a dir queſto alla Sanctita voſtra & di piu che qui non è alcuno ne Italiano ne Spagnolo, que intendendo queſto fatto non gridi contro di lei*, &c. Id eſt: *Beatiſſime Pater, Nunquam verbis exprimere poſſim quantâ moleſtiâ heri mane affectus fuerim, cum vidi Dominos Legatos (nobis nullomodo monitis) conſenſiſſe ut Dominus Lunæ Comes ad miſſam accederet, & audivi ipſos conſtituiſſe locum illi dari in Capella, eodemque tempore, quo Franciæ Oratoribus offerrentur, incenſum & pacem ipſi offerenda eſſe, priſcum ritum moremque ſemper in Eccleſia ſervatum, in Regis noſtri præjudicium innovando & mutando*, &c. *Sanctitatem ergo veſtram precor ætatem pupilli Regis, beneficiaque à majoribus ejus Sanctæ huic Sedi collata conſiderare velit, atque hinc perpendere quam gravis ſit injuria, quæ ei inferetur, ſi ab ipsâ quæ communis pupillorum omnium Parens & Protectrix eſſe debet, idipſum quo anteceſſores ejus omnes pacifice nulloque reclamante potiti ſunt, ipſi inaudita indiſcuſſaque ejus causâ auferatur*, &c. *monitus à bono quodam Prælato Hiſpano ut Domino Lunæ Comiti perſuaderet, ne gravaretur conſentire, nulli imo ne ipſis Legatis mane illo incenſum pacemque offerri* &c. *Legati noſtri declaraturi ſunt, quod cum Patris officium reliquerit parſque adverſa facta fuerit non audita Regis ſui, cum tanta majeſtatis ſuæ noxa judicati, & à ſuperiori gradu ad æqualitatem redacti cauſa* &c. *Me ad id Sanctitati veſtræ dicendum movit, & inſuper hic nullum ſive Italum ſive Hiſpanum eſſe qui his quæ acta ſunt auditis non adverſus eam inclamet*, &c. Nihil ultra vel Requeſenium Romæ vel Lunæ Comitem Tridenti movere auſos, in confeſſo eſt, quantumvis hic Hiſpanicis Præſulibus ſpem feciſſet ſuæ *ad ceremonias æquales admiſſionis* à Legatis Pontificiis poſt proximam Dominicam nequaquam differendam, nihilque poſtea à partibus hinc inde tentatum occurrit, cum Francis iteratos adverſariorum impetus ſtitiſſe, Hiſpanis

eos

eos nunquam ceſſuros tot experimentis didiciſſe ſufficeret. Ex his autem manifeſte apparet: 1 nec falſo, nec fruſtra ab Onuphrio Panvinio ſcriptum, *controverſiam de honoratiore loco à Franciſco Varga excitatam fuiſſe.* ut ut enim eum *Gallorum ſtudioſum* eoque minus veracem Valdeſius fuiſſe fingat, nihil hac in parte chartis illevit quod jure Valdeſius ipſemet in dubium revocare poſſit, qui paulo ante ſcripſerat *diſſenſiſſe valde inter ſe circa ſedis ſuperioritatem & primam vocem, Arragoniam, Caſtellam & Angliam, utra potior eſſe deberet*, eoque fine ſequentia Concilii Conſtanienſis verba protulerat; *Propter diſcordiam nationum Hiſpanicæ, & Anglicanæ, quæ prior reſponderet pro toto Concilio Placet, & de aliis prærogativis fuit per nationes & Cardinales ordinatum, quod præſidens reſponderet pro toto Concilio Placet.* Intenſo etiam in ſeſſionem 24 digito, alia Concilii ejuſdem verba offendere potuiſſet, quibus Angliæ cauſa locusque potior adjudicaretur, hæc nimirum, *nec non Legatos Franciæ, Angliæ & Caſtellæ prædictorum, nec non cariſſimi Eccleſiæ filii Caroli Navarræ Regum*, &c. Si enim Caſtellenſes æquales ferre non poterant, qui Francis cedebant, Angli & Arragonii, nutabatque in Concilio Caſtellenſium locus, quî fieri potuerit ut de occupando priore & honoratiore Caſtella cum Francia, quam conſtanter Concilium Hiſpanis, Anglis, Germanis prætulit, contra majorum morem contenderet, & contendendi exemplum Philippo II poſt annos 141 præberet? 2 Pium IV tantum *ab irâ abſque cauſa* in Hiſpanum *excitata* & *notorio gravamine & injuſtitia*, quâ eum læderet abfuiſſe, ut ejus partibus addictior ab initio apparuerit. *Anno* 1560 *Iunii* 3, *ſexto ab electione menſe Legatos Imperatoris, Hiſpaniæ, Portugaliæ, Poloniæ, Venetiæ & Florentiæ vocaverat, quibus, excepto Polono propter ægritudinem abſente, coram poſitis, ſe non potuiſſe Francum vocare, ne in præſentia ſua de priore loco contentiones naſcerentur, queſtus eſt.* Novembris ſequentis 29, Concilium convocans Bullam ediderat quæ Francos merito offendit; *mandavit*, inquit Sarpius, *Carolus* IX *Rex, Legato ſuo, ut quereretur coram ejus Sanctitate, quantumvis à Rege fratre tanta cum inſtantia procurata fuiſſet apertura Concilii, nihilominus in convocationis bulla nullam honorabilem ejus mentionem factam fuiſſe; quod unusquiſque videbat contigiſſe, ne Franciæ Rex immediate poſt Imperatorem nominaretur.*

pag. 73. pag. 62. Seſſ. 29. Anno 1416. pag. 75. pag. 86. Hiſt. Conc. Trid. lib. 5. pag. 414. lib. ejuſdem pag. 428.

Aliquandiu Francorum juſta poſtulata Hiſpano gratificaturus diſtulerat, eaque de cauſa *longis tergiverſationibus* uſus fuerat; prout Onufrius Panvinius Romæ ſub ipſius Pontificis oculis edito libro ſcripſit; quas Cardinalis Vitellius ſcripto vernaculo hâc unâ de causâ in ipſa Pontificis aula elucubrato non negat: *Trovandoſi noſtro Signore haver promeſſo più & più volte all' Ambaſciatore di Francia, dargli il ſuo luogo alla feſtivita della Pentecoſte. cum*, inquit, *Dominus noſter ſæpius ac ſæpius Franciæ Legato ſe proprium ei locum in Pentecoſtes Feſto daturum pollicitus eſſet*, &c. non enim *ſæpius ac ſæpius promiſſa* iterare neceſſe fuiſſet, ſi mature ea impleri contigiſſet. Antequam re ipſa implerentur Hiſpano, quantum ſine manifeſta Francorum injuria fieri poterat gratificatus, conditionem ab eo præſcriptam Francis offerre non dubitavit, nec ante ſolitum eis locum tribuit, quam obfirmatum eorum in jure ſuo proſequendo animum expertus eſſet; ſed eodem fere tempore quod ipſe Romæ vitaverat, à Legatis ſuis, clam Franciſque inconſultis Tridenti fieri mandavit, Lunæ Comitem *ad æquales ceremonias admitti* jubens; quod non

tantum effectu caruit, ſed *ſcandalo* fuit, *Hiſpanorumque & Italorum adverſus eum clamores* excitavit: cumque Requeſenium ob injuriam proteſtationem à Philippo Rege domum revocandum cenſuiſſet, novis eum blandimentis delinire conatus eſt, anni 1564, Auguſti 18 in conſiſtorio declarans *Sanctitatem ſuam nihil feciſſe quod ipſi Regi Catholico diſplicere potuerit, nullam ſententiam tuliſſe, locum tamen ſolitum Oratori Chriſtianiſſimi Regis negari non potuiſſe, & id ſine alicujus præjudicio; paratum eſſe juſtitiam miniſtrare, & cauſam (ſi petierint) committere vel Collegio Cardinalium vel auditorio Rotæ*, &c. quo circa non immerito ob *favorem Regi ſuo impenſum* Francorum odium Pontificem incurriſſe Lunæ Comes pronunciavit.

3 Hiſpanicos Legatos cum ſe ignota ferri regione viarum noſſent, eorumque nemo recto quam agebant talo ſtaturam fabulam pervidere poſſet, formas ſubinde Protei inſtar mutaſſe, ſuumque ſingulos iter ingreſſos eſſe. nam Franciſcus Vargas Legati Cæſarei gradum retinere conatus, ubi aſtum non procedere ſenſit Venetias cum Legati functione reliquit: Ferdinandus Avalus aperto cum Francis marte congredi non auſus pro Rege ſuo, non ex adverſo fortiter conſiſtendo, ſed fugiendo & Parthorum more terga vertendo dimicavit: Ludovicus Requeſenius quem aſſequendæ *paritatis* ſpes aliquandiu lactaverat, ubi repudiatum à Francis ejus quem commentus erat Philippus modum vidit, locum potiorem aperte affectavit, repulſamque contumelioſa proteſtatione ultus eſt: Claudius Fernandes Guignonius quid acturus eſſet incertus, Legati Cæſarei larvam ſumere initio Francoſque aſtu aggredi conſtituerat, ſed mutato paulo poſt conſilio Pontificios Legatos antequam ſe itineri committeret, quem Tridenti locum occupaturus eſſet per literas rogavit; quid rogare neceſſe erat, ſi primum ſibi debitum credebat? ubi advenit, non de Francis ſtatu graduque deturbandis, ſed de ſedilis inſolito nullique unquam aſſignato loco cogitavit; quis eum cui *antiqua* & *prima* debebantur, nova, quæque nec *prima*, nec *ſecunda*, ſed noviſſima dici poſſent conſectaturum ſibi perſuadeat? à Capellæ introitu ſibi aliquandiu cavit, nec ante quam novus & inſolitus locus ei aſſignatus *æqualiumque ceremoniarum* ſpes facta eſſet intulit; cui veriſimile fiat eum qui *honoratiorem* ſibi locum debitum putaret non modo *æquales* laturum, ſed pro *æqualitate* obtinenda tanto niſu laboraturum, Pontificiſque *æqualitatem* aſſignantis mandatum favori imputaturum & prædicaturum fuiſſe? Apertam nullique oculis utenti non obviam ejuſdem cauſæ patronorum contradictionem attende Lector: Ludovicus Requeſenius in proteſtatione: *particularmente, de que no ſolo de la precedentia qua vueſtra Santitad dize querer declarar; ò ha declarado agora por eſcrito, ò por palabra, por promiſſion, ò por otra qualquier via en favor del dicho ſereniſſimo Rey de Francia, pero a un de aver hecho, ò hazer qualquier acto de* yqualdad, *por el qual ſe ponga en duda la precedentia a la Mageſtad Catholica del Rey mi Sennor, ſer le devida, ſe le haze notorio agravio e injuſtitia por lo qual, yo en ſu nombre contradigo a qualquier declaration de precedentia, ò de yqualdad, que en favor del dicho ſereniſſimo Rey de Francia ſe aya* &c. Id eſt: *De præcedentia quam Sanctitas veſtra ait ſe velle declarare, vel etiam declaravit ſcripto, vel voce, promiſſo dato, ant qualicunque alia via in dicti ſereniſſimi Regis Franciæ favorem, ſive de eo quod fecerit aut faciat æqualitatis actum aliquem, quo in dubium revocetur, ſit-ne Majeſtati Regis Domini mei debita præcedentia,*

dentia, ipſi notorium gravamen & injuriam fieri dico: qua de cauſa ego nomine ejus qualicunque de præcedentia aut æqualitate declarationi quæ in dicti ſereniſſimi Franciæ Regis favorem fiat contradico, &c. Ex adverſo Claudius Fernandes Guignonius in concione Tridenti ad Præſules Philippi Regis ſubditos, cujus ſummam epiſtola Tridento ſcripta exhibet. *Parendo gli che queſti Signiori Miniſtri Franceſi, vogliono non ſolo eſſere ſover chievoli con lui, che è Miniſtro del Re Philippo; ma eſſere anco ingiurioſi alla perſona del Signore, a cauſa di haver favore, con le ragioni del medeſimo Re*, &c. *ſi vedeva la dureza & oſtinatione di Franceſi, non ſolo in non voler cedere (come devono) al Re Philippo, ma non ammerterlo ne ancho in uquale*, &c. *haveva inſtato con gli Signiori Legati alla prima occaſione che ſaria al piu la prima Dominica, l'haveſſero al ſuo luogo ameſſo a ceremonie uquale conform' all' ordine di ſu Sanctita*, &c. *Cum ipſi viderentur Domini illi Miniſtri Franci non ſolum eo ſuperiores eſſe velle, qui Philippi Regis Miniſter eſt, ſed injurios in Domini perſonam, quod Regis ejuſdem cauſæ faverit*, &c. *durities & obſtinatio Francorum in eo non ſolum apparebat, quod Regi Philippo (prout debent) cedere nollent, ſed quod eum nec æqualem admitterent*, &c. *Inſtiterat apud Legatos ut primâ occaſione non ultrà Dominicam proximam differendam, ei locum ſuum aſſignarent & ad ceremonias æquales admitterent ex Sanctitatis ſuæ præſcripto*, &c. Quis quantumvis robuſto ſtomacho ſit, tantam in viris gravibus acutiſſimum cernentis Regis Miniſtris, expreſſoque ejus mandato munitis, ſine nauſea ſermonis & judiciorum diſcrepantiam ferat, ut *æqualitatem*, quam Requeſenius tanquam *gravamen* & *injuriam* Regis ſui nomine averſatus eſt, Lunæ Comes proteſtationis Romæ ante menſem à Collega editæ probe conſcius, tanquam favorem ambitu ſuo dignum Regi ſuo tribui ex Pii Pontificis præſcripto Legatos ejus inſtanter rogaſſe reperiatur? Hiſpanisne ſublato & in antiquum (ut ſic dicam) chaos projecto rerum ac vocabulorum diſcrimine, in mentem veniſſe dixerimus, ut *favorem non favorem, gravamen non gravans, injuriam non modo non lædentem, ſed ambitu dignam*, nobis quandocunque collubitum eſt procuderent? Si dixerimus, cui de ſagaciſſimæ mentis hominibus perſuaſerimus? non hæc ſane ſine numine eveniſſe palam eſt, ut verſutiſſima ingenia cauſæ quam agebant iniquitate urgente, eaque tranſverſa agente, adverſa fronte concurrerent, & è diametro pugnantia loquerentur. Id etiam luce meridiana clarius eſt Lunæ Comitem ſerio & ex animi ſenſu Regiſque ſui mente locutum; Requeſenium vero qui initio in *æqualitatem* propenderat, cæco iræ impetu, non tamen ſine conſcientiæ tacito morſu, abreptum, eam quam obtinere nequiverat à ſe repudiatum ſimulaſſe. Papam vero Hiſpano quantum ſine injuria Franci fieri potuit faviſſe, expreſſiſſime docet Vitellius Cardinalis; *Haveva gia promeſſo (quando cio poteſſi fare ſenza prajudicio del Re di Francia) di honorar Spagna & dargli tutte quelle ſodisfationi que ſi potevano*, &c. *ſua Santita con tuta la prudenza & benignita che ſi poteva uſart in ſimile negotio riſpoſſe: Noi faciamo queſto per far favore al Re de Spagna & l'Ambaſciatore lo conoſce, ne lo vol accettare; andate dunque a dirgli, che ſe non lo vuol accettare, noi ſiamo reſoluti di mattina dare il ſuo luogo a Francia & fare quanto comporta la giuſtitia*, &c. Id eſt: *Iam promiſerat (ſi modo ſine Regis Franciæ præjudicio fieri poſſet) ſe Hiſpaniam honoraturum, eaque univerſa quibus ipſi ſatisfieri poſſet conceſſurum*, &c. *Sanctitas ejus quanta cum prudentia*

dentia & benignitate fieri in ſimili negotio potuit reſpondit: hoc in Regis Hiſpaniæ favorem agimus, idque Legatus novit, nec tamen acceptare vult. ite igitur ei dicturi, ſi acceptare nolit, nos mane ſequenti Franciæ locum ſuum dare, quodque juſtitia exigit facere conſtituiſſe, &c. In eandem ſententiam Mambrinius Roſſeus loco citato; *Determina per tanto che l'Ambaſciatore di Francia ſtia al ſuo luogo ſolito, & a quello di Spagna conſequa un luogo apartato di tutti gl'altri Ambaſciatori, tra i Cardinali & ſupra i tutti Cardinali Diaconi alquanto pero piu baſſo, alla quale determinatione non voglendo il Spagnuolo quietarſi ſiſdegno, il Pontifice di modo che gli diſſe che per ſua humanita gl'havena conceſſo piu degno luogo di chel che per ragione gli pertineva, qual non ſe gl'agradiva, ſe andaſſe dove gli piaceſſe, perochc eſſo non era per revocar queſto ſuo ordine*, &c. Id eſt: *Interea Papa determinat ut loco ſuo ſolito Franciæ Legatus conſiſtat, Hiſpano vero ſeparatum à reliquis Legatorum locis inter Cardinales, ſed ſupra Cardinales Diaconos univerſos, aliquanto tamen humiliorem, conſignat, cui determinationi cum Hiſpanus aſſentiri nollet, adeo indignatus eſt Pontifex, ut ipſi denuntiaverit digniorem eo qui ipſum jure contingeret locum ei à ſe conceſſum fuiſſe, qui ſi non placeret, quò ipſi libitum eſſet vaderet, quandoquidem ordinem à ſe datum nequaquam revocaturus erat*, &c.

4 Hiſpaniæ Regem ejuſque Miniſtros toto Pauli IV & Pii IV tempore adeo ſomniandi rudes fuiſſe ut aperte falſa & à re aliena comminiſci ac diſſeminare non dubitaverint: Requeſenius in proteſtatione; *Digo, y proteſto quel Rey mi Segnor deve preceder al ſereniſſimo Rey de Francia, aſſi por la corona de Eſpagna antiquedad, potentia, y grandeza della; como por la multitud de otros Reynos y Segnorias que a ella eſtan ſubjectos, de que procede que ſu Mageſtad es el mayor y mas poderoſo Rey del mundo, pues en ſus Eſtados y Segnorias oy eſta defendida y conſervada la fee Catholica, y religion Chriſtiana de nueſtro Segnor Ieſu Chriſto, y ſu ſanta Sede Apoſtolica, y Ygleſia Romana*, &c. Id eſt: *Dico & proteſtor Dominum meum Regem, ſereniſſimum Franciæ Regem anteire debere, tam propter coronæ Hiſpanicæ antiquitatem, potentiam & amplitudinem ejus, quam propter Regnorum ac Dominiorum ei ſubditorum multitudinem: unde fit ut Majeſtas ejus maximus & potentiſſimus orbis Rex ſit. deinde quia in ejus ſtatibus & dominiis fides & religio Chriſtiana Domini noſtri Ieſu Chriſti ejuſque Sedes Apoſtolica & Eccleſia Romana hodie defenditur & conſervatur*, &c. Natalis Comes hiſtoriarium lib. 14. *Contendebant, enixeque demonſtrare nitebantur Hiſpanas partes complexi, Regnum Hiſpaniæ antiquius eſſe & nobilius Galliæ, quippe quod Hiſpania caput ſit Europæ, quæ poſt ruinas everſioneſque Gothorum ac Maurorum apparet, jure debere redire ad priſtinam avitamque dignitatem. Nam ejus Provinciæ Rex quæ prior Chriſtianam fidem complexa eſt, quæ plura beneficia in Chriſtianum Rempublicam contulit, quæ latius imperat, quæ digniores Regis Electores habet, jure optimo locis omnibus & temporibus dignitate præcedere debet. At Hiſpania per multos annos ante Gallos complexa eſt Chriſtianam fidem, multaque bella per nongentos fere annos pro fide Chriſtiana adverſus barbaras & immanes nationes geſſit, multaſque civitates & bellicoſos populos ad Chriſtianam fidem ſanctæque Romanæ Eccleſiæ Catholicæ obedientiam compulit*, &c. *quod vero attinet ad dignitatem Electionis contendebant Hiſpani poſt clades & calamitates acceptas à Mauris Hiſpaniam fuiſſe univerſam in duodecim Regna diviſam, Regemque ipſum Hiſpanum ab hiſce Regibus fuiſſe electum,*

ctum, cum Rex Galliarum contra, non quidem à Regibus, ſed à Ducibus totidem delectus fuerit, qui certe fuerunt inferiores dignitate. Nunc autem cum res ad unum redierit Regem, opus eſſe ad integritatem prioremque ſtatum rem redire, &c. *his addebantur vetera jura Hiſpana in Regnum Galliæ, & recentia præterea propter Burgundicam familiam; cum tamen Gallus Rex contra nullum jus habeat in Hiſpaniam,* &c.

Hæc ille: falſis audacibuſque Requeſenii commentis nova Iberarum næniarum monſtra ſuperaddens, quæ impreſſo in tranſcurſu pede cum bono Deo conteremus. Quod Requeſenius Regno Hiſpanico antiquitatis prærogativam aſſignat, longe abſurdiſſimum eſt; anno enim 409 Vandali, Alani, Suevi Hiſpanias primum irruperunt, quo tempore à Francis in Gallia Regnum fundari cœperat. Vandali in Africam anno 429 tranſiêre, neque deinceps in Hiſpania ſibi quicquam retinuêre. Romanis militavêre Weſogothi ab anno 417 ad annum 476, quo Romanum Imperium in Occidente concidit: eorum operâ Alani contriti ſunt; Suevi in Gallęciam compulſi, quorum Regnum ad annum 585 ſtetit; Weſogothi, quibus Romani ſecundam Aquitaniam donaverant, ſub Eurico Rege occaſione uſi, Hiſpanias maximâ ex parte juris ſui fecerunt, & ad annum 712 retinuerunt, non tamen Suevos ante annum 585 ſubegerunt; Vaſcones fere ſemper adverſarios paſſi ſunt, maritimâ orâ, quam Athanagildus Romanis oppignoraverat, ſero admodum potiti ſunt. Poſt everſum à Saracenis eorum Imperium novum in Aſturibus Regnum à Pelagio circa Canicas & Ovetum fundatum eſt, quod poſtea ſe per Gallæciam latius diffudit: acceſſit circa annum 850 Navarrenum: poſt annum 1032 Caſtellæ ſive Burgorum Comitatus, qui ante annum 1000 Regno Legionenſi obnoxius fuerat, exinde vero Regno Navarreno accreverat, regio titulo à Sancio majore ornatus eſt; ut & Arragonum Comitatus. Circa annum 1130 Portugaliæ Regnum ab Alphonſo I conditum eſt: nec plura in Hiſpania Chriſtianorum Regna ad noſtra tempora ſeorſim conſtiterunt; unde ex neceſſitate conficitur eos, qui Regna 12, à quibus Hiſpaniarum univerſarum Rex, qui in natura rerum ab anno 409 ad 1580 nullus fuerat, eligi conſueverit numerare audent, ſplendide delirare. Si Regnum nunc Francorum intueamur, ante annum 400 in Galliâ à Marcomiro & Suenone regulis fundari cœpiſſe; Clodionem, qui aliquandiu poſt eos regnavit, magis ac magis dominium, quod poſtea Meroveus ad Sequanam uſque produxit, ampliaſſe & firmaſſe deprehendemus. Childerici Meroveo nati anno 21 Imperium Romanum in Occidente corruit: tunc vero primum Euricus Weſegothorum Rex Hiſpaniarum maximam partem juris ſui fecit, quam ſubſequuti Reges ad annum 712 ſibi retinuêre. Præceſſerit ergo Francorum Regnum Vandalica & Suevica annis ad minimum decem; Gothicum annis 76; Ovetenſe, Legionenſe & Gallæcienſe 315; Navarrenum 450; Caſtellenſe & Arragonenſe 632, & Portugalenſe 730; Hiſpanicorum fere omnium ſub Iohanna Caroli V matre in maſſam redactorum unionem 1115; quod Requeſenii aliorumque Hiſpanorum hypotheſim funditus evertit, eorumque Reges, ſive priores, ſive poſteriores à loco honoratiore procul arcet.

Hiſpanici Regni *amplitudinem & potentiam* prædicant; ſed contrarium Romanorum priſcorum judicium, ſupra à nobis prolatum, eventuque ipſo confirmatum, opinionem eorum vanitatis coarguit; cum enim Gothos

Aqui-

Aquitaniæ & Hiſpaniarum magna ex parte potentes unico prælio devicerit, totaque Aquitaniâ in perpetuum anno 507 ejecerit Clodoveus, Hiſpanias univerſas unico rurſus prælio ſubegerint anno 712 Sarraceni, Franci ſub Carolo Magno à Pyrenæo ad Iberum anno 778 Hiſpanica univerſa juris ſui fecerint, Regnique ſui, cujus antiqua ſedes Lutetia, fines ad Pannonias uſque protulerint, Hiſpani non niſi eorum ope Sarracenicum jugum fregerint, fruſtra de *amplitudine & potentia* cum Francico Regnum eorum certaverit.

Hiſpaniam *Europæ caput*, quaſi *Europæ* adeoque Galliæ quæ tota Europæa eſt, tempore ullo *dominatrix aut rectrix* fuerit, dictam à veteribus nonnullis volunt, qui hac in parte pudendæ, quamque ante 1000 annos Hiſpani ipſi confutaverint, inſcitiæ ſpecimen edunt, lectoremque ſuum vocabulorum, quorum ſenſum non capiant, ambiguitate ludunt. Strabonem ejuſque exemplo Ptolemæum Europæ deſcriptionem ab occaſu exorſos, Hiſpaniam quæ ipſis prima terrarum occurrebat, capitis ſeu initii loco habuiſſe, non negamus: eodem ſenſu Lugdunum, Seguſianorum Metropolim, ad Rhodani Gallias à provincia Romana diſterminantis poſitam, Galliarum caput; Lugdunum Batavorum oppidum ad Rheni Imperii Romani limitis ripam jacens, Germaniarum caput vetus itineraria tabula vocat; nec ſine ratione. qui enim è provincia Romana ſeu Gallia Braccata in Galliam Comatam tranſibant, Lugdunum Seguſianorum in limine offendebant, tanquam reliquarum Galliarum veſtibulum: qui vero extra Imperii Romani fines è Gallia in Germaniam tranſituri erant, Rhenumque Romaniam à Barbarie diſparantem trajecturi erant, Lugdunum Batavorum utrique ripæ adjacens, eoque Germaniarum caput ſive principium, nacti ulterius ad barbaros progrediebantur. ſed ſi quis ab Oriente progreſſus Gallias petiiſſet, Rhenum Lugdunumque Germaniarum finem & *Galliarum caput* obvium habuiſſet; hinc enim Galliarum principium ex neceſſitate dixiſſet, quantumvis Lugdunum ſub Germaniæ ſecundæ metropoli Coloniâ poſitum, nec provinciæ ſuæ, nec Galliarum univerſarum metropolis dici jure potuiſſet. pari modo è Gallia Comata in Braccatam tranſituris Lugdunum non caput ſed finis Galliarum fuiſſet. eadem ratione Europæ deſcriptionem ab Oriente ipſoque Aſiæ & Europæ communi limite Tanai progreſſis, prima terrarum & reliquæ Europæ caput ſeu principium Scythia apparuiſſet: Hiſpania vero in ejus ſive caudam ſive pedem deſinens, & à ſummo ad imum defluens, caput haberi minimè potuiſſet. Hunc vero deſcribendi modum Hiſpani ipſi patrii decoris non immemores ſecuti ſunt, Paulus Oroſius Tarraconenſis Eccleſiæ Presbyter anno Domini 416, & Iſidorus Carthagine Spartariâ oriundus & Hiſpalenſis Eccleſiæ Præſul anno circiter 630. Quis eos adeo verveces fuiſſe putet, ut regioni, cui natales ſuos debebant, detractum quicquam voluerint; aut adeo hebetes, ut ima ſummis vertere in animo habuerint? fuerit ergo Hiſpania diverſo reſpectu terrarum ſive prima ſive ultima: hinc veteribus *Heſperia ultima*, ut ab Italia quæ Heſperia prior, utpote Orienti magis obverſa videri poterat, dicta eſt. Hunc etiam morem in præſens Hiſpania univerſa ſequitur, quæ Artabricum promontorium ad Gallæciæ extremum ſitum *finem terræ* vocat, ſive *Capo di fin di tierra*? quod manifeſto indicio eſt à ſe regionem ſuam non *Europæ caput* ſed *finem & terrarum ultimam* cenſeri. Gothicos in Hiſpania Reges electionis jure ad ſolium evectos qui ſponte fatemur, à Regibus

gibus ſive paucis ſive pluribus electos pernegamus; quamdiu enim Gothicum Regnum ſtetit, ultra binarium Regnorum numerum Hiſpania, in Gothicum & Suevicum diviſa, non tulit: poſt Sarracenicam tyrannidem in plures Regnorum particulas ſecta eſt, quæ tandem à Chriſtianis indigenis Francorum ope ſubactæ ſunt. ſed quotquot Chriſtianorum Regna ab anno 700 fundata ſunt, hæreditaria non electiva fuerunt, nec unquam ultra quinarium eorum numerus excrevit; abſurdum vero eſt, eos qui à ſe invicem minime pendebant Reges, contributis ſuffragiis, in Regis alicujus ſuperioris electionem conſpiraſſe. ſuo enim jure Legionis & Gallæciæ Reges, ſuo Navareni, ſuo Caſtellenſes & Arragonii, ſuo denique Portugalenſes regnaverunt; nec uſquam in Hiſpania niſi forte inter Aragonios electionis imago.

Saracenicos regulos, qui Hiſpaniæ maximam partem in complura ſegmenta diſcerpſerunt, collatis in Chriſtianorum aliquem ſuffragiis, de eo ad regium culmen evehendo, vel ad momentum cogitaſſe abſurditatem omnem ſuperat; quis enim à juratis hoſtibus in acie fere ſemper adverſus Chriſti milites ſtantibus expectet, ut quos totis viribus indeſinenter oppugnabant, patronorum more coluiſſe videantur? qui duodenarium Regiorum in Hiſpania electorum numerum commenti, decimum tertium quem in ſublime efferrent animo ſibi finxerunt, de univerſorum tam multitudine quam functione inſcite ſomniarunt; cum enim Regna Chriſtiana quinque in Hiſpania fundata fuiſſe certo certius ſit, infidelium regulorum numerus duodenarium exceſſit, Aragonum enim Regno Cæſarauguſtanum, Oſcenſe, Iaccenſe, & Valentinum cum Balearico, Caſtellenſe, Toletanum, Emeritenſe, Algarbienſe, Cordubenſe, Hiſpalenſe, Giennenſe, Murcienſe, Granatenſe, Gibraltaris, & Algezigire. Portugalenſi quod poſtea Algarbiorum ab Alphonſo x Caſtellenſi Alphonſo III genero donatorum acceſſione auctum eſt Vlyzipponenſe paulatim accrevit, nec poſtquam à Chriſtianis ſubacta ſunt Reges proprios habuerunt, ſed Regnorum quorum viribus debellata erant appendices fuerunt.

Francorum Reges *non à Regibus* aliis clientibus, *ſed à Ducibus numero duodecim electos* unquam fuiſſe anile figmentum cenſeri debet; cum enim in Francorum Regno *mortuus vivum ſaiſire* ſeu *inveſtire* ſoleat, eorum nemo qui hactenus ipſis imperavit, niſi forte per tumultum & factionem, legitimo Principi ſuffectus, aut poſt interciſam priorum ſeriem extra ordinem ad Imperium vocatus, electionis jure nixus eſt; unicum Ægidium Romanæ militiæ Magiſtrum habemus, quem deturbato Childerico Regem expetierint ſub Merovingorum dominatu Franci, qui anno 888, poſthabito, ob minorem ætatem, Carolo Simplice, Odonis inter Ligerim & Sequanam Ducis frontem Regio diademate cinxerunt; anno 922 abdicati Caroli ejuſdem loco Robertum Ducatu, eodem poſt Germanum Odonem functum eoque anno 923 ad Auguſtam Sueſſionum cæſo Rudolphum Burgundiæ Ducem ejuſdem generum elegerunt, ac tandem ſine liberis anno 987 denato Ludovico v, deſpectoque quem ante decennium perduellionis reum peregerant & civiliter mortuum reputabant, Carolo Lotharingiæ inferioris Duce Ludovici patruo, ad Roberti nepotem, Hugonem Capetum, ſequentium Regum ſtirpem, unanimes confugerunt: exinde vero nullus electioni locus fuit, aut Deo dante erit unquam. Ægidium, Odonem, alioſque extra ordinem Regio titulo donatos procerum

univerſitas ſibimet totique genti præfecit, nec Ducibus ſolis numero tunc pauciſſimis id juris datum eſt, ut ut inter Electores primas tuliſſe Duces veriſimile ſit. Quo tempore à Francis Ægidius Rex ſalutatus eſt, militum præfectos tantum Duces fuiſſe dubium non eſt, poſtea provinciarum ſub Regibus præſides evaſerunt, ac tandem præfecturam ſuam in dominium verterunt; fuerunt autem ab anno plus minus ſeptingenteſimo ad nongenteſimum ſeptem tantum; nempe Franciæ inter Ligerim & Sequanam ſitæ, Britanniæ minoris, Aquitaniæ, Vaſconum, Gothiæ ſive Septimaniæ & Narbonæ, Burgundiæ & Alſatiæ: Moguntiæ, Vangionum, & Nemetum diœceſes Franconico, Helvetia Alamannico trans Rhenanis contributæ ſunt. Anno 912 novus Normanniæ Ducatus, è Francico deciſus, cum Lotharingico Alſaticum complexo exortus eſt. Anno 959 Lotharingicum in ſuperiorem & inferiorem dividi placuit, exinde in Francia Occidentali ad annum uſque 1330 Ducatuum numerus non crevit, imo paulatim minutus eſt, quandoquidem Francicus à Capeti temporibus extinctus eſt, & Vaſconicus paulo poſt cum Aquitanico coaluit. Anno circiter 1340 Borbonius; anno 1350 Aurelianorum; anno circiter 1354 Barri; anno 1361 Andegavorum, Biturigum, Arvernorum creati ſunt, eorumque numerum pro arbitrio Reges procedente tempore auxerunt.

In *quatuor tantum Regna*, quod Hiſpanici ſomniatores volunt, Galliam diviſam fuiſſe, aperte falſum eſt; ejus enim portionem aliam ſibi Gothi, aliam Franci, aliam Burgundiones, aliam Saxones, aliam Alani Regibus propriis ſubditi vindicaverunt; in unica Gothis à Romanis attributa ditione poſt Theodori, in prælio adverſus Attilam anno 451 cæſi, obitum, inter Theodoricum, Thurismodum, Euricum & Fridericum fratres quadripartita Regni diviſio facta eſt; in Burgundica poſt Gunderici mortem inter Gundabagaudum, Chilpericum, Godomarum & Godegeſilum fratres rurſus quadripartita; poſt Gundabagaudi, qui fratrum ditionem occupaverat, deceſſum bipertita: in Francica Clodovei tempore ad minimum quadripartita; cum ille Sigeberti, Chararici, Ragnacharii, Richarii, Regnomeris & aliorum propinquorum Dominia Regia tandem oppreſſerit; ſed eo denato filii ejus univerſam Francicam ditionem in Tetrarchias ſecuerunt, quôque modo parens ejus Childericus Odovacrium Saxonem in Andegavis regnantem ſubegerat, Gothos anno 507 Aquitaniâ universâ expulit, Alanorum reliquias & Burgundiones in ordinem coëgit, quos paulo poſt filii Regno avito excuſſerunt, idque Francicæ ditioni in perpetuum adjunxerunt. Poſt Clotarii majoris dormitionem rurſus quadripartitum Regnum fuit, ſed paulatim in maſſam redactum eſt ſub Clotario II, qui Aquitaniæ portionem Chariberto, Neuſtriam, Burgundiam, Auſtraſiam, Dagoberto majori natu reliquit. Dagoberto qui Chariberti hæreditatem adierat moriente Regnum bipartitum eſt; Clodoveus Sigeberti germani hæres in 3 portiones pro filiorum numero ditionem univerſam diviſit, quæ rurſus in maſſam circa annum 678 redacta eſt. Poſt Pippini mortem cum in duo Regna diviſa eſſet, poſt triennium Carolomanno extincto ad unitatem eam Carolus Magnus reduxit; idemque diviſione inter filios anno 806 facta Francicum, Italicum & Aquitanicum Regna condidit, quorum duo Galliam univerſam complexa ſunt. Ludovicus *Pius* qui filios univerſos Reges ſalutaverat poſt Pippini

Aqui-

Aquitanico Regno donati mortem totam ejus ditionem cum Francia Occidentali Carolo *Calvo*, mediam univerſam exceptis Moguntina, Wormacienſi & Nemetenſi diœceſibus Lothario primogenito tribuit, qui eam moriens inter Lotharium & Carolum filios ſubdiviſit; Carolus etiam *Calvus* Carolum filium Aquitanis cum titulo Regio præfecit. Ludovico *Balbo* qui totam Franciam Occidentalem cum Lotharingiæ parte adjacente poſſederat defuncto, Lotharingia Ludovico Trans-Rhenano ejus patrueli in *Locarium* data eſt. Francia Occidentalis inter Ludovicum & Carolomannum *Balbi* ex priore uxore filios partita eſt. Carolo *Craſſo* qui univerſum Caroli Magni proavi Imperium ſub manu per triennium tenuerat anno 888 defuncto, Francia Occidentalis Odoni à proceribus electo Burgundia Iurana à Lotharingico Regno avulſa Rudolpho, Lotharingia reliqua cum Germania univerſa Arnulpho, Arelatenſe Regnum Ludovico *Cæco* ceſſit: nullaque poſtea Franciæ Occidentalis diviſio facta eſt. Lotharingiæ & Burgundiæ Regna quæ Trans-Rhenanis Regibus obvenerant poſt annum 1250 corruerunt, Arelatenſe in Francicum, cui ab initio obnoxium fuerat, circa annum 1350 recidit. Mirum vero adverſarios Regnorum minutias in Hiſpania ſua quaſi ad ejus dignitatem faciant plures; in Gallia hac in parte beatiore pauciores oſtentare: quod enim fruſtillatim conciſa per annos 700, & quod excurrit plurium uno eodemque tempore ſubacta cervice jugum ferre coacta eſt, calamitatis, cui per multa ſæcula ſuccubuit, certiſſimum indicium cenſeri, non in dignitatis, quam ipſi pro libidine affingunt, argumentum trahi debuerat: cum varie diſcerpi, multiplici ſervitute premi, inter concurrentes ſymplegadas ſubinde collidi, digniſſimum lachrymis infortunium; paterno unius Imperio quod Francis à 700 annis evenit regi, eximia in terris felicitas reputari jure merito poſſit.

Hinc etiam Galliæ ſupra Hiſpaniam prærogativa elucet, quod illa ſero admodum exteris Germanis & Romanis è vicinia proxima erumpentibus patuit, nec poſt fundatum Francorum Regnum alienigenæ ulli ſubjacuit: hæc contra exteris fere ſemper ſerviit: à Celtis, Phænicibus, Græcis, Pœnis, Romanis, Vandalis, Alanis, Suevis, Weſogothis, Saracenis, ſub jugum miſſa. ubi vero ſe, amicam manum ſæpius porrigentibus Francis, in integrum reſtituere conata eſt, indigenæ nulli ab anno 1109 paruit. Concidente Cantabriæ Ducum quæ Legionis & Gallæciæ Regnum per annos fere 300 tenuerat familia, & Vaſconica quæ Cantabricæ ſuffecta fuerat, Burgundica Iurana ſucceſſit, quæ Caſtellæ ab anno 1109 ſeptemdecim, Legionis & Gallæciæ duos, Aragonum quatuor Reges protulit, annoque 1555 deſinens, Auſtriacæ genti, cujus fons Erchinoaldus, Franciæ Neuſtricæ originem ſuam debuit, medii atavi in Alſatia & Alamannia Gallica diutius claruerunt, locum fecit: Portugalenſe Regnum à Capetini ſanguinis Principe ante 500 annos fundatum, ejuſdem poſteris uſque nunc ſubeſt. ad futilitatis & vanitatis eorum qui de Francici Regni in Tetrarchias diviſione, Regumque à Ducibus electione ſuaviter garriunt, pleniorem convictionem accedit, quod fibula qua commenta ſua hiſtoriæ noſtræ monumentis connectant, abſolute careant: Francos univerſos ante annos 1200 militare conſueviſſe, Duces quorum ſigna ſequerentur, quibuſque primas deferrent habuiſſe, Galliarum partem quam inſidebant in plura Regnorum ſegmenta ſub eorum quos poſtea Clo-

doveus oppreſſit Principum majoribus diſtributum fuiſſe, res ipſa clamat: ſed Ægidium non à Francis univerſis, verum ab iis ſolis qui Childerico ſub-erant electum fuiſſe, ejuſque electione cæterorum Francicorum dominiorum Regulos aut Duces nequaquam interveniſſe certiſſimum eſt. Odo eo tempore Rex ſalutatus quo univerſa Carolini imperii moles in maſſam redierat, à ſolis Franciæ Occidentalis proceribus electus eſt, nec Ducibus Regni ejuſdem univerſis electio ejus probata eſt, quandoquidem Ranulphum Aquitaniæ Ducem æmulum initio paſſus, vix eum in officio continuit. Robertus Odonis germanus, Rudolphus Roberti gener, & Hugo Capetus, Roberti ejuſdem nepos, cujus electioni Guillelmus III Aquitaniæ Dux aliquandiu reſtitit, à Regno nullam diviſionem paſſo, ad Regium culmen à proceribus evecti ſunt: cumque Henricum II ſolum Caſtellenſes, Ioannemque I Portugalenſes, alios præterea nullos electivos à temporibus Gothorum Reges Hiſpani habeant, tam de ſuis quam de noſtris incomperta & à vero aliena ex neceſſitate effutierint, qui Reges in Gallia & Hiſpania eligi conſuetos, Hiſpanosque *Regum duodecim* ſuffragiis cooptatos fuiſſe finxerunt.

Propter Regnorum Dominiorumque aliorum Philippo II *ſubditorum multitudinem eum univerſi orbis maximum & potentiſſimum Regem, eoque nomine cæteris anteferendum fuiſſe perinde proteſtabatur* Requeſenius; ac ſi nos in piſcium, inter quos qui in majorem molem excreſcunt minuſculos devorare ſolent, Regno vivere contingeret: ſed aliam belluarum, aliam hominum principumque in hominibus Chriſtianorum conditionem eſſe nemo non videt; belluas belluis quomodocunque aucta moles; homines hominibus ordo, cui ſe nemo jure ſubtraxerit, præferre primaſque poſterioribus negare ſolet. Tam latè quam Philippus II & ante Carolus V ſuo tempore regnaverunt, neminem dominatum fuiſſe facile conceſſerimus, quandoquidem in Europa, Africa, Aſia, America, plurima à ſe invicem ſejuncta dominia tenuerunt: creverint ſi lubet in immenſum, ſed nec ex dominiorum minimè cohærentium, ut ut laxius diffuſa ſint, qualicunque amplitudine & mole, tam ordinis quam poteſtatis, ex neceſſitate primatus exſurgit aut exſurget unquam; cum facile poſſint à minoribus, ſed unitis & compactis, quæ non ſe contingunt, ut ut majorem molem oſtentent, cohiberi. Exigua Græcorum fœderatorum ditio vix extremum Europæ angulum occupans, Perſici per 127 provincias porrecti Imperii, quantum quantum erat, ſub Xerxe robur fregit. Iudæa jam dudum ab alienigenis triumphata regiuncula, reſumptis ſub Iuda Macchabæo animis, tremendum Orienti univerſo Seleucidarum jugum forti auſu contrivit. Ante 200 annos Georgius Caſtriotus Scanderbechius Albanorum ſuorum manipulo ſtipatus, & Ioannes Hunniades Hungarici unius Regni viribus fretus, tanquam ſuperexſtantes vorticibus ſcopuli circum frementem Ottomanicæ procellæ rabiem domuerunt. Puſillus initioque Philippo II deſpectus Reipublicæ Belgicæ ceſpes, univerſis ejus machinamentis feliciter obſtitit, ex utroque orbe corraſas opes exhauſit, numeroſiſſimos exercitus, quorum exundante diluvio obruendus videbatur, tumulavit, nepotemque univerſorum dominiorum hæredem, cum ſpes omnis victoriæ decollaret, ad rogandum pacem coëgit. Quam ſæpe, vaſta dominiorum corpora, quorum à ſe invicem tam procul diſtant membra, ut vel alia

aliis

aliis auxilio eſſe nequeant, vel ſera aut ſumptuoſa ſubſidia præſtent, robore, quo maxime pollere videbantur, deſtitui, experimento comprobatum eſt? Trans Danubium & Euphratem provincias, à Trajano ſubactas, ſponte poſtea cum earum difficilior cuſtodia eſſet, Romani reliquerunt, modumque Imperio ſuo ſtatuere, quàm nimium dilatando debilitare, maluerunt.

Sed nec de regionum amplitudine, aut adjectis extrinſecus dominiis, aut emendicato aliunde robore, ſed de nativo Regnorum ſtatu eorumque antiquitate & dignitate inter Francos & Hiſpanos certamen eſt. Illi ſorte ſua contenti ſuo ſe pede metiuntur; Hi etiam procul poſitorum & ad ſe minimè pertinentium avidi, cum ſe non ex ſuis ſed ex aliunde Regi ſuo quæſitis æſtimandos putent, alieno. Quid enim ad Hiſpaniam ejuſque dignitatem, ſi quorum regimini paruit Principes alia multa Regna Hiſpanicæ ditioni variis artibus adjecerint? an lato pollice auctior Hiſpania facta eſt? imo iiſdem Pyrenæi jugis, eodem Oceano & Mediterraneo-mari, quibus ab initio circumſcripta eſt, concluſa uſque nunc manet; nec multitudo Regnorum, quæ nunc Auſtriacis Principibus ſubeſt, ei, ſed regnanti tantum, accrevit, eodemque ſtatu quo antea reſpectu Hiſpaniæ fuerant, in præſentiarum permanent. Quod ne quis, vel Hiſpanorum ſtudioſiſſimus, in dubium revocare poſſit, ambiguarum vocum ſenticeta, quæ ſibi ad latibulum illi quæcunque volunt de gente ſua ſomniaturi, quærunt, velut impactâ ad radices ſecuri exſcindemus, ut deinceps Soli veritatis pervia umbras ac caliginem ad ea perfugientibus præbere deſinant. Secundum nationes deſcriptum à majoribus latinum orbem, conſtitutumque à ſexcentis annis nationum ordinem, ex Conciliorum actis aliiſque ſuperiorum ſeculorum monumentis fuiſſe conſtat, prout nos exceptione omni major teſtis ex profeſſo docet Æneas Sylvius Picolomineus, Sena Iulia Tuſcorum oriundus, & poſt Papatum Pii II titulo inſignis, cui utpote ſacrarum ceremoniarum in Baſilienſi Concilio Clerico ſibi comperta, nulli tunc temporis ignota, univerſis anno 1439 ante motam à Philippo II de honoratiore loco litem, 118 credita ſcribenti longè potior quam Valdeſiis, Chiffletiis aliiſque tam frontis quam judicii nullius hominibus, de Lateranenſium, Lugdunenſium, Conſtantienſis & Baſilienſis Conciliorum ſententia fides habenda eſt. *Ego*, inquit, *nequaquam timebo nationum ſervare ordinem, qui Conſtantiæ fuit ſervatus, nec mihi invidiam timeo, quia nec præpoſitis gratiam, nec poſtpoſitis injuriam faciam, ordinem namque iſtum neque nobilitas, neque majoritas, ſed tempus peperit: quia ut quæque natio verbum Dei prius ſuſcepit, ſic prior habetur, nec aut laudi eſt mihi, aut vituperio, dummodo Chriſtianus ſim, majorum meorum, vel matutina, vel veſpertina converſio: nec plus habet in Euangelio, qui mane ad vineam venit, quam qui veſperi. Nationem tamen Italicam etiam Sedes beati Petri & Romanum Imperium facit priorem. Servabimus ergo ordinem nationum, faciliioremque legentibus præſtabimus intellectum*, &c. *Ex Italica natione recepti ſunt Epiſcopi*, &c. *Ex natione Gallica, quæ & ipſa ſecunda eſt, cujuſque in Eccleſiam Dei permaxima extant beneficia, nominati ſunt ex Archipontificali dignitate*, &c. *Ex natione Germanica, quæ omnium eſt ampliſſima, recepti ſunt ex Epiſcopali præeminentia*, &c. *Ex natione Hiſpanica, quæ & ipſa vaſtiſſimos habet ac pernobiles campos, quatuor Chriſtianis Regibus & uno infideli regnata, hi ſunt ad electionem magni Paſtoris accerſiti*, &c. *hi quoque ex quatuor nationibus nominati ad eligendum*

De Baſil. Concilii geſtis libro II.

gendum Papam fuerunt. Anglici vero idcirco recepti non ſunt, quia non aderant, nec alii aſſumi poterant, quam præſentes, &c. fuerunt ergo ex ejus, imo priorum omnium mente, quinque Latinorum nationes. 1 *Italica*, cui Sicilia, Sardinia, Corſica, contributæ. 2 *Gallica*, præter Francorum Regnum, Sabaudiam, Sedunenſis & Lauſanenſis Diœceſeon, Gallicæ linguæ partes, vulgo *Pays Roman* dictas, Burgundiam Iuranam, Lotharingiam, Lucemburgenſem Ducatum, Leodienſem Epiſcopatum cum cæteris Belgicis ditionibus Gallicæ linguæ, vulgo *Pays Walon* nuncupatis, complexa. 3 *Germanica*, præter Imperium Trans-Rhenanum, Conſtantienſis Epiſcopatus in Gallia ſitam partem, Suntgoviam, Alſatiam, Argentoratenſem, Spirenſem, Wormacienſem, Moguntinum, Trevirenſem, Colonienſem, Ultrajectinum Epiſcopatus in ripa Gallica poſitos, univerſam Scandinaviam Norwegorum, Danorum, Suecorum Regna continentem, Poloniam, Hungariam, Bohemiam complectens. De 4 loco lis inter Angliam & Hiſpaniam ad ipſa Conſtantienſis Concilii tempora ætatemque noſtram fuit; anno enim 1498 in Bononienſi conventu Hiſpanis Angli primas deferre noluerunt. quia tamen Æneas Sylvius Hiſpaniam, cujus Baleares appendices fuerunt, quartam ordine recenſuit, ejus veſtigia premere, quam intermortuæ litis memoriam refricare ſatius fuerit, ut 5 loco Anglica natio conſiſtat, ſub qua Anglicum, Scoticum, Hibernicum Regna cum Orcadibus, Hebridibus aliiſque circumpoſitis inſulis minoribus comprehenduntur. Si novi Orbis & Indiæ Orientalis incolæ jam tum Chriſto nomen dediſſent, 6 & 7 nationes conſtituere potuiſſent, nec amplitudinis regionum habita ratio fuiſſet, quandoquidem noviſſima Eccleſiæ membra in iis naſci contigiſſet. Quem enim ad modum in familia numeroſa, ſi fratrum natu minimus ad giganteam ſtaturam aſſurgens, fratres corporis mole ſuperet, quod natus eſt eſſe non deſinit, nec ipſi natalium ordinem ac dignitatem evertere licet; in Chriſti familia noviſſime exortos ut ut latius habitent, prioribus anteferre nefas fuerit. Idipſum Hiſpanorum praxis exigit, qui hoc titulos ſuos ordine digerunt, ut Caſtella primo, India utraque Hiſpaniæ univerſæ molem decuplo ſuperans, poſtremo loco recenſeatur. Ex diſtributione etiam antiqua, Valdeſii aliorumque recentiorum commentum refellitur. Si enim Hiſpaniæ univerſæ veteres quartum tantum locum aſſignaverunt, novæ dignitatis nihil ex eo, quod ab anno 1580 ad 1640 unius Principis regimini paruit, conſequuta fuerit; nihil enim reale ei ad robur & amplitudinem ceſſerit. Nationum ordinem in ſingulis conſtituta Regna aliquo modo, non tamen accurate, ſequuta ſunt in Italia, poſt deturbatum anno 476 Imperatorio ſolio Auguſtulum, Odoacer Regnum novum fundaverat, quod anno 491 Theodoricus Oſtrogothorum Rex, Anaſtaſii Imperatoris favore ſubnixus, funditus evertit, Romæque ac totius Italiæ & Illyrici Occidentalis potens, dominium univerſum Atalrico ex filia nepoti, Atalricus Theodahato propinquo reliquit; anno 535 bello aggreſſus Iuſtinianus Gothicum in Italia dominium anno 552 delevit, Italiamque univerſam Imperio ſuo adjunxit; anno 568 Langobardi antea ſocii excitato adverſus Romanos bello maximam Italiæ partem occupaverunt; horum Regnum anno 773 & 774 Carolus Magnus debellavit, ex eoque tempore Langobardica ditio Italiæ Regnum nuncupata eſt. Romana ditio ab Imperio Conſtantinopolitano avulſa ſe Carolo eidem ſub *Patritii* titulo anno 774 ſubmiſerat;

ſerat; anno 800 deſinente ſub *Imperii Romani* nomine eundem ac poſteros coluit; ab annis vero quingentis Romanæ Eccleſiæ ſubeſſe cœpit, relicto Germaniæ Regibus nudo Imperatoris titulo: anno 1131 novum à Rogerio Siciliæ tam cis quam trans Pharum Regnum conditum eſt, à quo anno 1282 à Petro III Arragonum Rege Sicilia trans Pharum diſcerpta, ſeorſim Regnum conſtituere cœpit. Sardiniæ Regnum ſub Friderico II exortum, ab Aragoniis poſtea ſub jugum miſſum eſt. Langobardici Regni miſere ab anno 1250 collapſi membra aliquot, Mediolani ſcilicet, Mantuæ, Mutinæ ac Regii & Montisferrati Ducatus cum Subalpina Regione Genuenſi & Senenſi territoriis ſub Imperii abuſivo nomine Germaniæ Imperatorum ſupremum dominium agnoſcunt. In Germanica gente præter Francorum Orientalium Regnum, quod nunc *Imperium* vocatur, nonnullaque Gallica ad Rheni lævam ab anno 926 occupat. antiquiſſima ſed ſerius Chriſtianiſmo à Francis imbuta Norvegorum, Danorum & Suecorum Regna late porriguntur. Hungaricum anno circiter 850 à barbaris fundari cœptum Chriſto circa annum 1050 Germanis procurantibus nomen dedit. Polonorum & Bohemorum Duces paulo poſt annum 1000 Germanorum opera ab infidelitate abducti regio titulo ſub Friderico I inſigniti ſunt. In Hiſpanica natione poſt Weſogothorum excidium Saracenicamque inundationem, Aſturiæ & Gallæciæ circa annum 715, Navarræ poſt annos circiter 150, Caſtellæ & Aragonum circa annum 1032, ac tandem Portugaliæ Regna condita ſunt: præcedebatque natalium dignitate Aſturienſe; ſed cum Ferdinandus à Sancio Majore patre Caſtellæ dominio ad regale culmen evecto donatus, uxorio jure Aſturiæ & Gallæciæ Regnum adeptus eſſet, proprium ut ut recens antiquiori quod dotale tantum erat præferre cœpit. hujus pronepos Alphonſus VIII diviſione dominiorum inter filios facta, Caſtellam cum Toletano Regno Sancio primogenito, Aſtures & Gallæciam Ferdinando natu minori anno 1157 aſſignavit, eoque ipſo Caſtellam Toletana ditione auctam Aſturiæ & Gallæciæ antiquiori Regno prætulit: harum Regibus univerſam ampliandæ in poſterum ditionis, quam ab Oriente Navarra, ab Occidente mare, à Meridie Caſtella, Toletum & Portugalia claudebant, ſpem præcidit; Sancii poſteris ditalandi Imperii liberam facultatem reliquit: hinc factum ut Caſtella Toletanæ ditionis acceſſione tumens, jamque primatum ſortita, tantis in dies incrementis augeretur, ut eam in *veterem* antiquis terminis concluſam, & *novam* Regnorum Saracenis ereptorum centonibus conſutam, & à Murcia ad Gades extenſam, diſtingui neceſſe eſſet: Arragonico regno, Catalaunica ditio cum Valentino Regno & Balearibus in Hiſpania, Siciliæ, Sardiniæ, ac tandem Neapolis Regna cum Mediolanenſi Ducatu ex Italico corpore delibata aſſuta ſunt. In Anglicano orbe cum Romanis in Britanniam ſecundam ſeu Walliæ montana compulſis Anglo-Saxones heptarchiam circa annum 428 fundaſſent, quæ tandem Chriſtiana circa annum 600 facta, ſub Occidentalium Saxonum poteſtatem tota tranſiit, Barbarique Britones, quod poſt ſubactam à Romanis Inſulam antiquo more corpora pingere non deſinerent. *Picti* nuncupati ultra vallum ſeſe recipere coacti eſſent; ex Scotia Majore, ſeu Hibernia anno 430 ad Chriſtianiſmum perducta incolæ novi Scoti prioribus acceſſerunt, ex quorum cum Pictis confluxu Scotorum Regnum quod ad tempora noſtra duravit compactum eſt.

eſt. In Gallicana gente ab anno circiter 400 Francorum Regnum eminuit: quod everſis anno 507 & 534 Weſogothorum & Burgundionum dominiis, non tantum Gallias ſui juris fecit; ſed trajecto Rheno univerſam Germaniam ſubegit Chriſtoque lucri fecit: id anno 888 & 890 in plura membra ſectum, Lotharingiæ, Burgundiæ Iuranæ & Arelati Regna minora protulit, cum Franciæ Occidentalis longe majori, quod uſque nunc viribus ſuis ſtat, Arelatenſis univerſi acceſſione, Burgundicique ac Lotharingici parte ampliatum.

Hujus à tredecim fere ſeculis intaminatâ gloriâ Gallia coruſcat, ab hoc anno 497 ad fidem perducto, Germania paulatim Chriſtiana & Francica facta eſt, Italia cum Hiſpaniæ parte triumphata, amica manus Chriſtianorum Hiſpanorum reliquiis, Saracenici jugi impatientibus, porrecta, qui per Palæſtinam, & Syriam Turcicâ tyrannide premebantur, in integrum reſtituti, novumque Hieroſolymis Regnum à fundamentis erectum, & per complures annos heroico animo, immenſis ſumptibus ac laboribus ſuſtentatum. Hoc cum nationis Gallicanæ univerſæ caput fuerit, Rexque ad ejus clavum ſedens ad ſummum gloriæ apicem à multis ſæculis evectus, priſcam ejus dignitatem uſque nunc fortiter tueatur, quæ ejus aliorum comparatione prærogativa ſit, amplius inquirendum. Nonnihil cum à ſæculis aliquot Germaniæ Imperatoribus detuliſſe nemo non videt; quî factum pauci advertunt; nos autem bonâ fide indicabimus. Francici Regni, quamdiu diviſum non fuit, pars Orientalis Germania habita & nuncupata fuerat: ubi id in minora Regna dividi placuit, Francorum Orientalium conſtituere cœpit, cujus Reges à Romanis Imperatores ſalutati, ab anno 962 ad 1125 Romanam ditionem ſub Imperii nomine, Italiæ maximam partem ſub Regni Italici titulo tenuerunt, tam Italicæ quam Germanicæ nationis capita realia effecti. Tranſiit ſenſim poſt annum 1125 ad Romanam Eccleſiam ſupremum in Romanum Territorium dominium, nutavitque undique Italiæ Regnum, cujus membra aliquot ſibi vix vindicavêre eorum poſteri. ex illo tempore Italicæ nationis, cui primus locus, ob urbis & veteris Imperii dignitatem, in latino orbe attributus erat, nominale tantum caput ob priſcum Imperii ſive Regni Romani titulum evaſerunt; realis capitis poteſtas penes Pontifices manſit, quique in Germania *Francorum Orientalium Reges*, proprie per ſæcula aliquot nuncupati fuerant, retento quem ex Italia habuerant titulo, *Romanorum* ante coronam Romæ ſumptam *Reges*, vel *Imperatores electi*; poſt ſumptam *Imperatores* abſolute antiquo more dici, tamque Italicæ quam Germanicæ gentis, quaſi in unum corpus conflatæ eſſent, in iiſque eodem modo ac jure regnarent, ſumma capita haberi voluerunt, nec de vocabulorum quorum res eſſe deſierat uſu adeo anxii Pontifices fuerunt ut cohibendum putarent. Ea igitur quaſi in everſæ poteſtatis ſolatium ad pedes dejectis Principibus permiſerunt, ut majorum quorum reale in Romanos dominium erat exemplo, ſummi quo exciderant apicis inſignia ſibi in poſterum vindicarent. Ea occaſione evenit ut Chriſtianus orbis Germaniæ Reges, quibus Romæ Imperii reliquum nihil erat ſe ſolito cultu proſequeretur, ipſique Francorum Occidentalium Reges, qui ſecundæ nationis capita noverant, tertiæ præcipuis Rectoribus, quia primæ Præſidibus ſuffecti fuerant, eorumque titulos affectabant comiter more ſolito blandirentur; hac tamen ſe fibula civilitas eorum ſtrin-

xit,

xit; ut *Romanorum Regibus* ceu Principibus nec dum Imperiali Corona redimitis antelati ſolis coronatis & *Imperatoribus* ſalutatis, quantum in pari conditione licet concederet; prout in hiſtoriæ Lutetiæ excepti à Carolo V Rege Caroli IV Imperatoris & Wenceſlai Romanorum Regis, paucis ante menſibus electi, expreſſe obſervatum legimus. Rex enim Imperatori avunculo ea tantum lege in domo primas detulit, ut paribus per omnia cæremoniis coleretur; Rex vero Romanorum Delphino coæquaretur. Si pari paſſu paribus honoribus affecti Francorum Rex & Germaniæ Imperator, cui uſque nunc Hiſpaniæ Rex cedere non gravatur, inceſſerunt; quis Hiſpanos quartæ vel quintæ, ſi Anglos audiamus, nationis caput, Franco ſecundæ capiti ceſſuros fuiſſe dubitet, cum præſertim Hiſpanorum æmulos Anglos Francos coluiſſe, imo Aragonios qui Caſtellenſes ſibi præferri, nationiſque Hiſpanicæ capita haberi nolebant, Francici nominis Majeſtati detuliſſe in confeſſo ſit, quis eos quorum tam incerta conditio erat, ut ipſis de penultimo adverſus Anglos loco laborandum fuerit, quoſque ejuſdem nationis membra priores ferre dedignabantur, ſecundis unquàm prælatos ipſo facto fuiſſe aut præferri à quoquam debuiſſe in animum induxerit?

Eam Pariſiis ex veteri manuſcripto, edidit Theodorus Gothofredus.

Duo hic adverſus novas & inconditas æmulorum hypotheſes ex ipſa veterum, eorumque quorum ſe cauſa majores videri volunt praxi obiter notabit lector. Primo majorem nunc Hiſpaniæ unius regimini commiſſæ minorem olim pluribus ſubditæ dignationem fuiſſe fingunt: At contra veteres Italicam nationem in ſex Regna diſcerptam, quorum primum *Imperium Romanum* antea dictum, Romanæ Eccleſiæ; ſecundum nempe Regnum Italiæ ceu Langobardicum Germaniæ Imperatori; tertium nempe Neapolitanum Francicæ gentis Principi; quartum nempe Siculum, cum quinto Sardoo Aragonio Regi; ſextum nempe Corſicum Genuenſi Reipub. ſuberat, primo; Gallicanam unico Regi ſubditam, ſecundo; Germanicam in Regna ſeptem diſtributam, Germanicum ſcilicet, Danicum, Norvegicum, Suecicum, Polonicum, Hungaricum & Bohemicum, tertio; Hiſpanicam quinque Regibus, Caſtellenſi ſcilicet, Aragonio, Portugalenſi, Navarreno & Granatenſi parentem, quarto; Anglicanam duobus tantum Regibus, Anglico ſcilicet & Scotico commiſſam, quinto loco ſtatuerunt, nihilque ex Regnorum ſive plurium, ſive pauciorum numero nationis cujuſque dignitati, vel accreſcere, vel deperire apertè demonſtrarunt. Ipſe etiam Caroli patris exemplo, Philippus II Hiſpaniæ fere univerſæ potens, ne quid ex ejus in Regnorum minutias ſectione ipſius dignitati detractum quiſquam putaret, ſingulorum nomina titulis ſuis accedere juſſit, eaque quantum in ſe fuit, ab oblivione vindicavit. quis eum longum illud titulorum ſyrma ambitioſe trahendo adeo ſe rerum ſuarum neſcium prodidiſſe dixerit, ut id in ſuum Regnique feliciter à proavo uniti dedecus vergere, capere nequaquam poſſet? fuerit ergo eadem ex ejus & priorum mente Hiſpanicæ gentis ac regionis dignitas, quomodocunque diſtributa fuiſſe ſtatuatur. Si quod olim Regnis pluribus conſtiterit, vetus ex æmulorum noſtrorum ſententia ejus prærogativa fuit, cur eam in unum Regni corpus, dum uni paret, nuper reductam fuiſſe priſtinaque prærogativâ carere, prærogativæ deputant? An prærogativas ſuas, Cadmeorum fratrum inſtar, ſeſe mutuo perimere, quæque felicitatis indicium fuit, infortunii procedente tempore notam fieri volunt? quid de hominibus

 illis,

illis, qui nec quid velint, nec quid nolint, noverint, ſanum ſentire liceat? Si uni Regi parere, quod Hiſpanis ab anno 1580 ad 1640 evenit, primam eorum genti dignitatem vindicat, cur tantopere de Regnorum ſuorum ſub diverſis Principibus conſtitutorum, diverſoque jure utentium, antiquo numero & ſplendore gloriantur? Si Regis unius dominium per annos ſexaginta nuper elapſos pertuliſſe, ad gentis prærogativam facit, quanto felicior & honoratior Gallica fuerit, quæ ab annis octingentis, & quod excurrit, unicum Francorum Regem agnovit?

Sed Hiſpanicæ nationis vel unicum, vel unius Regnum eſſe falſum eſt: in tot quot antea à ſe invicem minime pendentia Regna ſecta eſt; nec unus Philippus IV in ea de facto regnat, ſed uno eodemque tempore ejuſdemque ingratiis Portugaliæ Rex avitum ſibi Regnum retinet; nec quæ nunc Philippo IV parent Regna in unum proprie corpus coaluerunt: cum alio titulo ac jure in Caſtella tam veteri quam nova, alio in Aſturibus & Gallæciâ, alio in Navarra, alio in Arragonia cæteriſque Hiſpanicis ditionibus utatur; ſintque uſque nunc totidem partes heterogeneæ tam naturâ ſuâ, quam reipsâ, à ſe invicem diſcretæ, nec in unam Regni maſſam redigi aptæ. Vt ut ergo ſe Hiſpaniarum Regem inſcribat, nullum univerſale totius Hiſpaniæ Regnum poſſidet, ſed multa inter ſe æmula, quorum jura convellere nec, ſi velit, poſſit, ſicubi luxavit, velut cum *Arragoniam* à ſe *complanatam* Philippus II gloriatus eſt, injuriâ fecit, regio nomine ac poteſtate adverſus majorum cum Regnis pacta manifeſte abuſus. Sed unicum in Regnum univerſam Hiſpaniam conflatam eſſe demus: quid ad ejus dignitatem, quemque inter nationes alias locum occupare debeat id fecerit, quod Regnorum aliorum ac dominiorum multitudo eidem cum ea Regi ſubſit? In Italica natione Neapolitanum, Siculum, Sardoum Regna cum Mediolanenſi Ducatu; in Gallicâ dominia plura Belgica & Burgundica; in alio orbe ferè univerſa; in Africa & India Orientali alia ſibi vindicat; an Regni Hiſpanici jure? imo familiæ, ad quam tam Hiſpanica quam extra Hiſpaniam ſita dominia devoluta ſunt. Iure ergo non Regni Hiſpanici, ſed Hiſpanicum Regnum regentis, quæcunque ſub manu habet, ſive pauca ſive plura poſſidet, nec inde vel hilum Hiſpania per ſe proficit ex tot dominiorum congerie; quæ non Hiſpaniam in eodem quo antea erat ſtatu manentem, ſed Regem tot dominiorum potentem maximum fecit. demus tamen Hiſpaniæ quomodocunque accreviſſe, in ejus corpus confluxiſſe eamque variis modis ampliaſſe quæcunque ejus Regibus in Italia, Gallia, & India utraque obvenere regna & dominia, an prima eorum merito facta fuerit? non certe Italicorum dominiorum reſpectu primatum obtinuerit, quantumvis ea ad primam nationem pertinuerint, cum Neapolis, Siciliæ & Sardiniæ Regna Eccleſiæ Romanæ, Mediolanenſis Ducatus aliæque minores ditiones, quæ mari Tuſco alluuntur, Imperii Germanici quatenus Langobardici ſeu Italici Regni aſſutas ſibi reliquias circumfert feuda ſunt; nec probabile eſt primatum dignitatis quo ſemper caruerunt, & nunc carent, Hiſpanico cui univerſa iſta ſubjuncta ſunt corpori præbere potuiſſe. eadem Gallicorum dominiorum ex Burgundica gente ad Auſtriacam devolutorum ratio fuerit; quandoquidem ex Lotharingiæ & Burgundiæ Iuranæ, jampridem collapſis Regnis deciſa, prima ſemper dignitate caruerunt, quodque non habebant Hiſpaniæ conferre nequaquam

quam potuerunt. adde quod gentium aliarum decus cum prehenſis earumdem laciniis ad ſe Hiſpania trahere jure nullo potuerit, manſerintque prout ante erant, quæ ei ex Italia adjuncta erant Italica, quæ ex Gallia Gallica, nec ulli ſive Hiſpano, ſive extra Hiſpaniam orto, antiquos gentium terminos, quomodocunque movere, & rotunda (quod ajunt) quadratis murare unquam licuerit. Si more majorum Tridenti obſervata nationum diſtributio fuiſſet, præreпta Lunæ Comiti novaturiendi occaſio foret: ſed prona in Hiſpanos Legatorum Pontificiorum mens, ne patribus antiquæ libertatis cupidis animos priorum conciliorum imitatio & procedendi modus facerent, priſcum nationum ordinem quantum in ſe fuit ſepelierunt, nulloque quotquot intererant undecunque orti eſſent diſcrimine habuerunt. non tamen quod antea univerſo orbi placuerat refixerunt, cumque nec refixerint nec refigere potuerint, ſarta tecta uſque nunc veterum de nationibus ſententia manet, ut *primum* Italica, licet minor; *ſecundum* ejuſdem fere cum Italica amplitudinis Gallica; *tertium* Italica & Gallica junctis amplior Germanica; *quartum* (quantumvis renitente Anglica) locum Hiſpanica occupet, nulla ut Pii II phraſim ſequamur *Majoritatis* in earum recenſione ratio habenda ſit; fruſtraneaque ſint & ludicra quæcunque Valdeſius & Chiffletius in Hiſpanorum gratiam commenti ſunt.

Hiſpaniarum Regem omnium quotquot nunc in univerſo orbe ſunt *maximum* ad ravim uſque ſi lubet clamitent, non refragabimur qui novi orbis continentem, cujus ſibi dominium vindicat univerſa Aſia Turcicum, Perſicum, Moſchicum, Tataricum, Sinenſe & Mogoris Imperia complexa, latius porrectum totoque priſco Imperio Romano quadruplo ampliorem novimus, ſed argumenti in ejus gratiam efficti vim negamus. *Maximus eſt ergo ordine & merito primus*, quodque negamus jure non injuria à nobis negatum, non tantum ex priſco latini orbis primatum Chriſtianiſmo primum imbutis non latius dominantibus aſſignandum Siſcentis decreto, ſed etiam ex propria Philippi II & poſterorum praxi evincimus. Si enim quod Hiſpani vitilitigatores volunt ampliori dominio primus locus debetur, inepte & inordinate titulos ſuos compoſuit Philippus II, ejuſque exemplo filius ac nepos, qui primo loco Caſtellæ veteris Regnum, Hiſpaniarum ne decimam quidem partem occupans, poſtremo Indiarum Imperium centuplo majus conſtanter in hanc uſque diem collocarunt. Si rurſus latius dominanti honoratior locus reſervandus eſt; male & adverſus propriam hypotheſim Germaniæ Imperatori ditionem Hiſpanica non majorem; Indica decuplo minorem regenti primas Philippi II, III & IV, univerſique ex eorum authoritate Hiſpani detulerunt. Quocunque ſe vertant, injuriæ vel aliis dum eorum dignitati inhiant, vel ſibimet dum ſe infra inferiores ſuos dejiciunt illatæ poſtulandi.

Aliam Hiſpanicæ amplitudinis, aliam dominiorum Hiſpanico Regi diverſimode ſubditorum rationem eſſe, neutram vero ad primatum in Chriſtianorum Regum collegio exambitum quicquam facere, ex præcedentibus manifeſtum fecimus. Duplex nunc nobis quæſtio ſolvenda eſt, I *an re ipſa vel Hiſpania, vel qui nunc in ea rerum potitur Rex, alios univerſos, ſive Principatus, ſive Reges virium robore ſuperent*: 2 *an vel Regio vel Regi potentiori primus ex neceſſitate locus debeatur*. Prioris quæſtionis affirmativam

adverſus propria experimenta æmuli noſtri, nos negativam experimentis iiſdem freti propugnamus. Antiquo Hiſpanico corpori ne palmi menſuram acceſſiſſe, ſed terrarum tantumdem ab ipſo rerum conditu atque nunc occupaſſe, cetera vero dominia, de quorum multitudine tam multa ſibi ſpondet, non ipſi, ſed illi ſoli quem colit Regi, accreviſſe manifeſtum fecimus: quæ mole auctior facta non eſt, emendicatis aliunde viribus augeri potuit, auctam tamen negamus; cum enim regentium alienis invadendis ac retinendis intentorum libidini inſerviens, aut proprie indulgens, aliiſque expilandis incumbens, tota ſeſe extra ſe effuderit, quæ Galliæ & Germaniæ comparatione infrequens erat, aliò ductis coloniis exſucca tota & macilenta facta eſt; imo in vaſtitatem ac ſolitudinem propemodum verſa, adeo ut nunc ex ſolis alumnis conflatum, juſtum exercitum emittere nequeat, propulſandæque injuriæ, ſi quis acrior irruat, vix par ſit. Quid horrendum in modum per annos quadraginta, prohibente nullo, excarnificatorum novi orbis incolarum immenſis opibus ſemet ingurgitaſſe, monteſque eorum aureos totos devoraſſe, profuit? ſumptis, ut ſic dicam, alis evolavere infinitorum, quos immani hiatu deglutierat, theſaurorum moles, nec obolo ditior quam ante opima hæc ſpolia fuerat, Hiſpania poſt divites quas exſuxerat venas, quæcunque male epotaverat evomere coacta, nunc apparet tam hominibus quam nummis exhauſta. Potens eo nomine videri poſſit, quod extra fines ſuos complura dominia Hiſpanici Reges antiquo & avito adjecerint; ſed arte potius alieniſque vitiis, quam gentis propriæ viribus creverunt. Sicilia rebellionis adverſus Francos conſcientiâ deſperabunda, ſeſe Arragoniæ gentis Principibus, admiſſi ſceleris hortatoribus, commiſit, propriiſque viribus indies efferatior facta, vindicavit. Sardiniam & Neapolim eidem genti non tam vis aperuit, quam factiones prodiderunt. Mediolanum tam Germanico & Italico quam Hiſpanico robori ſuccubuit. Americanorum imbellium poplitibus timidoque tergo Hiſpanos inſtitiſſe, validum, non roboris, ſed ſævitiæ ac immanitatis argumentum eſt.

Sardinia Caroli II Andegavenſis copiis Friderico genero traditis ex parte edomita eſt.

Quam facile lupi numero pauciſſimi, & mole corporis impares, numeroſiſſima ſed innoxia robuſtiorum boum armenta ſtraverint, tam facile fuit Hiſpanis, lupinâ rabie in manſuetarum nihilque hoſtile ſpirantium gentium greges irruentibus, late ſtragem edere, annorumque circiter triginta ſpatio ſupra quater mille miſerorum hominum myriadas abſumere. Si in bellicoſos & naturâ pugnaces incidiſſent, longe alio eventu eos adorti fuiſſent. Præter aborigines regionum interiora occupantes, quos locorum procul ab hoſtili impetu diſſitorum natura ſituſque tutos uſque nunc præſtitit, Caribes & Canibalos Inſulas Braſiliæ obverſas inſidentes, Hicacos Hundurani ſinus accolas, Patagones in Magellani freti vicinia poſitos innata ferocia & periculorum deſpectrix audacia non tantum injuriæ eripuit, ſed in Hiſpanorum flagellum reſervavit. Chilenſes Peruvianorum vicinorum clade adeo perculſos, ut ſe ad Hiſpanorum pedes aliquandiu dejicerent, fortitudo propria internecione deletis novis dominis in integrum reſtituit, nec tantum jugo liberavit, ſed Hiſpanis Peruvianorum imbelliorum domitoribus tremendos fecit. Plurima ab Hiſpanis in Hiſpania nova & Mexicano Regno ſub Franciſci Corteſii auſpiciis; in Italia ſub Gunſalvo, qui Magni Ducis nomen meruit; in Indiâ Orientali ſub Paſcheco & Albuquerquio fortiter geſta & immortali

mortali laude digna non negamus; ſed fundatum ab ipſis potens validumque dominium, velimus nolimus negare nos res ipſa compellit. Italica & Belgica, velut prehenſum auribus lupum, indigenis cane pejus & angue exoſi retinent; Indica ut ſibi ſervent, Hiſpaniam incolis exhauſerunt; nec tam denſa examina emittere potuerunt, ut vaſtitatem beatis antea terris illatam auferre potuerint; eas nunc pauci & imbelles occupant: quos ſi Europæi hoſtili animo aggrediantur, facile de poſſeſſione dejiciant, prout flagrante inter Anglos, Belgas Fœderatos & Hiſpanicam gentem bello utriuſque Indiæ inſeſſores Hiſpani ſæpius experti ſunt. cum enim bellis nullis à multis annis exerceantur, expilandiſque Provincialibus toti incumbant, primo occupanti in prædam, ſi acrius incumbat, facile ceſſerint. Si tanta eorum virtus ac robur erat ut inter Chriſtianas gentes univerſas primas ferre deberent, quî factum ut à Batavorum negotiatorum ſocietate toties male excepti, Regis ſui dominio tam multa à paucis antea *Geuſiis* ſeu mendicis reputatis ſubduci paſſi fuerint? An hæc potentiſſimi omnium, an vero infirmiſſimi moleque ſua ruentis Imperii argumenta cenſeri debeant, mentis compos quilibet per ſe facile judicabit. Poſſet poſt annos mille, excreſcente in immenſum incolarum numero, potens Hiſpanicum in India dominium paulatim evadere; nunc vero potens validumque dici nullomodo poteſt, cum gigantis, quem puero me Gallia noſtra vidit, inſtar ſit; hic enim altero tanto ſtaturæ communis viros ſuperans, juſtumque carpenti onus, vel reſupinus jacere cogebatur, ferendæ moli corporis impar, vel ſi quando in pedes erigebatur, fulcro quo ſuſtentaretur indigebat. Non igitur procedit argumentum, *Hiſpaniæ Regum dominium vaſtiſſimum eſt*, ergo *potentiſſimum: Hiſpaniæ Reges ſunt omnium maximi*, ergo *potentiſſimi*. Demus nunc reipſa potens evaſiſſe in ſe, vicinorum ſolorum reſpectu, non extra novum orbem potens evaſerit, pane, vino, canabe, ferro, ære ex Europa longe remotâ devehendis, deſtitutum, nullas vel claſſes inſtruere, vel longas expeditiones aggredi aptum, quantacunque incolarum etiam pugnaciſſimorum multitudine luxuriet, Europæo nulli jure metuendum videbitur. Demus rurſus tam validum quam vaſtum eorum dominium eſſe, quid hoc ad primi inter Reges Chriſtianos loci, aliis ab antiquo debitam longoque ſeculorum præcedentium uſu confirmatam prærogativam? alione jure quam ante tot incrementa majores nituntur, aut aliud ſunt cæterorum Regum reſpectu, quam illi antea fuerant, quorum hæreditas ad eos devoluta eſt? ut ut aliarum ſibi nationum membra quacunque arte ſubjiciant, compariumque ſuorum detrimento augeantur, an primigeniam conditionem mutabunt, aut conſtans Europæ judicium quandocunque libuerit evertent, ut quos illa à ſæculis aliquot, vel poſtremos vel ex poſtremis eſſe voluit, univerſis anteferant? Conſtans Imperator profligato cæſoque anno 340 Conſtantino germano univerſam ejus ditionem Gallias, Hiſpanias, Britannias complexam juris ſui fecerat, Conſtantioque fratre potentior evaſerat, an ſe natu minimum adeo oblitus eſt, ut ſibi majus validiuſque Imperium adepto primas à primogenito, expuncto natalium ordine ac jure, deferendas putaret? quod illi non licuit, quî legitimum faſque antiquato nationum Europæarum ordine ætate noſtra Rex Catholicus fecerit? quantumvis obnitatur, dominiorumque ſuorum mole diſtentus turgeat, priſcum de ſe aliiſque Regibus Latini orbis judicium, non antiquabit, cuique quartus tan-

tum locus aſſignari conſuevit, de primo invadendo anterioribuſque quomodocunque deprimendis nequaquam cogitaverit.

Apud Valdeſium pag. 77. Addebant, Natali Comite referente, Hiſpani *vetera jura Hiſpana in Regnum Galliæ, & recentia præterea propter Burgundicam familiam*, &c. Atqui illa tam vetera Hiſpana, quam Burgundica recentiora in Regnum Franciæ jura, gerræ germanæ ſunt: cum poſt denatum Raimundum Toloſæ Comitem poſtremum, qui Biterrenſium & Carcaſſonenſium Comitum hæreditatem adierat, legitimum ſe defuncti hæredem Iacobus I. Arragonum Rex haberi vellet, transactionis inſtrumento anno 1258 ſcripto, in Ludovicum IX Francorum Regem univerſorum ad ſe ſucceſſionis jure devolutorum dominiorum compenſatione acceptâ poſſeſſionem tranſtulit, nec exinde ex Hiſpanicis Regibus alius, qui ſibi quicquam de Raimundi bonis vindicaret, exortus eſt. jure matris Iacobus idem Montiſpeſſulani Comitatum poſſidebat, quem Iacobus nepos Philippo VI Regi pretio accepto vendidit, nihilque Hiſpanis in univerſo Regno Francico reliqui fecit. Mariæ Burgundicæ proaviæ jure Flandriam, Attrebates & Caroleſium Burgundici Ducatus feudum Philippus II poſſedit & ad poſteros tranſmiſit; ſed nec proaviæ nec cujusvis alterius, ut Regnum Francicum ſibi vindicaret, jure niti potuit, quandoquidem Regni noſtri fœminæ capaces non ſunt; ſi eſſent, ad alios ordine priores, non ad Mariæ Burgundicæ poſteros ullos Regni jura tranſiiſſent; quod ut evincamus Francici traducis, tam in directa, quam in collaterali Valeſiorum lineâ per fœminas defluxum ob lectorum oculos ſtatuemus.

Ludo-

Ludovicus I X Rex Margaretæ maritus.

Philippus I I I Iſabellæ Arragonicæ ac exinde Mariæ Brabantinæ maritus. | Robertus Clarimontis Comes Borboniorum omnium parens.

1 *nupt.* Philippus I V Ioannæ Navarræ Reginæ maritus. | Carolus Valeſiorum univerſorum fons. | 2 *nupt.* Ludovicus Ebroicum Comes, Navarrorum per Philippum filium fons.

Ludovicus X Margaretæ Burgundicæ maritus. | Philippus V Ioannæ Burgundicæ maritus. | Carolus I V Ioannæ Ebroicenſis maritus. | Iſabella Eduardi I I Regis uxor.

Ioanna Navarræ Regina Philippi Ebroicenſis uxor. | Margareta Ludovici Flandriæ Comitis uxor. | Blanca ſine liberis defuncta. | Eduardus I I I Philippæ Hannonicæ maritus.

Carolus I I Navarræ Rex, Ioannæ Francicæ marit. | Ludovicus Margaretæ Brabantinæ maritus. | Leonellus Iſabellæ de Clarentia maritus. | Ioannes Catharinæ Suinfortiæ maritus. | Edmondus Eboraci Dux, Iſabellæ Caſtellenſis maritus.

Carolus I I I Leonoræ Caſtellenſis maritus. | Margareta Philippi Burgundiæ Ducis uxor. | Philippa Edmundi de Mortuo mari uxor. | Ioannes Somerſeti Comes, Margaret. Holland. marit. | Richardus I Annæ propinquæ maritus.

Blanca Regina Ioannis Arragonii uxor. | Ioannes Margaretæ Bavaricæ maritus. | Rogerius Leonoræ Holland. maritus. | Ioannes I I Margaretæ de Bellocampo maritus. | Richardus I I Cæciliæ de Clarentia maritus.

Leonora Regina Gaſtonis Fuxi Comitis uxor. | Philippus I I Iſabellæ Portugalenſis maritus. | Anna Richardi Eboraci Ducis uxor. | Margareta Edmundi Teuder uxor. | Eduardus I V Eliſabethæ de Riveria maritus.

Gaſto Vianæ Princeps Magdalenæ Francicæ maritus ante matrem denat. | Carolus Iſabellæ Borboniæ marit. | Henricus V I I Rex. | Eliſabetha.

Franciſcus Phœbus Rex. | Catharina Regina Ioannis Labretani uxor. | Maria Maximiliani Auſtriaci uxor. | Margareta Iacobi I V Scotorum Regis, ac exinde Archibaldi Duglaſſii uxor.

Henricus I I Margaretæ Engoliſmenſis maritus. | Philippus Ioannæ Caſtellenſis maritus. | 1 *nupt.* Iacobus V Mariæ Lothar. maritus. | 2 *nupt.* Margareta Mathæi Stuarti Leviniæ Comitis uxor.

Ioanna Regina Antonii Borbonii uxor. | X. Carolus V. XI. Ferdinandus I. quorum poſteri ſuperſunt. | Maria Regina. | Henricus Mariæ Reginæ maritus.


Henricus I V Mariæ Medicææ maritus. | Iacobus I Annæ Danic. maritus.

Ludovicus XIII Annæ Auſtriacæ maritus. | I I I Gaſto Mariæ Borboniæ, ac exinde Margaretæ Lothar. marit. | Iſabella Philippi I V Hiſpaniæ Regis uxor. | Chriſtina Victoris Amedæi Sabaudi uxor. | I X Henrica. | X I I Carolus I Rex.

I Ludovicus XIV. | II Philippus. | Maria cum ſororibus. | V I I Maria Infans. | V I I I Carolus Amedæus cum ſororibus. | Carolus I I &c.

Hinc quaſi ſolis radio ſcriptum habemus *vetera* illa in Regnum Francicum *jura*, Philippo II à paraſitis anno 1564 adſcripta, nulla prorſus fuiſſe, cum nulla fæminarum in Regni ſucceſſione ratio inter Francos haberi ſoleat; nihil in eum juris à Margaretâ, Philippi V filiâ, quæ illis ſola occurrebat, profluere potuiſſe, quandoquidem Ioanna Navarræ Regina, Ludovico X Philippi V primogenito fratre prognata, primas, ſi fæminæ Regni Francici capaces fuiſſent, Ioannâ & Margaretâ Philippi V filiabus poſthabitis, ex neceſſitate tuliſſet: anno autem 1564, quicquid dignationis à Ioannâ Ludovici X filiâ in poſteros profluere poterat, in Ioannam Labretanam, ſolam juſtam

ſtam Regni Navarreni hæredem, reipsâ profluxit: tunc etiam nulla Burgundicæ domus, juriſque ex ea derivari mentio ad rem erat, aut eſſe poterat, cum in Valeſiæ gentis ſucceſſione poſt lineam directam, quæ in Carolo VIII defecit, primæ Aurelianenſi ramo, cujus tunc mares tres, fœminæ V ſupererant; ſecundæ Andegavenſi, ex quo Lotharingi per fœminam orti; tertiæ Bituricenſi, ex cujus fœminis Sabaudi & Borbonii Montiſpenſerii Duces originem trahebant; poſtremæ Burgundico, cujus ſucceſſio ad Auſtriacam gentem per Mariam Caroli poſtremi Ducis unigenitam tranſmiſſa eſt, deberentur. Quod ut manifeſtius fiat totius Valeſiæ gentis ſecundum lineam fœmineam ſeriem exhibebimus.



Hinc

Hinc apparet lineam Valeſiorum directam per fœminas in Chriſtianiſſimi Regis familiam exinde in Stuartorum gentem defluxiſſe, collateralem Aurelianenſis rami in Sabaudos, Lotharingos, Mantuanos, Sanflorianos, Nemoroſios tranſiiſſe; Andegavenſis rami traducem in Lotharingos univerſos; Bituricenſis in Sabaudos & Lotharingiæ Duces tranſmiſſum fuiſſe, poſtremoque loco Burgundicam gentem, ex qua originem maternam Auſtriaci repetunt, veniſſe; adeo ut ſi ſucceſſionis per fœminas ratio habeatur, vix quinquageſimus ordine Hiſpaniarum Rex Francico Regno inhiare poſſit, merumque Chriſtiano orbi ludibrium debeant, qui Burgundicæ gentis jura, ipſis prorſus incomperta, temere nulloque judicio venditant, Auſtriacæ genti nullâ veri famæque curâ ſerviliter blandituri: quorum enim nulla jura fuerunt, quæ ſua non erant, in alios transfundere nequaquam potuerunt. abſurditatemque omnem ſuperat, quod Burgundicæ gentis anno 1477 Ianuarii 5 collapſæ, & inter Valeſias poſtremæ, tantiſperdum Aurelianenſis ramus ordine ac dignitate prior virebat, jura neſcio quæ rerum noſtrarum imperitis oſtentare, fumoſque ſuos obtrudere auſi ſint. devixit enim Henricus III Aurelianenſis rami poſtremus anno 1589 Auguſti 2, poſt Mariæ Burgundicæ anno 1483 Martii 25 defunctæ dormitionem 106, poſtrema Margareta Henrici germana anno 1615 Martii 27, à Mariæ dormitione 132.

Chriſtianiſſimum Regem *nullum in Hiſpaniam jus habere* contendebant, ſed imperitè ac falsò. Si enim priſca Carlovingorum tempora memoriâ repetamus, Hiſpaniæ nobilem partem à Pyrenæo ad Iberum anno 778 & ſequentibus ſub jugum Francicum miſſam, nec ante annum 1258 ſuprema in Catalauniam Francorum jura extincta fuiſſe comperiemus. Hieronymus Zurita in Arragonicis Indicibus ad æram 1296, V Idus Maji. *Corbolio Reges actiones de controverſiis omnibus utrimque conſtitutas remittunt: Ludovicus enim Rex, Barcinonenſis, Vrgellitana, Ruſcinonenſis, Emporitana, Caretana, Confluentina, Gerundenſis & Auſetana ditionum ſuprema jura, poteſtatem & fidelitatis dominatum repetierat. Noſter vero Carcaſſonenſem, Rhodenſem, Lauracenſem, Biterrenſem, Leocatenſem, Albigenſem, Rhuenſem, Fuxenſem, Cadurcenſem, Narbonenſem, Minervenſem, Fonoliadenſem, Saltuenſem, Petrapertuſenſem, Æmilianam, Crodonenſem, Gabaldanam, Nemauſenſem, Solenſem & S. Ægidii ditiones & earum jura & poteſtates à capite arceſſit. Viciſſim alter alteri jure ſuo cedit.* Anno 1214 Alphonſus nobilis Caſtellæ Rex Henrico filio, Blancæ filiæ Francici Regis primogenito nuptæ, filium ſuffecerat; Henrico anno 1217 denato, Hiſpani Proceres Ludovicum Blancâ natum Regem ſalutaverunt, Regnum tamen Beringaria Blancæ germana ſibi filioque vindicavit; qui eo totâ vitâ potitus Alphonſum X hæredem reliquit. anno 1266 Septembris 28, S. Ludovicus Ferdinando Cerdæ Alphonſi primogenito Blancam filiam traditurus, jura in Caſtellam univerſa ſub conditione remiſit, quæ cum nunquam impleta ſit, uſque nunc Francis ſalva manent. Cum anno 1336 Carolus Alenſionis Comes Mariam Cerdam, Ferdinandi & Blancæ ex filio Ferdinando neptem, Laræ & Biſcayæ Dominam duxiſſet, ei & liberis denegata Hiſpanicorum dominiorum poſſeſſio à Caſtellæ Regibus fuit, cujus jura univerſa ad Chriſtianiſſimum Regem, Franciſcæ Alenſionenſis abaviæ hæredem, tranſierunt. Anno 1397 Arragonici Regni uſurpator Martinus Mathæum Fuxi Comitem, cujus hæreditas

Valdes p. 77.

Zurita in Indic. Arrag.

 reditas

reditas univerſa ad Chriſtianiſſimum Regem tranſiit Caſtri veteris, aliorumque dominiorum Hiſpanicorum, quod Ioannæ uxori, juſtæ Ioannis Regis hæredi, Regnum vindicare conatus eſſet, poſſeſſione mulctavit, & Majeſtatis per nefas damnavit. Anno 1419 Novembr. 5, inter Ioannem Arragonium Montisblanci & Pennæfloris Ducem & Carolum III Navarræ Regem Blancam ei filiam tradentem convenerat, ut Ioannis univerſa dominia liberis ab eo ex Blanca progignendis poſt ejus deceſſum cederent. Ea tamen univerſa mordicus retinuit, & in Ferdinandum Ioanna Henriquez II uxore natum, fraudatis Blancæ liberis, reipsâ tranſtulit. Nempe *Laram*, *Medinam Campeſtrem*, *Pennæ floris Ducatum*, *Majoricæ Comitatum*, *Cuellar*, *Caſtrum Xeris*, *Olmedum*, *Villalon*, *Harum*, *Bilhoradam*, *Briones & Cereſum*, *Montisblanci Ducatum*, prout Zurita refert Tom.3, lib.12, cap.60. Sed eorum titulos poſt Ioannis parentis dormitionem jure actorum freta, quæ ſola ex priore ejus matrimonio ſupererat, Leonora ſibi ſumpſit & ad hæredes tranſmiſit, *Aragoniæ & Siciliæ Infantem Gandiæ*, *Montisblanci*, *Pennæfloris Ducem*, *Rypacurtiæ Comitem*, *civitatis Balaguer Dominam* ſe velut Caroli fratris hæredem inſcribens, prout rurſus Tom.4, lib.20, cap.28. Zurita idem notat. Anno denique 1512 Navarræ Regnum à Leonora ad Catharinam neptem hæreditario jure tranſmiſſum Ferdinandus Catholicus occupavit, quod uſque nunc poſteri ejus injuria retinent.

Idem Tom. III.

Hinc conſtare poteſt quam multa Regibus ſuis, quæ eorum non erant, affingendo; noſtris, quæ eorum erant, præfracte negando Hiſpani mentiti ſint. Iis tamen falſum nihil excidiſſe fingamus; quid promoverint? ſi (quod Scholæ volunt) *per quod unumquodque eſt tale*, *id magis eſt tale*, eoque nomine quod Hiſpaniæ Regibus, jus ſive vetus ſive novum in Regnum Franciæ ſit, primus iis inter Reges locus debetur, non Hiſpanici ſed Francici Regni jure primas obtinuerint, fueritque vel ipſorum ingratiis Francici Regni dignitas potior. atqui verum (ex eorum hypotheſi) prius: ergo & poſterius. quidni adverſariorum vertigini gratulemur, quos tam præceps agit inſania ut in Regum noſtrorum decus involaturi, cauſam eorum velut ex profeſſo propugnent, ſuam funditus evertant?

Ab externa ſeculi gloria ſecundum quam Hiſpanicum Regnum, quatenus Regnum eſt, conſiderari poteſt, ad internam ex religionis rebus manantem converſi, Hiſpaniamque non quatenus Regnum eſt, ſed quatenus Regni Chriſti pars intuentes, nova ſibi ante annos 90 monſtra fingebant & in hanc uſque diem fingunt: qui *lilia* quaſi *lapſa ancilia cælo* ea reputaremus *divinitus* à Regibus noſtris *accepta*, negando invidiam nobis facere conantur, quî *Regem Hiſpanum crucem rubram cælitus accepiſſe* fidem fecerint? Vbi, quando, quomodo, quoque docente, quod nunquam contigiſſe certum eſt, contigiſſe didicerunt? quis viros gravitatem profeſſos ad fabulas quarum vel ipſam plebis fæcem pudeat, velut ad ſacram ancoram confugere, dumque nugis quæ cordatis univerſis ſtomachum moveant pondus addere parant, in proprium dedecus ruere patienter ferat? De *cruce* ſua *rubra* quantum libuerit delirent, *lilium* Regum noſtrorum ſcutis nullum ante Ludovici VII ætatem impreſſum fuiſſe, nobis ex veteribus ſigillis compertum eſt.

Natalis Comes apud Vald. pag.77.

Hiſpaniam non modo priorem *Chriſtianam fidem complexam*, *ſed per multos annos ante Gallos* fide inbutam fuiſſe, putidum temere quicquid in buccam

Ibidem.

cam veniebat, quodque Hiſpanorum ipſorummet traditiones invictè refellant ſomnium eſt, cui nemo ſanus adſtipulari debeat. quod enim de S. Iacobi itinere & prædicatione Hiſpani nunc animoſe jactant, ab Iſidori Hiſpalenſis corruptoribus, & libelli *de obitu Sanctorum* interpolatoribus poſt annum 1000 impudenter effictum eſt, & cordate à Roderico Toletano in ipſo Lugdunenſi Concilio ante annos 400 negatum. illi ipſi Hiſpani qui Paulum Apoſtolum in regionem ſuam profectum maximopere gloriantur, eum per Gallias iter ſuum inſtituiſſe, eoque Gallias ab eo priores illuſtratas fuiſſe confitentur: quinimo à beatis Saturnino Toloſanæ & Burdegalenſis Eccleſiæ primo fundatore, Paulo Narbonenſium Præſule primo, Eugenio Dionyſii Pariſiorum Apoſtoli Diſcipulo, Hiſpanias Euangelico ſemine ex parte conſperſas, ſuamque Eccleſiam Gallicæ propaginem fuiſſe prædicant. Si *per multos annos ante Gallos* Chriſto nomen Hiſpani addixerant, quî factum ut poſt annum 250, Deciique cum Grato conſulatum (ſub quo Saturninus, Paulus, Dionyſius cum Martiale Lemovicenſi, Gratiano Turonenſi, Trophimo Arelatenſi, & Auſtremonio Arvernenſi Roma ad Gallorum converſionem miſſi ſunt) Galliarum Doctoribus Hiſpania indiguerit, quique ſuorum neminem qui in Gallis convertendis laboraverit in hanc uſque diem noverunt, ſe Gallorum luce colluſtratos confiteri non dubitent. aliquot in Hiſpania ante annum 250 Eccleſiarum jacta fundamenta fuiſſe inficiandum non putamus: quandoquidem Cyprianus anno 258 Septembris 14 pro Chriſto decollatus, Epiſtola 68 ad *Emeritenſem & Legionenſem plebes* data, non tantum piorum in fide ſtantium, ſed lapſorum ut Baſilidis & Martialis ab Epiſcopatus gradu ob Idololatriam in Hiſpania dejectorum meminit, & trigeſima quinta Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ. ſed *ante Gallias* cœleſte lumine perfuſam Hiſpaniam, jure negaverimus, cum primam Lugdunenſem cum Viennenſi, & Maxima Sequanorum à beati Polycarpi diſcipulis ſecundo à Chriſto nato ſæculo labente converti cepiſſe, primitiaſque ſuas in Martyribus quos Domino Anno 167, Marci & Veri ſeptimo obtulit, conſecraviſſe in confeſſo ſit.

Cypriani Magiſter Tertullianus, Caracalla Imperante, circa annum 217 defunctus, libri adverſus Iudæos paucis ante annis ſcripti cap. 6. inter gentes Chriſto dicatas Hiſpanos recenſuerat, in hæc verba ſcribens, *jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita,* &c. Tertulliano pauló antiquior Irenæus, Martyrio anno 198 Chriſto conſecratus, libri 1. adverſus hæreſes Eleutherio ſedente inter annum 170 & 183 ſcripti cap. 3, Hiſpanos Chriſtianiſmum profeſſis populis adſcripturus, *Etſi*, inquit, *in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis una & eadem eſt. Et neque hæ quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ, aliter credunt aut aliter tradunt: neque hæ quæ in Iberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ*, &c.

Fulgebant ſub Antoninis, antequam vel Tertullianus Iudæos, vel Irenæus hæreſes ſcriptis editis oppugnarent, inter Hiſpanos velut Chriſti *luminaria* Eccleſiæ; an Gallicanis ætatis aut dignitatis prærogativâ potiores? Sic Chiffletio Valdeſium alioſque nugivendos, quibus in veterum monu-

mentis Hiſpanorum mentio prior occurrebat, ſequuto viſum eſt. Sed Tertullianum ſolum locorum ſitum in Regionibus percenſendis, non dignitatem nationis cujuſque, præ oculis habuiſſe clarum eſt. Hic enim ad Carthaginis lævam Solemque occidentem converſus per Getulos proconſulari Provinciæ finitimos ad Mauros Getulis contiguos & Africæ extrema ad Gades uſque protenſos progreditur, trajectoque freto Hiſpanias primum obvias recenſet, promotoque verſus Orientem gradu, Gallias Pyrenæo ad Hiſpanias diſparatas ac tandem Britannias Galliæ adjacentes petit. Eandem prorſus viam Sardicenſis Concilii Patres anno 347 inſtitiſſe Synodicæ ab iis ſcriptæ Titulus ab adverſariis laudatus indicat. *Sanctum Concilium ab Epiſcopis Romæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, Campaniæ, Calabriæ*,&c. Poſitâ enim extra numerum Româ, cui *quod urbs illa regnaret Patres privilegia tribuiſſe*, Chalcedonenſe Concilium anno 451 Canone 28 monet, ab extremo occaſu exorſi Hiſpanias in Europæ limine poſitas primo loco, Gallias Hiſpaniis finitimas ſecundo, Italiam, quod Italiæ Vicario ſubeſſet, proprie ſic dictam, & Gallis contiguam, tertio, Campaniam & Calabriam ad Italiæ Orientem ſitas Vrbiſque Vicario commiſſas, quarto recenſet. Quis adeo Beta ſit ut in Tertulliano Europæos Afris, Hiſpanos Getulis Mauriſque poſthabendos ex ejus mente cenſeat; aut ex Concilii Sardicenſis, urbicarias Eccleſias poſtremo, Hiſpanicas primo loco enumerantis, ſententiâ propriam Romanæ Eccleſiæ Diœceſi ad Hiſpanicæ, quæ alterius regimini ſubjacebat, pedes dejiciendam putet? Irenæus gentes prout memoriæ nomina earum occurrebant, nullo vel ſitus vel dignationis diſcrimine habito recenſuit. cum enim à Germania ad Orientem ſitâ initium numerandi feciſſet, Celtas Germaniæ finitimos Gallorumque nobiliſſimos quaſi ſaltu prætervectus, Iberos ultra Pyrenæum totamque Galliam poſitos nominavit, rurſuſque velut veſtigia relegens ad Celtas Orientemque, qui Celtarum & Hiſpanorum reſpectu Auguſtino teſte *radix* & fons erat, reverſus eſt; poſtremo qui priores ordine erant loco ſeriei à ſe inſtitutæ inſerens. quis eum juris Eccleſiaſtici callentiſſimum ex Aſia in Gallias profectum, & Orientalis Eccleſiæ alumnum, adeo generis & originis oblitum fuiſſe putet, ut rivos fonti, ſurculos radici ſuſtentanti, Hiſpanorum hodiernorum more delirans, anteferendos cenſuerit? Eorum tamen quorum nomina præcurrere voluit dignitate primos fuiſſe demus, quid hinc adverſarii conſecuti fuerint? an primas Hiſpaniæ debitas Gallis poſt terga rejectis obtinuerint? quantumvis Irenæi verba in rem ſuam torquere nitantur, cauſa eos Irenæo eodem judice cadere neceſſe fuerit. cum enim gentium enumerationem à *Germania* Orientali Galliæ parte exordiatur, Gallia velint nolint Hiſpanici ambitus fautores ipſi prima erit, nec Iberis ſeu Hiſpanis ex ejus mente primatus cedet, ſed Gallis, imo inter Gallos ſecundis, quandoquidem Celtis primatum dignitatis vetuſtas conſtanter aſſignavit, eritque Galliarum Hiſpaniæ reſpectu ſecundum Irenæum proportio dupla, ut Iberi cum Gallorum parte, non præcipua ſed juſta, præcipuam ſubſidente compoſiti longe infra gentis univerſæ dignitatem dejiciantur. Sed adverſarios ambiguum Germaniæ vocabulum fefellit, cumque Irenæi ætate duplex *Germania* eſſet, *Barbara* univerſa inter Rhenum & Danubium complexa, & *Romana* ad Rheni lævam in Gallico ſolo ſita, in priore quæ vix ante annum 450 ab Irenæi Martyrio 252 imbui fide cæpit, *fundatas* ante Irænei

Chifflet. Lum. prærogat. pag. 409.

Epiſt. 171.

nei ſeculum *Eccleſias* fuiſſe tam falſò quam inſcite crediderunt: quodque de Gallicis Orienti obverſis, Argentoratenſi, Nemetenſi, Vangionenſi, Moguntina, Colonienſi, Tongrenſi, ac forte Trevirenſi Irenæus ſcripſerat, ad Trans-Rhenanas neſcio quas nec dum extantes in Barbarie tunc prorſus Ethnica imperite trahere niſi ſunt. Errore pari *Alamannos* Chriſtianis gentibus ab Arnobio annumeratos, de Alamannis univerſis inter Danubium & Mœnum late ſparſis nonnulli perperam intellexerunt, quum tamen duplex tantùm Alamannorum portio quo tempore Arnobius vixit Chriſtianiſmo imbuta fuerit, altera ad Rheni lævam in Gallia ſita & Vindoniſſenſi Metropoli, cujus ad Conſtantiam Brigantino lacui adjacentem jura poſtea tranſlata ſunt; altera inter Rhenum, Danubium, Lycum, ac forte Oenum, porrecta, Norico Illyrici parti contermina, Italiæ ſub Rhætiæ ſecundæ nomine contributa & Vicario Italiæ commiſſa; cujus ab antiquo Auguſta Vindeliçorum caput fuit.

Qui illotis ut ſic dicam manibus B. Irenæi verba attrectare non dubitaverant, conſimili licentia in Conſtantini Magni, non ad *Patres Concilii Nicæni*, quod Chiffletius volebat, *orationem*, ſed *ad Eccleſias* ex Concilio Nicæno datam Euſebio referente Epiſtolam graſſantur. *In me*, inquiebat, *recepi veſtram ſapientiam facile aſſenſuram, vos videlicet, quod in urbe Roma, in Italia, in Africa, in Ægypto, in Hiſpania, Gallia & Britannia, una & conſentiente ſententia confirmatur, hoc etiam veſtra prudentia libentes approbaturos.* Aſianos, Ponticos, Cilices & Meſopotamios cum Iudæis Paſcha celebrantes ad concordiam pellecturus, eis aliarum diœceſeon conſenſum proponit: ac primum *Italicæ* cujus duæ partes erant *Roma* cum urbicariis Provinciis, & *Italia* prorie dicta, 2 *Africanæ* à Mauritania Tingitana ad Pentapolim Cyrenaicam porrectæ, 3 Ægyptiacæ à Pentápoli Cyrenaica ad Palæſtinam protenſæ, 4 *Hiſpanicæ* à Mauritania Tingitana ad Pyrenæum pertingentis, 5 *Gallicanæ* inter Pyrenæum, Rhenum & Alpes media univerſa complexæ, & *Britannicæ* tribus tunc Provinciis comprehenſæ; quarum ſeriem pro ratione demandati ſingulis Præfectis prætorio regiminis inſtituit; ut Roma, Italia, Africa, ſub *diſpoſitione præfecti Prætorio Italiæ* conſtitutæ, primum; Ægyptus *ſub præfecto prætorio* Orientis, ſecundum; Hiſpania, Gallia, Britannia *ſub præfecto prætorio Galliarum* tertium locum occupent: Diœceſeon autem Præfecto prætorio Galliarum commiſſarum catalogum texens Straboni & Ptolemæi methodum, ſitumque locorum ſecutus eſt, ab extremo occaſu Orientem & Septentrionem verſus gradum promovens: quâ in parte non magis Hiſpanos Gallis, apud quos Præfecti prætorio ſedes erat, quam Afros Ægyptiis & Hiſpanis ſub aliorum præfectorum diſpoſitione poſitis antetulir. Si Meſſalæ Itali, Pomponii Melæ, Senecæ, Iuſtini & Flori Hiſpanorum, Origenis, Euſebii, Iuliani, Innocentii 1, Pauli Oroſii Hiſpani, Theodoreti, Iſidori Hiſpalenſis, aliorumque Europæ deſcriptionem ab Oriente ordientium methodus arriſiſſet, Gallias Hiſpaniis ob ſitum Orienti viciniorem prætuliſſet, nec tamen de earum vel majore vel minore dignitate quidquam protuliſſet; quemadmodum contrariam viam Hiſpanias veſtibuli inſtar ab occaſu procedentibus Europam pandentem iniens, eaſque primas in regionum ſerie ob ſitum collocans, Galliis, quas ſecundo loco enumeravit, nec prætulit, nec dignitate potiores cenſuit.

De vita Conſtant. lib. 3 cap. 18, anno 325.

 Hæc

Hæc anno 325 Conſtantinus Magnus ſcribebat; poſt annos circiter 33 Athanaſius in latebras à Conſtantio, Arrianæ factionis fautore, compulſus Apologiam ſuam ſecundam adverſus hæreticos edidit, cujus verbis æmuli noſtri ſolito more abutuntur. Adverſarios à Concilio magno Sardicenſi damnatos & ſycophantas habitos, *Synodi vero ſententiæ ſuffragatos pluſquam trecentos Epiſcopos* ſanctus vir notaverat: poſtrema hæc cæco temerarioque impetu invadens Chiffletius, patres trecentis plures Sardicæ congregatos fuiſſe ſomniat, magnoque Athanaſio ſomnium proprium affingit, hæc ipſi verba adſcribens, *Fuere in magno Sardico Concilio plures quam trecenti Epiſcopi*; quæ nec Athanaſii ſunt, nec vero conſonant, cum in Sardicenſi Concilio ex Occidente circiter octoginta, ex Oriente totidem qui ab Occidentalibus ſeceſſerunt conveniſſe doceat, quæ uſque nunc ſupereſt utriuſque partis Epiſtola. unde conficitur *Concilium* illud in adverſarias partes tandem diſcerptum, à S. Athanaſio non ob patrum numerum, qui 170 nunquam ſuperavit, ſed ob generalem congregatorum ex univerſis utriuſque Orbis diœceſibus confluxum *magnum* dici, fautoreſque quos Athanaſius pluſquam trecentos habuit, non Sardicæ, quod Chiffletius volebat, conveniſſe ut de eo judicium ferrent, ſed ubivis locorum Sardicæ ab aliis judicatis, quod Athanaſii verba exigunt, calculos ſuos *pluſquam trecentos* adjeciſſe. verum hæc extra Hiſpanicam de primo loco cauſam: quæ ad eam detorquentur Athanaſii verba attendamus: *tertio in Sardicenſi Concilio ad edictum religioſiſſimorum Principum Conſtantii & Conſtantis, in quo judicio ita ceciderunt adverſarii, ut habiti pro calumniatoribus depoſitionem exautorationemque ordinis ſui retulerint, judicatis etiam de nobis plures quam trecenti Epiſcopi calculos adjecerunt ex Provinciis Ægypti, Lybiæ, & Pentapoleos, Palæſtinæ, Iſauriæ, Cypri, Pamphiliæ, Lyciæ, Galatiæ, Daciæ, Myſiæ, Thraciæ, Dardaniæ, Macedoniæ, Epirorum, Theſſaliæ, Achajæ, Cretæ, Dalmatiæ, Siſciæ, Pannoniarum, Norici, Italiæ, Piceni, Tuſciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, Brutiorum, Siciliæ, Africæ univerſæ, Sardiniæ, Hiſpaniarum, Galliarum, Britanniarum*, &c. ubi tribus judiciis Alexandriæ, Romæ & Sardicæ purgatum ſe *judiciiſque* antelatis *pluſquam trecentos ex diverſis* utriuſque Orbis *Provinciis adſtipulatos* eſſe docuit, longam Provinciarum ſeriem texit, non tamen adeo accuratam ut ſitus diœceſeonque ordinem exacte repræſentaſſe videatur, ab *Ægypto, Libya* & *Pentapoli* quæ diœceſin Ægyptiacam conſtituebant exorſus, ad alias tranſit, ſed neglecto tam Provinciarum quam Diœceſeon ordine; quandoquidem immediate poſt *Palæſtinam* Ægypto contiguam, non Arabiam aut Phœniciam aut Syriam, ſed *Iſauriam Cyprumque* Aſianæ diœceſi finitimas ex Orientali, ex Aſiana *Pamphyliam* & *Lyciam*; ex Pontica *Galatiam*, ex Illyrica Orientali *Daciam* & *Myſiam*; ex Thracica *Thraciam*, rurſus ex Illyriciana *Dardaniam, Macedoniam, Epiros, Theſſaliam, Achajam, Cretam*; ex Illyrica Occidentali *Dalmatiam, Siſciam, Pannoniam, Noricum*; ex Italicæ ſub Vicarii Italiæ diſpoſitione conſtituta parte *Italiam*; ex Urbicaria *Picenum, Tuſciam, Campaniam, Calabriam, Apuliam, Brutios, Siciliam*; ex Africana *univerſa*, rurſuſque ex Urbicaria Italiæ parte *Sardiniam*, ac tandem tres præfecto prætorio Galliarum ſubditas diœceſes ab occaſu Ptolemæi exemplo initium ducens recenſet, *in Hiſpaniarum, Galliarum & Britanniarum* nomina deſinens. quis ab eo neglectum tam diœceſeon quam ex diœceſibus quas interveniſſet Pro-

vincia-

vinciarum ordinem non videt? Si qua ejus cura animum pupugiſſet, an non *Achaiam* Provinciam proconſularem Illyricianis cæteris, *Campaniam* inter Vrbicarias, *Vrbis Orbis Dominæ* ſedem cæteris Vrbis Vicario ſubditis, *Gallias* præfecti prætorio ſede honoratas, Hiſpaniis & Britanniis eadem ſede carentibus antetuliſſet? cum non antetulerit, ſed ſingula Provinciarum prout ſeſe memoriæ offerebant nomina protulerit, an non adverſarios quod ille graviora cogitans confudit, nobis, ceu regulam à cujus lineis ne latum unguem divertere liceat obtrudere pudet? Similis confuſionis apud eundem patrem exempla extant Epiſtola ad Iovianum Auguſtum anno 363 data: *Eccleſiæ ſive in Hiſpania ſint & Britannia, Gallia & Italia univerſa & Dalmatia,* &c. Apologia de fuga ſua anno 356 edita: *quum nec Magno Oſio Confeſſori, neque Epiſcopo Romano, neque tot Hiſpanis, Gallis, Ægyptiis, Africanis*, &c. Si Hiſpanis primæ adjudicandæ ſunt quia nonnunquam ante Gallos eos Athanaſius nominavit, quid ni Gallis Hiſpani poſthabeantur, quia idem hæc de iis ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum poſt annum 364 ſcripſit: *diverſis nunc Conciliis per Galliam & Hiſpanias & in magna Roma celebratis*, &c. Epiſtolæ ad Africanos anno 369 ſcriptæ: *Nihilo minus ſufficiunt ſcripta aliorum Conciliorum, quæ partim in Gallia, partim in Italia habita ſunt*, &c. hæc inſeruerat, Galloſne Italis ipſique Italorum Metropoli Romæ anteferendos Chifletius cenſuerit, quia Athanaſio de nationum ordine ac primatu ne cogitanti primi fuiſſe videntur. Poſt Athanaſii verborum abuſum ad Severi Sulpitii Galli authoritatem adverſarii perfugiunt, arreptis his ex hiſtoria ejus Eccleſiaſtica anno 400 edita de Conſtantio verbis: *miſſis per Illyricum, Italiam, Africam, Hiſpanias, Galliasque Magiſtris officialibus*, &c. Sed locorum ſitum, de eorum dignitate ſecurum, Severum attendiſſe, vel hinc patet quod officiorum Magiſtros Conſtantinopoli in finitimum Illyricum & Illyrico in Italiam contiguam, ex Italia in Africam oppoſitam, ex Africa in Hiſpaniam conterminam, ex Hiſpania in Galliam adjacentem quaſi manu duxit & in Orbem egit: Illyricoſne quia primi in Severo occurrunt Hiſpanis ſuis in quartum locum rejectis anteferendos fabulator noſter cenſuerit?

Vt quam obeſæ naris ſit, univerſo Orbi fidem faciat, ex libello de *ſeptem gradibus ad Ruſticum*, ſub ementito Hieronymi titulo perperam inſcripto, ſequentia invadit: *Presbyteri hoc in Eccleſiis ſuis faciant quod Romæ*, ſive quod in Oriente, quod in Italiâ, quod in Cretâ, quod in Cypro, quod in Africa, quod in Illyrico, *quod in Hiſpaniâ*, quod in Britanniâ, *quod etiam ex parte per Gallias, quod in omnibus locis ubi humilitas perſeverat*, &c. En plura eaque clariſſima ſtupendæ in adverſario inſcitiæ, temeritatis & malæ fidei argumenta. 1 Terrigenæ neſcio cujus infantis, eoque Hieronymo longe diſparis, infeliciter ſuppoſitum Hieronymo fœtum nactus, eum pro genuino Hieronymi opere venditare non dubitat: hoc inſcitiæ fuit. 2 Abortivum illum fœtum non ab Eraſmo tantum ante annos 120, ſed à Mariano Victorio Amerienſi Epiſcopo, Roberto Bellarmino Cardinali, Antonio Poſſevino Ieſuitâ, aliiſque peritis proſcriptum & in appendicem rejectum cum videret, genio ſuo indulgere pravoque affectui ſervire maluit, quam unanimi meliorum ſe judicio obſequi: hoc temeritatis. 3 Inſcriptum Ruſtico, Bonoſi Epiſcopi ex Venerii Maſſilienſium Præſulis germanâ filio, (quem ſub vitæ finem Monaſticis præceptis Epiſtola 4 ab Hieronymo imbutum, anno ab

Hieronymi deceſſu 9, Chriſti 428, Hilario Narbonenſi ſuffectum, & 461 denatum, noſſe potuerat:) in exemplaribus univerſis, quem laudat libellum offendit: hinc titulum falſum fuiſſe liquebat, quod Ruſticus, vivente Hieronymo monaſticen profeſſus, non niſi poſt ejus dormitionem ad Epiſcopatum Narbonenſem evectus fuerat. Iure ergo vel hoc nomine inter ſuppoſititia referri & Hieronymo abjudicari libellus, Hieronymi nomine Ruſtico Narbonenſi dicatus, debuerat: ſed titulum falſum falſo alio mutare quam ingenue agnoſcere prætulit. cum ergo Ruffino adverſus exemplarium omnium conſenſum inſcriptum fingit; hoc malæ fidei, imperitiæ conjunctæ, fuiſſe nemo qui oculis utatur non viderit. Cum enim Ruffinum Hieronymo primum familiarem, ſed ab anno circiter 390 ad vitæ finem, qui cum anno Chriſti 410 concurrit, inimiciſſimum Hieronymus, non modo vivum pro merito exceperit, ſed mortuum indignabundus proſciderit, & pede quodammodo calcaverit, in Epiſtola ad Ruſticum *Grunnium teſtitudineo gradu incedere* ſolitum vocans, nemini qui ſano judicio utatur obſcurum fuerit, alieniſſimum à dicandis ipſi libris Hieronymum ex neceſſitate fuiſſe. 4 Ex ipſa libelli materia de authoris ætate ſatis conſtare poterat. qui enim Iſidorum anno 636, ab Hieronymi dormitione 216, Aprilis 4, feria 5, denatum pluribus locis exſcripſit, ut à Bernone Augienſi anno 1048 Iunii 7 defuncto, & Micrologo qui ſub Gregorio VII Papa vixit, citatus reperiatur, non Hieronymus, ſed eo longe recentior, forte poſt annum 800 natus, credi debuerat. Id tamen advertere dedignatus Chiffletius novum Lectoribus inſcitiæ ſuæ ſpecimen dedit. 5 Ex illo ipſo quem laudat & ante eum Micrologus cap. 21 excerpſit loco, phraſim ejus ab Hieronymiana diverſiſſimam fuiſſe apparebat. Sic enim ille *faciant quod Romæ ſive quod in Oriente.* Hieronymus certe particula disjunctiva *ſive* pro copulativa *&* uſus nequaquam fuiſſet, hunc in modum ſcripturus, *quod Romæ quod &*, vel *quod etiam in Oriente.* Sed quæ Chiffletii ſupinitas eſt, ſubornati à ſe Pſeudo-Hieronymi balbutiem vero affingere, tertiumque nobis inſcitiæ ſpecimen edere non erubuit. 6 Ex eo quod anno, ab Iſidori deceſſu 76 Hiſpania à Saracenis ſub jugum miſſa, religio & diſciplina ubique collapſa, paucique in Aſturibus remanſere qui Chriſto fidem ſervarent, manifeſtum fiebat Iſidori Simiam ſub infelix illud tempus vixiſſe quo Hiſpaniæ Presbyteri aliis exemplo prælucere, quod tamen ſub Hieronymi nomine finxit, nequaquam poterant. Id tamen non vidit Chiffletius, cumque non viderit inſcitiæ novum ſpecimen præbuit. 7 E Pſeudo-Hieronymi verbis eum regionum prout ſe ſe memoriæ offerebant nullo habito delectu nomina recenſuiſſe clarum erat; ſic enim ille, *quod Romæ ſive quod in Oriente, quod in Italia, quod in Creta, quod in Cypro, quod in Africa, quod in Illyrico, quod in Hiſpania, quod in Britannia, quod etiam ex parte per Gallias*, &c. Si diœceſeon eiſque comprehenſarum Provinciarum ordinem ſecutus eſſet, poſt Romæ mentionem Italiæ ad eamdem diœceſin pertinentis vocabulum immediate ſubjeciſſet, Cretam Illyrico, cujus pars erat, Cyprum Orientis Provinciam Orienti nequaquam oppoſuiſſet; Orientem inter Romam & Italiam, Africam inter Cretam, Cyprum & Illyricum mediam non inſeruiſſet, ſed hoc ſeriem ſuam ordine digeſſiſſet, *Romæ & in Italia, in Oriente & Cypro, in Illyrico & Creta, in Africa, in Hiſpania, Britannia & per Gallias.* Confuſam à Pſeudo-Hieronymo congeriem ne quis expectaret, ad ſe dignas artes perfugit

ſugit Chiffletius, ejuſque locum mutilum in hunc modum protulit: *hoc in Eccleſiis ſuis faciunt quod Romæ*, &c. *quod in Hiſpania, quod etiam ex parte per Gallias*, &c. Hoc autem malæ fidei cujus labem ſapone nullo eluat; ſi enim diſcrimine dignioris aut indignioris nullo Regionum ac Provinciarum catalogum texuit Pſeudo-Hieronymus, qua fronte ordinem in ordinis experte & oppoſitum in appoſito quærendum putavit Chiffletius? an Cyprum aut Cretam quæ Provinciæ tantum fuerunt, & Diœceſeon membra, Hiſpaniæ quæ Diœceſeos corpus conſtituebat recte prælatas dixerit, aut ſi Diœceſes cum Diœceſibus componere libeat, Hiſpanicam, de cujus primatu contendit, Africanæ, Illyricianæ, aliiſque ante nominatis, aut Gallicanam Britannicæ longe minori cedere juſſerit? 8 Vt quod per ſe abſurdum eſt, ne latum unguem à Pſeudo-Hieronymi ſerie diſcedere fas eſſe demus, quid ex illa pro Hiſpaniæ ſupra Gallias primatu Chiffletius conſequetur? ſi ordinem in ea accurate ſervatum velit, id tantum obtinebit inter Regiones ac Provincias in ea recenſitas Hiſpaniæ penultimum, quod toto animo averſatur, Britanniæ ultimum locum, Gallia extra numerum poſita, relictum eſſe. cumque *abſoluta* & *plena* modificatis, quæque *ex parte* tantum ſunt quod eſſe dicuntur, è diametro opponi par ſit, Galliæ cui quod Romæ, Italiæ, Hiſpaniæ, Britanniæ *abſolute* tribuitur *ex parte tantum* ſi Pſeudo-Hieronymum audiamus convenit, omnium vel primum, quod Chiffletius nolit, vel poſtremum, quod oppoſitionis ratio exigit, locum coaptare oportebit: utcunque ſit Galliam Hiſpania minus honoratiorem eſſe non conficietur, ſed eam in alio rerum ordine conſtitui debere, quod à propoſita de primo loco quæſtione plane aberrat. hinc autem meridiano lumine clarius eluceſſit in Pſeudo-Hieronymi loco quomodocunque conſiderandus veniat Chiffletianæ de Hiſpaniæ ſupra Galliam prærogativa hypotheſeos patronis præſidii nihil eſſe poſſe.

A Pſeudo-Hieronymo, poſt annum Chriſti 700 vel 800, & Hieronymi dormitionem plus minus 400 ſubornato, digreſſus, ad Iuſtinianum Imperatorem ſe verſis retro veſtigiis adverſarius confert, irrito tamen conatu, cum debellato Hilderici propinqui paricida Gelimere, ſubactaque per Beliſarium anno 533 Africa, anno ſequenti *præfectum prætorio Africæ* duceſque ſub eo militaturos inſtituiſſet Imperator, hæc de limite qui *ſepta* uſque nunc vocatur Aprilis 13 ſanxit: *Iubemus etiam ut in trajectu, qui eſt contra Hiſpaniam, qui* ſepta *dicitur, quantos providerit tua magnitudo de militibus una cum tribuno ſuo homine prudente, & devotionem ſervante Reipublicæ noſtræ, per omnia conſtituas; qui poſſint & ipſum trajectum ſemper ſervare, & omnia quæcunque in partibus Hiſpaniæ vel Galliæ ſeu Francorum aguntur, viro ſpectabili duci denunciare*, &c. Hiſpanias priores, Gallias ſecundo loco quaſi dignitate minores nominatas gloriatur adverſarius: ſed Iuſtinianum nulla dignitatis Regionum ratione habita, locorum ſitum ad dignitatem nihil facientem ſecutum eſſe res ipſa clamat. cum enim trajectui Septenſi proxime Hiſpania adjaceat, ab eo Gallia procul diſſita ſit, Hiſpaniam ex neceſſitate primam, Galliam, inter quam & Septa media Hiſpania jacet ſecundam in mente habuit, nec niſi inverſo rerum ordine primam habere potuit. Corradant ſi libuerit vel ex ſexcentis authoribus, Regionum ſeriem ex ſitu texentibus, quotquot occurrunt loca Francicæ gloriæ invidi, ne latum digitum promovebunt, quandoquidem Regionum ſecundum ſitum conſideratio adeo arbitraria eſt, ut quæ aliis ob.

diverſam poſitionem, eumque à quo progreſſi ſunt terminum prima videbatur, aliis contraria via procedentibus ultima reputetur, Hiſpanos fere omnes Europæ caput ab ortu arceſſiviſſe, Hiſpaniam ſuam extremum occupare juſſiſſe jam vidimus. Demus tamen univerſos eam in Europæ capite conſtituiſſe, ſi prima ab occaſu progreſſis obvia Hiſpania dignitate prima cenſeri debeat, quæ ei proxime adjacet Gallia, quæ ulterius remota eſt Italia pro ſitus ratione vel tertia vel quarta dicenda fuerit; ſed primam Pio II referente latini Orbis cui Hiſpanus nemo refragatus eſt judicium ſtatuit, ipſique nunc Hiſpani praxi ſua univerſâ palponum ſuorum machinamenta ſubvertunt; dumque primas Germaniæ ſitus rationem habenti tertiæ Imperatori deferunt, eos de patrio Regno ſtrenue nugatos & æternum nugaturos factis ipſis confirmant.

Hiſpanorum Regioni ſuæ dignationem ex vario ſitum ejus conſiderantium reſpectu, emendicantium vana nulloque fundamento fulta hypotheſi profligata, ut de Eccleſiæ Hiſpanicæ ſub Antoninis primordio certius conſtet eorum ſub examen revocanda ſententia eſt, qui Hiſpanos à primis Apoſtolorum diſcipulis ad Chriſtum converſós, ante ſæcula aliquot commenti ſunt. In priſco Romanæ Eccleſiæ Martyrologio quo Gregorius I uſus eſt, hæc ad Maji decimum quintum anno 600 legebantur & in præſens leguntur: *Torquati, Cteſiphontis, Secundi, Indalecii, Cæcilii, Eſicii, Euphraſii, qui Romæ ab Apoſtolis ordinati ſunt*. Ex quibus, quando, à quibus *Apoſtolis*, an *primariis* Petro, Paulo & Ioanne, an vero *ſecundariis* à primariis allectis Andronico, Iunia, Clemente, &c. in quem finem, an ut Romano Clero incardinarentur, an ut aliis Eccleſiis miniſtrarent, an denique Hiſpanis miniſtraturi *ordinati ſint* nemo facile collegerit, nemo certe Gregorii ætate noverat. Prudentius Hiſpania oriundus qui ante invaſam à Barbaris patriam ſanctorum in ea clarorum catalogum nobis tanta cura ſcripſerat, ut finitimorum memoriam recolens *pretioſam Paulo Narbonem* noſtram prædicaret, nullum trans-Pyrenæum vel Apoſtoli vel Apoſtolici cujuſquam viri, qui ſæculo ſecundo labente vixiſſet veſtigium deprehenderat, aut deprehendi à quoquam poſſe judicaverat. Paulo poſt, anno nimirum 416, Theodoſio VII & Palladio Conſulibus decimo quarto Kal. April. Epiſtolæ ad Decentium Eugubinum datæ ſequentia Innocentius Papa inſeruerat, *cum ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam atque Siciliam, inſulaſque interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores conſtituerint Sacerdotes; aut legant, ſi in his Provinciis alius Apoſtolorum invenitur aut legitur docuiſſe; quod ſi non legunt, quia nuſquam inveniunt, oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, à qua eos principium accepiſſe, non dubium eſt*, &c. Ex quibus rurſus ſingula hæc habemus. 1 Gallias Innocentio Papæ ab ortu in occaſum progredienti Hiſpaniis priores occurriſſe eaque de cauſâ priores nominari. 2 Cum Roma & Italia *terminus à quo* fuerint, unde Euangelium prædicaturis procedendum fuerit, idque naturæ ordo exigere videatur ut à proximo in proximum progreſſus fiat, Gallias ante Hiſpanias longius ſubmotas Chriſtianiſmo imbutas fuiſſe, nec ad Hiſpanias niſi per Gallias tranſitu facto primos verbi præcones perveniſſe. 3 Nullum Hiſpanis *à ſancti Petri ſucceſſoribus* non miſſum Euangelium prædicaviſſe. 4 Apoſtolum nullum ab Hiſpanis viſum aut ad eos profectum. 5 Nullum

ad

ad eos diſcipulos miſiſſe. 6 Quæcumque de SS. Iacobi & Pauli ad Hiſpanos itinere narrantur nullo fundamento niti. 7 Quæcumque de ſancti Iacobi aliorumque Apoſtolorum diſcipulis Hiſpanorum primis doctoribus jactantur æque incerta eſſe. 8 Vniverſa hæc *manifeſta* & *non dubia* eſſe. 9 Nullibi *legi*, nuſquam *inveniri* Apoſtolum à Petro alium in Hiſpania per diſcipulos aut ab ipſis diſcipulis inſtitutos *docuiſſe*. 10 Eccleſias in Hiſpania ſerius fundatas ex neceſſitate fuiſſe.

Anno 735 Majo menſe venerabilis Beda deceſſit, à quo vetus Martyrologium diverſimode auctum eſt; an aliquid de ſeptem viris *à ſanctis Apoſtolis Romæ ordinatis* ſingulare habuerit, cum ad manus exemplaria ejus pura non ſint, dicere nequaquam poſſumus: Angli penes quos ſunt, viderint. Anno circiter 850, poſt ſubactas à Saracenis Hiſpanias 134, Francis regionis à Pyrenæo ad Iberum protenſæ ab anno 778 potentibus, Bedæ Martyrologium à Floro Magiſtro diverſimode auctum eſt, in quo hæc ad Majas Idus nunc leguntur: *Natale ſanctorum Confeſſorum* Torquati, Cteſifontis, Secundi, Indaletii, Cæcilii, Eſitii, Eufraſii, qui Romæ à ſanctis Apoſtolis *Epiſcopi* ordinati ſunt *ad prædicandum verbum Dei ad Hiſpanias, tunc adhuc gentili errore implicatas, directi ſunt. cumque ad civitatem Accitanam veniſſent, & propter laborem itineris modicum quieſcentes, & cauſa victus emendi diſcipulos in urbem miſiſſent, mox paganorum multitudo, qui tunc forte diis ſuis feſta celebrabant, eos uſque ad fluvium perſecuta ſit, in quo pons miræ magnitudinis & firmitatis extructus, tranſeuntibus Sanctis, Dei nutu cum omni inſequentium multitudine funditus corruit: ad quod miraculum cæteri territi, & cujuſdam magnæ Senatricis Lupariæ, quæ divinitus inſpirata eos benigne ſuſcipiens credidit, exemplum ſecuti, relictis idolis Chriſto Domino crediderunt. Poſt hæc diverſis urbibus Euangelizantes, & innumeras multitudines Chriſti fidei ſubjugantes, Torquatus Acci, Cteſiphon Vergii, Secundus Abulæ, Indalecius Vrci, Cæcilius Heliberi, Eſicius Carteja, Eufraſius Iliturgi*, &c. Ado Viennenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus circa annum 872 denatus, interpolatum à Floro Martyrologium aſſutis laciniis aliquot auxit, ſic ad Majas Idus exorſus: *apud Hiſpanias, natale Sanctorum*, &c. *quieverunt. Extat uſque hodie illuſtre miraculum ad commendationem pretioſæ mortis eorum; nam eadem ſolennitate apud præfatam Accitanam urbem, ad ſepulchrum ſancti Torquati arbor olivæ divinitus florens, maturis fructibus onuſtatur.* In Romano Martyrologio à Petro Galeſinio undecunque petitis centonibus variegato & à Baronio Cardinale notis illuſtrato, hæc nunc leguntur: *in Hiſpania Sanctorum*, &c. *ad prædicandum verbum Dei in Hiſpanias directi ſunt: cumque variis urbibus Euangelizaſſent, & innumeras multitudines Chriſti fidei ſubjugaſſent*, in ea Provincia diverſis locis *quieverunt, Torquatus Acci*, &c. Viros doctos cur priorum exemplo miniones eſſe, *funditus corruentis miræ magnitudinis ac firmitatis* Accitani *pontis*, *oleæ ad Torquati tumulum divinitus florentis & maturis fructibus onuſtatæ*, &c. *magnæ Senatricis* ſive *Lupariæ* ſive *Lupanariæ* meminiſſe puduit? an hæc univerſa tam inconditè quam licenter efficta reputabant? Ibi certe *miræ magnitudinis pontem* ubi nullius nominis *fluvius* eſt collocaſſe commentum ridiculum videri poterat, inuſitatus etiam Senatricis titulus oſcitantis alicujus deliramentum redolebat: ſed unde tam multa Prudentii, Innocentii, & Gregorii 1 temporibus, non Romanis tantum, ſed Hiſpanis ipſis de primis (ſi

Acci flumini nulli adjacet.

Adoni Lupanaria.

Deo placet) propriæ gentis doctoribus ignota Francis noſtris innotuerunt? plura ne de patriæ Eccleſiæ prima origine Apoſtoliciſque fundatoribus poſt Saracenicam cladem everſaſque Chriſti fidelium res comperta, miſeram ſub infidelium jugo vitam trahentes majorumque monumentis deſtitutos Chriſtianos habuiſſe veriſimile eſt, quam ante univerſas Barbarorum inundationes, dum Chriſtianiſmus floreret, acta & monumenta Sanctorum intacta ſupereſſent, eorumque adhuc recens memoria videri poſſet, antiquiores habuerant? an priores longa oblivia potos, poſteriores divinatoria uſos quæcunque antea vel oculatiſſimos latuerant, è denſis quibus merſa erant tenebris in apertam lucem quandocumque libuit protraxiſſe dixerimus? cui credibile fiat plus lippientes & in barbariem verſos quam acutum cernentes & feliciora tempora nactos vidiſſe? quam facile evenire potuit, ut in ſeptem virorum *à SS. Apoſtolis Romæ ordinatorum* à nemine uſquam vindicata nomina, ceu predam certam involaret ſuæque genti quomodocumque poſſidenda offerret, de futuro ſecura Hiſpani cujuſpiam res patrias ut collapſas ſic deſpectas indignantis temeritas Franciſque noſtris ad fabulas nimium facilibus illuderet? mirum ſane eos quos Apoſtoli erudierant exemploque ſuo ſuperſtites informabant, divinorum Magiſtrorum more neglecto metropolim nullam adiiſſe, ſed loca tantum ignobiliora quorum vix vocabula nunc ſuperſunt in Hiſpania inſediſſe, Abulam unam in Regionis meditullio poſitam inviſiſſe, univerſoſque oram Beticæ maritimam pererraſſe contentos, nobis nunc ab iis quibus aliquis antiquitatis guſtus ſit perinde fingi, ac ſi quæ prudentium Patriæ antiquitatis diligentiſſimum eruderatorem & ſæculo longe meliore natum de primitiis in ea ſacris fugerant, ejuſque ac majorum oculos latuerant, poſt gentis univerſæ fœdam ſervitutem, Religionis in ea excidium miſerandumque monumentorum ſacrorum naufragium, nudius tertius è media vulgi fæce erepentibus, ſemet quaſi miraculo prodidiſſent: quæque Innocentius Papa nuſquam vel *legi* vel *inveniri* pronunciaverat, Hiſpano nulli poſt annos 400 non obvia fieri potuiſſent.

Fruſtra Baronii Cardinalis notæ ad Martyrologium monent, in *Breviario Toletano*, *Sanctorum Hiſpaniæ floribus concionumque theſauro*, ſancti Torquati & ſociorum mentionem haberi, quandoquidem quæ *ſanctorum Hiſpaniæ flores*, & concionum Theſaurus inſcribuntur farragines, *ſagenæ* tam *bonos* quam *malos piſces* concludenti ſimiles, ejuſdem fere commatis ſunt cum Petri de Natalibus & Iacobi de Voragine legendis, quas viri graves à *ferreæ frontis* & *plumbei oris* hominibus ſcriptas jamdudum queſti ſunt: neque noſtra proprie refert quid nunc in Breviario Toletano legatur, ſed ex quo tempore quidquid hodie legimus ei inſertum ſit; quidni enim vel recentioris vel ſaltem poſt annum 800 nati manus audax vetuſto codici admoveri potuerit? an non Eccleſiarum fere univerſarum Breviaria immiſſis certatim *proſis*, *ſequentiis*, *cantilenis*, *lectionibus*, quas nuper Romanæ Eccleſiæ expunxit authoritas, temere infarta vidimus? quis Toletani aut Hiſpanici cujusvis beatiorem ſortem fuiſſe in animum induxerit? cur Toleti potius quam Acci aut Eliberi aliiſque locis *Sanctorum ab Apoſtolis ordinatorum* præſentia (ſi Hiſpanis hodiernis credamus) olim cohoneſtatis eorum memoria ſervetur?

Anno 1074 indictione duodecima Martii 20 Epiſtola ad Alphonſum Caſtellæ, Legionis, Gallæciæ, & Toleti, Sanciumque Aragonum Reges data,

data, Flori & Adonis Martylogiorum authoritatem in ſpeciem ſecutus hæc Gregorius VII ſcripſit. *cum beatus Apoſtolus Paulus Hiſpaniam ſe adiiſſe ſignificet, ac poſtea ſeptem Epiſcopos ab urbe Roma ad inſtruendos Hiſpaniæ populos à Petro & Paulo Apoſtolis directos fuiſſe, qui deſtructa Idololatria Chriſtianitatem fundaverunt, Religionem plantaverunt, ordinem & officium in divinis cultibus agendis oſtenderunt, & ſanguine ſuo Eccleſias dedicavere, veſtra diligentia non ignoret*, &c. Sed tanti viri pace dixerim, tam vacillante memoria quam currente calamo univerſa iſta exaravit, *cum* nullibi *beatus Paulus Hiſpaniam ſe adiiſſe*, ſed adeundæ priuſquam Romam proficiſceretur ſpem, quam impletam Innocentius I expreſſe negat, foviſſe *ſignificaverit*: Romanæ Eccleſiæ Martyrologium vetus ſeptem viros ab *Apoſtolis ordinatos*, nec *Epiſcopos* nominaverit, nec *in Hiſpaniam miſſos* indicaverit; Francorum vero Martyrologia quæ nonnullas ab ipſis Eccleſias in Hiſpania fundatas narrant, hoc ipſo Martyrium feciſſe & *ſanguine ſuo Eccleſias dedicaviſſe* negaverint, quod ipſis *Confeſſorum* titulum aptaverint locisque ſuis ſingulos *quieviſſe* emphatice notaverint. Valeat ergo quæ nutantem Flori & Adonis ſententiam non firmat, ſed oblique impetit demonſtrandæ Hiſpanicæ Eccleſiæ antiquitatis parum idonea authoritas. Epiſt. ad Decentium.

Poſt alios omnes Petrus de Caſtro Quignonius Granatenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, cum Ioanne à Fonſeca Accitano Epiſcopo, Sebaſtiano Guintero Gallipolitano, & Alphonſo Mendoça Alcalæ Regalis Abbate diplomate anno 1595 edito declaravit, in ſpeluncis *montis vallis Paradiſi*, in Granatæ vicinia dicti *à quodam Theſauri inveniendi cupiditate ducto SS. Cæcilii, Hiſcii, Cteſiphontis, diſcipulorum beati Iacobi & SS. Septemtrionis & Patricii, S. Cæcilii diſcipulorum & SS. Turilli, Panncii, Maronii, Centulii diſcipulorum Hiſcii & SS. Maximini & Luparii diſcipulorum Cteſiphontis & S. Meſitonis & aliorum*, reperta corpora, *divos Martyres in ignem & flammas viventes ejectos & illis ſpeluncis combuſtos, quorum cineres ſacri & locus concavus, ubi ignis ardebat odore fragantiſſimo ſpirante hodie aſpicitur, inventionem factam anno* eodem *cum libris in plumbeis laminis quatuor repertis, ſcriptis lingua Latina, ſed characteribus antiquiſſimis Arabicis, ſeu Æthiopicis, ex quibus pateret anno ſecundo Imperii Neronis S. Cæcilium & diſcipulos ejus Kal. Februarii paſſos fuiſſe, S. Cæcilium & diſcipulos Kal. Martii, S. Cteſiphontem & diſcipulos Kal. Aprilis*, &c. Sed quantumvis ea poteſtate ſibi ab Eccleſia Romana facta fretus *coli* imo *invocari* ab univerſis juberet; audax factum Romanæ curiæ, quod illa ſacrilegam ſummi eoque ſibi uni reſervandi juris invaſionem indignamque Baroniani calculi everſionem interpretabatur, non probavit. Valdeſius.

Quod Cæcilium, Heſychium, & Cteſiphontem *Epiſcopos & Martyres* Archiepiſcopus pronunciabat, ferri utcumque poterat, quia Epiſcopos eos ante annos 800 Flori & Adonis Martyrologia nuncupaverant, eoſdemque Gregorius VII, hac in parte Martyrologiis fidem detrahens, *ſanguine ſuo Eccleſias dedicaſſe* ſcripſerat, eos pro Chriſto paſſos, quod Martyrologia *Confeſſores* qui *in Chriſto quieviſſent* nuncupantia negabant expreſſe aſſerens; ſed reliquum fabulæ inſtrumentum adeo impudenter & inſcite machinati fuerant primi ejus artifices, ut nemini niſi forte vervecum in patria craſſoque ſub aëre nato arridere poſſet. 1 Quos enim Gregorius VII *Pauli* Apoſtoli *diſcipulos* ab eodem in Hiſpania converſos anno 1074 vocaverat, poſt

 annos

annos 521, Iacobi diſcipulos fuiſſe finxerunt. 2 Eorum Martyrium (de quo ante Gregorii VII ætatem neque vola neque veſtigium uſpiam extabat) in ſecundum Neronis annum non falſo tantum ſed ridicule & abſurde conjecerunt. Cum enim Claudius Imperator Quinto Aſinio Marcello & Marco Acilio Aviola Conſulibus anno Vrbis 807, Chriſti 54, tertio Idus Octobris deceſſerit; Neronis ei ſuffecti annus ſecundus ab eadem die ſub conſulatu quem cum Lucio Antiſtio vetere geſſit, annoque Vrbis 808 & Chriſti 55 inierit, parique die ſub conſulatu Quinti Voluſii Saturnini & Publii Cornelii Scipionis cum anno Vrbis 809 & Chriſti 56 concurrente deſierit: tunc autem primum Romam ex Baronii & Petavii ſententia appulit, abſente Petro, prout ex Iudæorum Romæ degentium à Luca Actor. 28 memorato reſponſo conſtat, Paulus, ubi per biennium *in domo conducta* commoratus eſt, nec ante in Hiſpaniam (ſi eam unquam inviſit) proficiſci potuit. Cui ergo credibile fiat Cæcilium, Cteſiphontem, & Heſychium à Paulo in Hiſpania poſt annum Chriſti 58 cum Neronis VI concurrentem, verſanti ad Chriſti fidem ex Gregorii VII ſententia perductos, & *ab Apoſtolis* Petro & Paulo, poſt hujus ex Hiſpania reditum, *Romæ*, prout Martyrologia expreſſe notant, *ordinatos* quadriennio ſolido antequam Chriſtianiſmo imbuerentur: Neronis nimirum ſecundo currente, *Februarii*, *Martii & Aprilis Kalend.* Martyrium feciſſe? 3. Eoſdem ſancti Iacobi auditores, quod nuperi ſomniatores deliraverunt, in Hiſpania fuiſſe adhuc abſurdius eſt. cum enim anno Claudii primo, Vrbis 794 Chriſti 41, Cajo Caligula Cæſare IV, & Cneo Sentio Saturnino conſulibus Hieroſolymis Iacobus paſſus fuerit, nemo niſi forte Chorœbo ſtultior, qui ante annum à Iacobi paſſione *decimum nonum* converti nequaquam potuerunt, ipſius prædicatione re ipſa converſos in animum induxerit. 4 Cujus decreto cremati finguntur? anno enim Vrbis 817, Chriſti 64, Imperii ſui 9, Cajo Lecanio Baſſo & Marco Licinio Craſſo Conſulibus prima adverſus Eccleſiam perſecutio à Nerone excitata eſt; an novennio integro antequam de Chriſtianis perſequendis cogitaret, de tollendis è medio Hiſpanis aliquot decretum ab eo condi potuiſſe ſanus quiſquam dixerit? 5 Sed cum quod poſſibile non erat potuiſſe demus: quo præſide & ſcelerum ſub eo magiſtro in cineres redacti ſunt? hic mendaces memores eſſe oportebat: juſto tamen Dei indignantis judicio non obliviofi tantum ſed elingues prorſus facti impoſturam quam nequiter moliebantur, nihil de Præſide ex antiquæ Eccleſiæ more referre auſi, imprudentia ſua prodiderunt. 6 Qua die detectæ in qua ipſorum reconditæ fuiſſe dicuntur ſpeluncæ mimum impleri placuit? *Martii decima nona feria ſeptima ſancto Ioſepho die ſacra anno* 1588, occultatarum à Patricio ſanctæ Virginis & Stephani reliquiarum inventionem contigiſſe notaverant; qui factum ut in apertam lucem anno 1595 protractarum eos dies fugeret? Si non fugiebat, cur annotare non dignati ſententiæ à ſe latæ quomodocunque conſcios de improviſi eventus tempore incertos ſcientes prudentes reliquerunt? 7 Quo caſu eveniſſe dixerint ut in ſpeluncis Eliberitanis cum Cæcilio, quem Eliberis Epiſcopum fuiſſe volunt, Cteſiphon Vergii & Heſychius Cartejæ longius poſitarum Præſules Martyrium facerent? 8 Trium illorum nomina ex Martyrologiis excerpere facile fuerat: ſed unde niſi forte ex male ſano cerebro diſcipulorum antiquitati univerſæ ignotorum barbara, ipſaque pene ſono ſtupenda, vocabula

Actor. 28.

deſum-

deſumpta ſunt? 9 Annon ludos in re ſeria fecerunt qui Februarii, Martii, & Aprilis Kalend. ſucceſſive delegerunt, quibus Hiſpanicorum (ſi Deo placet) Protomartyrum agones aſſignarent? 10 Annon abſolute inconveniens eſt corporum in calcariam conjectorum, adeo indomitam duritiem fuiſſe, ut petris quibus cum cremabantur in calcem redactis, non tantum poſt extinctum incendium; ſed etiam poſt ſæcula quindecim integra eorum oſſa durarent? fieri miraculo potuerit, ſed miracula pro libidine, neceſſitate nulla urgente, animo fingere, non cujusvis, verum nequiter ſimplicioribus illudentis fuerit. 11 Quo conſilio nobis laminis ſuis plumbeis inſcripta verba inviderunt? *antiquiſſimæ linguæ Latinæ characteribus* exaratas fuiſſe notaverat Archiepiſcopus, Valdeſius contra *lingua Latina, ſed characteribus antiquiſſimis Arabicis, ſeu Æthiopicis* diſtinctas fingere maluit, nec alias Arabum, alias Æthiopum quas cum Arabicis confundit literas fuiſſe, olim aut nunc eſſe, nec ullum ſive in Bætica, ſive in Hiſpania reliqua, ſive denique in Romania univerſa Nerone imperante literarum tam Arabicarum, (quæ in Hiſpaniam poſt annum 712 & Gothicam cladem perlatæ ſunt,) quam Æthiopicarum uſque nunc Hiſpanis ignotarum uſum fuiſſe vidit, quem tam effrontis impoſturæ proſtitutæque audaciæ non pudeat?

Nupero ſed æternis tenebris damnando ementitæ antiquitatis figmento, poſtquam ei annoſitatis ex eaque emanantis authoritatis larva detracta eſt nullum apud cordatos pretium futurum confidimus, poterit tamen ex eo ſceleſta eorum mendacitas coargui qui effoſſas ex Turre quadam Granatenſi anno 1588 beatæ ſemper Virginis, ſanctique Stephani Protomartyris reliquias confinxerunt. Non quærimus cur in annum à detectione octavum à Granatenſi Archiepiſcopo earum comprobatio dilata ſit; rite & ex ordine factam fuiſſe ut largiamur, quærendum reſtat, 1 Qui fieri potuerit ut *Patricius Cæcilii Eliberitani diſcipulus*, cum eo *anno Neronis ſecundo Februarii primo* paſſus, ejuſdem *juſſu* ſancti Stephani reliquias ullas reconderet, cum Lucianus Presbyter Hieroſolymitanus cujus Epiſtolam Auguſtino, Idacio Hiſpano, Gennadio, Marcellino Comiti, Iſidoro faſtis Græcis notam Avitus Hiſpanus, Pauli Oroſii comes, ad quem ab Hieronymo Epiſtola 59 data eſt, in Latinam linguam tranſtulit, Lucianus inquam à ſe anno 415, à Neronis obitu 347, à Cæcilii & Patricii ſub Nerone paſſorum Martyrio 360, Decembris 26, ex Gamalielis qui Stephanum in Caphar Gamala prædio ſuo cum Abibo filio & Nicodemo tumulaverat, revelatione primum detectas orbique quem illæ per ſæcula fere quatuor latuerant, manifeſtatas Avito interpreti Latiniſque univerſis Aviti authoritatem ſecutis perſuaſerit. Si quod communis tam Græcorum, quam Latinorum ſententia exigit, illo ipſo anno quo Chriſtus Dominus cruci ſuffixus eſt Auguſti 3, Stephani Martyrium contigit, ejuſque ſtatim funus Gamaliel procuravit & reliquias univerſas cum ſancto corpore ita abdidit, ut non niſi eodem poſt annorum 382 continuas latebras revelante innotuerint, cui veriſimile fiat earum quippiam ſive Cæcilio cujus juſſu in Turrim Granatenſem illatæ dicuntur, ſive Patricio qui eas Cæcilii juſſu eodem intuliſſe fingitur, poſtquam univerſæ à Gamaliele Orbi toti occultatæ ſunt, ad Chriſti fidem ſive à Iacobo, ſive à Paulo converſis obtingere potuiſſe? Id certe quod ab anno Chriſti 33, alte in Palæſtina ſub terra defoſſum, nemini poſtea ante annum 415 revelandum jacuit, Hiſpano nulli

nulli tantiſperdum jacuit eoque ipſo abditum eſt ad manum eſſe potuit, ut quotieſcumque ipſi collibitum eſſet in turri Granatenſi poſt annos 1550 denuo revelandum abderet. 2 Quale illud os fuit aut eſſe potuit, quod Stephani corpori detractum Patricio diſcipulo Cæcilius recondendum dediſſe dicitur, an nomine proprio ſituque in Stephani corpore carebat, cumque careret non niſi in genere quaſi parti nulli affixum fuiſſet deſignari potuit? atqui humani corporis oſſa nulla ſunt quæ ex naturali figura, uſu & officio dignoſci nequeant. Ipſaque Luciani Epiſtola nulla ſui parte mutilatum ad annum uſque 415, beati Stephani corpus fuiſſe docet: Sic enim in ea Gamaliel, *qui mecum in Orientali parte monumenti jacet, ipſe eſt Dominus Stephanus, qui lapidatus eſt à Iudæis & Principibus Sacerdotum in Hieruſalem pro Chriſti fide, foris portam quæ eſt ad Aquilonem quæ dicitur ad Cedar: ubi die ac nocte jacuit projectus, ut ſepulturæ non daretur, ſecundum mandatum impiorum Principum, ut à feris conſumeretur corpus ejus. ex Domini autem voluntate non tetigit eum ex his, non fera beſtia, non avis, non canis. Ego Gamaliel compatiens Chriſti miniſtro, feſtinavi habere mercedem in Domino & partem cum Viro ſancto fidei. Miſi per noctem quantos poteram religioſos Chriſtianos & in Chriſto Ieſu fideliter credentes, habitantes Hieruſalem in medio Iudæorum, & hortatus ſum eos & neceſſarias ſubſtantias miniſtravi, & perſuaſi illis ire occulte, ut portarent corpus ejus meo vehiculo in villam meam, hoc eſt, Caphargamala*, &c. Sic rurſus Lucianus, *fodientes invenimus tres Thecas, ſecundum quod apparuerat mihi in typo Calathorum. Invenimus igitur altiſſimis litteris ſcriptum lapidem obrutum habentem, Celiel, quod interpretatur Servus Dei*, &c. *cum aperuiſſent* Epiſcopi *Domini Stephani Thecam ſtatim terræ motus factus eſt*, &c. *& exoſculantes ſanctas reliquias iterum clauſerunt*, &c. *derelinquentes nobis de membris ejus parvos articulos, immo maximas reliquias terram cum pulvere, ubi omnis caro ejus terra conſumpta eſt: cæterà aſportaverunt*, &c. Si integrum & *intactum* ſancti Martyris corpus Gamalielis tumulo illatum ibidem ad ſeptimum Kalendas Ianuarias anni 415 perpetuo quievit; ſi à Ioanne Hieroſolymitano & collegis *adſportatum eſt*, tuncque primum diſtributio ejus quædam fieri cepit, *derelictis* Luciano *parvis articulis*, *terraque cum pulvere, ubi omnis caro ejus terra conſumpta* fuerat: ſi exinde ſola illa terra Avitus, Oroſius, Auguſtinus, Evodius, aliique per Africam, Baleares, Hiſpaniam, &c. munerati ſunt, quî fieri potuerit ut ante ſecundum Neronis annum, *os* ejus ullum quod reconderet Hiſpanus quiſpiam haberet? 3 Qualis *Turris* illa Granatenſis, in cujus *pariete os* illud reconditum fuiſſe dicitur, an vetus ante Neronis tempora conſtructum opus? atqui Ludovico Nonio teſte Granata tota *urbs nova eſt, Pœnorum colonia*, &c. *Tarapha aliique non pauci Illyberim olim vocatam fuiſſe, quam Stephanus Elibrigem dicit, ſed probatur Vaſæo aut Ambroſio Morali, qui monent Illyberim non procul à Granata fuiſſe eo in colle, qui nunc* Elvire *vocatur*, &c. Ludovico Nonio, Garçias Loaiſa Eccleſiæ Toletanæ Præſul in notis ad Concilium Eliberitanum aſſentitur: *ſunt*, inquit, *qui duas in Hiſpania hoc nomine fuiſſe urbes putent: unam, quæ in Provincia Bætica, prope Granatam, inſignem nunc apud Hiſpanos ob civilium rerum Conventum, in culmine montis Elviræ ſita eſt, ut ex multis ejus ruinis conſtat.* Andreas Reſendius de Antiquitate Eboræ, *urbs Illyberorum, quæ olim Elvira etiam dicta, penitus collapſa & in ruinis ſepulta: tunc vero Metropolis*

Cap. 24.

erat,

erat, Epiſcoporumque ſedes, quæ poſt Granatam tranſlata, &c. Si Saracenorum, quos *Pœnos* improprie Nonius vocat, *Granata tota novum opus eſt*, nec antequam Hiſpanias anno 712 invaſiſſent, Eliberimque evertiſſent, ab iis in viciniâ condi potuit; ſi denique quæ nunc in ea major Eccleſia eſt ab initio Mahumetanorum conceptaculum fuit; cui animi compoti veriſimile fiat, à Patritio quem Cæcilii Apoſtolorum auditoris diſcipulum fuiſſe fingunt, *in* illius ædificii *pariete*, quod ex hypotheſi non niſi poſt annos ſexcentos in uſum impiorum extructum eſt, Stephani, cujus anno demum 415 tumulus repertus eſt, oſſa ulla recondi potuiſſe? ſi recondi nequaquam potuiſſe in aperto eſt, quidni idipſum criminis genus ab Hiſpanis anno 1588 admiſſum ſtatuamus, quo ante annum 1500 ſe ſciens prudens Joannes Annius Viterbienſis obligaverat? Quem enim ad modum hic, ad impoſturam concivibus ſuis faciendam natus, marmora ſuo juſſu barbaris characteribus inſculpta alte defodi curaverat, ut ea rurſus Viterbienſibus effoſſa oſtenderet, eorumque animos fabuloſæ antiquitatis ſpecie faſcinaret; Hiſpani neſcio qui antiquitatem Eccleſiæ ſuæ malis artibus aſſerere conati, Templi majoris Granatenſis à Saracenis primùm extructi, quas, beatæ Virginis & Stephani protomartyris ſacris nominibus nequiter abuſi, ſe reliquias habere mentiebantur, parieti clam intulerunt, ut eas inde in majus Chriſtianæ plebis ludibrium eruerent, eamque velut obtorto collo ad quisquiliarum ſuarum cultum pertraherent. *tantum Religio potuit ſuadere malorum*, ut viri illi boni qui ardore tanto ad ſummum Religioſæ antiquitatis faſtigium, nunquam niſi *ſublimi feriant ſidera vertice* placandi, anhelant, anno 1588 falſas reliquias impoſtorum execramenta non ſacra depoſita Chriſtianæ plebi obtruderent: anno vero 1595 cum animos ex priore crimine ſumpſiſſent, inſanam monſtrorum, imo ſcelerum ſtruem, velut impoſitum giganteo conatu Pelion Oſſæ, novo ſanctorum nulli antea auditorum contexto catalogo oſtentarent: *nomina* pro libidine efficta, non *numina*, *irrationis* non *rationis entia*, re ipſa *non entibus* annumerari digna, Chriſtiano Orbi colenda proponerent, falſique manifeſti crimen execrando ſacrilegio cumularent. Nihilo tolerabiliora quæ de S. Iacobi in Hiſpaniam profectione commenti ſunt, in Vindiciis adverſus Ioannis de Velaſco Caſtellenſis Stabuli Comitis, erroris popularis patroni, diſcurſus pro Baronio Cardinali, vel potius pro Roderico Toletano, Ambroſio Morale, Garcia Laoiſa, Ioanne Mariana aliiſque Hiſpanicæ gentis cordatis, quæ alibi pro merito Deo dante excipiemus, reliquamque Iacobi Valdeſii, qua una Chiffletius nititur, farraginem everremus. nos in præſens quæ anno 1563 Philippi II nomine pro Hiſpaniæ prærogativa diſſeminabantur ad ſe revocant.

Defenditur, inquiebat Requeſenius, & conſervatur hodie fides Catholica & religio Chriſtiana Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſedeſque ejus Apoſtolica & Eccleſia Romana, Philippoque ut tantorum Regnorum & Statuum, unde ea ſeſe inviolabiliter defendit, conſervat & auget, ſeque ſemper ſine varietate & mutatione ulla conſervavit & auxit Regi primus locus debetur.

Præter rerum ſacrarum imperitiam, quæ adverſario tautologicam Eccleſiæ deſcriptionem expreſſit, duo potiſſimum in ejus proteſtatione notanda occurrunt: Alterum injuriæ, quod Chriſtianiſſimorum Regum propria in Hiſpanos tranſtulerit: Alterum aſyllogiſtiæ, quod ex alienis eoque minime

propriis ſingularem Hiſpanicorum Regum prærogativam elicere conatus fuerit. poſtquam *Eccleſiam Chriſtianam* nominavit, *Domini noſtri Ieſu Chriſti* addere ſuperfluum erat, quandoquidem *Chriſtianum* niſi ab uno *Chriſto* nihil dici poteſt; *Eccleſia Chriſtiana*, nuncupari nulla meretur niſi quæ *Domini noſtri Ieſu Chriſti* ſit. Sed tautologiam illo uno, qui Marranum lac à cunabulis ſuxiſſet & Chriſtianiſmum primis labris vix deguſtaſſet, dignam viro quem Belgium ad quod devaſtandum poſt Albanum venerat, nulla fide & pietate fuiſſe paulo poſt expertum eſt, condonare difficile non fuerit. ne cui incompertum ſit quæ Hiſpanorum non erant, ipſis ab eo temere affićta fuiſſe, Gallicanæ Eccleſiæ cum Hiſpanica comparatione inſtituta, utriuſque tam proſpera quam improſpera breviter, annotare operæ pretium fuerit.

Tam Gallicanarum quam Hiſpanicarum jacta ſæculo ſecundo labente prima fundamenta, *Orientiſ*que *ex alto* radium ſalutarem Gallias permeando ad extremum occaſum perveniſſe jam ſupra diximus. Illo ipſo tempore quo Martyres Gallicani pio ſanguine Eccleſias novellas rigabant, jamque Chriſtianiſmo imbuebantur Hiſpani, Marci ex Gnoſticorum colluvie magi diſcipuli quidam, *Rhodanenſis Regionis* aliquot *mulieres in fraudem impulerant: quæ quidem velut cauterio quodam inuſtam conſcientiam habentes, partim publicè pœnitentiam egerunt. partim cum id facere præ pudore non ſuſtinerent, ac tacite quodammodo de vita Dei deſperarent, vel prorſus à fide deſciverunt, vel certe in utramque partem propenderunt, quodque proverbio dici ſolet, nec foris, nec intus fuerunt, hunc videlicet ex ſcientiæ filiorum ſemine fructum percipientes.* In paucis ergo labes hæſit, nec exinde ulla Gnoſticorum in Galliis mentio, ſed Hiſpaniam fere univerſam pervaſit eorum peſtis, prout nos in Lucinii Bætici Epitaphio poſt annum 409, à Marci temporibus 250 ſcripto Hieronymus docet, *quia* inquit *hæreſeos ſemel fecimus mentionem, quæ Lucinius noſter dignè eloquentiæ tuba prædicari poteſt, qui ſpurciſſima per Hiſpanias Baſilidis hæreſi ſæviente, & inſtar peſtis & morbi totas intra Piraneum & Oceanum vaſtante Provincias, fidei Eccleſiaſticæ tenuit puritatem, nequaquam ſuſcipiens Armagil, Barbelon, Abraxas, Balſamen & ridiculum leuſiboram cateraque magis portenta quam nomina: quæ ad imperitorum & muliercularum animos concitandos, quaſi de Hebraicis fontibus hauriunt, barbaro ſimplices quoſque terrentes ſono, ut quod non intelligunt plus mirentur*, &c. Venenata Gnoſticorum plantaria in Gallia noſtra fruticare nequaquam ſiverat Dominus: jam enim Irenæi ætate ſævire deſierat eorum peſtis, quæ adeo latè ſe per Hiſpanias diffudit, ut ad illa uſque tempora duraret, quibus ab univerſo fere mundo exſufflata fuerat.

Irenæ lib. 1, cap. 8.

Anno poſt Lugdunenſium & Viennenſium Martyrum triumphos 84, prima Chriſto trophæa erexit Hiſpanica Eccleſia, ſed eodem tempore lapſos ſuos non tantum è plebe, ſed etiam ex Epiſcoporum collegio Cypriano teſte lugere coacta eſt: flagrante perſequutionis incendio Romanam Eccleſiam in partes ſecuerat Novatianus, qui ſibi ubique gentium fautores ſedulo quæſivit, ex Epiſtolâ quadam Cypriano affićtâ vulgo perſuaſum fuerat Martianum neſcio quem Arelatenſis Eccleſiæ Epiſcopum Novatiano adhæſiſſe, Fauſtinoque Lugdunenſi monente paulo poſt repreſſum fuiſſe; ſed Epiſtola illa in vetuſtiſſimis Collegii Navarreni Codicibus deeſt, nulla vel Martiani vel Fauſtini in Eccleſiis Arelatenſi & Lugdunenſi memoria ſervatur; cumque

Tro-

Trophimum Eccleſiæ Arelatenſis primum fundatorem, anno Chriſti 250 Decio & Grato Conſulibus, Româ in Gallias veniſſe, Stephanum Papam, quem Martianum in ordinem coëgiſſe volunt, anno 257, 4 non. Aug. Martyrium feciſſe conſtet, nullus ex neceſſitate Martiani alias ignoti Epiſcopatui locus relinquetur, prout ante annos aliquot Ioannes de Launoy Navarreni Collegii Theologus eruditiſſimus edito ex profeſſo ſcripto demonſtravit. Demus tamen Martianum non tantum Arelatenſis Eccleſiæ regimini admotum fuiſſe, ſed Novatianæ ſectæ nomen dediſſe; protinus evanuerit ex Gallia noſtra ſchiſmatica illa cum Martiano nata & extincta intemperies, quæ latius per Hiſpanias exundavit; quandoquidem ad annum uſque 380 durabant ejus reliquiæ, iiſque ſtirpitus evellendis incumbere Pacianus Barcinonenſis cogebatur.

Anno Chriſti 303 Diocletianus & Maximianus Herculius Auguſti in Chriſtianorum perniciem conjurati plurimos ubique ad apoſtaſiam adegerant; quorum caſus multiplices Italia, Africa, Hiſpania aliæque Orbis Romani provinciæ deploraverunt; de diſciplina in Bæticâ reſtituenda Eliberi congregatos anno 305 patres ſerio cogitaſſe canones eorum 1, 2, 3, 4, 46, 59 manifeſte docent; his vero remediis Gallicanam Eccleſiam nequaquam indiguiſſe Conſtantino Auguſto à Donatiſtis oblatus anno 312 libellus evincit, *Rogamus te*, inquiunt, *ô Conſtantine optime Imperator, quoniam de genere juſto es, cujus pater inter cæteros Imperatores perſecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia*, &c. *petimus ut de Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua*, &c. Optat. lib. 1.

Ariana lues anno 317 exorſa Conſtantii Auguſti mente corrupta latè per univerſum Imperium graſſabatur, Galliaſque factionis anteſignano Saturnino Arelatenſi irruperat, qui anno 353 Paulinum Trevirenſem Athanaſii damnationi ſubſcribere nolentem de Concilio Arelatenſi; Hilarium Pictavenſem anno 355 de Biterrenſi *in exilium detruſit; ſed incontaminati & illæſi ab omni contagio deteſtandæ hæreſeos perſtiterunt, negata Saturnino communione, fide ac ſpiritu Hilario collegæ cohæſerunt: miſſam ipſis anno 357 ex Syrmienſi oppido infidelis fidei impietatem*, ab Hoſio Cordubenſi & Potamio Vlyſiponenſi ſubſcriptam, anno 358 damnaverunt Galliarum Epiſcopi. Poſt Ariminenſe Concilium elatumque Conſtantii funus *Hilarium de prælio revertentem Galliarum Eccleſia complexa eſt*, &c. *optimum factu arbitratus* eſt Hilarius, *revocare cunctos ad emendationem & pœnitentiam, frequentibus intra Gallias Conciliis, atque omnibus fere Epiſcopis de errore profitentibus, apud Ariminum geſta condemnarunt, & in ſtatum priſtinum Eccleſiarum fidem reformarunt. Reſiſtebat ſanis conſiliis Saturninus Arelat. Epiſcopus*, &c. *præter hæreſis infamiam, multis atque infandis criminibus convictus Eccleſia ejectus eſt. Ita partium vires amiſſo duce infractæ, Paternus etiam à Petrocoris æque vecors, nec detrectans perfidiam profiteri, Sacerdotio pulſus: cæteris venia data. Illud apud omnes conſtitit, unius Hilarii beneficio Gallias noſtras piaculo hæreſis liberatas*. In Hiſpania contra poſt Hoſii & Potamii fœdam anno 357 prævaricationem omnia in pejus ruerunt; obtruſa univerſis Sirmienſis formula, quam libris editis Phœbadius noſter proſcripſit. *Hoſius in Hiſpanias regreſſus eſt majore cum auctoritate, habens Regis terribilem juſſionem, ut ſi quis eidem Epiſcopus jam facto prævaricatori minime vellet communicare in exilium mitte-*

Hilar. de Synodis.

Hieronym. adverſ. Lucif. cap. 7.

Severus hiſt. Sacræ lib. 2.

Marcellin. in libello.

retur, &c. *cumque is plus torqueretur, ſi quis ipſo jam lapſo ſtaret, fidem integram vindicans in lapſa firmitate veſtigii, exhiberi fecit per publicam poteſtatem Gregorium* Eliberitanum, *ſperans eodem terrore quo ipſe ceſſerat, hunc quoque poſſe cedere*: ubi vero *in eum ſententiam exponere conatus eſt, repente os vertit, diſtorquens pariter & cervicem, de ſeſſu in terram eliſus eſt, atque illic expiravit*, clariſſimam vitam miſerando exitu claudens, totamque Hiſpaniam hæreticis triumphandam relinquens.

Severus. Lucifer Calaritanæ Eccleſiæ Epiſcopus, quem anno 355 Conſtantius in exilium ob fidem ejecerat, in longe *diverſa* ab Hilario totaque Gallia *ſententia fuit. Nam in tantum eos, qui Arimini fuerant condemnavit, ut ſe etiam ab eorum communione ſecreverit, qui eos ſub ſatisfactione vel pœnitentia recepiſſent*, factuſque horrendi ſchiſmatis auctor, quoſcumque potuit in partes traxit. immanem Galliſque exoſam ejus duriciem Hiſpani Gregorii Eliberitani exemplum ſecuti nequaquam averſati ſunt; ſed etiam prono affectu rixoſæ factioni nomen dederunt, ut univerſalis Eccleſiæ communionem tota vita reſpuere auſi hominis, uſque nunc in loco ad Bœtis oſtium ſito, qui ſancti Luciferi, vulgo *ſan Lucar de Barrameda* dicitur, memoriam colant.

Continuo poſt Priſcillianiſtarum dira peſtis inter Gallæcos ſe latius diffudit, *quam primus intra Hiſpanias ante 200 annos Marcus intulerat, Ægypto* Idem Severus. *profectus, Memphi ortus. hujus circa annum* 370 *diſciplinæ addicti fuere, Agape quadam non ignobilis mulier, & Rhetor Helpidius. ab his Priſcillianus eſt inſtitutus, familiâ nobilis, prædives opibus, acer, inquies, facundus, multa lectione eruditus, diſſerendi ac diſputandi promptiſſimus*, &c. *Is ubi doctrinam exitiabilem aggreſſus eſt, multos nobilium, pluresque populares auctoritate perſuadendi & arte blandiendi allicuit in ſocietatem. ad hoc mulieres novarum rerum cupidæ, fluxa fide & ad omnia curioſo ingenio, catervatim ad eum confluebant: quippe humilitatis ſpeciem ore & habitu prætendens, honorem ſui & reverentiam cunctis injecerat. Iamque paulatim perfidiæ iſtius tabes plæraque Hiſpaniæ pervaſerat; quin & nonnulli Epiſcoporum depravati, inter quos Inſtantius & Salvianus Priſcillianum non ſolum conſenſione, ſed ſub quadam etiam conjuratione ſuſceperant*. Tantiſperdum Cæſarauguſtæ Æra 418 cum anno Chriſti 380 concurrente; Toleti Æra 438 in annum Chriſti 400 incidente, Stilicone & Aureliano Conſulibus Septembris ſeptimo, ab Epiſcoporum Conciliis damnabatur impietas, cujus ad annum uſque 563 reliquias ſuperfuiſſe Concilium primum Bracarenſe teſtatur, *Gallia* cujus Præſules Burdegalæ & Auguſtæ Trevirorum congregati, Hiſpanis in peſtilentis feræ ac catulorum luſtris exſcindendis laborantibus auxiliarem manum porrexerant *monſtris ſola caruit*, ſicut ante *ſemper caruerat*, cum ei uni id honoris Hieronymus libro adverſus Vigilantium anno plus minus 406 edito tribuat. In eam ſeſe jam tum Vandali, Alani, Suevi, Arrianiſmo infecti diluvii inſtar, Hiſpanias anno 409 invaſuri effuderant; quos circa annum 412 Gothi eadem fuligine denigrati ſecuti ſunt, ſed fidem Gallorum nequaquam corruperunt; ut ut enim in Aquitania ſecunda anno 417 Regnum fundaſſe reperiantur, quod ad annum uſque 507 tenuerunt, Gallis plena collectarum & ſententiæ de Religione libertas relicta eſt, prout ex Agathenſi Concilio anno Chriſti 506, *Alarici regis 22, Meſſala Conſule ſub die 3 Idus Septembris* congregato, conſtat; nihil etiam labis ex Francorum Ethnicorum & Burgundionum

diomım Arianorum conviĉtu contraxerunt, quandoquidem Gundagabaudus Burgundionum Rex Gallos ſubditos libertati ſuæ reliquit; Franci à vi Catholicis inferenda adeo alieni fuerunt, ut Ægidii Romani & Catholici regimini ſe ſubdere nequaquam recuſaverint, eorum vero dominium Gothico Catholici prætulerint. Sed Hiſpanorum longe diſpar ratio, quos everſo anno 476 in Occidente Romanorum Imperio Barbari totius regionis potentes pro arbitrio varie divexarunt, hæreſiſque ſui peſtilenti fermento paulatim infecerunt. Suevis circa annum 560, Gothis poſt annum 587 ad fidem Catholicam reverſis, in priſtinum quodammodo ſtatum reſtituta Hiſpaniarum Eccleſia videri poterat; ſed anno 712 ab irruentibus Saracenis oppreſſa novum jugum ferre didicit, cui cervicem miſere ſubactam, niſi Francorum anno 497 ad fidem, à qua nunquam deinceps deſciverunt, converſorum, auxilioque è propinquo ſubinde accurrentium ſociatis viribus, ſubducere minime potuerunt. Paucis Suevici potius quam Gothici generis, quibus prærupta Cantabrorum, Aſturum, Gallæcorum juga perſugio fuerunt, aperto voto vivendi facultas relicta eſt, de reliquis dirâ ſervitute preſſis impietas triumphavit; qui Chriſtianiſmi guſtum aliquem retinuerant, afflictæ ſupra modum Eccleſiæ miſerandas reliquias novis erroribus Elipando Toletano & Felice Vrgelitano ducibus infecerunt, quos ad ſanam mentem Conciliis Ratisbonæ anno 791, & Francofurti 794 coactis Franci tam Occidentales quam Orientales communi opera reducere conati ſunt. Mahumetanæ ſuperſtitioni addictos Chriſtiani Gallæciæ, Aſturum, Navarræ, Caſtellæ, Aragoniæ, & Catalauniæ incolæ vicinorum Francorum robore fulti paulatim attriverunt, annoque 1492 penitus ſubegerunt: ſed quos vis major ad pietatis ſimulationem compulerat, animum in quem nihil vis ulla poteſt nequaquam mutaſſe experientia quotidiana docet. Hinc fit ut Chriſtianos *veteres à novis* quos *introrſus turpes ſpecioſos pelle decora*, partim Iudaiſmo, partim Mahumetiſmo addictiores norunt, ſedulo Hiſpani ipſi diſtinguere cogantur, qui inter fidei inquiſitores Iudæos nonnullos patrum memoria deprehenderunt, tantamque impietatis in regione ſua licentiam fuiſſe meminerunt, ut publicam maleficiorum & magicarum præſtigiarum ſcholam in Toletana urbe per ſæcula aliquot apertam fuiſſe diffiteri non auderent. Id certe ex Mendoſæ Cardinalis proteſtatione Philippo II regnante ſcripta, quam ad manum habemus, conſtare poteſt, Hiſpanicos magnates fere univerſos Mauris aut Iudæis atavis editos fuiſſe, nec fruſtra à Gregorio VII Papa Epiſtola lib. 1, 64 ſcriptum, *poſtquam veſania Priſcillianiſtarum diu pollutum, & perfidia Arianorum depravatum, & à Romano ritu ſeparatum, irruentibus prius Gothis, ac demum invadentibus Saracenis Regnum Hiſpaniæ fuit, non ſolum religionem eſſe diminutam, verum etiam mundanas eſſe opes labefactatas*, &c.

Vide adverſaria Luitprando afficta.

Quis nunc, niſi forte fulminis afflatus ventis, tam inſanum quam impudens de gente propriâ Requeſenii mendacium non facile deprehendat? Ad Philippi II anteceſſores Gregorius VII anno 1074 ſcribens, Hiſpaniam ab hæreticis & Saracenis pollutam, depravatam, à Romano ritu ſeparatam, diminutamque in ea religionem exerte pronunciabat; poſt annos vero 499 Philippi, Alphonſi & Sancii Regum nepotis nomine, abuſus Requeſenius in os Pii IV, Gregorii VII ſucceſſoris, cum falſi coarguere non dubitavit:

vit: *Fidem Catholicam Chriſtianamque Eccleſiam inviolabiliter ſine varietate & mutatione ulla ab Hiſpania defenſas ſemper conſervatas & auctas*, tam temere quam falſo proteſtatus: noſtrarum vero partium fuerit Requeſenium in manifeſto falſi Francis injurii crimine deprehenſum velut obtorto collo pertractum ad veri, quod effronti audacia impugnavit, apertam confeſſionem in hunc modum adigere. 1 *Quæ Regio tam ex Clero quam ex populo in perſecutione lapſos tulit*; *à Marcoſiis, Novatianis, Arianis, Luciferianis, Priſcillianiſtis, Saracenis, Felicianiſtis olim fœdata eſt, & uſque nunc occultis Iudæis & Mahumethanis ſcatet*, *ea nec* fidem Catholicam *nec* Chriſtianam Eccleſiam inviolabiliter ſine varietate & mutatione ulla defendiſſe ſemper, conſervaſſe & auxiſſe & in præſens defendere, conſervare & augere, *niſi forte in ſpeciem, dici poteſt*. *Hiſpania tam ex Clero quam ex populo in perſecutione lapſos tulit, à Marcoſiis, Novatianis, Arianis, Luciferianis, Priſcillianiſtis, Saracenis, Felicianiſtis olim fœdata eſt, & uſque nunc occultis Iudæis & Mahumethanis ſcatet.* Ergo *Hiſpania nec* fidem Catholicam *nec* Chriſtianam Eccleſiam inviolabiliter ſine varietate & mutatione ulla defendiſſe ſemper, conſervaſſe & auxiſſe & in præſens defendere, conſervare & augere, *niſi forte in ſpeciem, dici poteſt*. 2 *Quæ Regio nec* fidem Catholicam *nec* Chriſtianam Eccleſiam inviolabiliter ſine varietate & mutatione ulla conſervavit *olim*, *aut uſque nunc, niſi forte in ſpeciem, defendit*; *ea* inviolabiliter defenſarum, *tam fidei Catholicæ quam Chriſtianæ Eccleſiæ juſtum ex adverſarii mente præmium*, *primum inter Chriſtiani orbis Provincias locum, nec meruit unquam, neque nunc meretur.* *Hiſpaniæ nec* fidem Catholicam *nec* Chriſtianam Eccleſiam inviolabiliter ſine varietate & mutatione ulla conſervavit *olim*, *aut uſque nunc*, *niſi forte in ſpeciem, defendit*; Ergo *Hiſpania* inviolabiliter defenſarum *tam fidei Catholicæ quam Chriſtianæ Eccleſiæ juſtum ex adverſarii mente præmium*, *primum inter Chriſtiani orbis Provincias locum, nec meruit unquam neque nunc meretur.* 3 *Quæ Regio* monſtris *ad annum uſque* 406 *Hieronymo teſte* ſemper caruit, *nec poſtea*, *ex adverſarii ipſiuſmet hypotheſi*, *hæreſi ulli ſuccubuit*, *aut hæreticis favit aut ſchiſmati ſe addixit*; *ea* inviolabiliter ſine varietate aut mutatione ulla defenſæ ſemper fidei Catholicæ & Chriſtianæ Eccleſiæ *laudem primumque ex Requeſenii ipſiuſmet hypotheſi inter Chriſtiani orbis Provincias locum meretur.* Gallia monſtris *ad annum uſque* 406, *Hieronymo teſte*, ſemper caruit, *nec poſtea*, *ex adverſarii ipſiuſmet hypotheſi*, *hæreſi ulli ſuccubuit aut hæreticis favit, aut ſchiſmati ſe addixit.* Ergo *Gallia* inviolabiliter ſine varietate aut mutatione ulla defenſæ ſemper fidei Catholicæ & Chriſtianæ Eccleſiæ *laudem primumque ex Requeſenii ipſiuſmet hypotheſi*, *inter Chriſtiani orbis Provincias, locum meretur.*

Galliam hæreticis faviſſe expreſſe negavimus, quia Iacobus Valdeſius coccycis inſtar à Francis in Gallia regnantibus, ſuſceptum pro Arianorum defenſione bellum ſæpius ingeminat, ejuſque exemplo caninæ facundiæ vir qui ſub *Patricii Armachani* ementito titulo *Gallicum martem* nuper edidit putidam calumniam recoquit, cujus fons primus Lucas Tudenſis circa annum 1235 fuerat. cum enim hæc Iſidori de Recaredo Rege verba legiſſet, *In belli gloria ſatis clarus ac præcipuus extitit: Francos enim cum ſexaginta fere millibus armatorum in Galliam Gothicam irruentibus, miſſo Claudio Duce adverſus eos, glorioſo triumpho repulit*, &c. ea Diabolica audacia in optimi Religio- (Iſidori Chronicon.)

ſiſſimi

ſiſſimi eoque nomine à Romana Eccleſia, Beda, Floro, Vſuardo, Adone ſanctorum albo adſcripti Principis Guntramni injuriam interpolavit, venenatiſque additamentis infecit. *Egit* inquit *prædictus Princeps bellum glorioſe adverſus infeſtas Gentes* fidei ſuſcepto auxilio. *Francorum enim fere ſexaginta millia armatorum*, qui ad auxilium venerant hæreſis Arianæ *Gallias irruentibus, miſſo Claudio Emeritenſium Duce proſtravit*, &c. unde vero in pium Regem Francoſque debacchandi occaſio? *ad annum Mauritii* VII *& Recaredi* III hæc Ioannes Biclarenſis ſcripſerat, *Francorum exercitus à Goteranno Rege tranſmiſſus, Boſone Duce, in Galliam Narbonenſem obveniunt, & juxta Carcaſonenſem urbem caſtra metati ſunt: cui Claudius Luſitaniæ Dux à Recaredo Rege directus obviam inibi occurrit, cum quo congreſſione facta Franci in fugam vertuntur & direpta caſtra Francorum & exercitus à Gothis ceditur. In hoc ergo certamine*, gratia divina, & fides Catholica, *quam Recaredus Rex in Gothis fideliter adeptus eſt, eſſe noſcitur operata*: *quemadmodum non eſt difficile Deo noſtro ſive in paucis, ſive in multis detur victoria*, &c. *Gratiam Divinam fidemque* Recaredi qui Gothos ab Arianiſmo ante triennium revocaverat *Catholicam operatam* fuiſſe eo fine notabat Ioannes, ut reportatam à Claudio Recaredi Legato de Francis victoriam, in ſuſceptæ à Recaredo eodem & Gothis Orthodoxæ de Trinitate ſententiæ præmium ceſſiſſe inſinuaret: hæc vero malignis oculis legens & in ſenſum ab Authoris mente alieniſſimum malignius detorquens Lucas, Bellum à Recaredo ſacrum fidei, quæ tunc nullomodo periclitabatur, *ſuſcepto auxilio* geſtum fuiſſe, Francoſque *ad auxilium hæreſis Arianæ*, quæ tunc nulla erat, *veniſſe* dementer finxit. ſed fidem nec à Francis oppugnatam nec à Recaredo defenſam fuiſſe tam clarum eſt, quam impium Guntramnum fidei cujus amore flagrabat hoſtibus accenſere. Sic enim de eo ad Martii 28 Martyrologium Romanum, *Cabilone in Galliis depoſitio ſancti Guntramni Regis Francorum, qui ſpiritualibus actionibus ita ſe mancipavit, ut relictis ſæculi pompis, Theſauros ſuos Eccleſiis & pauperibus erogaret.* Qui *diſſenſionem* ſacræ functionis occaſione inter Paulum & Barnabam Apoſtolos exortam norunt, nec in alterutrius infamiam vertendam putant, cur certamen de Republica inter Francos ab antiquo Catholicos & Gothos neophytos, ſequius interpretati, quod Francis infeliciter ceſſit, *auxilii* hæreticis, qui nulli tunc erant, dati pœnam fuiſſe fingunt. Ex his quam ſincere à ſæculis aliquot agant, quibuſcum nobis res eſt, certiſſimum lector experimentum capere poterit. Act. 15.

Si *defenſæ inviolabiliter fidei Eccleſiæque* laus Hiſpaniam non manet, nec ſibi primum inter Chriſtianos locum jure vindicare poteſt, multo minus ſibi cætera Hiſpaniæ Regum dominia vindicaverint, cum eorum conditio Hiſpanicâ felicior nequaquam fuerit. Neapolitanum Regnum & Siciliam Saracenis infidelibus & Græcis à Romanæ Eccleſiæ communione ſecluſis Francicæ ditionis homines Normanni poſt annum milleſimum extorſerunt; Sardiniam Saracenis Franci; Baleares poſt annum 1250 Aragonii; Indica dominia quæ de Chriſtiana Religione nihil prorſus ante annum 1492 audiêre, *defenſæ fidei*, à qua aliena erant, aut *Eccleſiæ*, cujus corpori inſerta non erant, gloriam promereri nullomodo potuerunt.

Defenſam à ſe Romanam Sedem nec Hiſpania nec Hiſpaniæ adnexa dominia jure gloriari poſſunt; cui enim Romano Pontifici Hiſpani, Siculi, Sardi, Balea-

Balearici, Americani unquam opitulati ſunt? Vnicum Petrum de Luna Aragonem ob Schiſma ab univerſa Europa damnatum Hiſpani exceperunt ac tandem deſeruerunt. Clementem VII Francorum fœderatum cum univerſo Cardinalium collegio Vrbiſque Clero anno 1527 obſedit, Vrbem expugnavit, ſacra ejus violavit, Præſulem ſub cuſtodia per menſes aliquot tenuit Caroli V exercitus. Romanæ Eccleſiæ patrimonium anno 1556 & 1557 armata manu oppugnavit, ſub poteſtatem redegit, ad Vrbis portas alter Hannibal infeſtâ acie proceſſit, Paulumque IV Francico patrocinio fultum ad deditionem verius quam pacem coëgit Philippi II Legatus Albanus. quis Requeſenii rerum ab Hugone Moncada Neapolitano Prorege ante annos 36, ab Albano ante ſexennium adverſus Romanam ſedem truculenter geſtarum, probe conſcii adeo detritam frontem pectuſque impudentia incoctum fuiſſe non ſtupeat, ut coram Pio IV immediato Pauli IV dira paſſi ſucceſſore, viſque ei ab Hiſpanis illatæ oculato teſte, Hiſpanici Regni merita venditare, primumque Regi ſuo in orbe Chriſtiano locum, violatæ nudius tertius Pontificiæ Majeſtatis pretium poſcere non erubuiſſe comperiatur? Si Romanam Sedem oppugnaſſe eandemque defendiſſe unum idemque ſunt, voti compos fiat, qui nunquam beneficos, non ſemel injurios, defenſorum præmio munerandos cenſuit. Si non ſint, in fumos abeant, rapidis ludibria ventis, inſana ejus poſtulata, realiſque à Francis per annos nongentos & quod excurrit Romanis exhibita defenſio, imaginariæ, cujus falſas laudes Hiſpani Regibus ſuis appingunt, merito præferatur. cui enim niſi forte alio in orbe nato ignotum eſſe poteſt, Romanam Sedem à decem fere ſæculis in amicum Francorum ſinum inclinatam ſemper recubuiſſe? Gregorius III anno 741 ad Carolum *Martellum Confeſſionis ſancti Petri claves in Regnum* miſit, cumque vindicem appellavit; Zacharias, Stephanus III, Paulus I, & Stephanus IV, Pippinum; Adrianus I, & Leo III, Carolum *Magnum*; Ioannes VIII, Carolum *Calvum* & Ludovicum *Balbum*: Vrbanus II, Gelaſius II, Calliſtus II, Innocentius II, Alexander III, Innocentius IV, &c. ad Francos rebus in arctis perfugerunt; ad Hiſpanos, prout ante notavimus, ne unus quidem. ut igitur quam ſibi fundamenti loco Requeſenius ſtravit hypotheſim juris noſtri faciamus, Regique ac Regno, quorum tutelam Romana Sedes experta eſt, primum locum aſſignandum ejus exemplo pronunciemus, procul faceſcere juſſis Hiſpanis, Francicæ Majeſtatis prærogativam in hunc modum fortiter tuebimur. 1 *Quæ Regio Romanam ſedem ſemper defendit, eique quandocumque temporum neceſſitas exegiſſe viſa eſt tutum perfugium dedit, ea ex hypotheſi primi loci prærogativa gaudere debet. Gallia Romanam Sedem ſemper defendit, eique quandocunque temporum neceſſitas exegiſſe viſa eſt, tutum perfugium dedit.* Ergo *Gallia ex hypotheſi primi loci prærogativa gaudere debet.* 2 *Quæ Regio Romanam Eccleſiam defendiſſe aut ei rebus in adverſis perfugium dediſſe nunquam reperitur, ſed ejus impugnatæ non ſemel rea eſt, primi loci prærogativa ex hypotheſi gaudere non debet. Hiſpania Romanam Sedem defendiſſe aut ei rebus in adverſis perfugium dediſſe nunquam reperitur, ſed ejus impugnatæ non ſemel rea eſt.* Ergo *Hiſpania primi loci prærogativa ex hypotheſi gaudere non debet.*

Hactenus Philippi II nomine à Requeſenio editam proteſtationem non tantum falſis, ſed etiam Francico nomini injuriis niti manifeſtiſſimum fecimus.

mus; ea nunc falſum aut in alterius injuriam vergens nihil contineri, ſed ab Hiſpania *fidem Catholicam*, *Eccleſiam Chriſtianam*, *Sedem Romanam inviolabiliter ſine varietate & mutatione ulla*, quod Requeſenius volebat, *ſemper defenſas* fuiſſe olim & nunc eſſe fingamus: quid ei lucri obvenerit? ſi quod ad oculum demonſtravimus defenſionis iſtius quanta quanta eſt gloria vel Galliæ & Hiſpaniæ ex æquo communis, vel Galliæ maxime propria eſt? Aliane fidei regula, aliis Conciliorum Decretis & Canonibus, aliis ritibus & ſacris quam Gallia, Hiſpania utitur, aut uti unquam debuit? annon Conciliorum quæ pro univerſalibus habet Hiſpania pars maxima in Gallia coacta eſt, & Gallicorum potiſſimum Præſulum præſentia cohoneſtata? Rhemis, Claromonte, Viennæ, Lugduni, Conſtantiæ, Baſileæ, &c. à Romanis Pontificibus per ſe & per Legatos congregata agnoſcit Hiſpania, in quam Papa nullus conceſſit, aut communem Latini orbis conventum confluere juſſit. Annon illo ipſo quo proteſtationem Requeſenius porrigebat momento Tridenti cum Francis unanimes vivebant Hiſpanicæ gentis Præſules? ſi quis quod ille de *Apoſtolica Sede defenſa* proteſtationi ſuæ inſeruerat, Hiſpaniæ aptari poſſe putet, quam aliam à ſequenti confirmandæ ſententiæ ſuæ rationem habuerit? Hiſpania longiſſime ab Italia diſſita, domi ad annum uſque 1282 ſemper occupata, alienis curandis antea impar, ab exteris nunquam implorata, hoc uno modo Sedi Romanæ profuerit, quod ei non obfuerit; eam defendiſſe cenſenda fuerit, quia eam nec oppugnaverit, nec oppugnare ex hypotheſi potuerit. Sed ſimulac Sicilia, Sardinia, Neapolis, Sedis Romanæ feuda, Aragonicis titulis acceſſerunt, eorum viribus abuſa Romanis Pontificibus ex propinquo obniti, turbiſque Italicis quavis occaſione captata implicari nunquam deſiit, donec tandem Ferdinandus Catholicus Philippi II proavus, pactorum cum Carolo VIII & Ludovico XII beneficis Regibus initorum negligens, iniqua Iulii II adverſus Ludovicum optime de Pontificia Sede meritum odia in commodum ſuum vertens, ei operam ſuam opimorum ſpoliorum ſpe ineſcatus addixit, ex eoque tempore Romanæ Sedis ſtudioſior haberi voluit.

Vtcumque ſit, ſi Hiſpanos fidei Eccleſiæ, Pontificiæ Sedis vindices ſtrenuos Francorum exemplo ſemper fuiſſe demus, ex communi gentis utriuſque merito prærogativa nulla ſingularis, qualem Requeſenius ſomniabat, ſed communis tantum exurget, quæ eos hoc ipſo à primi loci affectatione arcebit, quod ex æquo cum aliis officio defuncti fuerint.

Cum igitur nihil prorſus Requeſenius habuerit quo ſuos Francis anteferret, quid culpæ eis affingere potuerit, qua faciente antiqua prærogativa excidiſſe videri poſſent, an quod anno 1563 Gallia proteſtantes redivivam antiquorum Valdenſium & Albigenſium propaginem aleret? alebat certe, ſed in partes inter ſe Philippo laniſta infeliciter commiſſas horrendum, in modum ſciſſa, & in ſua vulnera converſa, non lacte materno, ſed proprio quem ſumma vi ad Avaricum Biturigum, Auguſtoritum Pictonum, Cadomum, Rothomagum, Drocas, Genabum, &c. impugnati venis univerſis profundere cogebantur cruore potos; alebat & Hiſpania, ſed occultiores, & poſt dira ſuorum anno 1559 Hiſpali & Pinciæ publice excarnificatorum ſupplicia: aluerat non tantum ad annum 1559 inter magnates ſuos, & in intima Caroli V familiaritate, ſed ante annos quadringentos, prout ex editis Thuanus lib. 23.

 adver-

adverſus eos à Luca Tudenſi circa annum 1242 defuncto diſputationibus liquet; nec tantum aluerat ſed eis Ducem dederat, Petrum II Aragonum Regem, qui anno 1213 Septembris 13, feria 6, in obſidione Mureti pro Toloſanis Albigenſibus pugnans occubuit.

Mariana lib.12, cap.2.

Sed fortaſſe refixa in Gallia anno 1561 adverſus Proteſtantes condita edictá, novumque anno 1562 incunte quo ipſis collectarum licentia dabatur, promulgatum fuiſſe Requeſenius indignatus eſt. quid tum? annon Hiſpanorum ipſorum exemplo factum Gallia tueri poterat? Carolus V Hiſpana matre prognatus ejuſque ex aſſe hæres, qui ab anno 1530 ad 1548 publicos in Germania Proteſtantium cœtus toleraverat, anno 1552 Iulii 31 Religionis pacem firmavit, quam anno 1563 Ferdinandus Hiſpaniæ Infans in Hiſpania natus, Carolo fratri anno 1556 ſuffectus, non tantum ſervabat, ſed ex ejus præſcripto Bohemos, Auſtriacos, alioſque dominiorum propriorum incolas regebat, ejuſque exinde poſteri Maximilianus II, Rudolphus II, Mathias, &c. rexerunt. Idem Philippi II nomine anno 1576 Gandavi ſancitum, anniſque 1598 & 1606 ab Archiducibus Alberto & Iſabella Belgis fœderatis, Philippi III authoritate interpoſita conſtanter oblatum. quod Hiſpani ſibi permiſerunt, cur Francis minime licuerit; quæ Philippus II decernebat, Philippuſque III cum germana & marito ſpondebant, vel bona fide præſtaturi, vel fallendi animo credulis populorum mentibus illuſuri proponebant? ſi bona fide præſtaturi, præſtare jus faſque tam ſibi quam Francis eſſe reputarunt. ſi fallendi animo, quocumque ſcelus colore obduxiſſe credantur, judicibus ſemetipſis nocentes abſolvi nequaquam potuerunt: quandoquidem nefaria & ſacrilega tam ſimulare quam exequi impium, & ex conſequenti exitiale eſt. Rerumne ſub Deo Dominos, non ejus qui veritatis fons eſt, ſed adverſarii *ab initio mendacis* imaginem referre, Lyſandrique nefario exemplo hominibus pejerando illudere, quam generoſo pectus honeſto incoctum gerere Hiſpani maluerint? Nobis de Principibus maximis tale quid animo fingere indigniſſimum videtur.

Thuanus lib.10.

Thuanus lib.61.

Sed nec ſolis ætatis ſuæ exemplis audentiores factos Francos noſtros fuiſſe fidenter dixerimus; qui Conſtantinorum, Valentinianorum, & Gratianorum vim nemini in Religionis negotio fieri ſinentium authoritatem prætendere jure merito poterant. Vnicum nunc Hiſpanis de quo utpote gentili in hanc uſque diem potiſſimum gloriantur offeremus, qui anno Domini 379 *Auſonio & Olybrio Conſulibus* Ianuarii 19, *à Gratiano levatus* ejus exemplo ſolis Eunomianis, Photinianis & Manichæis libertatem collectarum ademit; anno 384 Ricomere & Clearcho Conſulibus Luciferianos univerſæ Eccleſiæ communionem repudiantes, *Deucaliones orbis* haberi volentes, Damaſum Papam tanquam *Homicidam* & *Auriſcalpium matronarum* proſcindere auſos, *quocunque loco vellent propoſito ſuo uti* lege ad Cynegium ſcriptâ permiſit: anno vero 387 Honorio nobili puero & Evodio Conſulibus 10 Kal. Febr. Conſtantinopoli illa ipſa lege quam Valentinianus eodem tempore Mediolani promulgaturus erat propoſitâ, *dedit copiam colligendi* iis qui ſecundum Ariminenſis Concilii formulam de fide ſentiebant; nec *dedit* ſolum, ſed iis *qui ſibi tantummodo exiſtimabant colligendi copiam contributam*, ſi quid contra præceptum tentaviſſent, ut Majeſtatis reis extrema minatus eſt, prout ex lege I. *de his qui religione contendunt*, quæ legis *Damus* pars

Idacius in Faſtis. Socrat. lib.5, cap.2.

Hieron. adverſus Luciferianos. Præfat. Marcellin. libello præfixa p.9. pag. 102.

Codice de fide Cathol. c. *Damus*.

pars eſt, apertiſſime conſtat. Si religioſiſſimus, fidei Catholicæ tenaciſſimus, Eccleſiaſticæ libertatis acerrimus vindex, quem Hiſpani dulce decus ſuum reputant, & exquiſitis certatim laudibus ad cœlum efferunt, Ariminenſis Concilii ſectatoribus, *Sacro ſanctæ Trinitatis* adverſariis, Niceni Concilii anathemate fulminatis, collectarum ſuarum plenam libertatem reliquit, & contra mutire auſos intentato ignominioſæ mortis metu à propoſito ante annos 1176 deterruit? Si Theodoſius minor & Valentinianus prioris nepotes, ſancitam ab avo legem Codici ſuo, cujus authoritatem æternum valituram anno 435 Febr. 2 pronunciabant inſeruerunt, & *in omnium populorum ac provinciarum* cum reliquis Principum ſcitis notitiam ut perpetua ejus obſervatio eſſet pervenire voluerant, nec id æmulis noſtris hactenus diſplicuit, quanto minus Proteſtantibus *de Dei Monarchia ſeu unitate, de perſonarum in Deo ὁμοουσίῳ Trinitate, de rerum creatione & regimine, de Verbi æterni incarnatione, de Chriſti in carne paſſione ejuſque reſurrectione & gloriâ, de crucis ejus merito & effectis, Eccleſiæ Catholicæ conceſſa peccatorum remiſſione, eidemque promiſſa carnis reſurrectione & vitâ æternâ, in ſumma de univerſis in antiquis Symbolis expreſſis* cum Eccleſia Romana ſentientibus, quibuſque id unum vitio vertitur, quod alia quædam in priſcis Symbolis non expreſſa Catholicæ fidei dogmatibus accenſere nolint, à Carolo V & Ferdinando I in Germania, eorumque exemplo à Carolo IX in Gallia, datam collectarum libertatem diſplicere debuerit? Novell. Theod. *de Codic. Author.*

Illos qui novum quidpiam ſine auctoritate & exemplo majorum in Chriſtianum orbem inducere moliti fuerint, vexet quantum libuerit æmulorum cenſura; Francis majorum more vixiſſe, ipſi divinæ diſciplinæ obſecutos eſſe, antiquo univerſæ Eccleſiæ jure uſos fuiſſe glorioſum fuit & erit ſemper; nec eos poſt Iuſtinos, Athenagoras, Tertullianos, Cyprianos, Lactantios, Athanaſios, Hilarios, Chryſoſtomos, &c. palam profiteri pudebit unquam, *non eſſe religionis cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debet non vi*; & *ad irreligioſitatis elogium* pertinere. Si quis in errantes ſævire, diſſentientibuſque vim inferre, quam eos ferre malit, Hiſpanicæ Eccleſiæ vetus judicium bona fide ſecutis nihil erit quod Hiſpani hodierni merito objiciant. Ioannes ex Biclarenſi Abbate Gerundenſis Epiſcopus, ad annum Mauritii V, Recaredi I, Chriſti 587, *Recaredus primo Regni ſui anno, menſe* 10, *Catholicus, Deo juvante, efficitur, & Sacerdotes ſectæ Arianæ ſapienti colloquio aggreſſus, ratione potius quam imperio converti ad Catholicam fidem facit, gentemque omnium Gothorum & Suevorum ad unitatem & pacem revocat Chriſtianæ Eccleſiæ, ſectæ Arianæ, gratiâ divinâ, in dogmate veniunt Chriſtiano.* Iſidorus Hiſpalenſis Eccleſiæ Præſul Ioannis coætaneus, ante annos 1016 denatus, in Chronico Gothorum ad æram 651 cum anno Chriſti 613 concurrentem, *Siſebutus initio Regni ſui Iudæos ad fidem Chriſtianam permovens, æmulationem quidem Dei habuit, ſed non ſecundum ſcientiam; poteſtate enim compulit, quos provocare fidei ratione oportuit.* Si Arianos, ante annos 262 Niceni Concilii anathemate perculſos, *non imperio ſed ratione & ſapienti colloquio* ad ſanam mentem revocandos aggredi Recaredi laus præcipua fuit; ſi Iudæos Chriſti Apoſtolorumque ore confutatos & damnatos *poteſtate ad fidem compellere non oportuit*, qui *compulit Dei æmulationem ſecundum ſcientiam non habuit*, eoque ex Iſidori totiuſque Hiſpanicæ Eccleſiæ mente culpandus fuit; quis immite Tertul. adverſus Scapulam. Idem in Apologetico.

 illo-

illorum ingenium culpæ eximat, qui quod Iſidoro eodem judice in infenſiſſimos Chriſti hoſtes admitti *non oportuit*, in Chriſtianiſmum profeſſos, quod in nonnullis à Concilio Tridentino damnati ſint, admitti *oportere*, eoſque durius exagitandos eſſe putant? Quanto ſatius eſt eritque ſemper alienis malis ingemiſcere, Chriſti optimi maximi exemplo *quod perire* creditur indefeſſo charitatis ſtudio & labore *quærere*, ultro, quod humanitatis eſt, miſereſcere, Martinumque noſtrum cum tota Gallicana Eccleſia Idaciorum Emeritenſis & Oſſonobenſis diritatem averſante, & Priſcillianiſtarum ſalutem non cædem procurandam cenſente, imitari, quam Idaciorum (quos tanquam carnifices univerſa Gallia adeo exhorruit, ut ab eadem aliiſque vicinis per annos circiter 16, ad Taurinenſis uſque Concilii tempus, cum aſſeclis abſtenti ſint;) ſanguine tincta veſtigia premere?

Taurin. can. 6.

Futilibus, inconvenientibus & falſis, quibus tota Requeſenii proteſtatio conſuta erat, exſufflatis, reliqua ab Hiſpanis eodem tempore diſſeminata falſi coarguenda ſunt. Eos Natalis Comes *plura* à Regno ſuo quam à Francico *beneficia in Chriſtianam Rempublicam collata* jactaſſe lib. 14 ſcribebat. quam vere? *Reipublicæ Chriſtianæ* nomine, ſive Eccleſiam Romanam, ſive Eccleſias univerſas, ſive Hiſpanicam intelligere libeat, fumi transvolantis inſtar evaneſcet jactatio, nihil enim Hiſpaniam ab ipſis Chriſtianiſmi cunabulis, ad hanc uſque diem Eccleſiæ Romanæ donaſſe, plus Romanam Sedem Pippino uni anno 754 Exarchatum Ravennatem tradenti, & poſteris paternam largitatem certatim cumulantibus, quam reliquis Chriſtiani orbis principibus acceptum ferre, ex ipſis Paparum monumentis certo certius eſt. Si gleba vel minima à ſe ditatam contendant Hiſpani, quo cœli ſub axe ſita ſit ignoranti orbi indicent oportet. *plura in Rempublicam Hiſpanicam* ſub jugo Maurico fatiſcentem à Francico Regno auxiliares copias ſubinde mittente beneficia collata ſæpius fuiſſe, Chriſtianiſque ubique gentium laborantibus beneficam quavis occaſione data manum Francos porrexiſſe conſtat. Cui externo Hiſpani unquam profuerint dicant ſi poſſunt, Francoſque nihil ſibi opis ab Hiſpania veniſſe perſuaſos meliora doceant. quidquid beneficii Eccleſiæ patriæ Hiſpania contulit, & ſerius erogatum eſt, & Gallorum in gentis ſuæ Clerum religioſaſque domos antiquam munificentiam vix æquaverit; quandoquidem Ioanne Bodino qui tum ſub oculis poſita ſcribebat teſte, illo ipſo tempore quo Requeſenius Romæ proteſtationem edebat, cum facta fuiſſet univerſorum Francici Regni, in duodecim ſegmenta diviſi, fundorum æſtimatio, ex ſegmentis illis univerſis Clero ſeptem integra ceſſerant, eique ex reliquis decima pendebatur. nuper vero edito libello adſcriptis Clero capitibus ex fundorum Eccleſiaſticorum proventu, pluſquam trecentos librarum Turonicarum milliones quotannis pendi, & tredecim ſive oppidorum ſive Caſtrorum millia eorum dominio ſubjacere clare demonſtratum eſt. Tantumne ſuis Hiſpania contulerit aut conferre potuerit, talium periti viderint. Vt adverſarios nunc nexo à ſe fune conſtringamus, ſic arguimus, *Quæ Regio plura Eccleſiæ Romanæ largita eſt, Chriſtianamque Rempublicam quaquaverſum collatis à ſe beneficiis implevit, ea primo inter Chriſtianas Provincias loco ex hypotheſi digna eſt. Gallia plura Eccleſiæ Romanæ largita eſt, Chriſtianamque Rempublicam quaquaverſum collatis à ſe beneficiis implevit.* ergo *Gallia primo inter Chriſtianas Provincias loco ex hypotheſi digna eſt.* 2 *Quæ Regio Hiſpaniæ*

De Republica.

niæ ſæpius profuit, ab Hiſpania emolumenti nihil unquam mutuata eſt, ea Hiſpaniæ longe præſtat. Gallia Hiſpaniæ ſæpius profuit, ab Hiſpania emolumenti nihil unquam mutuata eſt. ergo *Gallia Hiſpaniæ* longe præſtat. 3 *Quæ Regio realis beneficii nihil unquam in Eccleſiam Romanam contulit, nullique Chriſtiani orbis parti, alieni auxilii ad annum 1212 ſemper indiga, profuit, ea primo inter Chriſtianas Provincias loco digna ex hypotheſi nec eſt nec eſſe poteſt. Hiſpania realis beneficii nihil unquam in Eccleſiam Romanam contulit, nullique Chriſtiani orbis parti alieni auxilii ad 1212 ſemper indiga profuit.* ergo *Hiſpania primo inter Chriſtianas Provincias loco digna ex hypotheſi nec eſt nec eſſe poteſt.*

Addebant Hiſpani ſuos *multa bella per nongentos fere annos pro fide Chriſtiana adverſus barbaras & immanes nationes geſſiſſe*; ſed hæc univerſa vel falſa vel Hiſpanis ipſis adverſa erant; nam primo Hiſpania quæ Vandalis, Alanis & Suevis anno Domini 409 ad prædam patuerat, Gothiſque ad fidem Catholicam anno 587 reverſis ad annum uſque 712 ſervierat, Saracenico diluvio inundata eſt ab anno 712, ſi Iſidorum Pacenſem audiamus, qui Saracenorum adventum in Æram 750 confert: vel ab anno 714 ſi Roderico Toletano Gothos à Saracenis Æra 752, Novembris 11, feria prima devictos ſcribenti aſſentiamur, Granatam triumphans anno 1492, Ianuarii 2, feria 2, Ferdinandus Catholicus introiit, nihilque exinde Saracenici in Hiſpania dominii ſuperfuit; intercedunt inter primum Saracenorum adventum, extremamque eorum cladem, anni ex Iſidori mente 779, ex Roderici ſententia 777 dies 53. Vbi ergo *nongentorum annorum bella* quibus ex neceſſitate vel 121, vel 123 demendi ſunt? 2 Bellum continuum tantiſperdum Saracenicum dominium in Hiſpania ſtetit nequaquam fuiſſe, ſed ſæpius ab armis ceſſatum Hiſpanorum monumenta luculente demonſtrant. 3 Vt per annos nongentos ab Hiſpanis adverſus Saracenos bellatum demus, quo diutius ipſis laborandum fuit, ut eorum dominium excuterent, eo ſe infirmiores & à primi inter Chriſtianos loci merito remotiores fuiſſe oſtenderunt. 4 Cum Francorum ope victores tandem evaſerint, Francicæ gloriæ accedit quantus quantus fuit eorum conatus. Illatam à Saracenis vim initio propulſare conati, ubi eorum robur ſæpius à Francis contritum, Francoſque totius inter Pyrenæum & Iberum porrectæ regionis potentes viderunt, audentiores facti extra anguſtos, quibus ante concluſi erant, fines in hoſticum ducere cæperunt, totique in Francos vindices inclinarunt. Alphonſus Caſtus ſe *Caroli Magni proprium* appellavit, ejuſque majeſtatem comiter coluit. qui poſt in Hiſpania regnaverunt, ex Francorum affinitate ſibi præſidium quæſiverunt. Alphonſus VI, Conſtantiam Roberti I Burgundiæ Ducis filiam, Hugonis Cabiloni Comitis relictam duxit; Vrracam Regni hæredem Raimundo Guillelmi Burgundiæ Comitis filio; Tereſiam filiam naturalem Henrico Henrici Conſtantiæ germani filio, qui Regnum Portugalenſe fundavit; Elviram extra matrimonium ſuſceptam Raimundo S. Ægidii Comiti tradidit: Ferdinandus III Ioannam Pontivi & Albæ Marlæ Comitem ſibi matrimonio ſociavit. Garcias IV Navarræ Rex Stephaniæ de Fuxo, Garcias V Margaretæ de Aquila, Rotroci Pertici Comitis ſorore natæ, Sancius VII Clementiæ Raimundo Toloſæ Comite natæ mariti fuerunt. Ranimirus I Aragonum Rex Giſbergam Ermeſindim Bernardi Bigerronum Comitis filiam; Sancius Feliciæ Ebali Comitis de Roſſejo, cujus fortitudinem epiſtola ad Hiſpanos

Natalis Comes ibidem.

Marian. lib. 25, c. 18.

Roderic. lib. 3, c. 20.

Eginhardus in vita Caroli.

 data

data Gregorius VII commendavit, germanam; Petrus I Agnetem Guillelmi VII Aquitaniæ Ducis filiam; Ranimirus II Agnetem Guillelmo VIII Duce natam Aimerici caſtri Airaldi Vicecomitis relictam; Petrus II Mariam Guillelmi de Montepeſſulano præcipuam hæredem duxit; Alphonſus I Portugaliæ Rex Mathildis Sabaudicæ matrimonio auctus eſt; Wifredus II Barcinonis princeps *Piloſus* dictus Gunhildem Balduini *Ferro brachii* Flandriæ Comitis filiam; Raimundus Borellus Ermeſindim Carcaſonenſem; Berengarius Ælidem Carlati in Arvernis Vicecomitem; Raimundus Berengarius Adalmodim de Marchia Pictavenſi; Raimundus Berengarius Mathildem Roberti Guiſcardi Apuliæ Ducis filiam, Sibyllæ Ebalo Comiti de Roſſejo nuptæ germanam; Raimundus Berengarius Dulciam Giſleberti Provinciæ Comitis filiam uxorem ſibi delegit. Cum igitur ad Francos ſæpius converſi Hiſpani priſci ſibi præcipuum ex eorum amicitia præſidium quæſiverint; quid-ni hodiernos modeſtiæ oblitos paternorum exemplorum authoritate revincamus, & Francicum nomen quod patres tantopere coluerant reverenter habere cogamus? 1 *Cujus gentis Gothorum & Saracenorum qui ſucceſſive Hiſpanos domuerunt triumphatricis ope Hiſpania in integrum reſtituta eſt, ea & ſtatu felicior & robore validior & dignitate potior cenſeri debet. Francica gentis Gothorum &* Saracenorum qui ſucceſſive Hiſpanos domuerunt, *triumphatricis ope Hiſpania in integrum reſtituta eſt.* Ergo *Francica gens & ſtatu felicior & robore validior & dignitate potior cenſeri debet.* 2 *Quæ gens non niſi Francorum ope libera facta eſt, ea de primo cum Francis quibus adeo obnoxia eſt loco contendere jure non poteſt. Hiſpanica gens non niſi Francorum ope libera facta eſt.* Ergo *Hiſpanica gens de primo cum Francis quibus adeo obnoxia eſt loco contendere jure non poteſt.*

Hæc etiam Hiſpanos anno 1563 adverſus Francos urſiſſe Natalis Comes refert: *Bellum Hiſpania pro fide Chriſtiana adverſus barbaras & immanes nationes geſſit, multaſque civitates & bellicoſos populos ad Chriſtianam fidem, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ Catholicæ obedientiam compulit, cum Galli Reges contra perdomitis & ſubjugatis tantum finitimis Chriſtianis nationibus ſui Regni fines ampliaverint; qui cum ſemel Pontificem defenderint, mox Chriſtianiſſimi nomen ſibi ſumpſerunt.* Sed univerſa iſta tam de ſuis quam de noſtris ab iis audacter conficta difflare facile eſt. De noſtris primum videamus. Fundatum ab iis ante annos 1200 in Gallia Regnum tam feliciter quam fortiter tutati Gothis Arianis Aquitaniam ſecundam extorſerunt; Burgundiones finitimos ſubegerunt; Alamannos, Saxones alioſque Trans-Rhenum Ethnicos domuerunt; Langobardos Eccleſiæ Romanæ infeſtos imperata facere coëgerunt; Saracenos inter Pyræneum & Iberum degentes debellarunt; totam Germaniam cum Scandinavia, Sarmatia, Hungaria Chriſtianiſmo imbuerunt; Palæſtinam cum Syriæ parte Turcico jugo ad tempus exemerunt; Græcorum ab Eccleſiæ Romanæ communione alienorum Imperium occuparunt; Ægyptum & Africam tremefecerunt; Chriſtianorum in Hiſpania reliquiis, quarum nunc ingratæ propagines adverſus benemeritos inſoleſcunt, præſidio fuerunt, delatumque ab Eccleſia Romana totoque Occidente ante annos fere 900 *Chriſtianiſſimi* titulum uſque nunc tenuerunt. Quid Hiſpani? Poſt ejuratum à Gothis Arianiſmum nihil fere extra fines ſuos per annos 130 auſi in Saracenorum manus inciderunt, quorum tandem acceſſitis ſubinde Francorum

eorum auxiliis dominium everterunt, anno 1492 non fidei propagandæ, ſed ſolo diteſcendi animo, in novum orbem Columbi Genuenſis impulſu, ac paulo poſt in Indiam delati, miſerorum Americanorum non *Apoſtoli*, ſed *apollyones & alaſtores* de repente apparuerunt, eorum intra triginta circiter annorum ſpatium quadraginta milliones flamma, ferro, fame, continuatis laboribus, nulla famæ cura, nullo Divini judicii metu immaniter necarunt, prout gentilis eorum ſed longe moribus diſpar Bartholomæus Caſa Chiapæ Epiſcopus libello Carolo V porrecto luculenter demonſtravit, innoxia & manſueta capita non ab infidelitatis tenebris ad Euangelicam lucem, non à morte ſpirituali ad vitam ſecundum Deum, ſed à vita ſæculi ad mortem æternam converterunt: qui inter eos Paſtorum & Doctorum munere fungi debuerant, vel à ſceleſtiſſimis ſi probi fuerunt deſpecti pium nihil aut mite exprimere potuerunt, vel eodem furoris œſtro perciti nullaque doctrinæ luce perfuſi cum bacchantibus inſanierunt, nec de erudiendis, ſed de perdendis gregatim infidelibus cogitarunt: hinc factum ut rogatus à Bartholomæo Epiſcopo Monachus quidam nequam, quid curæ demandatis ovibus ex officio impendiſſet, perfrictâ ſtatim fronte reſponderet, ſe eas his ſolis verbis *per ſiguin ſanctin cruces* ad fidem invitaſſe, reluctantes diris omnibus confeſtim devoviſſe. *feros & immanes populos*, quos uſque nunc infenſiſſimos hoſtes patiuntur, nec domuerunt, nec ad Chriſtum adduxerunt; ſed Chriſtianum nomen quantum in ſe fuit infamarunt: in ſolos imbelles impetu converſo, vaſtitatem terris antea beatis intulerunt, quas nunc accitis ex Africa Nigris à religione Chriſtiana alieniſſimis colendas tradere coguntur: quoſcunque ex indigenis poſt propinquorum ſtragem ad Chriſtianiſmi profeſſionem pertraxerunt, non *ratione*, ſed *poteſtate*, quod ante annos mille Iſidorus damnaverat, *compulerunt*: quos aperto bello oppugnarunt, nullo in minime obnoxios homines jure freti oppreſſerunt, nec Eccleſiæ Romanæ cui ſe devotos ſimulant, ſed libidini propriæ manciparunt.

Ab iis nunc quæcumque falſo jactant peracta fuiſſe demus, populos omnes in quos poſt annum 1492 inciderunt Eccleſiæ ſociatos Romano Pontifici ſubjecerint, quis inde primi inter Chriſtianos loci meritum eliciat? annon Braſilianos, Indoſque plurimos Eccleſiæ corpori inſeruere, qui de præripiendo dignitatis Francis primatu ne cogitaverunt Franciſci Xaverii, ea de cauſa ſanctorum albo adſcripti, aliorumque opera uſi Portugalenſes? annon Canadienſium non corporibus excarnificandis, ſed animis excolendis Deoque dicandis pro virili incumbunt Franci? Si toto procul orbe remotos populos non adiiſſe ad dignitatis imminutionem ſatis eſt, Itali, Germani, reliquique cum Francis Europæi de retinendo quem ante obtinuerant loco deſperent: ſi quod per ſe liquet, non eſt, demere ſupercilio ſuo nubem ſeque intra priſtinum modum cohibere diſcant Hiſpani.

Quam futilia & à vero aliena fuerint quæ anno 1563 vicini illi boni commenti fuerant jam manifeſtum fecimus. Poſt annum 1600 nova ſibi Iacobus Valdeſius ſomnia efformavit, quorum præcipua jam manifeſti falſi coarguimus; reliqua minutiora in aliud tempus reſervavimus. Nobis nunc ad pleniorem dignitatis Galliæ, quatenus Eccleſiæ Catholicæ nobile membrum eſt, convenientis aſſertionem ſelectiora nonnulla adjicienda ſunt. 1 Ex eâ nominatim anno 312 *judices* ſibi *dari* poſtulaverant Afri, quia *immunis à* traditionis

Concil. Sinveſſ. Auguſt. Brevic. Collat.3. diei. Optat. lib. 1.

tionis *facinore* fuerat: eaque ex parte non tantum Africâ & Hiſpaniâ, ſed etiam Italiâ felicior dici poterat; in qua Marcellinus Papa *thurificationis*, Strato Diaconus cum aliis Romanis traditionis rei peracti fuerant. 2 Dati à Conſtantino *judices Maternus ex Agrippina civitate, Rheticius ab Auguſtoduno civitate, Marinus Arelatenſis. Convenerunt in domum Fauſtæ in Laterano, Conſtantino* III *& Licinio* III *Coſſ. Anno Chriſti* 313, 6 *Non. Octob. die, ſextâ feriâ*, hoc quem acta exhibent ordine; *cum conſediſſent Miltiades Epiſcopus urbis Romæ & Rheticius & Maternus & Marinus Epiſcopi Gallicani; & Merocles à Mediolano*, &c. Vnde id dignationis Gallicanis Epiſcopis datum fuiſſe apparet ut immediate poſt Vrbis Papam, ante Italos omnes ipſumque Merociem Mediolanenſis Eccleſiæ Præſulem, & ſeptem Provinciarum Italicarum caput, ſederent. 3 Cum Donatiſtæ innovari judicium petiiſſent, Concilium Conſtantinus ex univerſo orbe ſuo Voluſiano & Anniano Coſſ. Anno Chriſti 314 Aug. 1, in civitate Arelatenſi congregari juſſit, in cujus actis diœceſes hoc ordine enumeratæ reperiuntur; Italica, Gallicana, Britannica, Hiſpanica & Africana: ita ut poſt 15 Italos, in quorum ſerie penultimi *Claudianus & Vitus Presbyteri, Eugenius & Cyriacus Diacones, ex urbe Roma miſſi à Sylveſtro Epiſcopo leguntur*: Gallicani 35; poſt Gallicanos Britanni 4; Hiſpani 11; Afri 9; quibus intermiſti ex diœceſi Italica Sardi 2, & ſubjuncti ex Centumcellis, Portu Romano & Oſtiis 4. In Synodicæ ad Sylveſtrum Papam titulo omnium primus Marinus cum Italis & Gallicanis aliis, Hiſpanorum primus octavo loco nominatur. Primam itaque poſt pacem Eccleſiarum Oecumenicam Synodum in Gallia congregatam habemus, cui Marinus Gallicanus præfuerit, Hiſpanis triplo plures Gallicani interfuerint.

Aug. adverſ. Parm. l. 1, c. 4.

4 Aliquanto poſt *Hoſius ab Hiſpanis damnatus, à Gallis*, Auguſtino referente, *eſt abſolutus*. 5 Concilium Cæſarauguſtæ æra 418 cum anno Domini 380 concurrente adverſus Priſcillianiſtas convenit, cujus hoc initium 4 *Non. Octobris Cæſarauguſtæ in ſecretario reſidentibus Epiſcopis Fitadio, Delphino, Eutychio*, &c. De hac Synodo Severus Sulpicius Hiſtor. ſacr. lib. 2, ad finem, *apud Cæſarauguſtam Synodus congregatur, cui tum etiam Aquitani Epiſcopi interfuere*, illi ſcilicet quorum nomina Concilium univerſæ ſuæ gentis Præſulum ſeriei præpoſuit; Fitadius nimirum Aginnenſis & Delphinus Burdegalenſis, Eutychio Baſtitano, Valerio Cæſarauguſtano, Idaciis Emeritenſi & Oſſonobenſi aliiſque Hiſpanis prælati.

6 Anno 381 *Siagrio & Eucherio viris clariſſimis Conſulibus nonis Septembribus Aquilejæ in Eccleſia conſederunt* ex Italia, Illyrico Occidentali, Gallia & Africa Epiſcopi 34, hoc ordine, *Valerianus Aquilejenſis, Ambroſius Mediolanenſis, Euſebius Bononienſis, Limenius Vercellenſis* Itali, *Anemius Sirmienſis* Illyricianus, *Sabinus Placentinus, Abundantius Tridentinus, Philaſter Brixianus* Itali, *Conſtantius Arauſicanus, Theodorus Octodorenſis, Domninus Gratianopolitanus, Amantius Nicienſis* Galli, *Maximus Æmonenſis* Illyricianus, *Baſianus Laudenſis* Italus, *Proculus Maſſilienſis* Gallus, *Heliodorus Altinenſis* Italus, *Felix Iadrenſis, Eventius Citinienſis* Illyriciani, *Exuperantius Dertonenſis, Diogenes Genuenſis* Itali, *Conſtantius Sciſſianenſis* Illyricianus, *Iuſtus Lugdunenſis legatus Gallorum, Felix legatus Aphrorum, Numidius legatus Aphrorum*, &c. Eodem fere ordine ſententiam adverſus hæreticos Ambroſii hortatu dixerunt: ſic enim

Silenſelitanus & Maſculitanus Epiſcopi, de quibus Concil. 2. Carthag.

enim in actis ille; *dicant enim ſancti viri Legati Gallorum.* Auditoque Conſtantii Arauſicani judicio addidit; *quid etiam dicit Dominus meus Iuſtus?* ubi vero Iuſtus ſententiam protulit, ad Aphros exinde ſermonem direxit Ambroſius, *dicant etiam*, inquit *Aphrorum Legati, qui omnium civium huc attulere ſententias*, &c. Soluto tandem Concilio ad Gratianum Imperatorem & Gallos relationes miſſæ ſunt, quæ uſque nunc extant; ſi qua ad Aphros miſſa eſt, intercidit. Nemo autem vel ex Hiſpanica, vel ex Britannica, vel ex urbicaria proxima diœceſi ab Italis invitatus & ad eos miſſus reperitur.

7 Anno 382 Antonio & Syagrio Conſulibus, cum jam Gregorio Conſtantinopoli Nazianzum reverſuro Nectarius; Meletio à Syris Antiochiæ congregatis Flavianus ſuffectus fuiſſet, Romæ ex diœceſibus Italica, Gallicana, Illyricianis Orientali & Occidentali Synodus contracta eſt, ad quam Epiſcoporum ex Orientali orbe, Theodoſio Magno ſubdito, Conſtantinopoli congregatorum Synodica ſub hoc titulo data eſt; *Dominis honoratiſſimis & cum primis reverendiſſimis fratribus ac collegis Damaſo, Ambroſio, Britoni, Valeriano, Acholio, Anemio, Baſilio & cæteris ſanctis Epiſcopis in celebri urbe Roma convocatis*, &c. Brito, aliis Britannius dictus, Auguſtæ Trevirorum Belgicæ primæ Metropolis Præſul, qui in Epiſcoporum Gallicanorum Valentiæ anno 374 congregatorum ſerie ſextum locum occupat, poſt Damaſum Papam & Ambroſium Mediolanenſem Italicæ diœceſeos capita, ante Valerianum, Aquilejenſem, Acholium Theſſalonicenſem Illyrici Orientalis Primatem & Anemium Sirmienſem Illyrici Occidentalis Exarchum, nominatur; cum autem Aphri, Hiſpani, Britanni nullius mentio fiat, neminem ex his diœceſibus, vel Romano Concilio interfuiſſe, vel ſi quis interfuit tanti ab Orientalibus habitum non fuiſſe, ut expreſſam ejus mentionem facere dignarentur, in aperto eſt. Theodoret. lib. 5, cap. 9.

8 Anno 385 Arcadio Auguſto & Bautone Conſulibus, *Imperator datis ad Præfectum Galliarum atque ad Vicarium Hiſpaniarum litteris, omnes omnino, quos labes* Priſcillianiſtarum *involuerat, deduci ad Synodum Burdigalenſem* juſſit, &c. nec tantum Cæſarauguſtæ in diœceſi aliena, ſed Burdegalæ in propria, de Hiſpanorum cauſis Gallicani judicium tulerunt.

9 Anno 446 Aëtio III & Symmacho Conſulibus, *ex Britanniis directa Legatio Gallicanis Epiſcopis nuntiavit Pelagianam perverſitatem in locis ſuis populos occupaſſe, & quamprimum fidei Catholicæ debere ſuccurri. Ob quam cauſam Synodus numeroſa collecta eſt, omniumque judicio duo præclara religionis lumina univerſorum precibus ambiuntur, Germanus & Lupus Apoſtolici Sacerdotes*, &c. *quanto laborioſior neceſſitas apparebat, tanto etiam promptius heroes devotiſſimi ſuſceperunt*, &c. ab Hiſpania Priſcillianiſtarum & Arianorum labe inquinata opis nihil reipſa expetitum eſt, vel expeti jure potuit. Vita Germani.

10 Anno 450, Valentiniano Aug. VII, & Avieno V. C. Conſulibus, Leo Papa *Petronium Presbyterum & Regulum Diaconum* Arelatenſis Eccleſiæ Legatos voluit ſuo *intereſſe tractatui, & univerſa cognoſcere*: eadem vero per Ravennium Epiſcopum *ad omnium fratrum & Conſacerdotum notitiam pervenire*, &c. tale nihil quod ſciamus Hiſpano ulli contigit. Epiſtola 110. III Non. Maji.

11 Anno 452, Herculano V. C. conſ. Kal. Febr. ad Galliarum Epiſcopos de Synodo Calchedonenſi relationem miſit; An ad majores ſuos æque miſſa ſit viderint Hiſpani. Epiſtola 52.

12 Anno

12 Anno 465. *Flavio Baſilico & Herminerico viris clariſſimis Conſulibus, ſub die decimo quinto Kalend. Decemb. reſidente viro venerabili Hilaro Papa in Baſilica ſanctæ Mariæ, & Maximo Taurinæ civitatis; provinciæ Galliarum, Ingenuo Ebredunenſi; provinciæ* Liguriæ, G.... *Mediolanenſi; provinciæ* Viennenſis, *Saturnino Avinionenſi; provinciæ* Tuſciæ, *Petro Portuenſi* aliiſque Italis 40. Reſtitutùs & Octavius Aphri ſubjuncti ſunt, Hiſpani nullius ibi mentio.

Gerontio vel Benigno.

13 Proditæ Eutychianorum factioni Catholicæ Confeſſionis ab Illyricianis & Afris, ſub quorum Anathemate deceſſit inſimulatus Vigilius Papa, innocentiæ ſuæ & Eccleſiæ Romanæ vindices non Hiſpanos Weſogothorum Arianorum ſubditos & in Afros proniores, quod ſcripta ab iis Liberati Carthaginenſis Archidiaconi, Victoris Tununenſis, & Facundi Hermianenſis elogia indicant; ſed Francos à partibus alienos, & Catholicorum defenſores ſtrenuos, Epiſtola ad Aurelianum Arelatenſem anno 550, Aprilis 29 data appellavit. *fraternitas*, inquit, *tua*, &c. *univerſis Epiſcopis innoteſcat, ut nullis aut falſis ſcriptis, aut mendacibus verbis, aut nuntiis, qualibet ratione turbentur*, &c. *In Domino confidentes quia ſicut præfati ſumus, ab Apoſtolis fidem traditam, & à prædictis ſanctis quatuor Conciliis declaratam, & à deceſſoribus noſtris, & ab antedictis patribus prædicatam, atque inviolabiliter cuſtoditam ſincera voluntate tenuimus, tenemus, venerati ſumus, veneramur atque defendimus, & contra eam facientes Apoſtolica auctoritate damnamus*, &c. *Illud quoque credidimus ſperandum, ut quia ſcriptum eſt*, frater fratrem adjuvans exaltabitur; *& ſicut de credentibus in Domino actuum Apoſtolicorum ſcriptura teſtatur, quia erat credentibus in Domino cor unum & anima una, ut ſit fraternitas veſtra, in hac quoque parte ſollicita, & glorioſo filio noſtro Childeberto Regi, quem Chriſtianitatis ſtudio venerationem integram Sedi Apoſtolicæ, cui nos Deus præeſſe voluit, cognovimus exhibere, ſupplicare non deſinas, quatenus in tanta rerum neceſſitate circa Eccleſiam Dei ſollicitudinem ſuam, ſicut & confidimus, Chriſtiana devotione perſolvat: ut quia Gothi cum Rege ſuo in civitate Romana perhibentur ingreſſi, hoc ei dignetur ſcribere, ne ſe in Eccleſiæ noſtræ præjudicio, quippe velut alienæ legis, immiſceat, & aliquid faciat, aut fieri qualibet ratione permittat, unde Catholica poſſit Eccleſia perturbari. Dignum enim eſt, & Catholico ſicut eſt Regi conveniens, ut fidem & Eccleſiam, in qua Deus illum voluit baptizari, omni debeat virtute defendere*, &c.

Totila.

Anno antequam Recaredus ad Catholica caſtra tranſiiſſet 38.

14 Pelagius Papa ſævâ hac poſt Vigilium tempeſtate jactatus, non ad Hiſpanos prava ſuſpicantes, prava ſentientibus ſervire coactos, vixque humile inter Catholicos caput attollere auſos; nec ad Iuſtinianum, cui utpote Romæ, Italiæ, Africæ & Illyrici univerſi potentis in temporalibus ſuberat, cum hunc quaſi totius mali fontem Schiſmatici averſarentur, ſed ad Childebertum Francorum Regem, illæſæ exiſtimationis & ſummæ inter Catholicos univerſos auctoritatis Principem, velut ad ſacram anchoram porrecto anno 557 fidei propriæ ſymbolo confugit: *Quanto*, inquit, *nobis ſtudio ac labore ſatagendum eſt, ut pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo obſequium Confeſſionis noſtræ Regibus miniſtremus; quibus nos etiam ſubditos eſſe ſanctæ ſcripturæ præcipiunt? Veniens etenim Rufinus, vir magnificus, Legatus Eccellentiæ veſtræ, confidenter à nobis, ut decuit, poſtulavit, quatenus vobis aut beatæ recordationis Papæ Leonis Tomum à nobis per omnia conſervari ſignificare debuiſſemus, aut*

aut propriis verbis noſtræ Confeſſionem fidei deſtinare. Et primam quidem petitionis ejus partem, quia facilior fuit, mox ut dixit implevimus; meque in omnibus prædicti Præſulis tomum pro Catholicæ fidei aſſertione conſcriptum, Deo propitiô, cuſtodire manus noſtræ ad vos profeſſione ſignavimus. Vt autem nullius deinceps, quod abſit, ſuſpicionis reſideret occaſio, etiam illam aliam partem, quam memoratus vir illuſtris Rufinus admonuit, facere maturavi; ſcilicet propriis verbis Confeſſionem fidei, quam tenemus, exponens, &c.

15 Quanta apud Hiſpanos ante & poſt Gothos ab Arrianiſmo ad Catholicam fidem anno 587 converſos, Eccleſiæ Gallicanæ fuerit auctoritas celeberrimæ memoriæ Iacobi Sirmondi verbis hic exprimemus. *De Hiſpanis, quod ad rem facit non omittendum, ſtudioſos & amantes ſemper viſos eſſe Canonum noſtratium, quorum ſæpe verbis & ſententiis, etiam ubi eos non nominant, Canones ſuos inſtituunt: ſæpe etiam non diſſimulanter & nominatim eorum ſibi exemplum & auctoritatem ſequendam proponunt. ut cum in Concilio Tarraconenſi cap.* 11 *de Monachis agentes, Canonum Gallicanorum de eis conſtitutionem* Anno 517. *ſervare jubent: & in Ilerdenſi cap.*3, *de iiſdem id obſervari ſtatuunt, quod* Anno 524. *Synodus Agathenſis & Aurelianenſis decreverant. In Concilio rurſum Valentino cap.*2, *Epiſcopo decedente Regenſis Synodi conſtituta obſervari placuit; & in* Anno 524. *Toletana* x *Potamium Epiſcopum, crimen de ſe confeſſum, damnari ex Concilii* Anno 656. *Valentini Galliæ titulo* 4, *cujus verba ſubjiciunt.*

16 Quemadmodum ad Ravennium Arelatenſem anno 452, de Concilio Chalcedonenſi Leo Papa retulerat, & ad Cæſarium Eccleſiæ ejuſdem Præſulem anno 515, de rebus in Dardania pro fide Catholica geſtis; ad Avitum Epiſt. 30. Viennenſem anno 517, de prioris ad Græcos legationis ſucceſſu Hormiſda Epiſt. 10. Papa ſcripſerat ad Amandum Trajectenſis Eccleſiæ Epiſcopum, & per eum ad Gallos univerſos anno 649 de Monothelitarum hæreſi & Synodo Romana adverſus eos congregata Martinus Papa relationem miſit. *prævidimus,* inquit, *volumina geſtorum Synodalium in præſenti vobis dirigere, una cum Encyclica noſtra, ex quorum ſerie omnia ſubtiliter poteſtis addiſcere, & tenebras illorum nobiſcum ut filii lucis extinguere. Idcirco ſtudeat fraternitas tua omnibus eadem innoteſcere, ut tam abominandam hæreſin nobiſcum execrentur, quamque ſuæ ſalutis ſacramenta indiſcere valeant, atque Synodali conventione omnium fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum partium illarum effecta, ſecundum tenorem Encyclicæ à nobis directæ, ſcripta una cum ſubſcriptionibus veſtris nobiſmet deſtinanda concelebrent, confirmantes atque conſentientes eis, quæ pro Orthodoxa fide & deſtructione hæreticorum veſaniæ nuper exortæ à nobis ſtatuta ſunt, & Sigebertum præcellentiſſimum filium noſtrum Regem Francorum pro ſuæ Chriſtianitatis remedio conſultiſſime admonere atque precari, dirigere nobis ex corpore fratrum noſtrorum dilectiſſimos Epiſcopos, qui Sedis Apoſtolicæ legatione, divina concedente propitiatione, fungi debeant, & quæ in noſtro Concilio peracta ſunt, cum aliis Synodalibus apicibus noſtris, ad clementiſſimum Principem noſtrum ſine dubio adſportare, ut noſtrorum laborum particeps effectus, mercedis cumulum adipiſci valeat, & ſui Regni protectorem inveniat eum, cujus cauſa flagitari dignoſcitur,* &c. Vllane ad Hiſpanos directa fuerit nunc non conſtat.

17 Anno 680 Concilio Romæ ab Agathone Papa congregato Adeodatus Tulli Leucorum Epiſcopus cum Felice Arelatenſi, & Taurino Telonenſis

 Eccle-

Eccleſiæ Diacono interfuit, & Sidonicæ ante Manſuetum Mediolanenſem, Agathonem Aquilejenſem, Theodorum Ravennatem, alioſque plurimos Italos ſubſcripſit: ex Hiſpania nemo adfuiſſe reperitur.

Ado. 18 Anno 767. In agri Pariſiacenſis villa Gentilliaco *facta eſt Synodus, & quæſtio ventilata inter Græcos & Romanos de Trinitate, & utrum Spiritus ſanctus, ſicut procedit à patre, ita procedat à filio, & de ſanctorum imaginibus utrumne fingendæ, aut pingendæ erant in Eccleſiis*, &c.

Adrian. Papa pro 7 Synod. 19 In Baſilica Lateranenſi anno 769. *Domnus Stephanus Papa, cum Epiſcopis partium Franciæ atque Italiæ præſidens in Baſilica Salvatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ appellatur Conſtantiniana, præceſſoris ſui venerabile Concilium confirmavit*, &c. De hac Synodo Anaſtaſius; *in exordio ordinationis ſuæ quando iſdem ſanctiſſimus Præſul Pontificatus apicem aſſumpſit, direxit in Franciæ partes ad excellentes viros Pippinum, Carolum & Carolomannum Reges Francorum & Patricios Romanorum, Sergium Secundicerium & Nomenclatorem in illo tempore exiſtentem, deprecans atque adhortans eorum Excellentiam per ſuas Apoſtolicas litteras, ut aliquantos Epiſcopos gnaros, & in omnibus divinis ſcripturis, atque ſanctorum Canonum inſtitutionibus eruditos ac peritiſſimos dirigeret, ad faciendum in hac Romana urbe Concilium*, &c. *Dirigentes ipſi Chriſtianiſſimi Reges duodecim Epiſcopos ex eiſdem Francorum Regionibus, nimis divinis ſcripturis, & ſanctorum Canonum ceremoniis doctos & probatiſſimos viros*, quorum nomina ex Schedis Panvinianis reſtituit Iacobus Sirmondus, hæc nimirum: *Wilicarius Senonenſis, Lullus Moguntinus, Gavienus Turonenſis, Addo Lugdunenſis, Herminardus Bituricenſis, Daniel Narbonenſis, Tilpinus Remenſis, Herulfus Lingonenſis, item* Herembertus, Babulfus, Giſelbertus & Ioſeph, quorum ſedes non ſatis aperte deſignabantur: ex Hiſpania nemo evocatus eſt.

Annales. 20 Anno 792: *Hæreſis Feliciana, ipſo auctore eam abnegante apud Rageneſpurg primum damnata eſt*, &c.

21 Anno 794. Æſtatis initio Francofurti ad Mœnum ab Italiæ, Galliæ, & Germaniæ Epiſcopis, Theophylacto & Stephano Præſulibus Hadriani Papæ legatis Feliciana hæreſis rurſus damnata eſt.

Alcuinus adverſus Elipandum. 22 Anno 799. *Felix Advocatus voluntarie veniens ad Aquis Palatium, ibi in præſentia optimatum, ſive Sacerdotum Dei, rationabiliter auditus, & veraciter convictus, atque Deo dans gloriam, veramque confeſſus fidem, in pacem Catholicæ unanimitatis reverſus eſt, cum ſuis diſcipulis, qui ibi tunc temporis erant præſentes*, &c.

Epiſtola Imp. 23 Anno 824. *Cum Legati Græcorum ad Ludovicum Pium & Lotharium Auguſtos manifeſtâſſent, qualem ad Eugenium Papam deberent perferre legationem* ex conventu Pariſienſi, Ieremias Senonenſis & Ionas Aurelianenſis qui partes ſuas interponerent cum iis directi ſunt.

24 Anno 867. Nicolaus Papa à Græcis diverſimode impugnatus Hincmarum Remenſem, cæteroſque Francorum Præſules his ad Eccleſiæ Romanæ defenſionem verbis excitavit: *quia communia ſunt hæc opprobria, quæ univerſali Eccleſiæ, in ea duntaxat parte, quæ Latina uti dignoſcitur lingua, ſicut prætulimus, ingeruntur, communiter omnes qui divino Sacerdotio illuſtrari videmini, decertare debetis, quo paternæ traditiones tantæ derogationi non pateant: ſed quæ pravi quique conſueta contentione tam mentientes quam errantes*

macu-

maculare geſtiunt; manu communis defenſionis ab omni nævo blaſphemiæ funditus eruantur, &c. *magnopere convenit, ut & veſtra quoque fraternitas, morem ſecuta majorum, concertans nobis & unanimiter collaborans in talibus inveniatur. Siquidem niſi mente receſſit, nunquam Heſperiæ Regiones, ut de aliis mundi plagis interim taceamus, à Sede beati Petri in hujuſcemodi quæſtionibus diſſonantes inventæ ſunt. Vnde unuſquiſque veſtrûm qui Metropolitana jura ſortitus eſt, junctis ſibi fratribus & Coepiſcopis ſuis qui ſub ſe ſunt, de his diligentem curam ſuſcipiat, & quid invidis eorum detractionibus opponi neceſſe ſit rimari ſtudeat, & invenire ſummopere geſtiat, atque inventum nobis ocius tranſmittere minime parvi pendat: quatenus id nos quoque adverſus eorum veſaniam, cum cæteris aſſertionibus noſtris deinde mittere valeamus. Nihil enim in nobis tam viſibilis quam inviſibilis hoſtis, ſicut concordiam, exhorreſcit. Ideoque mutuo ſtudia noſtra provocemus, & contra communes hoſtes, non quaſi hac vel illac palantes, ſed tanquam caſtrorum acies ordinati reperiamur. Sicque fit ut dum nos veſtram unanimitatem ad communem incitamus conflictum, & vos noſtris certaminibus intereſtis, ut & nos veſtram ſanctimoniam debito mentis affectu diligere fraterneque venerari cernamur, & vos in nullo à capite, id eſt à Sede Petri diſſidere noſcamini,* &c. Tale quid ab Hiſpanis tunc temporis expetitum fuiſſe, nemo in hanc uſque diem docuit.

25 Cum ærâ 1123 cum anno Chriſti 1085 concurrente, die S. Vrbano ſacrâ Maji 25, Toletum Mauris Alphonſus Magnus eripuiſſet, *convocavit Regni proceres & majores Epiſcopos & Abbates & viros religioſos, & 15 Calendas Ianuarii omnes in urbe Regiâ convenerunt, & habito diligenti tractatu Dominum Bernardum, virum religionis & prudentiæ, communiter & concorditer in Archiepiſcopum elegerunt,* &c. *Bernardus autem* hic *fuit de Agenenſi territorio oriundus, ſcilicet de oppido Salvitatis. Hic cum fuiſſet ab infantia literatus omiſſo Clericatu militiæ ſe adſcripſit, & poſtmodum infirmitate* coactus in *Monaſterio S. Orentii Auxitani B. Benedicti regulæ ſumpto habitu ſe dicavit; exinde vocatus ab Hugone Cluniacenſi Abbate cum eo laudabilem egit vitam. Deinde cum Rex Aldephonſus vellet ſanctorum Facundi & Primitivi, ex ea cauſa quam diximus, Monaſterium ampliare, mittit ad venerabilem Hugonem Cluniacenſem Abbatem, ut ei virum providum & religioſum mitteret, qui in prædicto Monaſterio ſanctorum Facundi & Primitivi Abbatis officio fungeretur, & ſicut in Galliis illud Monaſterium præcellebat, ita & iſtud omnibus Monaſteriis ejuſdem ordinis in Hiſpaniis præſideret. Prædictus autem Abbas Cluniacenſis Bernardum quem ob ſanctitatis meritum charum habebat, cum aliis Monachis deſtinavit; Qui mox veniens factus Abbas, omnibus ſe exhibuit amabilem & benignum, adeo quod cum Deus Omnipotens Toletum Chriſtianæ reſtituit poteſtati, mox ipſe poſt modicum intervallum fuit electus in Archiepiſcopum & primatem,* &c. *Ceperat Toletum* Aldephonſus *multis pactionibus interpoſitis, videlicet ut Saraceni haberent plene & integre domos, & poſſeſſiones & omnia quæ habebant, & Regi remaneret præſidium civitatis cum viridario ultra pontem: reditus autem qui antiquo jure dabantur Regibus, ei perſolverent Agareni, & etiam quod Major Mezquita eis in perpetuum remaneret,* &c. *Cum* autem *Rex ad partes Legionis iviſſet, ipſe electus Regina Conſtantia hortante aſcitis militibus Chriſtianis Majorem Mezquitam ingreſſus eſt Toletanam, & eliminata ſpurcitia Mahometi erexit altaria fidei Chriſtianæ, & in majori Turri*

Roderic. de reb. Hiſp. lib. 6, cap. 24.

cap. 25.

la Sauvetat.

Reginæ Conſtantiæ proavunculum.

Cap. 23.

Cap. 25.

campanas ad convocationem fidelium collocavit. quod cum ad Regis notitiam perveniſſet, indignatus animo & dolore accenſus, eo quod Saracenis pactum firmaverat de Mezquita, à ſancto Facundo tribus diebus venit Toletum, proponens Bernardum Electum & Reginam Conſtantiam incendio concremare. Cumque tanti furoris indignatio ad notitiam Toletanorum Arabum perveniſſet, majores & minores cum parvulis & uxoribus in pagò qui Magam dicitur Regi obviam exierunt. Cumque Rex ad eorum multitudinem perveniſſet, exiſtimans eos cauſa querelæ veniſſe, ſic reſpondit: Non vobis injuria facta fuit, ſed mihi, cujus fides fuit hactenus illibata, ſed jam de cætero de fide non potero me jactare: mea autem intererit, & vobis ſatisfacere, & in præſumptores acrius vindicare. *Arabes autem cum erant prudentes, elevatis vocibus & flexis poplitibus cum lachrymis audientiam poſtularunt. Tunc Rex aliquantum ſubſtitit tenens equum, & Arabes in hunc modum perorare cæperunt:* Bene novimus quod Archiepiſcopus Dux & Princeps eſt legis veſtræ, & ſi cauſa fuerimus necis ejus, ob zelum fidei Chriſtiani nos percutient una die, & ſi Regina cauſà noſtri moriatur, ſemini ejus erimus perpetuo odioſi, & poſt dies tuos acrius vindicabunt. unde petimus, ut parcas eis, & nos voluntarie te abſolvimus à fœdere juramenti. *His auditis ira Regis in gaudium commutatur, eo quod Mezquitam habere poterat ſine fidei læſione, & ingreſſus urbem Regiam omnia pacifice pertractavit.* Si Saracenicæ ſuperſtitionis mancipiis non de fortunis tantum, ſed *de Mezquita pactum firmare* fas Alphonſus putavit; ſi pacti violati ſcelus uxoris proprie & Archiepiſcopi morte piandum credidit; ſi ſe perfidiæ reum reputavit uſque dum eum Arabes *à fœdere juramenti abſolverent*; ſi denique Rodericus *abſolutione* illa denegata *ſine fidei læſione* Mezquitam à Chriſtianis poſſideri non potuiſſe cenſuit; quantum ſe à veteribus Hiſpanis mutatos dixerint hodierni, qui Chriſti qualibuſcumque ſervis Myſtico ejuſdem lavacro tinctis, ſed diſſentientibus, pacta nulla firmari, *juramenti fœdera* nequaquàm ſervari, fidem ſolemni more datam in irritum cadere jubent? quidquid de Bernhardi Archiepiſcopi & Alphonſi Regis facto ſtatuendum ſit, id nobis certum manet Toletanæ Eccleſiæ tam fundatorem primum quam reſtauratorem Gallum fuiſſe, illum ex beati Dionyſii Pariſienſis, hunc ex Hugonis Cluniacenſis diſcipulis intimaque Celtica ad Hiſpanos veniſſe.

Vt autem de Eccleſiæ Gallicanæ dignitate Romanæ Sedis judicium ſequamur, adverſarioſque à primi inter Chriſtianos loci ambitu validius depellamus, ſic ex præcedentibus eos adoriemur. *Cui Eccleſiæ longe plura quam Hiſpanicæ Romana Sedes ab initio detulit, ea ex Romanæ Sedis (quam vera rerum diſcrimina minime capere Hiſpanus nemo dixerit) mente dignitate potior eſt. Gallicanæ Eccleſiæ longe plura quam Hiſpanicæ Romana Sedes ab initio detulit.* ergo *Gallicana Eccleſia ex Romanæ Sedis mente, (quam vera rerum diſcrimina minime capere Hiſpanus nemo dixerit) dignitate potior eſt.*

Hiſpanos pro derelictis à Romanis Pontificibus habitos, qui datas ad eos Epiſtolas, quæ contrarium doceant, manibus verſant nequaquam crediderint: ſed longe plura extare quæ arctiorem Romanæ Eccleſiæ cum Gallicana neceſſitudinem fuiſſe evincant, nemo rerum peritus diffitebitur. quod ut certius conſtet, ſepoſitis adulterinis monumentis quæ utrinque proferri ſolent, legitimorum ad annum uſque 880 ſeriem ſubnotabimus. Suppoſitæ

poſt

poſt annum 800 Aniceto Eleutherio, Calliſto, Felici I, Euſebio *ad univerſos per Gallias Epiſcopos*; Antero *ad fratres per Bæticam & Toletanam Provincias Epiſcopos*, Lucio *ad fratres tam in Galliis quam in Hiſpaniis conſiſtentes*, Sixto II *ad fratres per Hiſpaniarum Provincias conſtitutos*, Eutychiano *ad Ioannem & omnes per Bæticam Provinciam conſtitutos Epiſcopos*, Melchiadi *ad Marinum & cæteros per Hiſpaniam Epiſcopos*, Anaſtaſio *ad cunctos Germaniæ & Burgundiæ Regionis Epiſcopos*, Leoni I, Ioanni III, & Pelagio II *ad univerſos Germaniarum & Galliarum Epiſcopos*, Hormiſdæ *ad Remigium Remenſem*, Gregorio *de privilegio* ſancti Medardi Monaſterio conceſſo, Deus dedit Papæ *ad Gordianum Hiſpalenſem*; Epiſtolæ pari utrinque conſenſu rejici debent: ut Galli 13, Hiſpani 5 adulterinos à maleferiatis centonum fartoribus ad majorum ludibrium progenitos fœtus ad Cynoſarges amandent.

Legitima quæ ſibi Hiſpani ab Eccleſiæ ſuæ natali ad annum 880 jure vindicaverint, hæc in Conciliorum Tomis & Leonis ac Gregorii Epiſtolis extant; Siricii Papæ *ad Himerium Tarraconenſem* Epiſtola anno 385, Febr. 11 data: Innocentii I *ad Synodum in Toletana urbe conſtitutam* anno 405: Zoſimi ad Epiſcopos Africæ, Galliæ & Hiſpaniæ anno 417: Leonis Papæ ad *Turibium Aſturicenſem Epiſcopum* anno 447, item *ad Epiſcopos Galliarum & Hiſpaniarum* de Paſchate anno 454: Hilari Papæ *prima & ſecunda ad Epiſcopos Tarraconenſes* anno 465: Simplicii *ad Zenonem Spalenſem Epiſcopum* anno 468: Felicis III *ad eumdem Zenonem*: Hormiſdæ *ad Ioannem Tarraconenſem Epiſcopum* anno 517 Aprilis 2: Ejuſdem *ad univerſos Epiſcopos Hiſpaniæ*: Ejuſdem *ad Saluſtium Hiſpalenſem*: Ejuſdem *ad omnes Epiſcopos Hiſpaniæ* anno 519: Ejuſdem *ad Ioannem Malacitanum* & *ad Epiſcopos Hiſpaniæ*: Gregorii I ad Leandrum Hiſpalenſem anno 591 menſe Majo, item anno 595 menſe Iulio, item anno 599 menſe Majo: Benedicti II *ad Hiſpaniæ Epiſcopos* anno 684: Ejuſdem *ad* Quiricum Epiſcopum Toletanum: Hadriani I *ad Egilam in Hiſpania Epiſcopum*: Ejuſdem *ad Gallaciæ & Spaniæ Epiſcopos* anno 794: in univerſum 22, à Pontificibus 11 ſcriptæ, quibus adjiciendæ ad Reges ſcriptæ Gothicos & Aſturum in Hiſpania datæ: Gregorii I *ad Recaredum Regem* anno 599 menſe Iulio Indict. 2: Benedicti II *ad Ervigium Regem* anno 684, Item *ad Simplicium Comitem* eodem tempore, Ioannis VIII duæ *ad Alphonſum Aſturum Regem* anno 877.

Gallicani ex adverſo Præſules has ad ſe pertinentes proferunt: Pii I *ad Iuſtum Viennenſem* duas, anno circiter 150 ante Siricii tempora 235: Victoris *ad Deſiderium & Paracodam Viennenſes* circa annum 185, ante Siricium 200: Cornelii *ad Lupicinum Viennenſem*, anno circiter 252, ante Siricium 133: Innocentii I *ad Victricium Rotomagenſem* anno 404: Ejuſdem *ad Exuperium Toloſanum* anno 405: Zoſimi ſeptem, annis 417 & 418: Bonifacii I duas anno 422: Celeſtini I duas annis 428 & 431: Leonis I duodecim ab anno 445 ad 454: Hilari octo ab anno 462 ad 465: Gelaſii I *ad Æonium Arelatenſem* anno 494, Symmachi ſex ab anno 500 ad 514: Hormiſdæ *ad Cæſarium Arelatenſem & Avitum Viennenſem* annis 515 & 517: Felicis IV *ad Cæſarium Arelatenſem*, anno 528: Bonifacii II *ad eumdem* anno 530: Ioannis II tres anno 534: Agapeti *ad Cæſarium Arelatenſem* duas anno 535: Vigilii ſeptem ab anno 543 ad 550: Pelagii I *ad Sabaudum Arelatenſem* quinque, annis 556 & 557: Pelagii II *ad Aunacharium Autiſiodorenſem* anno 581: Sancti Gregorii *ad diverſos*

[Margin: Ex Biblioth. Floriac. & Baronii Annalibus.]

[Margin: Concil. Gal. Tom. I.]

triginta

triginta tres, ab anno 591 ad 602. Martini I *ad Amandum Trajectenſem* anno 650. Gregorii II quinque ab anno 719 ad 726. Gregorii III tres annis 738 & 739. Zachariæ quindecim ab anno 743 ad 751. Pauli I *ad univerſos Epiſcopos, Abbates, Proceres Francorum* anno 767. Hadriani I *ad* Tilpinum Remenſem anno 772. Leonis III *ad Riculſum Moguntinum* anno 809. Gregorii IV *ad univerſos Epiſcopos Galliarum* anno 835. Sergii II ad univerſos Epiſcopos Galliarum anno 844. Leonis IV *ad Prudentium Tricaſſinum* & *ad Epiſcopos Britanniæ* anno 849. Ejuſdem *ad Hincmarum Remenſem* duas, Benedicti III *ad eumdem* anno 855. Ejuſdem *ad Epiſcopos Franciæ Occidentalis* anno 856. Nicolai I, 46 ab anno 858 ad 867. Hadriani II ad diverſos 12 ab anno 868 ad 872. Ioannis VIII, 44 ab anno 872 ad 882. in univerſum 229, à Pontificibus 34 ſcriptas. quibus addi poſſunt privilegia varia Monaſteriis conceſſa, exempli cauſa ab Abdeodato Monaſterio S. Martini Turonenſis, ab Adriano I Monaſterio S. Dionyſii, à Ioanne VIII cœnobiis Pultarienſi & Pictavenſi.

Tom. 2.

Sunt etiam Francorum tam regibus quam proceribus ad manum plurima, quæ ad majus æmulorum tormentum oſtentare poſſint, Pelagii nimirum primi ad Childebertum I Epiſtolæ duæ annis 556 & 557; Gregorii I ad Childebertum II Regem duæ anno 595; ad Brunichildim Childeberti parentem 10 ab anno 595 ad 602; ad Theodebertum & Theodericum Reges Childeberti filios 6, ab anno 595 ad 602; ad Clotarium II Regem una anno 601; ad proceres varios 7. Codice Carolino ſeu collectione Caroli Magni juſſu ante annos 840 facta, quam ex manuſcripto Bavarico Iacobus Gretſerus edidit, tomoque Francicorum hiſtoricorum tertio Andreas Cheſnæus inſeruit, Gregorii III, Zachariæ, Stephani III, Pauli I, Conſtantini Antipapæ, Stephani IV, & Adriani I *ad Carolum Martellum majorem domus, Pippinum, Carolum Magnum*, & *Carolomannum* Reges, *innumeris laudibus plenæ* Epiſtolæ 91, Stephani III & Pauli I *ad univerſos Francorum Duces* duæ continentur, Leonis III *ad Carolum Magnum* decem ex membranis Helmeſtadii ante annos aliquot reconditioris eruditionis vir Hermannus Conringius edidit, Nicolai I, Adriani II & Ioannis VIII *ad Lotharium, Carolum Calvum, Ludovicum Balbum, Ludovicum & Carolum & Carolomannum Reges* 30, *ad Hirmentrudem, Richildim & Teutbergam Reginas* quinque, *ad proceres varios* 24. In univerſum 190. unde perpetuo fidam cuique par alia nulla facile uſpiam reperiatur Eccleſiæ Romanæ & Gallicanæ conteſſerationem fuiſſe; Romanos Pontifices triplo plures ad Gallorum Præſules quam ad Hiſpanos ante annum 882 ſcripſiſſe, quadruplo plures ad Francorum Reges ac proceres quam ad Hiſpanos Epiſtolas dediſſe, decuplo plures ad Gallicanum Clerum quam ad Hiſpanicum Epiſtolas, trigecuplo octuplo plures ad Francorum Reges & proceres quam ad Hiſpanicos eoſdem miſiſſe, Francos ab uno Gregorio I intra duodecennium ante annos 1050 elapſum altero tanto plures Epiſtolas habuiſſe quam Hiſpani 500 annorum, qui ab anno 384 ad 884 decucurrerunt, ſpatio ab univerſis Romanæ Eccleſiæ Pontificibus acceperint manifeſtiſſimum evadit. Niſi ligna in ſylvam ferre tædioſum eſſet, tanto Hiſpanos qui poſt annum 877 vixerunt, à Francis noſtris ſub Capetinæ familiæ regimine degentibus intervallo ſuperari, ut præ noſtris quos exuberans copia inopes facit, egenos ſe plane ac jejunos fateri cogantur, momento demonſtraremus, ſed nobis ab omni inſultationis ſpecie alieniſſimis ad prærogativæ

gativæ Francicæ demonſtrationem ſufficere ſæculorum novem periodus viſa eſt. Si tamen ad novum nos certamen trahere, poſteriorumque ſæculorum judicium experiri è re ſua eſſe æmuli noſtri putent, ab anno 882 ad extremam ætatis noſtræ lineam devehi de victoria certi nequaquam recuſabimus. tanta enim monumentorum mole pervicax adverſariorum caput obruemus, ut ad Franciæ Majeſtatis pedes dejectorum, & ad culpæ deprecationem adactorum probos omnes miſereri, alios univerſos impudentiamque ipſam temerarii, qui eos in præceps egit, auſus pudere tandem neceſſe ſit.

Tantiſperdum ſecum quid animus ferat reputant, pauca hæc ex jam demonſtratis adverſus eos urgebimus: Innocentium I, *Zoſimum* & Leonem I Gallias Hiſpaniis, Adrianum I Franciam, Nicolaum I Gallias Italiæ, cui Hiſpania ſeſe nunquam coæquavit, conſtanter prætuliſſe; Pelagium I, Gregorium I, Stephanum IV, Nicolaum I in Cleri ac Religionis cauſis Francorum opem Sociamque operam rogaviſſe: Gallos in Concilio Romano ſub Miltiade Papa ante Italos omnes anno 313, ſub Hilaro Papa anno 465, ſub Agathone anno 680 Italis intermiſtos ſediſſe, quorum nihil in hanc uſque diem Hiſpanis delatum reperitur.

Tria tantum Hiſpanorum qui Conciliis extra patriam congregatis ante annum 750 interfuerunt, exempla ſuperſunt; Oſii ſcilicet Cordubenſis, Idaciorum Emeritenſis & Oſſonobenſis, & Sinderedi Toletani. Oſius anno 324 Concilio Alexandriæ ex univerſa Ægyptiaca diœceſi contracto, anno 325 Niceno Oecumenico, anno 347 Sardicenſi præfuiſſe legitur: quo jure? Gelaſius Cyzicenæ Eccleſiæ Presbyter anno circiter 490, Sylveſtri Papæ legatione functum primus aſſeruit, aliiſque multis ejus authoritate permotis perſuaſit; quam recte, exſcripto ejus loco videamus: *αὐτός τε Σπανῶν ὁ πάνυ βοώμενος* [Ὅσιος *ἐπέχων καὶ τὸν τόπον τοῦ τῆς μεγίστης ῥώμης ἐπισκόπου Σιλβέστρου, σὺν πρεσβυτέροις ῥώμης Βίτωνι καὶ Βικεντίῳ*] *τοῖς πολλοῖς ἅμα συνεδρέων τῆς τε* [*νυν*] *βασιλευούσης πόλεως ὁ μὲν προεστὼς* [Μητροφανὴς *τοὔνομα*] *διὰ γῆρας ὑστέρει, πρεσβύτεροι δὲ αὐτοῦ παρόντες τὴν αὐτοῦ τάξιν* [*ἐπλήρουν. ὧν ὁ εἷς Ἀλέξανδρος ἦν, ὁ μετ' αὐτὸν ἐπίσκοπος τῆς αὐτῆς γεγονὼς πόλεως.*] *τοιοῦτον μόνος ἐξ αἰῶνος εἷς βασιλεὺς Κωνσταντῖνος Χριστῷ στέφανον δεσμῷ συνάψας εἰρήνης, τῷ αὐτοῦ σωτῆρι τῆς κατ' ἐχθρῶν καὶ πολεμίων νίκης θεοπρεπὲς ἀνετίθει χαριστήριον*, &c. *Ipſe autem Hiſpanorum unus valde famoſus* (Hoſius) [qui Sylveſtri Epiſcopi maximæ Romæ locum obtinebat, una cum Romanis Presbyteris Bitone & Vincentio,] *cum pluribus aliis conſedit. urbis autem illius, penes quam* [nunc] *Imperium eſt, Epiſcopus,* [Metrophanes nomine,] *ingraveſcente ætate præpeditus abfuit: Sed Presbyteri ejus qui aderant, illius locum* [ſuppleverunt, quorum unus Alexander, illi poſtea in ejus urbis Epiſcopatu ſucceſſit.] *Talem itaque ſolus à ſeculo unus Imperator Conſtantinus Chriſto coronam vinculo pacis exornans, ſuo Salvatori de victoria inimicorum, & hoſtium Deo decibilem dedicavit.*

Hiſtor. Tripart.

Euſebio afficta à Gelaſio.

Addita à Gelaſio.

Ex hiſtor. Tripart. connectens.

Hæc Socratis Euſebii locum ex ſcribentis verba mutuatus: *παρῆσάν τε ἐκ πολλῶν ἐπαρχιῶν τε καὶ πόλεων οἱ ἐπίσκοποι. περὶ ὧν ὁ Παμφίλου Εὐσέβιος, ἐν τῷ τρίτῳ βιβλίῳ τῶν εἰς τὸν Κωνσταντίνου βίον, τάδε κατὰ λέξιν φησίν*, &c. *Aderant autem ex pluribus provinciis & urbibus Epiſcopi, de quibus Euſebius Pamphili libro tertio de vita Conſtantini hæc ipſa ad verbum ait,* &c. Se nihil niſi Euſebianum prolaturum pollicitus erat, promiſſis tamen non ſtetit, quaque audacia deſumptis è Socrate verbis Nicænam Synodum, quæ re vera *anno* Conſtantini *vi-*

geſimo congregata eſt, *anno* ejuſdem *decimo ſexto* contractam fuiſſe inſerere non dubitavit; eadem Euſebii à Socrate bona fide hiſtoriæ ſuæ intexta verba flagitioſe corrupit: quod ut evidentius fiat en Euſebianum qualem, tam edita, quam inedita Euſebii & Socratis exemplaria, exhibent locum *αὐτῶν τε Σπανῶν ὁ πάνυ βοώμενος, εἷς ἦν τοῖς πολλοῖς ἅμα συνεδρεύων. τῆς δέ γε βασιλευούσης πόλεως ὁ μὲν προεστὼς ὑστέρει διὰ γῆρας, πρεσβύτεροι δ' αὐτοῦ παρόντες τὴν αὐτοῦ τάξιν ἐπλήρουν. τοιοῦτον μόνον ἐξ αἰῶνος*, &c. Hiſtoria Tripartita ab Epiphanio & Caſſiodoro conſarcinata lib. 2, cap. 1. *Ipſe autem Hiſpanorum valde famoſus* Oſius *unus erat & ſimul plurimis aſſidebat. De regia vero civitate præſul* Alexander *propter ſenectutem defuit, Presbyteri vero præſentes locum ejus implebant. Talem itaque ſolus à ſæculo*, &c. Theodoretus lib. 1, cap. 7. Euſebii veſtigia premens *ὁ δὲ τῆς ῥώμης διὰ γῆρας ἀπελείφθη βαθύ. δύο μέντοι πρεσβυτέρους ἀπέστειλε συνθέσθαι πραττομένοις παρεγγυήσας. Epiſcopus autem Romæ propter ætatem admodum ingraveſcentem abſuit. verum duos illuc miſit Presbyteros poteſtate illis conceſſa, actis aſſentiendi*, &c. Sozomenus Euſebii mentem exprimens l. 1, c. 16, *ἐκοινώνουν δὲ τούτου συλλόγου τῶν μὲν ἀποστολικῶν θρόνων, μακάριος ὁ ἱεροσολύμων καὶ εὐστάθιος ἤδη τὴν Ἀντιοχείας τῆς πρὸς τῷ ὀρόντῃ ἐκκλησίαν ἐπιτραπείς, καὶ Ἀλέξανδρος τῆς πρὸς τὴν Μαρείαν λίμνην πόλεως; ὁ δὲ ῥωμαίων ἐπίσκοπος διὰ γῆρας ἀπελιμπάνετο. παρῆσαν δὲ ἀντ' αὐτοῦ Βιτῶν καὶ Βικέντιος πρεσβύτεροι τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας*, &c. *Conventui huic communicabant ex Apoſtolicis thronis Macarius Hieroſolymorum & Euſtathius cui Eccleſia Antiochiæ ad Orontem ſitæ concredita erat; & Alexander urbis ad lacum Mariam poſitæ; Romanorum vero Epiſcopus propter ſenectutem deerat; aderant vero ejus loco Biton & Vincentius ejuſdem Eccleſiæ Presbyteri*, &c.

Socrat. lib. 1, c. 7. αὐτῶν τε. Euſeb. lib. 3, cap. 7. vitæ Conſtantini. Socr. ibid. τὴν αὐτοῦ. Euſebio & Socrati tacitum Oſii nomen expreſſerunt. Errore memoriæ pro Sylveſtro qui abſuit, Alexandrum qui Concilio intereſſe potuit ſubſtituerunt.

Vocem πόλεως ab Antiquariis imperitis ante annos 400, ipſaque Nicephori tempora expunctam reſtituimus, quia ſi deſit mutila & imperfecta Sozomeni de Alexandro Alexandrino ſententia manebit; vocabulum autem Ἰούλιος ejuſdem loco ſubſtitutum delevimus, quia Sylveſter anno 314, Ianuarii 31, feria prima, Miltiadi ſuffectus annoque 335, Conſtantio & Albino Conſulibus pridie Kal. Ianuar. denatus, annum à Nicæna Synodo undecimum delibavit, ei vero non Iulius ſed Marcus ſucceſſit, qui ſedem Romanam anno 336 *Nepotiano & Facundo Conſulibus*, à decimo quinto Kal. Febr. feria prima ad nonas Octobris tenuit, locumque tandem Iulio fecit, qui ab anno 337 poſt Concilium Nicænum duodecimo, *Feliciano & Titiano Conſulibus* 8 *Idus Februarii feria prima, uſque in diem pridie Idus Aprilis*, Conſtantio Quintum, & Conſtantio Cæſare Conſulibus Anno Domini 352, poſt Concilium Nicænum 27 ſedit; *ſenioque gravis*, quod de Sylveſtro Euſebius notat, anno 325 eſſe non potuit, qui annorum 27 periodum exinde permenſus eſt, nec ætate decrepita deceſſiſſe à vetuſto ullo authore ſcribitur.

Ex manuſcripto Trevirenſi.

Indidem.

Ex ſuperioribus tam Euſebii quam Socratis, qui ejus locum *ad verbum* exſcripſit, & Theodoreti ac Sozomeni qui mentem ejus præcipuaque de Sylveſtro Papa verba expreſſerunt, falſi crimina novem à Gelaſio Cyziceno admiſſa coarguere nemo qui attenta mente ſit non poterit. Euſebius enim qui aliis univerſis facem prætulit, Concilii Nicæni pars magna fuit, Vito, Vincentio, Oſio & forte Alexandro aſſedit, ſuperſtitibus iiſdem de vita Conſtantini libros anno poſt Nicænam Synodum 12 ſcripſit & edidit, tertioque vertente anno vita functus eſt, in re facti orbi univerſo notiſſima ad fidei cauſam nullo-

nullomodo pertinente, cujus ubique teſtes oculati occurrebant, nec fallere, nec falli potuit, cum certe tanquam fontem ſuum venerati ſunt, quotquot ad conſcribendam Eccleſiarum hiſtoriam animum exinde adjecerunt: nec poſt ejus exceſſum defuerunt, quibus ſi aliena à comperto vero ſcripſiſſet, inſperſa narrationi ſuæ mendacia confutare, & in apertam lucem protrahere facillimum fuiſſet: cum præſertim illi ipſi quorum nominibus, in corrumpendo Euſebii loco Gelaſius Cyzicenus abuſus eſt, libros ejus videre & corrigere ſi falſum quid inſeruiſſet potuerint. Alexander Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ poſt Metrophanem præſul, eodem quo Euſebius, Anno Chriſti nimirum 340, Auguſti 28 mortalitatem explevit. illo ipſo anno alter ex Sylveſtri legatis *Presbyter Vitus plures Epiſcopos quam quinquaginta in Concilium adduxit, ubi Athanaſii defenſio recepta fuit*, &c. Vincentius ad Capuanæ Eccleſiæ regimen evectus, anno 347 Concilio Sardicenſi ſuo nomine ac jure interfuit, & Concilii juſſu cum Euphrata Colonienſi ad Conſtantium miſſus eſt: anno 353 *cum Marcello Campaniæ Epiſcopo* Liberii Papæ *legationem ſuſcepit: de quo cum multa* Pontifex *ſperaret, quod & cauſam optime retineret & judex in eadem cauſa frequenter reſediſſet: crediderat Dei Evangelium ſua legatione poſſe ſervari; non tantum nihil impetravit, ſed & ipſe in illam ductus eſt ſimulationem.* &c. Anno vero 357 ad Arianicæ formulæ ſubſcriptionem inflexus Liberius, eidem ut factionis ſignifero Epiſtola 8 blanditus eſt Oſius quem Catholici omnes ſummopere coluerant, anno 357 ad Arianorum partes tranſiens, anno 358, ab Euſebii deceſſu 18, in patria defunctus.

Martyrolog.

Athan. Apolog. 2.

Liberii Epiſt. prima.

Cum igitur de Euſebii narratione dubitandi, & Gelaſio Cyziceno, qui eam pluribus modis adulteravit, aſſentiendi cauſa nulla ſit, hujus paracharagmata ſigillatim ob lectorum oculos ſtatuemus, ut eadem admota veritatis lima facilius abradamus. 1 Ad Conſtantinopolim quæ Romæ erant. 2 Ad Metrophanem Byzantinum quæ Sylveſtri. 3 Ad Legatos Metrophanis neſcio quos ea quæ Viti & Vincentii Euſebius eſſe voluerat impudenter traxit. 4 Metrophanem ad Concilii Nicæni tempora ſuperſtitem fuiſſe. 5 Ad Concilium Alexandrum cum aliis miſiſſe. 6 Alexandrum eidem poſt Concilium Nicænum ſucceſſiſſe pari temeritate finxit. 7 Oſium Sylveſtri legatum cum Vito & Vincentio fuiſſe. 8 Univerſa hæc *Euſebium ad verbum dixiſſe*. 9 *Anno*que Conſtantini *decimo ſexto* contigiſſe fabulatus eſt.

Nicæni Concilii tempore una Roma *urbis Imperantis* titulo quem illi Euſebius tribuit gaudebat: nec poterat Byzantium ſub Heraclea adhuc conſiſtens regia ſedes dici, quam anno demum 328, à Concilii Nicæni ſolutione tertio, *Ianuario & Iuſto Conſulibus inſtaurare Conſtantinus cœpit.* Anno vero 330, *Gallicano & Symmacho Conſſ.* ex Byzantio *Conſtantinopolim urbem regiam novamque Romam* factam *die* v *Idus Majas feria ſecunda dedicavit.* at Gelaſii Cyziceni ætate ſola urbis Imperantis ſibi nomen vindicabat. cum enim anno 476 collabente Occidentis Imperio Herulici primum, exinde Gothici, ac tandem poſt annum 536 Conſtantinopolitani *Imperii ſervilis urbs* (prout eam Agatho Papa vocavit) Roma facta fuiſſet, penes unam Conſtantinopolim regium culmen ex neceſſitate manebat: quod Gelaſius negare non auſus, Euſebiana verba quæ mala fide in alienum ſenſum detorquebat, addita voce *nunc* ut Conſtantinopoli aptari poſſent interpolavit, non *urbem quæ regnat* abſolute Euſebii exemplo, ſed reſtricte *urbem quæ* nunc

Zoſimus 11.
Idat. faſt.

Epiſt. ad Conſtant. Pogonatum.

 regnat,

regnat, præter Euſebii quem deflorabat aliorumque veterum mentem ſcribens.

Metrophanes anno 317, ante Nicænam Synodum octavo, Iunii 4 denatus, nono poſt anno nec Byzantii ſedere nec legatos è tumulo ad Concilium Nicænum mittere poterat. Alexandrum qui ei ſuffectus eſt, anno 340, Aug. 28, quo in Domino dormivit, *vigeſimum tertium Epiſcopatus annum* Socrate & Sozomeno atteſtantibus expleviſſe, jamque anno 317 quo ab Alexandro Alexandriæ Præſule Epiſtolam à Theodoreto lib. 1, cap. 4. & hiſtoria Tripartita lib. 1, cap. 14 deſcriptam, accepit, Metrophanis locum ſortitum eſſe; datæ ad eum Epiſtolæ titulus indicat, *honoratiſſimo fratri & unanimi Alexandro Alexander in Domino gaudere*; Alexandrum vero Alexandrinum ad Conſtantinopolitanum eam dediſſe præfixus à Theodoreto titulus docet; hic nimirum, *Alexandri Epiſcopi Alexandrini ad Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum Epiſtola.*

Scytharum Epiſcopum Concilio interfuiſſe notat Euſebius, quod de Theophilo Gothiæ extra Imperii fines, poſitæ Præſule intelligendum videtur.

In ſubſcriptionibus ad Nicæni Symboli & Canonum calcem appoſitis, unicus ex Tracica Diœceſi Pæderotas Heracleota reperitur, ex eoque nec Alexandrum, nec alium ullum Byzantio Nicæam miſſum veriſimillimum fit. Concilio Oſium eodem quo alii cum quibus ſedebat jure interfuiſſe, Euſebius ex eoque Socrates expreſſe ſcribit; *unus* inquit *ex Hiſpanis valde decantatus cum aliis multis*, his ſcilicet quos ante deſignaverat, non cum legatis Romanis quorum nullam adhuc mentionem fecerat, *una conſedit*; ut ſuo nomine communique jure uſum Concilio interfuiſſe liqueat. Oſium eumdem à Romanis legatis, qui non ſuo ſed Sylveſtri Papæ nomine aderant, palam ſecernit, eoque ipſo ex legatorum ordine fuiſſe negat; *unus* inquit *ex Hiſpanis*, &c. *cum aliis multis una conſedit*, *ſed regnantis urbis Præſul propter ſenectutem deerat, præſentes vero ejus Presbyteri locum ejus implebant.* Oſius ipſe nullibi ſe legatum inſcribit, Græcorum ante Gelaſium Cyzicenum, Latinorum inter quos Iſidorus Hiſpalenſis ejus elogium ſcripſit, ante annum 1570 nemo Sylveſtri Papæ legatis annumeravit, qui Epiſtolam ad Sylveſtrum eumdem Concilio ſuppoſuere, hoc ipſo quod ſolos *Presbyteros* Romanos *ab eo directos* fuiſſe pronunciant, Oſium eodem cum ipſis legationis munere defunctum negant, *Beatiſſimo* inquiunt *Papæ urbis Romæ*, &c. *Sylveſtro Oſius Epiſcopus provinciæ Hiſpaniæ, civitatis Cordubæ, Macarius Epiſcopus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, Vitus & Vincentius Presbyteri urbis Romæ ordinati ex directione tua*, &c. cum ſuo jure Concilio interfuiſſe appoſita ab eo Synodi Symbolo ſubſcriptio in hæc verba concepta evincit; *Oſius Epiſcopus civitatis Cordubenſis provinciæ Hiſpaniæ dixit: ita credo ſicut ſuperius ſcriptum eſt.* Iulius ipſe anno 342 in Epiſtola ad Orientales Athanaſii Apologiæ ſecundæ inſerta nullos alios Eccleſiæ Romanæ ad Synodum Nicænam legatos præter Presbyteros agnoſcit; ſic enim ille de Marcello loquens, *noſtri Presbyteri tunc in Nicæno Concilio exiſtentes, ipſius rectæ fidei teſtimonium reddiderunt*, &c. Cui credibile fiat eum clariſſimi ætatis illius Epiſcopi, quem Pontificiæ legationis cum Presbyteris urbicis munus obiiſſe volunt, longe illuſtrius quam Presbyterorum illorum, quibuſcum Sylveſtri Papæ mandata ſuſcepiſſe dicitur, ſi legatione functum credebat, teſtimonium omiſſurum fuiſſe? Theodoretus lib. 1, cap. 7. *Presbyteros duos* ab Epiſcopo Romano Nicæam miſſos diſerte notans, legatorum numerum augeri nullomodo patitur. Sozomenus qui duo legatorum

torum illorum nomina expreſſit Theodoreti ſententiam firmat. Vitus & Vincentius ſoli Sylveſtri Papæ legatos ſemet inſcribunt; his verbis uſi, *Vitus & Vincentius Presbyteri urbis Romæ, pro venerabili Papa & Epiſcopo noſtro ſancto Sylveſtro ſubſcripſimus, ita credentes, ſicut ſupra ſcriptum eſt.*

Quæcunque de Oſii legatione, Metrophanis abſentia, & Alexandri Vicariatu Gelaſius finxit, Euſebio tribui nullomodo potuiſſe vel hinc clarum fit, quod verba hæc, *de quibus Euſebius Pamphili in tertio libro de vita Conſtantini iſta ad verbum ait*, &c. quantumvis hiſtoriæ Gelaſianæ intexta reperiantur Gelaſii non ſunt, ſed Socratis, qui in Euſebii loco à Gelaſio corrupto nihil mutavit. Concilium denique Nicænum in annum Conſtantini decimum ſextum conferri nequaquam potuiſſe his argumentis probatur. A. D. 306 *Conſtantio* VI *& Maximiano* VI *Conſulibus, diem functus Conſtantius, & poſtea levatus eſt Conſtantinus* VIII *Kal. Auguſt. coactum eſt Concilium Nicænum, ſicut ex Annalium commentariis conſtat* anno Chriſti 325, *Paulino & Iuliano Conſulibus undecimo Kal. Iunii, anno ſexcenteſimo trigeſimo ſexto poſt regnum Alexandri Regis Macedonum*, &c. *Canones decimo tertio Kal. Iulii ſeu Deſii menſis die* 19 *editi ſunt*, Concilium vero *Auguſti* 25 ſolutum quo jam *viceſimus* Conſtantini *annus* currere cœperat: unde Conſtantino occaſio data *vicennalia Nicomediæ* poſt Concilium *celebrandi*, prout Euſebius lib. 3, de vita Conſtantini cap. 14. lib. 4, cap. 40 & in Chronico notat. Huc accedit quod Gelaſius ipſemet Concilium poſt Licinii mortem congregatum fuiſſe, Conſtantinumque *talem coronam pacis vinculo colligaſſe* ex Euſebio quem interpolaverat refert. Atqui anno 324 *Criſpo* III *& Conſtantino* III *Conſulibus bellum Hadrianopolitanum die* V *Nonas Iul.* ad finem properante anno Conſtantini 18, *& bellum Calchedonenſe* 14 *Kal. Octobr.* jam inchoato Conſtantini anno 19 geſta ſunt. Anno Chriſti 325, *& Conſtantini* 19 *jam affecto, Paulino & Iuliano Conſulibus occiſus Licinius*, nec ante pax Eccleſiarum firmata eſt, cujus coronam Deo oblatam Concilii convocationem fuiſſe dicit Euſebius.

Idat. faſt. Socrat. lib. 1, cap. 13.

Titul. Canon.

Idat. faſt.

In Canonum Sardicæ anno 347 conditorum editione Latina appoſitaque Epiſcoporum ſubſcriptione Oſius primus occurrit, cujus hæc verba leguntur: *Oſius ab Hiſpania Epiſcopus Cordubenſis.* Synodicæ ad Ægyptios & Libycos datæ ſubjuncta hæc apud Athanaſium verba ſunt: *Oſius Epiſcopus ſubſcripſi, quod & cæteri fecere.* Epiſtola à Concilio ad Iulium Papam data nullos alios præter Presbyteros duos & Diaconum unum legatos ejus agnoſcit. *Vniverſa*, inquiunt, *quæ geſta ſunt, quæ acta, quæ conſtituta & chartæ continent, & vivæ voces chariſſimorum fratrum, & Compresbyterorum noſtrorum Archidami & Philoxeni, & chariſſimi filii noſtri Leonis Diaconi, veriſſime & fideliter exponere poterunt*, &c. *plena relatio fratrum, quos ſincera Charitas tua miſit, unanimitatem tuam perdocebit*, &c. eidem Epiſtolæ Oſius primus ſubſcripſit, qui ex hypotheſi portitor ejus præcipuus eſſe debuiſſet. cum igitur eam non ſuſceperit, ſed cum univerſo Concilio dederit, non Romam pertulerit, ſed per Philoxenum & Archidamum miſerit, Iulii Papæ legatus nec fuit, nec haberi quod non erat voluit. Addit in Apologia ſecunda Athanaſius, *eorum, qui in Synodo ſubſcripſerunt; cæterorumque aliorum iſta ſunt nomina. Oſius ab Hiſpania, Iulius Romæ per Archidamum & Philoxenum Presbyteros ſuos, Protogenes Sardicæ*, &c. Si Oſius legati Pontificii munere fungebatur, cur

Apol. ſecunda.

Qui cum Elpidio anno 338 à Iulio Papa ad Orientales miſſus fuerat.

cur primus omnium ſuo non alieno, quod Legati titulus poſcebat, nomine ſubſcripſit? Si rurſus Iulii mandata ſuſceperat, & locum (Archidamo & Philoxeno junctus) implebat, cur Iulius nec primo loco, nec per Oſium legationis quam Sardicam miſiſſe creditur ducem, ſed ſecundo tantum per ſolos Archidamum & Philoxenum Presbyteros ſubſcripſiſſe dicitur? Cur in Concilii Orientalium Epiſtolâ Oſius & Protogenes ceu Sardicenſis Occidentalium Concilii capita primi ſæpius nominantur; nec tantum primi nominantur, ſed Iulio Papæ diſerte anteferuntur; *Vobis*, inquiunt, *ex aperto mandamus, ne quis veſtrum ab aliquo circumventus aliquando communicet, id eſt, Oſio, Protogeni, Athanaſio, Marcello, Aſclepæ, Paulo, Iulio*, &c. quemque ad modum Iulium Papam, quaſi *princeps & dux malorum* fuiſſet, *primuſque januam communionis ſceleratis atque damnatis* anno 340 *aperuiſſet, cæteriſque aditum feciſſet ad ſolvenda jura divina* execrabantur, Concilium univerſum ceu turbam quam Oſius ſecum quocumque vellet traheret deſpiciebant. Hinc ſubjectæ eorum voces: *Mandavimus illis qui cum Protogene & Oſio fuerunt*, &c. *Hanc optionem à noſtris propoſitam Oſius & Protogenes omneſque eorum ſocii ſuſcipere timuerunt*, &c. *Omnes in ſuo conventiculo habuerunt Oſius & Protogenes*, &c. *juſtum duxit Concilium, ut Iulium urbis Romæ & Oſium cæteroſque ſupra memoratos diſcingeret atque damnaret*, &c. *quoniam Catholicam & Apoſtolicam fidem voluerunt infringere ii, qui cum Oſio erant*, &c. *ordinavimus Catholicæ Eccleſiæ fidem quam negaverunt ſupradicti qui cum Oſio ſunt*, &c.

Præcipuas Oſii in Concilio partes fuiſſe, ſummaque inter collegas auctoritate valuiſſe, non tantum ex Canonibus ipſius fere ſemper nomine conceptis, ſed etiam ex ejus ad Conſtantium Epiſtola conſtat. *fuit*, inquit, Athanaſius *in Sarditenſi Concilio, cum tu tuuſque frater B. Conſtans nos omnes eo convocabat: Ipſeque ultro Athanaſii inimicos provocavi, cum ad Eccleſiam, ubi ego commorabar, adveniſſent, ut, ſi quid contra eum haberent, ederent; promiſique eis ſecuritatem, neve quicquam aliud expectarent, quam rectum in omnibus judicium; idque non ſemel ſed bis feci. quod ſi nollent rem ab univerſa Synodo diſceptari; ſaltem me judice uterentur: promiſique etiam nos Athanaſium, ſi in noxa reperiretur, omnibus modis ejecturos eſſe; quod ſi innocens deprehendatur, & vos oſtenderit calumniatores, & æque illum recuſaveritis, ego illi perſuadebo, ut mecum in Hiſpanias veniat. Athanaſius autem his conditionibus obtemperavit, nihil contra oblocutus: Illi vero ad omnia æque diffidentes receſſerunt*, &c. quid abſolutius ille ipſe cujus legatus fuiſſe fingitur agere Iulius Papa potuiſſet? ejus judicio liber ab accuſationibus domum anno 340 remiſſus fuerat Athanaſius, nullibi tamen eum Liberiumque ei poſt annos aliquot ſuffectum, ulla cum honoris præfatione nominat; ſed Iulium Liberiumque ſimpliciter vocat; at ei Oſius ſine elogio nunquam memorandus venit, ſed quotieſcumque mentionem ejus injicere neceſſe fuit, *magnum* & *patrem* appellavit, *de magno & optimæ ſenectutis viro, eodem Confeſſore Oſio, qui vere Oſius eſt*, (id eſt ſanctus) *ſuperfluum arbitror quicquam dicere*, &c. *plenam ejus hiſtoriam pater Oſius docere poſſet*, &c. *eò pater Oſius conceſſerat*, &c. *Sardicæ Occidentales ſoli erant patrem Oſium habentes*, &c. *Synodus cujus patronus erat Oſius*, &c. *Tantis ac talibus ſceleribus factis, nihil omnino ſe adhuc feciſſe arbitrabantur* Ariani, *quamdiu magnus ille Oſius eorum malitiam expertus non eſſet.*

Athan. in Apolog. de fuga ſua. Apolog. ad Conſtant. Epiſt. ad Solit.

eſſet. Nam in eum talem tantumque ſenem ſuam rabiem protendere ſtuduerunt: neque quod pater eſſet Epiſcoporum reveriti ſunt: neque quod confeſſor erat, pudore moti ſunt: neque quod ſexageſimum annum & eo amplius à confeſſione agebat, reſpexerunt: ſed omnia ſimul vilipendentes ad ſolam ſuam hareſim oculos intentos habuere, homines revera neque Deum timentes, neque hominem verentes. adorti igitur Conſtantium talibus verbis alloquuntur: omnia quidem à nobis facta ſunt, profligavimus in exilium Romanorum Epiſcopum, & jam ante eum extorres fecimus quamplurimos Epiſcopos, omnia loca terroribus implevimus: ſed tamen pro nihilo ſunt tanta tua opera, neque quicquam profecimus quamdiu reliquus eſt Oſius. Quamdiu enim ille in ſuis agit, omnes in ſuis Eccleſiis agere videntur, poteſt ille & verbis & authoritate fidei ſua, omnes contra nos inducere. hic Princeps eſt Synodorum, & ſi quid ſcribit ubique auditur, hic formulam fidei in Nicana Synodo concepit & Arianos ubique pro hareticis traduxit, &c. hæc Abrahamicus ille ſenex vere Oſius, &c. *nec ſenectutem hominis jam centenarii* Conſtantius *reſpexit*, &c. *quis cum videret Liberium Epiſcopum Roma in exilium ejici, magnum Oſium patrem tot mala pati*, &c. *ſi ſcripta iſta ab Orthodoxis proficiſcerentur, qualia ſunt magni illius & Confeſſoris Oſii*, &c. Diſput. 1. cont. Arian.

Tria potiſſimum in Oſio commendabat Athanaſius; ſanctitatem, confeſſionis gloriam & ſenectutem ad annum centeſimum provectam. Ipſe etiam Oſius tam confeſſionis quam ætatis ſuæ in Epiſtola ad Conſtantium meminerat, his eum verbis compellans, *Ego confeſſionis munus explevi, primum cum perſequutio moveretur ab avo tuo Maximiano*, &c. *Mihi crede, qui tibi avus ætate eſſe poſſem*, &c. Hæc autem anno 355 ſcribebat, qui Athanaſio teſte à natali centeſimus, à confeſſione ad minimum ſexageſimus erat; inciderit ergo dies Oſii natalis in A. D. circiter 255; confeſſionem anno plus minus 295 Domino obtulerit; poſt Maximiani, qui anno 304 Aprilis 1 abdicaverat, & 310 miſere periit, ſuſpendium, in intimam Conſtantini, anno 312 Chriſtianam fidem amplexi, familiaritatem receptus eſt; cumque anno 317 Eccleſiam turbare Arius cæpiſſet, anno 324 à Conſtantino delectus eſt, qui pacem Eccleſiis Ægyptiacæ diæceſeos procuraret, Orthodoxamque de Chriſto ſententiam magis ac magis confirmaret. Hinc Euſebius de vita Conſtantini lib.2, cap.62. *Virum ex numero piorum, quos habuit circa ſe, quem modeſta fidei virtute ſatis ſpectatum, & ſuperioribus temporibus pietatis confeſſione inſigniter decoratum intelligebat, mittit, ut pacem inter eos qui Alexandria diſcordabant, conciliaret; literaſque ad eam inprimis accommodatas, per eumdem ad ſeditionis authores dat*, &c. *Ille bonus & ſpectatus Nuncius, non ſolum literis fideliter perferendis, ſed Imperatoris mittentis voluntati pro virili ſua parte inſervivit: & quamquam omnino pius vir fuit ſicut dicitur, tamen hoc majus quiddam erat, quam quod per literas adminiſtrari poſſet: quippe magis magiſque diſſentientium lis accrevit*, &c. hæc ille in Arii ſui gratiam optimum ſenem oblique ſugillans: ſed quid Oſius in Ægypto præſtare conatus fuerit, alii hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores, fidelius & ſimplicius referunt. Socrates lib.1, cap.4. Vbi *Oſium virum ſpectatum & fidelem quem Imperator ſingulari amore complectebatur & honore ſummo proſequebatur* ab eo in Ægyptum miſſum retulit, cap.5, addit, *nec Imperatoris ſolicitudine nec authoritate Oſii ulla ex parte diſcordiam frangi potuiſſe.* Sozomenus lib.1, cap. 15. de Conſtantino

Marginalia: Apud Athan. ad Solit. — Conſtantii parens Fauſta Maximiano patri nata erat. — τ̃ ἀμφ' αὐτ̃. — cap.71.

ſtantino & Oſio. *Miſit virum quem circa ſe habebat fide & vita integritate præſtantem, & ſuperioribus temporibus ob varias Religionis Chriſtianæ confeſſiones admodum nobilitatum, Oſium dico Epiſcopum Cordubæ, quo illos qui in Ægypto de fide digladiabantur, tum hos qui in Oriente de feſto Paſchatis diſſentiebant, ad concordiam reduceret.* cap.16. *verum ubi contra, quam expectabat, res ſuccederet, & contentio reconciliationem concordiæ impediret, Oſiuſque ad pacem faciendam miſſus, re infecta reverteretur, Conſtantinus indicit Concilium Nicææ,* &c. quod Oſio ipſomet referente de cauſa univerſa judicium ferret.

In Concilio illo quod anno 325 Majo menſe congregatum Socrates monuit, primas Oſius tulit. 1 Vt Confeſſorum qui ibi intererant Coryphæus, utpote qui ante triginta annos ſub Maximiano Herculio confeſſionem ex-
Sozom. lib. 1, cap. 10.
pleverat, quam Paphnutius aliique in Concilio conſidentes ſub Maximino poſt annum 310, ab Oſii confeſſione 15, peregerant. 2 Vt *Epiſcoporum pater*, annum vitæ 70, Epiſcopatus ad minimum trigeſimum agens, cæteriſque propter ætatis meritum velut naturæ jure prælatus; quemadmodum Palmas Amaſtridis in Ponto Heleniano, ſub Amaſea Metropoli Epiſcopus, Ponticarum Eccleſiarum Concilio circa annum 185 ante Nicænum 140, congre-
Euſeb. hiſt. Eccleſiaſt. lib. 5, cap. 22.
gato ὡς ἀρχαιότατος *ut antiquiſſimus* præfuerat: Conciliis Valentino anno 374, poſt Nicænum 49, & Cæſar Auguſtano anno 380, Fegadius Aginnenſis Eccleſiæ Præſul ante Epiſcopos alios, Delphinumque Burdigalæ, cui Aginnum ſuberat, Præſulem ſedit; & in Africa per ſingulas provincias *prima ſedes* non Metropoli affixa, ſed ambulatoria, illi qui *ætate parens* ac vere *ſenex* quamcunque Eccleſiam regeret addicta fuit. 3 Vt judex partibus à Conſtantino datus, qui ſedulam in iis ad concordiam revocandis operam anno præcedente navaverat, cuique pendens adhuc cauſa commiſſa videbatur, eo nomine id illi poſtea muneris ab univerſis delatum fuit, ut fidei Symbolum
συνόδων καθηγεῖται. Athan. ad Solit.
ſcriberet. fuit ergo jam tum Synodorum princeps, nec quod primo loco Vito & Vincentio, Sylveſtri Papæ legatis præſentibus ſederit, totiuſque Concilii exarchus fuerit, Eccleſiæ Romanæ dignitati magis obeſſe potuit, quam quod anno 314, ante Nicænum Concilium undecimo, Arelatæ *ex om-*
Arel. ſecundum Canon. 18.
nibus mundi partibus congregata eſt Romanæ, ſub Miltiade Papa contractæ judicium innovatura Synodus; cui licet *Claudianus & Vitus Presbyteri cum Eugenio & Cyriaco Diaconis ex urbe Roma* à Sylveſtro Papa *miſſi* intereſſent, Marinus Arelatenſis Eccleſiæ Epiſcopus præfuit, prout ex Synodicæ ad Sylveſtrum Papam titulo aliiſque veterum monumentis conſtat, quodque poſt Siracuſanæ, Capuanæ, Arpinatis, Aquilejenſis Eccleſiarum Præſules ac Clericos, iidem *ex urbe Roma miſſi* recenſiti ſunt; quandoquidem ex uſu præſenti priſcum metiri nequaquam licet, alioſque ut plurimum mores alia tempora poſtulant.

Quem univerſa Nicæna Synodus tanto cultu dignata erat, poſt annos 22 nonagenario majorem, confeſſionis gloria ante annos 50 nobilitatum, totidemque ad minimum annis Epiſcopatu defunctum, tanquam parentem Sardicenſis Synodus, cui Archidamus & Philoxenus Presbyteri cum Leone Diacono Iulii Papæ nomine intererant, venerata eſt, eumdem Athanaſius præcipuo cultu proſecutus eſt, Ariani ipſi præ aliis omnibus Orthodoxis ſuſpexerunt, nec quicquam deturbatis à ſe Liberio Papa, aliiſque piis ſe ad-

verſus

verſus fidem promoviſſe putaverunt; ſi venerandus ille ſenex qui ejus formulam ſcripſerat, illæſus abire ſineretur.

Nulla ergo nos Gelaſianis commentis (ut juſtas honorati Oſio loci ab antiqua Eccleſia tributi cauſas inveniamus) adſtipulandi neceſſitas cogit. Eum tamen Sylveſtri ac Iulii Pontificum vices obiiſſe, nôvumque Legati titulum prioribus velut ad gloriæ cumulum acceſſiſſe fingamus, ut Oſius Præſulum univerſorum ſuo tempore nobiliſſimus, non Hiſpanicæ unius, ſed Catholicæ totius Eccleſiæ per annos plus minus ſexaginta præcipuum decus fuiſſe credatur: Hiſpaniæ tantum virum peperiſſe inſignis felicitas fuerit, non tamen id prærogativæ conſequi debuerit, ut terrarum (Italia & Gallia poſt terga relictis) prima haberetur, honoratioremque inter Europæas univerſas locum ſibi deinceps vindicaret: ſed illo ipſo modo quo Theodoſii Magni ex Hiſpania oriunda parens Thermantia privata manſit, iiſque clariſſimæ matronæ gloriæ terminis circumſcripta eſt, ut Auguſta nunquam ſalutata velut Auguſti mater coleretur, quo Ithaca Græcarum Inſularum minima & per ſe ignobilis, de Græcorum qui Ilium exciderunt prudentiſſimi; Pella & Stagira Macedoniæ, Ellade minus claræ, urbes de Alexandri Magni, & Ariſtotelis Philoſophorum principis cunabulis gloriari, non tamen ultra modum priſtinum attolli potuerunt; eodem Hiſpaniam ſibi quod maximum Oſium genuiſſet, non quod maxima per eum facta fuiſſet, gratulari licuit, quandoquidem quæcumque Oſio claritudinem pepererunt, ipſi uni propria non genti communia fuerunt. huc accedit quod legationis à mero Pontificum quoſcumque libuit ſeligentium arbitrio pendens munus, nullam regionibus unde mandata Pontificia ſuſcipientes prodiere dignitatem conferre aptum eſt. Liberii tantiſperdum in vivis Oſius erat Lucifer gente Sardus & Calaritanæ in Sardinia Eccleſiæ præſul; Leonis Magni anno ab Oſii morte circiter 93, Paſchaſinus Siculus & Lilybetanæ in Sicilia Eccleſiæ Epiſcopus, legatione defuncti ſunt. Quiſquam ne adeo deſipuerit, ut ob delatum Lucifero & Paſchaſino munus, Sardorum Maſtrucas Læſtrygonumque ac Cyclopum latibula Italicæ magnificentiæ anteferenda aut coæquanda unquam fuiſſe putet? Gregorii VII, Hugo ex Deenſi, Lugdunenſis, & Amatus Oleronenſis; Vrbani II Ademarus Podienſis Galli Legati fuerunt, ex iiſque Amatus in Hiſpaniam miſſus demandati muneris poteſtate uſus eſt. Quiſquam ne Hiſpanus Galliæ ſe noſtræ tam commodum præbeat, uti ei quod plures revera Romanæ Sedi legatos dederit, primum locum aſſignandum putet? Quantò minus Hiſpaniæ ob falſam de Oſio ſuo opinionem primas Galli detulerint?

Sed promoto ulterius gradu, quæcunque honorifica Oſio advenere, in Hiſpaniam transfundenda fingamus; quæque perſonalia eoque ſingularia fuere, gentis univerſæ communia cenſeri debere ſtatuamus; quantum Oſio ad ſummum gloriæ faſtigium ob ſanctitatem, confeſſionem, promotionis antiquitatem, & Conſtantini mandata, provecto creverit, tantum eodem ad imum ignominioſæ apoſtaſiæ barathrum detruſo decreverit Hiſpania: nec poſt lamentabile miſeri ſenis exitium in Hygino, qui ei ſuffectus eſt, quo ſe ſolaretur habuerit: quandoquidem *qui primus omnium inſectari palam* Priſcillianiſtas *hæreticos cæperat*, *poſtea turpiter depravatus*, *in communionem eos recepit:* eaque de cauſa Concilii Cæſarauguſtani juſſu ab Ithacio Oſſonobenſi *extra communionem factus eſt.* Sulp. Hiſtor. ſacr. lib. 2.

Vt ad Oſium revertamur, quo luctuoſior ejus poſt ſexaginta annorum conſtantiam ruina, & inexcuſabilius poſt aſſertam ſæpius fidem in perfidiam declinantis crimen, & fœdius poſt tot præcedentes adoreas dedecus fuit, acerbiorem Eccleſiis univerſis dolorem incuſſit: cujus ut modum capere valeamus duo nobis præſtituenda veniunt. 1 Sanctum Athanaſium falſa relatione deceptum totum in delicto ejus elevando fuiſſe. 2 Baronium Cardinalem Athanaſii in errorem abrepti authoritate illectum, Marcellino & Fauſtino Presbyteris ob Luciferianum ſchiſma exoſis iniquiorem videri: cum quinque nos ipſis falſi crimen impingere vetent. 1 Quod precum ſuarum libellum anno 384, ab Oſii morte 26, Gregorio Eliberitano rigido veritatis aſſertore, totiuſque Oſianæ cataſtrophes oculato teſte ſuperſtite ſcripſerit. 2 Quod Theodoſio magno Hiſpanicæ originis Principi, cui utpote veri ſtudioſiſſimo, rerumque in patria ſub ipſis ut ſic dicam oculis geſtarum conſcio mentiri auſi impune non tuliſſent, eum in Oriente obtulerunt. 3 Quod reſcripto ad Cynegium Orientis prætorio præfectum dato, non tantum poſtulatis annuit, ſed relationem libello inſertam teſtimonio ſuo firmavit; *per Fauſtinum*, inquit, *& Marcellinum pleniſſimos fidei ſacerdotes interpellata clementia noſtra*, &c. *Id ita utrumque moderamur, ut petitionem, quæ eſt oblata, veneremur*, &c. *ſane probabilis & juſta laudatio precum eſt*, &c. *circa eos non eſt dilata ultio, qui inſidiati bonis moribus & cœleſtibus inſtitutis, pauliſper ex contentione, non fide ſed factione, multorum mentes deteſtanda inſinuatione perverterant. nam uſque adeo Omnipotentis Dei mota patientia eſt, ut pœna quæ criminoſis poſt facta debetur, extemplo omnia ante facta ſentirent*, &c. 4 Quod Euſebii Vercellenſis ad Gregorium Eliberitanum anno 360 data epiſtola Marcellini relationi congruit, 5 Quod Iſidorus gravis & emunctæ naris vir Carthagine Spartaria oriundus, qui Hiſpali Cordubæ proxima per annos 27 ſedit, cuique quod Oſio ante 200 annos in publico conſeſſu evenerat, ignotum eſſe nequaquam potuit; Marcellino non ſolum credidit, ſed ejus de Oſio verba mutuatus eſt. Cum igitur incertis, auctore fido carentibus, & ad inane piorum procul poſitorum ſolatium effictis rumuſculis in latebris deliteſcens Athanaſius fidem adhibuiſſe videatur, ex Marcelliniana, quam Iſidorus poſt annos 200, antequam Oſiani caſus memoria obliterari potuiſſet, in Cordubæ vicinia degens, ſuam fecit, Athanaſiana tota de Oſio narratio caſtiganda venit. Vbi ſcriptam ab Oſio ad Conſtantium epiſtolam deſcripſit, Sirmiique per annum integrum detentum Oſium notavit, addit vir ſanctus, *tantam vim ei illatam, eumque ita arcte conſtrictum ut afflictus attrituſque malis tandem ægreque cum Vrſacio & Valente communicaret, ſed tamen ut contra Athanaſium non ſubſcriberet.* At Marcellinus & Iſidorus, *Potamii querelâ accerſitum ad Conſtantium Regem, miniſque perterritum, metuens ne ſenex & dives exilium proſcriptionemve pateretur, dedit manus impietati*, &c. formulæ à Valente & Vrſacio conſcriptæ ſubſcribendo; *regreſſus in Hiſpanias majore cum auctoritate; habuit terribilem Regis juſſionem, ut ſi quis eidem Epiſcopus jam facto prævaricatori minime velit communicare, in exilium mitteretur.* Cui veriſimile fiat Athanaſium ab eo, qui Valentis & Vrſacii ſcelerata communione ſe obligaverat, fidemque nequiter prodiderat, nequaquam deſertum fuiſſe? alia-ne conditione cum Athanaſii damnatoribus quam eum damnando fœderari potuerit, mitiorave aut æquiora ab

Arium, Oſium, &c.

Plagris exſum tortumque Socrates & alii neſcio unde hauſerunt.

impiis

impiis,quam Liberius ad Athanaſii damnationem illo ipſo tempore adactus, expectare debuerit? hæc enim Liberii ad Orientales Epiſtola, *Ego Athanaſium non deffendi: Sed quia ſuſceperat illum bonæ memoriæ Iulius Epiſcopus deceſſor meus, verebar ne forte in aliquo prævaricator judicarer. at ubi cognovi, quando placuit Deo, juſte vos illum condemnaſſe, mox conſenſum commodavi ſententiis veſtris, liteRaſque ſuper nomine ejus* (id eſt de condemnatione ipſius) *per fratrem noſtrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem Conſtantium. Itaque amoto Athanaſio à communione omnium noſtrum, cujus nec epiſtolia à me ſuſcipienda ſunt, dico me pacem cum omnibus vobis & cum univerſis Epiſcopis Orientalibus ſeu per univerſas provincias pacem & unanimitatem habere*, &c. & ad Vrſacium, Valentem & Germinium, *Cognoſcat prudentia veſtra Athanaſium qui Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus fuit, priuſquam ad Comitatum ſancti Imperatoris ſecundum litteras Orientalium Epiſcoporum, & ab Eccleſia Romana communione ſeparatus eſt, ſicuti teſte eſt omne Presbyterium Romanæ Eccleſiæ*, &c. *quicumque autem à pace & concordia noſtra, quæ per orbem terrarum, volente Deo, firmata eſt, diſſenſerit, ſciat ſe ſeparatum à noſtra communione*, &c. Id certe Eccleſiaſticæ ſocietatis lex exigebat, ut à communicatoribus abſtentos communicaturus nemo ſuſciperet, nec Oſio ad Arianorum partes tranſeunti Athanaſium contrariarum partium ducem ferre licebat. Sed fieri potuiſſe demus ut Valens & Vrſacius conſenſu ejus in formulam Arianam impetrato, nihil ultra ab eo nominatim exigerent, Athanaſium hoc ipſo ab ejus communione ſecluſum certi. utcumque ſit, Oſium non modo à Catholicis receſſiſſe, ſed etiam de iis oppugnandis fidem obſtrinxiſſe conſtat, cum *in Hiſpanias majore cum authoritate regreſſus fuerit, terribilem Regis juſſionem* adverſus Catholicos *habuerit*, &c. plus *tortus, ſi quis ipſo jam lapſo ſtaret fidem integram vindicans in lapſa firmitate veſtigii, exhiberi fecerit per publicam poteſtatem ſtrenuiſſimæ mentis Gregorium* Elliberitanum; de cujus cum Oſio certamine Epiſtola ad eum data Euſebius Vercellenſis, *litteras ſinceritatis tuæ accepi, quibus, ut decet Epiſcopum & Dei ſacerdotem, tranſgreſſori te Oſio didici reſtitiſſe*, &c. ſi *reſiſtebat* contra nitentem adverſarium paſſus eſt, quo exitu? in ſanctum virum irruentem extemplo divina manus perculit, *ut vidit ſanctus Gregorius quod Oſius vellet dare ſententiam, ut quaſi dejectus videretur, appellat ad verum & potentem judicem Chriſtum*, &c. *ecce repente Oſius, cum ſententiam conatur exponere, os vertit, diſtorquens pariter & cervicem, de ſeſſu in terram eliditur, atque illic expirat, aut, ut quidam volunt, obmutuit. Inde tamen effertur ut mortuus*; &c. *qui proferre voluit humanam ſententiam, mox divinam perpeſſus eſt graviorem*, &c.

Hilar. Frag.

Marcellin.

Marcellin. & Iſidor.

Si cœleſti judicio *de ſeſſu in terram eliſus & obmuteſcens expiravit*, quî *moriens quaſi in teſtamento ſuo hæreticorum vim proteſtatus Arianam hæreſim* (quod Athanaſio perſuaſum fuerat) *condemnaverit, eamque à quoquam probari, aut recipi vetuerit*? nemo certe apoplecticus & ex ſymptomate obmuteſcens, vel condendi teſtamenti vel ſuprema mandata dictandi, (quantumcunque *naturalia* cum *politicis regiis genealogicis*, quæ prolixe ſpondet *arcana* rimetur Chiffletius) capax eſt; quique in ipſo Arianæ hæreſis propugnandæ conatu periit, eam vel deteſtatus eſſe, vel ab aliis deteſtandam cenſuiſſe dici nequaquam potuit. Concidit autem non anno 360, quem ex Baronii infelicem ejus caſum poſt Concilium Ariminenſe differentis rationibus, paulo

Athan. ad Sol. vit. agent.

 ante

ante aſſignaveramus, ſed anno 358, quo deſinente, vel ſequenti ineunte ad Solitarios Epiſtolam dedit Athanaſius. Cum enim Gregorii Eliberitani imprecatione, ante quam is Ariminum ſe conferret, Oſius oppreſſus fuerit; inter Ariminenſis Concilii legatos qui Nicææ Thraciæ anno 359, vi Idus Octobris prævaricati ſunt, Higinus ſucceſſor ejus reperiatur anno 358 ab apoſtaſia proximo, ætatis circiter 103 ex neceſſitate vivere deſierit. quod rurſus Euſebii Vercellenſis ad Gregorium Eliberitanum ſcribentis authoritate confirmari poteſt; ſic enim ille, *tranſgreſſori te Oſio didici reſtitiſſe, & plurimis cadentibus Arimino in communicatione Valentis & Vrſacii & cæterorum, quos ipſi agnito blaſphemiæ crimine ante damnaverunt, aſſenſum tuum denegaſſe*, &c. ut Gregorii cum Oſio certamen Ariminenſe Concilium temporis ordine præceſſiſſe indicet. Quis hic ad divinorum judiciorum profunda obſtupeſcens, dum Oſium impietatis toties victorem, in hæreſeos mancipium derepente verſum, miſere tandem periiſſe audit, temperet à lachrymis? Hilarii vero noſtri Oſii reſpectu tironis, utpote qui *ὁμοούσιον niſi exulaturus* non audierat, fortem ſemper & ad finem invictum animum contemplatur, gaudium ſuum capiat? hic eodem quo Oſius tempore gregi ſuo avulſus, continuis pro fide laboribus intaminatam ſibi gloriam nobilemque triumphum peperit: annis 356 & 357 quo Oſius prævaricatus eſt, inter Phrygas exulans elucubrato de Trinitate opere *clariſſima Latini ſermonis adverſus Arianos tuba* dici meruerat; anno 358, quo Oſius fratres oppugnans diem ultimum obiit, edito de Synodis libro Gallorum ſuorum animos ad conſtantiam excitaverat; anno 359, qui exilii quartus erat, Seleuciam à *Vicario data evectionis copia* cum reliquis Epiſcopis *ire compulſus eſt:* quod *Dei nutu ita geſtum, ut vir divinarum rerum* Severus. *inſtructiſſimus cum de fide diſceptandum erat intereſſet. Is ubi Seleuciam venit, magno cum favore exceptus, omnium in ſe animos & ſtudia convertit*, &c. Anno 360 Conſtantinopoli Seleucienſis Synodi *Legatos ſecutus, nullis certe de ſe mandatis opperiens Imperatoris voluntatem, ſi forſitan redire ad exilium juberetur. Is ubi extremum fidei periculum animadvertit, Occidentalibus deceptis, Orientales per ſcelus vinci: tribus libellis publice datis audientiam regis popoſcit, ut de fide coram adverſariis diſceptaret. Id vero Ariani maximopere abnuere. Poſtremo quaſi diſcordiæ ſeminarium & perturbator Orientis redire ad Gallias jubetur, abſque exilii indulgentia*, &c. *Verum ubi permenſus eſt orbem pæne terrarum, malo perfidiæ infectum, dubius animi, & magna curarum mole æſtuans, cum pleriſque* in Luciferi Calaritani & Gregorii Eliberitani ſchiſmaticam duritiem propendentibus, *videretur non ineundam cum his communionem, qui Ariminenſem Synodum recepiſſent, optimum factu arbitratus revocare cunctos ad emendationem & pœnitentiam, frequentibus intra Gallias Conciliis atque omnibus fere Epiſcopis de errore profitentibus, apud Ariminum geſta condemnant, & in ſtatum priſtinum Eccleſiarum fidem reformant*, &c. Saturnino Arelatenſi & Paterno Petrocorienſi ob pertinaciam depoſitis, *cæteris venia data* eſt. *Illud apud omnes conſtitit, unius Hilarii beneficio Gallias noſtras piaculo hæreſis liberatas.* nec de Gallis ſolis liberandis ab eo laboratum, libellus quem adverſus Auxentium, Mediolano Italiæ Metropoli incubantem, ſub finem vitæ ſcripſit luculente probat. Eodem acti ſpiritu Oſii & Potamii blaſphemiam ſtyli mucrone confixit Phegadius, cujus uſque nunc labor ſupereſt. Galliæ univerſæ Epiſcopi Lutetiæ Pariſiorum anno 365 congregati,

 frater-

fraternam cum *Epiſcopis Orientalibus omnibus per diverſas provincias in Chriſto manentibus*, conteſſerationem renovarunt. quam tanti anno 370 Magnus Baſilius fecit, ut à Gallicanis Epiſcopis Epiſtola 69, quam Sabino Diacono Italorum & Gallorum legato, ac exinde Placentinæ Eccleſiæ Præſuli perferendam dedit, amicam rebus in arctis manum Orienti univerſo porrigi obnixis precibus contenderet: *feſtinate*, inquit, *ad nos, feſtinate jam chariſſimi fratres: porrigite manus, in genua inclinatis: commoveantur in vobis fraterna veſtra viſcera, profundantur lacrymæ condolentiæ; non negligite dimidium orbis ab erroribus abſorptum: nec ſinite extingui fidem apud eos apud quos primum illuxit. quid igitur facientes rebus ſuccurretis, & quomodo erga oppreſſos condolentiam oſtendetis, id à nobis nequaquam vos diſcere oportebit, ſed Spiritus ipſe ſanctus vobis ſuppeditabit. at certe celeritate opus eſt, ut eos qui reſtant ſervetis incolumes, & plurium fratrum præſentiæ, ut qui advenient juſtum Synodi numerum expleant: ut non ſolum ex legatorum gravitate, ſed etiam proprio numero, ad inſtaurationem fidei fiduciam habeant: qui enim in Nicæa ſcriptam à patribus noſtris fidem renovabunt, & hæreſin funditus extirpabunt, & Eccleſiis pacifica prædicabunt, eos qui non idem ſentiunt in concordiam ducentes*, &c. *ab illis qui videntur Orthodoxi eſſe, diſſidentibus videmus Eccleſias ad extremam imbecillitatem eſſe deductas: propter quæ potiſſimum à vobis auxilium deſideramus, ut qui Apoſtolicam fidem profitentur, ſchiſmatis quæ noverint diſſolutis, deinceps authoritati Eccleſiæ ſubjiciantur, ut ſanum Chriſti corpus fiant, omnibus membris ad integritatem redactis*, &c. *proculdubio enim ſumma laude dignum judico, quod vobis à Domino conceſſum eſt, ut fucatum à probato puroque diſcernatis: patrum autem fidem ſine ulla prævaricatione prædicetis*. Idem Epiſtola 70 anno 371, hoc titulo data, *vere pientiſſimis ac deſideratiſſimis fratribus, concordibuſque comminiſtris Galliæ & Italiæ Epiſcopis*, &c. *& nunc & alias dilectionem veſtram voce lugubri imploravimus: ut noſtræ miſeriæ condoleatis ac ſuccurratis*, &c. *aliqui veſtrum ad viſendum & conſolandum afflictos veniant*, &c. *novimus quod noſtri nunquam ſitis obliti, non minus quam mater filiorum uteri ſui*, &c. *Eccleſiis illis quæ per tempeſtatem jactantur, manus porrigite*, &c. *unum miſimus pro multis, pientiſſimum hunc & dilectum fratrem noſtrum Dorotheum Sympresbyterum, qui & quæcumque litteris noſtris non ſatis exprimuntur, ſua ipſius poterit narratione adimplere*, &c. Tale quippiam ab Hiſpanis tunc præſtitum vel expetitum quis dixerit? Nota Galliam Italiæ ab eo prælatam.

Sardicæ Hiſpanos plures cum Oſio ſediſſe, Synodicæ ad Iulium datæ ſubſcriptiones indicant, hæ nimirum, *Oſius ab Spania Cordubenſis, Anianus ab Spaniis de Caſtolana, Florentinus ab Spaniis de Emerita, Dominianus vel Domitianus ab Spaniis de Aſturica, Caſtus ab Spaniis de Cæſaraugusta, Prætextatus ab Spaniis de Barcilona*, &c. quibus 53 loco in Fragmentis, in Conciliorum Tomis 52 ſubjicitur, *Veriſſimus à Gallia de Lugduno*: viderique poſſit tam ob numerum, quam ob ordinem delegatorum Galliæ prælata Hiſpania. Sed tria hic obſervanda veniunt. 1 Subſcriptionum ſeriem *unum de ſexaginta* tantum complexam mancam eſſe; cum enim Theodoretus lib. 2, cap. 8, Vincentium Capuanum & Euphratam Agrippinæ Coloniæ præſulem, *ex eorum numero qui Sardicæ convenerant, una cum Saliano Duce* à Conſtante Auguſto ad Conſtantium Germanum delegatos notet; non unicus Veriſſimus ex Gallicana Dioe- Hilar. Frag.

 ceſi

ceſſi Sardicæ interfuerit, ſed cum eo Euphratas aliique forte plures, quorum ſubſcriptiones interciderunt. 2 Alio in Hilarii Fragmentis, poſt Epiſtolam ad Iulium Papam datam, alio in Conciliorum Tomis poſt Canones ordine Epiſcopos Sardicæ congregatos recenſeri: quandoquidem in Fragmentis Hiſpani ſex ante alios omnes ſubſcripti reperiuntur, in Conciliorum Tomis poſt Oſium *Vincentius Capuanus*, qui in Fragmentis 14, *Calepodius Neapolitanus*, qui ibidem 45, *Athanaſius Alexandrinus*, qui 31, *Ianuarius Beneventanus* qui 15, ante Hiſpanos reliquos nominantur; nec ullus vel Diœceſibus vel Diœceſeon ſingularum membris certus locus ſervatur. 3 Nullam prius ordinatis utrobique prærogativam conſtanter reſervari; nam plures ex iis qui Nicæno Concilio ante annos 22 interfuerant, primatumque ob ætatis meritum ſibi jure vindicare poterant, poſt ordinatis ſubjiciuntur: exempli cauſa *Aſclepius Gaſenſis*, in Fragmentis 12, in Conciliorum Tomis 15, *Marcellus Ancyranus* in Fragmentis 10, in Conciliorum Tomis 13, *Protogenes Sardicenſis* in Fragmentis 16, in Conciliorum Tomis 18, occurrunt: univerſaque nomina pro antiquariorum arbitrio confuſa, neglecto tam ſedium, quam antiquitatis jure interverſa ſunt. Fieri tamen poteſt ut Hiſpanis, qui tam in Fragmentis, quam in Conciliorum Tomis eodem ordine conſignantur, proprius ſecundum promotionis tempus locus relictus ſit, eaque de cauſa *Florentinus Emeritenſis* Luſitanicæ Provinciæ Metropolitanus *Oſio Cordubenſi & Aniano Caſtulonenſi* Bethicæ Provinciæ præſulibus ſub Hiſpalenſi Metropolitano poſitis primas cedat. Cum igitur in ſubſcriptionum duplici ſerie fixum nihil ratumque haberi poſſit, nec primas ſibi nec ſecundas ex utriuſque præſcripto Macedonibus, Palæſtinis, Græcis, *&c.* cum Gallis poſt terga rejectis debitas Hiſpania cenſuerit.

Ithacio Emeritenſi inſtitutam adverſus Priſcillianiſtas actionem proſequente, Maximus qui Gratiano perempto anno 383 Auguſto menſe Imperium invaſerat, *datis ad præfectum Galliarum atque ad vicarium Hiſpaniarum litteris, omnes omnino quos labes illa involuerat deduci ad Synodum Burdigalenſem juſſit*, &c. Nec Hiſpanos plures cum Gallis & Britannis ſediſſe dubium eſt: quo tamen ordine ſederint, cum Burdegalenſis Concilii acta vel perierint, vel ſitu ac pulvere obruta uſque nunc deliteſcant, nemo jam dixerit. Vbi ea nacti Hiſpani nos quid revera geſtum ſit docuerint, majorum nos judicio morigeros invenient: tantiſperdum iis nobiſcum carent, nihil quod ipſis primi loci ſpem faciat temere jactaverint.

Severus.

Concilio Romæ ſub Gregorio, ſive ſecundo anno 721, quod Baronio & Binio viſum eſt, ſive tertio anno 736, quod improbabile non eſt, congregato Sinderedus Toletanus interfuiſſe legitur: ut Hiſpanicarum Eccleſiarum primas, Chriſti ſtigmatibus inſignis certaminibuſque pro fide, quam Saracenis rerum potientibus retinuerat, nobilitatus, honoratiorem locum qualem ſub prioribus pontificibus obtinuerant Galli meritus videbatur, ut vel ante Italos omnes pontifici proxime aſſidens, vel inter primos conſideret: ſed ordine 17, poſt Gregorium Anagninum alioſque humiliorum in Italia ſedium Epiſcopos recenſetur hoc modo, *in nomine Domini*, &c. *Imperante*, &c. *Preſidente Sanctiſſimo ac Beatiſſimo Gregorio Apoſtolico Papa, in Baſilica Beati Petri Apoſtolorum Principis ante Confeſſionem conſidentibus etiam Sanctiſſimis Epiſcopis Agnello Ferentinati*, &c. *Gregorio Anagniæ, Sinderedo Archiepiſcopo*

piſcopo Spagniæ, Georgio Nepeſino, Sedulio Epiſcopo Britanniæ, Ioanne Signino, Fergusto Epiſcopo Scotiæ, Andrea Albanenſi, & Majorino Polimartii, ſeu venerabilibus Presbyteris Siſinnio, &c. ſi inter Europæas univerſas dignitate potior Hiſpanica Eccleſia credebatur, quî factum ut ejus caput Sinderedus, quem præter primatus apicem confeſſionis gloria commendabat, minus honorifice Romæ exceptus ſit, quam annis 313, 465, & 680, Galli fuerant? Adeone decori oblitum Gregorium Papam putaverint Hiſpani, ut in eorum injuriam, cujus auxilium exterus nemo imploraſſe noſcitur, primariæ gentis primum inter poſtremos Italos conſiſtere juberet?

Quid extra patriam honoris ac dignationis Hiſpanicis præſulibus antiquitus obvenerit, ex præcedentibus liquere poteſt. Si nunc aliarum Eccleſiarum judicium ſecuti de Gallicanæ dignitate aſſerenda cogitemus, hoc adverſus æmulos telo armabimur. *Cujus Eccleſiæ judicium Africana, Oriens univerſus, Conſtantinopolis ipſa ſæpius expetiit; opem conſortiumque Italia & Britannia flagitavere, illius ex Afrorum, Orientis*, &c. *mente authoritas & dignitas Hiſpanica potior fuit. Gallicanæ Eccleſiæ judicium Africana* anno 312, *Oriens univerſus* anno 370, *Conſtantinopolis ipſa ſæpius*, annis *nimirum* 767 & 824 *expetiit, opem conſortiumque Italia & Britannia flagitavere.* Ergo, *Gallicanæ Eccleſiæ ex Afrorum, Orientis*, &c. *mente, authoritas & dignitas Hiſpanica cujus auxilium exterus nemo imploraſſe noſcitur potior fuit.*

Ad Hiſpaniam ipſam converſis, quadruplex pro Gallicanæ Eccleſiæ primatu argumentum ad manum erit. 1 *Quæ Eccleſia Hiſpanica, quam Præſulum ſuorum miniſterio ex parte fundavit & inſtauravit, reſpectu fontis, radicis, matriſque inſtar eſſe poteſt, dignitate & authoritate potior eſt. Gallicana Eccleſia Hiſpanicæ quam Præſulum ſuorum* Pauli, Saturnini, Eugenii, Bernardi *miniſterio ex parte fundavit & inſtauravit reſpectu, fontis, radicis, matriſque inſtar eſſe poteſt.* Ergo *Gallicanæ Eccleſiæ dignitas & authoritas potior eſt.* 2 *Cujus Eccleſiæ Hiſpanica in ſuorum Oſii, Priſcilliani, Felicis, cauſa judicium ſubiit, ejus ex Hiſpanicæ mente dignitas & authoritas potior eſt. Gallicanæ Eccleſiæ Hiſpanica in ſuorum Oſii, Priſcilliani, Felicis, cauſa judicium ſubiit.* Ergo *Gallicanæ Eccleſiæ ex Hiſpanicæ mente dignitas & authoritas potior eſt.* 3 *Cujus Eccleſiæ jure & Canonibus Hiſpanica, ab* anno 517 *regi conſuevit, ejus ex Hiſpanicæ mente dignitas & authoritas potior eſt. Gallicanæ Eccleſiæ jure & Canonibus Hiſpanica, ab* anno 517 *regi conſuevit.* Ergo *Gallicanæ Eccleſiæ ex Hiſpanicæ mente dignitas & authoritas potior eſt.* 4. *Cujus Eccleſiæ delegatis Hiſpanica, ab* annis 314 & 380 *primas detulit, ejus dignitatem & authoritatem potiorem agnovit & in præſens agnoſcere debet. Gallicanæ Eccleſiæ delegatis Hiſpanica, ab* annis 314 & 380 *primas detulit.* Ergo *Gallicanæ Eccleſiæ dignitatem & authoritatem Hiſpanica potiorem agnovit & in præſens agnoſcere debet.*

Si denique priſcam Chriſtianæ orbis praxim advertamus, triplex nobis ex illa cauſæ firmamentum exurget. 1 *Cui Eccleſiæ cum Italis vel ab Italis primus*, annis 313 & 314, *à Conciliis locus aſſignatus eſt, ei uſque nunc ſervari debet. Gallicanæ Eccleſiæ cum Italis vel ab Italis primus*, annis 313 & 314, *à Conciliis locus aſſignatus eſt.* Ergo *Gallicanæ Eccleſiæ primus uſque nunc locus ſervari debet.* 2 *Quem locum Eccleſia Gallicana ab* annis 313 & 314, *ad* 1557 *per annos* 1244 *reclamante nullo tenuit, &* ab anno 1557 *in hanc uſque diem fortiter tenet, eum ſibi tanquam proprium & debitum vindicare in perpetuum poteſt.*

poteſt. Primum cum Italis locum Eccleſia Gallicana ab annis 313 & 314, *ad* 1557, *per annos* 1244, *reclamante nullo tenuit, &* ab anno 1557, *in hanc uſque diem fortiter tenet.* Ergo *primum cum Italis locum ſibi tanquam proprium & debitum Eccleſia Gallicana vindicare in perpetuum poteſt.* 3 *Quæ Eccleſia ab* anno 314 ad 1557, *quarti loci ſorte contenta eſt, primum ſine priorum injuria priſcique quem conſtans Chriſtiani orbis ſententia conſecravit ordinis everſione invadere non poteſt. Hiſpanica Eccleſia ab* anno 314 ad 1557, *quarti loci ſorte contenta eſt.* Ergo *Hiſpanica Eccleſia primum ſine priorum injuria priſcique quem conſtans Chriſtiani orbis ſententia conſecravit ordinis everſione invadere non poteſt.*

Cum igitur ab omni novellitate alieniſſimus ſibi, regno divinitus commiſſo, Eccleſiæ quæ regnum Chriſto dicavit, nihil ultra legitimam majorum ſortem & ubique notiſſima pacatæ nullaque ex æmulorum invidia per ſæcula fere tredecim lite pulſatæ poſſeſſionis jura Rex Chriſtianiſſimus arroget; ſe ſuaque intra ſolitum modum cohibeat; ex Concilii Nicæni præſcripto *antiquos* apud omnes *mores* obtinere depoſcat; intolerandumque adverſariorum tumorem Dominico obelo, *ſic à Principio non fuit*, transfigens nullibi *terminos quos patres poſuere moveri* ſinat; Chiffletium qui ei alieni per indignos ambitus invaſi dicam ſcribere auſus eſt, tanquam motæ mentis hominem Anticyram navigare, olidaſque ſecum calumniarum ſuarum fæces adſportare jubebit Chriſtianus orbis: cui ſingula hæc compertiſſima ſunt: 1 Nemini rerum ſuarum conſcio ut quod habet petat, ſed quo careat, convenire. 2 Eum qui petit, in hunc unum finem petendo collimare, ut quod cupit obtineat eoque deinceps carere deſinat. 3 Eum qui quod jam habet petit, fruſtra (quod de ſe ſapiens nemo dici ferat) agere. 4 Tam abſurdum eſſe ut quis quod jam habet accipiat, quam ut quod non habet cuiquam re ipſa donet. 5 Tam eum qui prenſando & rogando petit ambire, quam qui minatur extorquere conari. 6 Hoc ipſo ſeculum proxime præcedens in Philippo II confitentem imo αὐτοκατάκριτον ac ſemet plectentem reum habuiſſe, præſenſque in ejus hærede habere. Nam 1 *Quiſquis deſtinato conſilio locum Francico vel priorem vel parem petiit, ſe nec priorem nec parem antequam peteret habuiſſe confeſſus eſt.* Philippus II *deſtinato conſilio locum Francico vel priorem, vel parem petiit.* Ergo Philippus II *ſe nec priorem nec parem antequam peteret habuiſſe confeſſus eſt.* 2 *Quiſquis non in integrum reſtitui, ſed novum quid cauſa ſua inſtitui petiit, ablatum ſibi quippiam velut ex profeſſo negavit.* Philippus II *non in integrum reſtitui, ſed novum quid cauſa ſua inſtitui petiit*; Ergo Philippus II *ablatum ſibi quippiam velut ex profeſſo negavit.* 3 *Quiſquis certum ſibi locum à Papa & Concilio aſſignari petiit, nullo certo loco ſe antea conſtitiſſe facto ipſe agnovit.* Philippus II *certum ſibi locum à Papa & Concilio aſſignari petiit.* Ergo, Philippus II *nullo certo loco ſe antea conſtitiſſe facto ipſo agnovit.* 4 *Quiſquis tam per ſe, quam per delegatos, locum ſibi Francico vel priorem vel parem dari inſtanter rogavit, locum illum revera ambiit.* Philippus II, *tam per ſe, quam per delegatos, locum ſibi Francico vel priorem vel parem dari inſtanter rogavit.* Ergo Philippus II *locum illum re vera ambiit.* 5 Quiſquis inſtanter rogando, locum Francico non priorem nec parem conſecutus, priſtino in ſtatu relictus *eſt, fruſtra ambiiſſe merito dici poteſt.* Philippus II *inſtanter rogando, locum Francico nec priorem nec parem con-*

conſecutus priſtino in ſtatu relictus eſt. Ergo, Philippus II *fruſtra ambiiſſe merito dici poteſt.*

Nec *priorem* nec *parem* conſecutum Requeſenii à Valdeſio edita proteſtatio, illaque ipſa quam ex Cancellaria imperiali à ſe erutam dicit Chiffletius Maximiliani II ad Carolum IX anno 1564 Decembris 14, data Epiſtola evincit. *Etſi*, inquit, *ad nos antehac ex urbe perlatum & nunciatum fuit, Sanctiſſimum Dominum ſuper iſta controverſia decretum quoddam promulgaſſe, quod nos ſuo loco relinquimus, neque id hoc tempore probare vel improbare cogitamus: novit tamen Serenitas veſtra, ea quæ Sanctitas ſua in curia ſua de rebus ejuſmodi prophanis ſtatuere & præſcribere ſolet, ad nos nihil pertinere: neque etiam credimus, animum Sanctitatis ſuæ unquam fuiſſe, vel adhuc eſſe, quod nos inſtar nudi executoris debeamus ejuſmodi decreta & conſtitutiones Sanctitatis ſuæ executioni mandare*, &c. *Promulgatum* igitur fruſtra ringentibus Hiſpanis à Papa *decretum* fuerat, quod Maximilianus Patruelis, Sororii, ac paulo poſt generi futuri offenſionem veritus executioni mandare recuſaret, idque Chiffletium nihil *decretum* pro ſolita audacia fingentem mendacii manifeſti coarguit. Diſquiſit. p. 94. & 95. Hoc Philippiſantis fuit.

Pii IV auctoritate fretus Bernardinus Bocatellus Redonum Epiſcopus, & Caroli IX ad Maximilianum II legatus, generoſam & apertam Hiſpani ambitus improbationem & Francici juris aſſertionem ab Auſtriaca gente exprimere conatus, eluſam poſtulationem indignatus de diſceſſu cogitaverat: ea de cauſa Philippi II *prenſationibus apud Maximilianum Imperatorem gentilem ſuum effectum, ut Principis loci prærogativa in aula Cæſarea* Gallicis *legatis denegaretur*, ad Carolum Regem anno 1572 Gaſpar Colinius Thalaſſiarcha ſcripſit; non quod revera Maximilianus Bocatellum à poſſeſſione primi loci depuliſſet, ſed quod adverſus Philippum ſtare renuiſſet. Sic enim ille in laudata à Chiffletio ad Regem Epiſtola: *Recordamur eamdem rem à Sereniſſimo & potentiſſimo quondam Principe Domino Ferdinando, electo Romanorum Imperatore Auguſtæ memoriæ, Domino ac genitore noſtro obſervantiſſimo, non ſolum ob prædictum Epiſcopum Rhedonenſem ex parte Serenitatis veſtræ, verum etiam per præfati Sereniſſimi Patruelis & fratris noſtri Regis Catholici oratorem, qui tunc in aula Majeſtatis ſuæ reſidebat, Comitem à Luna, vehementer petitam fuiſſe; verum Majeſtatem ſuam Cæſaream præclariſſimæ memoriæ neque potuiſſe, neque voluiſſe judicium tam acris controverſiæ ſuſcipere: quoniam non abs re dubitabat Majeſtas ſua, ſi ipſa hunc laborem ſubire, & operam dare vellet, ut hujuſmodi differentia aut amicabili compoſitione tranſigeretur, vel jure decideretur, utrum Serenitas veſtra Majeſtatem ſuam Cæſaream judicem vel arbitrum eſſe vellet, nec ne: eamque ob rem Majeſtas ſua Cæſarea adhibita matura deliberatione conſtituerat, ſe ſe ejuſmodi controverſiæ nullomodo immiſcere, ſed omnibus modis præcavere, ne alterutrius partis Iuribus, de quibus illa nullam haberet judicandi vel decernendi facultatem, quippiam præjudicii attuliſſe, aut alterum eorum offendiſſe videretur; neque Majeſtas ſua Cæſarea eam viam ac rationem, tanquam commodiſſimam & tutiſſimam, ſibi ineundam cenſuit, de qua haud dubie Serenitas veſtra tum temporis ab oratore ſuo certior reddita fuit, quam nimirum Majeſtas ſua Cæſarea tunc inter alios quoque inferioris ordinis Principum oratores obſervabat. Et licet tunc temporis ambo oratores de ratione & ordine illo divi Imperatoris genitoris noſtri, & præcipue multo vehementius Comes à Luna pro parte* Thuanus lib. 49, edit. Francof. Diſquiſit. p. 93. Hoc rurſus Philippiſantis fuit. Velle non debuit. Proteſtatio facto repugnavit.

Sereniſſimi Regis Hiſpaniarum conqueſti fuerint, prætendente ipſo oratore Sereniſſimi Regis Hiſpaniarum, majorem debuiſſe haberi rationem Regis ſui, quam ſerenitatis veſtræ, propter mutuam & arctiſſimam ſanguinis conjunctionem, quæ Pag. 94. *Majeſtati ſuæ Cæſareæ ipſique Regi intercederet: tamen poſtquam Divus quondam genitor noſter in ſententia ſua permanſit firmiter, ipſique oratores tunc acquieverunt, atque interdum etiam apud Majeſtatem ſuam in templo comparuerunt, in eoque ſtatu res in hunc uſque diem fuit valida, ita ut nihil difficultatis aut moleſtiæ in hoc negotio amplius, & præſertim hoc tempore, ſuboriturum crediderimus. Sed cum res, uti dictum eſt, aliter ſe habeat, prætermittere non poſſumus, quin ſerenitati veſtræ per præſentes benevole oſtendamus, nos hunc ordinem, de quo diximus, à prælibato quondam Domino genitore noſtro felicis recordationis quaſi per manus traditum accepiſſe, atque nos ea, quæ per Majeſtatem ſuam in aliis quoque rebus ordinata & conſtituta ſunt, haud facile mutare; ſed ea, ut pie & prudenter deliberata atque conſtituta, lubenter ſequi; ideoque non poſſe neque debere etiam in hoc negotio nos diverſum quippiam ab eo, quod Divus genitor noſter ordinavit, abſque ulla cauſa, & poſt tot annorum intervallum ſtatuere, quemadmodum ſerenitas veſtra pro ſua prudentia ipſamet facile conſiderare poteſt, id nobis, ſi faceremus, non immerito vitio verti poſſe. Ad hæc, Sereniſſimus Rex Hiſpaniarum, ſi tam facile ab inſtituto & exemplo ſereniſſimi potentiſſimique quondam Domini genitoris noſtri diſcederemus, eam rem haud dubie moleſtiſſime laturus atque ſuſpicaturus eſſet, nos paternam concordiam, benevolentiam, & unanimitatem, atque arctiſſima ſanguinis vincula quibus Deus Optimus Maximus nos cum ſerenitate ejus conjunxit, parvi pendere, imo prorſus negligere, atque de induſtria anſam & occaſionem hujuſmodi antiquam neceſſitudinem & concordiam diſrumpendi, nulla prorſus à ſerenitate ſua cauſa vel injuria accepta, quærere,* &c.

Suſpenſo itaque gradu velut inter partes patris exemplo medius incedere voluit hac à Francis ex parte alienior, quod antiquam eorum poſſeſſionem turbanti patrueli obniti, dum privatis affectibus indulget nequaquam ſuſtinuit. Altero vertente anno, qui Chriſti 1566 fuit, magis ac magis in partes inclinavit. *Venerat*, inquit Thuanus, *ad Comitia Kalend. Majis ad Cæſarem Bernardinus Bocatellus Redonum Epiſcopus, de nuptiis Regis cum Maximiliani filia acturus, à quo quinque poſt diebus, Hiſpanorum & Thomæ Perrenoti Chantoneti in primis, qui res Philippi apud eum procurabat, conſiliis & violentia circumvento, reſponſum indignum juxta & inſolentiæ plenum ſcriptis mandatum tulit*, &c. *Cæſar poſtea Redonenſis animum ſimul & prudentiam laudavit, cum ſe à Chantoneto & Hiſpanis deceptum intelligeret, nihil aliud molientibus, quam ut rebus noſtris, vel cum Cæſaris jactura incommodarent. Quod & Cæſar per Philippum Comitem Rheni, qui aderat, rebus noſtris valde addictum, Redonenſi non obſcuris verbis ſignificandum curavit*, &c. Acceſſit tandem anno 1570 novum neceſſitudinis vinculum, quo jam obnoxii Principis mentem arctius illigarent & in partes traherent Hiſpani, qui iiſdem exinde artibus priſcæ Regum noſtrorum dignitati derogare, Auſtriacoſque Germanicos prenſare nunquam deſierunt. quod ut evidentius fiat, en Familiæ totius ex Tabella ſtatum.

Libro 37. edit. Francof.

Ioan-

1 Ioannes Burgundiæ Dux, Margaretæ Bavaricæ maritus.

2 Philippus *Bonus* Iſabellæ Portugal. maritus.
2 Maria Adolphi Cliviæ Ducis uxor.
2 Agnes Caroli I Borbonii Ducis uxor.

3 Carolus Iſabellæ Borboniæ maritus.
3 Maria Caroli Aurelianorum Ducis uxor 3.
3 Iſabella Caroli Burg. Ducis uxor 2.
Margareta Philippi Sabaudiæ Ducis uxor.

4 Maria Maximiliani I uxor prior.
4 Ludovic. XII, Annæ Britannicæ marit. 2.
4 Ludovica Caroli Engoliſm. Comitis uxor.

5 Philippus I, Ioannæ Caſtellæ Reginæ maritus.
5 Claudia.
Franciſcus I.
5 Margareta Henrici Labret. Navarr. Regis uxor.

6 Carolus V, Iſabellæ Portugalicæ maritus.
6 Ferdinandus I, Annæ Iagellonicæ maritus.
6 Henricus II, Catharinæ Mediceæ maritus.
6 Ioanna Regina, Antonii Borbon. Vindoc. Ducis uxor.

7 Philippus II, Mariæ Portugal. Iſabellæ Franciæ & Annæ Auſtriacæ maritus.
Maria.
7 Maximilianus II.
7 Carolus Archidux, Mariæ Bavaricæ maritus.
Ioanna Franciſci Tuſc. Ducis uxor.
7 Carolus IX, Iſabellæ Auſtriacæ maritus.
Iſabella Philippi II uxor 3.
7 Henricus IV, Mariæ Mediceæ maritus.

1 nupt. 8 Carolus anno 1568, Ian. menſe ſublatus.
3 nupt. Iſabella Alberti Archiducis uxor.
Catharina Caroli Sabaudiæ Ducis uxor.
4 nupt. Philippus III Margaretæ propinquæ marit.
8 Anna Philippi II uxor quarta.
Iſabella Caroli IX uxor.
Rudolphus II, Matthias, Albertus Iſabellæ marit.
8 Ferdinandus II, Mariæ Bavaricæ marit.
Margareta Philippi III uxor.
8 Maria Henrici IIII uxor.
8 Ludovicus XIII Annæ Auſtriacæ marit.
Gaſto Aurel. Dux.
Iſabella Philippi IV uxor prior.

9 Philippus IIII, Iſabellæ Franciæ ac exinde Mariæ propinquæ maritus.
Anna Ludovici XIII uxor, à patre Francis iniquiore exhæres facta.
Maria Ferdinandi III uxor prima.
9 Ferdinandus III, Mariæ propinquæ maritus.
9 Ludovicus XIV.
Philippus Andegavorum Dux.

1 nupt. 10 Maria.
2 nuptiis. Infantulæ duæ.
10 Ferdinandus.
Maria Philippi IV uxor 2.

Maximilianus igitur II, Philippi II patruelis, ſororius ac tandem ſocer, propinqui non cauſam, ſed commoda in ſe ſuoſque recaſura ſpectans, nihil non ejus gratiæ tribuit; Ferdinandus II, Philippi III patruelis, & ſororii ope præcipue ſuſtentatus, in ejus partes totus inclinavit, Sabelloque duci ad Pontificem legato injuriæ Cœvræo Marchioni Ludovici XIII, conſobrini & affinis optime meriti, anno 1620 inferendæ author fuit; Ferdinandus III, Philippo IV,

lippo IV, propinquo ſororio ac tandem genero obnoxius, parentis exemplum ſequitur, filioque quem in hæreditatis Hiſpanicæ ſpem educat primi loci prærogativam quam Francis mavult: nemo autem æqui bonique amans ex eorum cæco privatis affectibus indulgendi, ſuorumque res quocunque modo promovendi ſtudio abreptorum, nullo majorum exemplo firmatis actis Francorum cauſam antiquis moribus ſtantem, rerumque ante annos mille trecentos judicatarum auctoritatem adeptam æſtimandam, æmulorumque partibus addictorum arbitrio committendam putabit.

Polonorum certè nullo affectuum philtro tractorum libera mens conſuetum Francis, Hiſpanico legato cedere juſſo, locum ſervavit. Anno 1573, poſt datam à Maximiliano ad Carolum IX epiſtolam octavo, *Varſaviam Monlucius cum Noallio & Sangelaſio venit III Nonas April. & cum de ſedendi prærogativa ei ab oratore Hiſpano mota controverſia fuiſſet, pro tempore rogati ſunt legati externorum Principum, ut à ſacro publico abſtinerent. Poſtea re in deliberationem deducta, decretum fuit ut Cardinalis Commendonus ante omneis, ſecundum eum Cæſarei legati, & tertio loco Monlucius, quarto Hiſpanus admitteretur. Quarto Idus auditus eſt magna attentione Monlucius*, &c. Hiſpanus vero repulſæ dolorem non ferens, pedem retrò collectis clam ſarcinis retulit.

Thuan. Hiſt. lib. 56. edit. Francof.

Pio V qui anno 1566 Decembris 26, quarto ſuffectus fuerat, aliiſque poſt ſequutis ſedentibus ac recentia & nota ejus veſtigia prementibus, Philippi II Legatos, quandoquidem Francicis cedere nolebant, à publicis ſacris abſtinere placuit. quod Valdeſius ipſemet non diffitetur, verba hæc mandati ex Hiſpania miſſi libro ſuo inſerens. *En Tiempo de Pio* IV *ſe començo en Roma la diferencia de precedencia, entre el Embaxador del Rey nueſtro ſeñor, y el del Rey de Francia*, &c. *El Embaxador de ſu Mageſtad ſe venia à contentar con la ygualdad, y Franceſes nunca la quiſieron*, &c. *Muerto el*, [Pio IV] *quando bolvio à Roma, hecho Papa Pio quinto ſe pudiera bolver à tratar deſte negocio, pues no avia avido auto ni declaracion por eſcrito que huvieſſe perjudicado al derecho de ſu Mageſtad, pero à ſu Mageſtad le parecio no tratar deſta materia: y aſſi mando à ſu Embaxador que quedaſſe en Roma, y que no concurrieſſe en ningun acto publico, y en conſervacion de ſu derecho, ſe ſaco un breve de Pio quinto, en que declarava que el tener ſu Mageſtad Embaxador en Roma, y no concurrir à los actos publicos, no le prejudicaſſe al derecho que tenia en poſſeſſorio y petitorio à la precedencia. Muerto Pio* V, *y ſalido Gregorio* XIII, *ſe dudo ſi convendria bolver à tratar de la precedencia, o ſacar otro breve con el que dio Pio* V, *y no parecio hazer lo uno, ni lo otro, porque el breve de Pio* V, *ſe tiene por baſtante*, &c. *Se introduxo en tiempo de Pio* V, *que los Embaxadores tuvieſſen audiencias en un dia en la ſemana, y que eſte fuiſſe el viernes, el de ſu Mageſtad, eſcogio para ſi el del ſabado*, &c. *Otras de las occaſiones en que puede aver concurrencia, es, en el complimiento que ſe haze con el Collegio quando mueren los Papas, y en la ſalida del conclave y guarda del, y al tiempo de dar la obediencia. Otra quando ſe ofrece dar gracias à dezir* Te Deum laudamus, *o hazer alguna proceſſion por alguna hiſtoria, o buen ſuceſſo que ſiendo de las coſas de ſu Mageſtad, va ſu Embaxador, y no ſe halla el de Francia, como en particular acontecio en tiempo de Sixto, en la preſa de Nus, de que fueron à dar gracias à la Igleſia de Sant Iago. En el miſmo tiempo en la canonizacion del Santo Fray Diego ſe trato, de que huvieſſe de ſer lo miſmo: pero inclinandoſe el Papa y al-*

Valdeſius, pag. 98.

pag. 99.

pag. 100.

y algunos Cardenales à qui en lo cometio, à que por no perder la obediencia de Francia, con que le amenazavan, huvieſſe de hallarſe preſente el Embaxador de Francia, no fue el de ſu Mageſtad, y ſe tomo por medio que hizieſſe las ofrendas el Cardenal Don Pedro de Deza, con que ſe cumplio el acto, y ſe eſcuſo la concurrencia. Id eſt, *Romæ Pii* IV *tempore controverſia de primo loco inter Domini noſtri Regis & Francici Regis legatum cœpit*, &c. *Majeſtatis ejus legatus eo devenit ut æqualitate contentus eſſet, Franci eam nunquam expetiverunt*, &c. [Pio IV] *defuncto Pioque* V *ſuffecto, quando* [Requeſenius] *Romam reverſus eſt de hoc negotio agi denuo poterat, quandoquidem nec acto nec declaratione ſcripta Majeſtatis ejus juri derogatum fuerat, non tamen Majeſtatis ejus ſententia fuit de hac materia rurſus agere: ſed legato mandavit ut Romæ manens, in actu, nullo publico concurreret: & in juris ſui conſervationem breve à Pio* V *elicuit, quo declarabat Majeſtati ejus nullum ex eo, quod Romæ legatum haberet, nec tamen is in actibus publicis concurreret, præjudicium in præcedentiæ poſſeſſorio & petitorio afferret. Poſt Pii* V *mortem & Gregorii* XIII *ingreſſum, an de primo loco iterum agendum eſſet, an vero aliud ab eo quod Pius* V *dederat breve poſcendum eſſet, dubitatum fuit; neutrum placuit, quandoquidem Pii* V *breve ſufficere viſum eſt*, &c. *Pii* V *tempore hic mos inolevit ut legati unico ſeptimanæ cujuſcumque die, Veneris nimirum, audientiam depoſcerent, ſibi vero Majeſtatis ejus legatus ſabbatum reſervandum putavit*, &c. *aliæ in quibus concurſus eſſe poteſt occaſiones hæ ſunt, in compellatione quæ collegio fit quando Papæ decedunt, in ingreſſu & cuſtodia conclavis, in obſequii deferendi tempore. Inſuper ubi gratiæ dandæ ſunt & decantandus hymnus* Te Deum laudamus, *aut publice procedendum ob hiſtoriam aliquam, aut proſperum ſucceſſum, qui Majeſtatis ejus res contingat, prodit legatus ejus, non autem Francicus: ut nominatim Sixti* V *tempore in Noveſii expugnatione contigit. Quo nomine in Eccleſia Sancti Jacobi gratiæ actæ ſunt. Eodem tempore in canoniſatione fratris Sancti Didaci actum eſt ut idem fieret; ideò Papa cum Cardinalibus quibuſdam quibus id negotii commiſerat, ne obedientiæ Francicæ, quam illi futuram minabantur, jacturam faceret, eò inclinavit, ut legatus Francicus coram interveniret: non adfuit Majeſtatis ſuæ legatus, ſed hæc via media electa eſt, ut Petrus Deza Cardinalis offerendas faceret, quomodo ſolennis ille actus impletus eſt & concurſus excuſatus*, &c.

Obiit anno 1572, Maii primo, quarto poſt die Gregorius electus eſt.

Capta 1585, Iulii 25. Electus anno 1585, Apr. 24. obiit 1590, Auguſt. 27. Canoniſatus anno 1588, 6 Non. Iulii.

Huc uſque regio juſſu circa annum 1596, ex Hiſpania Romam deinceps profecturis legatis datum mandatum, ex quo velut inſtructiſſimo armamentario plura cauſæ ſuæ munimenta educere Franci ſi lubeat poſſint. nam 1. *quod in Pii* IV, anno 1559 Decembri 26 electi *tempus*, litis de primo loco initium confert, quodque anno 1557, Venetiis Franciſcus Vargas molitus erat, nihili facit, antiquam Francorum prærogativam adeo firmat, ut à nemine ſive Hiſpano ſive alio ante annum 1560, impugnatam neget, & univerſa Valdeſio, Chiffletio aliiſque nuperis Hiſpanicæ cauſæ patronis ex antiquitate corraſa, velut in alienum ſenſum detorta, una ut ſic dicam litura inducat: cum alterutrum ex neceſſitate ſtatuere oporteat, vel Hiſpanos qui ante Pii IV pontificatum vixerunt, cum Europa univerſa cujus judicium ſecuti ſunt plane obrutuiſſe, negentis ſuæ primatum à veteribus aſſertum adverterent; vel quod à nobis ante demonſtratum eſt, Valdeſium, Chiffletium alioſque nuperos, qui primatum Hiſpanicum à patribus aſſertum ſomniant, cum ratione inſanire.

2 Quod *Pii* IV *tempore litem motam* fatetur, non Francos qui novi nihil induxerunt, ſed Philippum ipſum alieni appetentem ferit.

3 Quod legatum Hiſpanicum nihil non in Regis ſui gratiam moventem *æqualitate contentum* fuiſſe notat, ei nec *æqualem* nec *priorem locum* à quoquam antea tributum fuiſſe evincit.

4 Quod Francos antiqua ſorte contentos conditionem conſtanter reſpuiſſe queritur, eos Hiſpanum nec *parem*, nec *priorem* unquam tuliſſe comprobat.

5 Quod cauſam propriam à Philippo II ſæpius dilatam agnoſcit, cum temere ſuſceptæ litis conſcientia vel ingratiis ſuis relanguiſſe indicat.

6 Quod nec *acto* nec *declaratione ſcripta* Philippi II *juri derogatum* à Pio IV fuiſſe aſſerit, verum eſſe jure negaverit quiſquis adverſus Pontificis antiquum Francis locum tribuentis actum Requeſenium proteſtatum non ſine Regis ſui voluntate fuiſſe meminerit: quæ enim juſta proteſtandi cauſa, ſi nihil Regi ſuo actu illo ablatum credebat? verum tamen eſſe negandum non putamus, quandoquidem Pii IV Pontificis conſueto cum Francis more agentis actu nihil præter fas in Philippum Regem admiſſum eſt, eoque *juri* quod nullum erat, nec *derogatum* eſt, nec *derogari* revera potuit.

7 Quod Philippum ne Requeſenius Romam ſub Pio V reverſus *in actu ullo publico* cum Francico legato *concurrerit* ſponte vetuiſſe monet, eum quantumvis fiduciam ſimularet de cauſæ exitu deſperaſſe actuque ipſo ceſſiſſe oſtendit.

8 Quod Brevi à Pio V elicito nihil ex eo quod Requeſenius domi ſe continere juſſus eſſet, Philippi Regis juri ſive in *petitorio*, ſive in *poſſeſſorio* officere poſſe declaratum narrat; inane prorſus & ludicrum eſt; cum ejus qui nihil unquam poſſedit nullum in *poſſeſſorio* non entibus adſcribendo jus eſſe poſſit; in *petitorio* quodcunque à temere litigantibus obtendi poteſt, revera nullum ſit: nos certe qui Philippum II primi loci *poſſeſſione* vel ad momentum gaviſum fuiſſe inficiamur, petitum ab eo non negamus, ſed injuria *petitum* contendimus; *poſſeſſorium* ejus nullum prorſus, *petitorium* non niſi iniquum fuiſſe, nihilque ex Pii V Brevi quod in rem ejus cederet revera promanaſſe certi.

9 Quod legatum Hiſpanicum, Francici concurſum vitare juſſum memorat, Philippum II ad incitas redactum evictumque ſe ſenſiſſe indicio eſt; qui enim concurſum vitat concurrere ſemper parato, quemcunque facto colorem obducendum putet, revera cedit & cedere credendus eſt.

10 Quod Hiſpanicum legatum ſingularis feri aut lucifugæ avis à reliquarum conſortio ſecluſæ inſtar, quæſito Genuenſis Tabellarii colore ſabbatum ſibi quo ad Pontificis colloquium ſolus admitteretur depopoſciſſe, cæteros aliorum Principum legatos feria ſexta ex more Pontificem adire notat, Hiſpaniam rerum quantum in ſe fuit novatarum priſcique ordinis everſi invidia onerat.

11 Quod in canoniſationis ab Hiſpanis procuratæ ſolemni actu legatum, cujus miniſterio utebantur, Sixti V delegatorumque Cardinalium decreto vel Francico cedere, vel domi ſemet (tranſlato in Dezæ Cardinalis humeros demandatæ procurationis onere) continere juſſum, Romanam Eccleſiam in Francorum minas ſi vetus ordo mutaretur intentantium partes inclinatam,

ſpre-

ſpretaſque ab ea Hiſpanici legati prenſationes refert novi nihil ſine manifeſta Francorum ſibi conſueta poſcentium injuria induci potuiſſe luculente declarat.

12 Hiſpanici legati quæcumque mandato expreſſa non ſunt facta totidem Francici juris firmamenta ſunt. Pizanium enim Marchionem blando precum lenocinio expugnare conatus, gratiæ ejus ſi quid de ſummo jure hac una vice remittere dignaretur deputaturum, tale nihil impoſterum flagitaturum, fidem interponere cautionemque à ſe ſcriptam dare paratum proteſtatus eſt.

13 Ipſa denique temporis quo mandatum ſcriptum eſt circumſtantia, Hiſpanicam φιλοτιμίαν quotieſcumque Francicæ fortitudini illiſa eſt fractam, ne rurſus in eumdem ſcopulum impingens novo infortunio mactaretur anxiam fuiſſe convincit. Poſt exactos Roma Henrici III, diris à Sixto V præter meritum devoti, miniſtros, fimbrias nullo reclamante dilataverat, ſexque annos cum trimeſtri, diebuſque viginti quatuor, qui inter anni 1589 Maji 24, quo Sixti monitorium editum eſt, & 1595 Septembris 17, quo Henricus IV Clementi VIII conciliatus eſt, intercedunt, triumphabunda exultaverat; ſed ſimulac in procinctu eſſe Francicum legatum ſenſit, criſtas ſponte demittere cautaque de vitando concurſu monita dare cepit, ex quorum præſcripto in hanc uſque diem Hiſpanici miniſtri ſe ſuaque compoſuerunt, publicis actibus coram noſtris nunquam intereſſe auſi.

Nihil ergo quadraginta duorum annorum contumacia motæ Francis de primo loco litis author Philippus II promovit, nihil ſibi ſuiſque infelici auſu juris quæſivit, toties repulſam paſſus quoties ad nova molimina converſus eſt, nihil præter longum pœnitere quod ad hæredes tranſmitteret habuit; hunc unum *quæſtionis*, qua *nullam fructuoſiorem* eſſe Valdeſius gloriatur, fructum carpens aut carpendum hæredibus relinquens, quod legatis Hiſpanicis ne Francis primas deferre videantur vel ſolum vertere, vel triſte deliquium dum à publicis actibus abſtinere coguntur pati neceſſe ſit. Sic olim Venetiis Franciſcus Vargas, Tridento Ferdinandus Avalus, Roma Ludovicus Requeſenius, Varſavia qui ad Comitia Polonica miſſus fuerat, Francorum concurſum vitaturi exceſſere. Hafniæ ante annos aliquot in nuptiali Danici Regis epulo Claudius Memmius Avallium Comes Hiſpanicum legatum paria affectantem modum ſuum agnoſcere coëgit. Hagæ Comitis nuperrimè Antonius Brunus, Philippi IV ad Ordines Fœderatos legatus, ubi Pomponium Bellevræum, Ludovici XIV legatum navi exſcenſurum audiit, Bruxellas negotia cauſatus ſe tranſtulit, nec antequam vela rurſus feciſſet Bellevræus Hagam reverſus eſt: Romæ ſub Pio IV Ludovicus Requeſenius, & Tridenti Claudius Fernandes Cuignonius, Romæ rurſus Sixto V ſedente alius, publica ſacra quibus Francici legati intererant adire non auſi in latebras compulſi ſunt, nec alia Deo dante Holmiæ Pimentelli præſente Canuto noſtro conditio fuerit, cum Gallorum noſtrorum nec conſpectum nec cantum nunquam niſi fugiendo aut latendo ſecuri ferre poſſint Hiſpanici qui creduntur Leones.

Sed eccum improviſam (velut ex machina numen) iiſdem ſeculi noſtri Siſyphis, primi loci ſaxo quod à nonaginta ſex annis caſſo labore rotant ſuſtollendo ac ſiſtendo imparibus, à Suecia ipſa gelida ſub Arcto adverſus Francos auxiliorum ſpem. *Sciendum*, inquit Chiffletius, *in Baſileenſi Concilio* *Nico-*

Diſquiſit. p. 89. & 90. *Nicolaum Ravallum Archiepiſcopum Vpſalenſem, legatum Erici* VIII, *Danorum, Suecorum & Gothorum Regis, ceſſiſſe ordinis prærogativam legatis Ioannis* II, *Regis Caſtellæ, ut perſpicue inſinuat Alphonſus de Carthagena, Burgenſis Archiepiſcopus. Hoc autem noſtro ævo corona Suecica Francorum Regi locum denegat honoratiorem, ob cujus ambitum anno* 1632 *Ludovicus* XIII *Franciæ Rex, à Guſtavo Adolpho, Suecorum, Gothorum, & Wandalorum Rege, repulſam tulit. Vnde, quia jam olim Sueci digniorem locum ceſſere Hiſpanis hodieque* προεδρίαν *negant Francis, clara manet Hiſpanorum ſuper ejuſdem honoris petitores ſedendi, loquendi, ſcribendi, & ambulandi prærogativa: Hiſpani quippe Suecis pridem præivere: iſti autem ſe à Francis anteverti jam non patiuntur*, &c.

Atqui univerſa hæc vel falſa ſunt, vel ſiquid eis veri ſubeſſe demus, adverſarii ipſius jugulum petunt. Erici VIII, Scandinaviæ totius Monarchæ, in Concilio Baſileenſi legatum Ioannis II Caſtellæ Regis legatis ceſſiſſe, idque Alphonſum Carthagenam Anacephalæoſis cap. 7. *inſinuaſſe*, tam à veró alienum eſt, quam Ludovicum XIII *primum locum ambiviſſe, repulſam paſſum fuiſſe*, Suecos nunc Hiſpanis cedere paratos eſſe, temere & abſurde confictum. nulla enim in toto Alphonſi Carthagenæ opere, vel Erici, vel Baſileenſis Concilii, vel Ravalli, vel legatorum Caſtellenſium, vel ceſſionis in eorum gratiam à quoquam factæ mentio occurrit; ſed hæc tantum laudato loco verba leguntur: *ſimilia memor ſum reſpondiſſe cuidam Prælato oratori Regis Daciæ, qui audiens aliqua quæ in diſputatione ſedium cum Anglicis, de antiqua claritate & clara antiquitate Gothorum ad Regis noſtri eminentiam demonſtrandam in medium adducebantur, ſe interſerere voluit, & Regi Daciæ, qui Gothorum Rex nuncupatur, ſedem eminentem quærere. nam etſi magnum & inſignem illum Regem faterer, tamen majores & inſigniores illos fuiſſe qui à Gothia & circumvicinis regionibus exeuntes Italiam & Galliam, ac etiam Hiſpaniam occuparunt*, &c. Vbi, quando, quo exitu de ſedium dignitate cum Anglis diſputatum fuerit, quoque animo reſponſum ejus orator Dacicus exceperit, nec refert nec divinare Chiffletio permittit. hoc unum in verbis ejus clarum eſt, Anglicam gentem quæ Hiſpanicæ, Conſtantienſis Concilii tempore, præferri voluerat, animum exinde nequaquam mutaviſſe: Suecum vero quæcumque de Gothis ab Hiſpanis audierat, ad gentis ſuæ cujus Gothi Hiſpanici propago fuerant decus traxiſſe, quod nec cedentis nec cedere parati eſſe poſſe ſanus quiſquam dixerit. ceſſiſſe tamen animi gratia fingamus, quid inde incommodi Francis immineat? annon Æneæ Silvio Piccolhomineo in Concilio Baſilienſi ceremoniarum clerico, & indubitatæ de re ſub oculis geſta fidei teſte, Gallicæ nationi ſecundus, Germanicæ tertius, tam Conſtantiæ, quam Baſileæ majorum more locus tributus eſt, Angliſque ac Hiſpanis inter ſe digladiantibus de quarto tantum loco contentio relicta? utrique ergo Germanis, Germani vero Gallis cedebant, nec Suecus Hiſpanis ordine ad ſummum quartis ex adverſarii hypotheſi cedens, Gallis ſecundis anteferri tunc potuit aut nunc poſſit. Quod Guſtavum Auguſtæ memoriæ Regem cum Ludovico noſtro XIII congreſſurum, de primo ſibi loco ante omnia cautum voluiſſe, ex Mercurio Gallico Chiffletius refert, nec nobis qui antiquo jure ſtamus nocere, nec Hiſpanis qui novum ſibi rerum ordinem naſci cupiunt prodeſſe poteſt. cui enim veriſimile fiat eum qui nec Francicæ, nec Germanicæ Majeſtati quicquam ex hypotheſi detuliſſe dicitur, Hiſpanis

qui

qui Germanico imperio ſponte cedunt, cedere paratum fuiſſe? Chriſtinam Viraginum Maximam, quæ glorioſi parentis ſpiritus Francorumque ejus exemplo amorem à teneris hauſit, plus ne Hiſpanis, quam Francis aut Germanis conceſſura ſit vitilitigator noſter roget: nos qui ſarta tecta cuique jura ſua ſervari conſentimus, poſitoſque à patribus terminos refigi à quoquam probare non poſſumus, certa ſpes manet generoſum amicæ reginæ pectus hoſtile nihil adverſus fœderatam gentem ſpiraturum, Chiffletiumque, ut ut de eo quod de Alecto magna Iovis conjux pronunciaſſe fingitur, *Tu potes unanimes armare in prælia fratres*, vere dici poſſit, fruſtra æternum futurum, nec Suecicæ genti diſpliciturum ſi eam conſueto nobiſcum more agere, & majorum ſuorum facta memoria recolere ſua noſtraque cauſa poſcamus. quid ni enim in præſens de ſe nobiſque, cenſeat quod ante annos 230 cum univerſo Latino orbe cenſuit? Concilii Conſtantienſis, *Seſſ.* x, *anno* 1415, *die Martis*, *decima quarta menſis Maji fuit ſeſſio generalis*, &c. *præſentibus quamplurium Regum Franciæ*, *Angliæ*, *Poloniæ*, *Daciæ*, *Norvegiæ*, *Sueciæ & Cypriæ Ambaſiatoribus*, &c. *Seſſ.* x i. *Die Sabbathi vigeſima quinta menſis Maji ſupradicti fuit tenta ſeſſio generalis*, &c. *præſentibus*, &c. *Ambaſiatoribus Franciæ, Poloniæ, Norvegiæ, Daciæ, Sueciæ, Cypri & Navarræ Regum*, &c. *Seſſ.* x v. *Sabbathi die, ſexta menſis Iulii fuit ſeſſio generalis*, &c. *præſentibus*, &c. *Franciæ, Angliæ, Poloniæ, Norvegiæ, Sueciæ, Daciæ, Ludovici Neapolitani, & Ducis Mediolanenſis Ambaſſiatoribus*, &c. Si anno 1573, Ioannis Suecorum Regis ad Comitia Polonica legati, Ioannem Monlucium Francicum ſequi dedignati non ſunt, quo jure nunc Suecicæ aulæ miniſtri Francicos ſolito cultu indignos putent? ſi quod in Chiffletii votis eſt nullo majorum exemplo moneri ſe ſinant, cur Hiſpanis jure ſanguinis obnoxiis, quaſi mater filiis, fons rivo, alveare examini quod emiſit, radix propagini, ſtirps ſurculo, cui poſt variam annorum 236 periodum Saracenici fulminis vento afflato, vix tandem revireſcere datum eſt, dignitate minor ſit, ſeſe obnoxios reddant? Si priſcum in regno ſuo Gothicæ gentis fontem, ad hanc uſque diem ſcaturientem oſtendere poſſunt ſeque Gothos eſſe meminerunt: qui Chiffletium Alphonſi à Cartagena ſomniis indormientem patienter ferant? Procul ergo ad avia ſua pergens faceſſat, qui nec Cartagenæ ſententiam fideliter prout ante notavimus expreſſit, nec vera de ejus dignitate retulit: quod vel hinc manifeſtum fieri poteſt: anacephalæoſis, cujus caput ſeptimum laudat, Ioanne II, Caſtellæ Rege ſuperſtite adeoque anno 1454 ſcripta eſt, Burgenſis Eccleſia ad Archiepiſcopalem apicem à Gregorio XIII, anno 1572 Maji 5, electo provecta eſt: intercedunt inter anacephalæoſis editionem & Gregorii XIII promotionem anni 118: quis Carthagenam tanto ante quam Archiepiſcopalis eſſet tempore Burgenſis Eccleſiæ præſulem, ejuſdem Archiepiſcopum, quod Chiffletius temere effutit, eſſe potuiſſe in animum inducat?

Inſtructi & exhibiti in Norimbergenſi ſuburbano anno 1650 Iulii 14, ab Octavio Piccolhomineo Amalfitani Ducatus violento poſſeſſore epuli pompa & nidore allectus eo oculos ac nares obvertit adverſarius, odioſaque plura de Francis ſecum pugnans fabulatur. cum enim *peractas omnino & concluſas pacis pactiones inter Ferdinandum* III *Imperatorem & coronam Francicam atque Suecicam, dextrum in convivio locum Francis & Suecis* ex con- Nova diſquiſitio, pag. 84.

Pag. 86. convivatoris & Cæſaris mente *aſſignatum* confeſſus Francos Suecis prætuliſſet, mox velut in alium converſus *litem inter eos de præcedentia exortam, Francoſque quod ea ſopiri non potuerit à conventu receſſiſſe*, perinde ac ſi imaginariæ rixæ inter partes ex adverſo conſtitutas cognitor ſediſſet narrat. Vera nulli ignota, luce clariora, ab homine tam fallere quam falli ſolito narrari fingamus, quid Hiſpanis compendii fecerit? *Si*, inquit, *Catholici Regis legati præſentes adfuiſſent in epulo Ducis Amalfitani* (*aberant autem propterea quod pacto pacis Germanicæ non conſenſerant, quod ipſis erat maxime damnoſum*) *illis abſque dubio debita fuiſſet prærogativa*, &c. Eos à pace pangenda alieniſſimos fuiſſe negare non poteſt, qui pactæ ab aliis, quaſi Germanorum cum Francis, Suecisque concordia res eorum labefactarentur, conſenſum præfracte negaverunt: ſed *debitam* ipſis ſi inter convivas ſediſſent *primi loci prærogativam* commentis à nobis confutatis fretus contendit, cum tamen ex prolato ab ipſomet inſtrumento, nec Suecos, nec Francos debitum agnituros, nec impune ſi primatum affectarent laturos Hiſpanos fuiſſe conſtet. Inſtrumenti verba audiamus: *Sacræ Cæſareæ Majeſtati, Domino noſtro clementiſſimo, diligenter & accurate relata fuerunt, quæ eidem nomine Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis Catholici, ejuſdem ad aulam ſuam Cæſaream Reſidens, Conſiliarius & Senator Mediolanenſis, Dominus Auguſtinus Navarro Burena, ex occaſione actuum quorundam à Coronæ Franciæ miniſtris in civitate Monaſterienſi, contra jus præcedendi dictam Coronam in terris dictæ Sacræ Cæſareæ Majeſtati & ſacro Imperio ſubditis, quod dictus Sereniſſimus Rex Catholicus, cum ex diverſis decretis & declarationibus Cæſareis, tum per frequentiſſimos actus poſſeſſorios, hactenus obtinuerit & manutenuerit, uſurpatorum; humiliter expoſuit rogando, ut cum ex rationibus, quibus adducti prædeceſſores glorioſæ memoriæ Majeſtatis Cæſareæ, in favorem Sereniſſimorum Regum Catholicorum prælibatas declarationes & decreta feciſſent, pro ea quæ inter eamdem & memoratum Regem Catholicum, tam ſanguinis, quam fœderum, aliorumque vinculorum intercedit neceſſitudine, eamdem cauſam pro ſæpe dicto Rege Catholico manutenendam ſuſcipere, ſuiſque Plenipotentariis Monaſterii reſidentibus demandare vellet, ne quod præjudicium dicto Regi Catholico quoad hoc afferri permittant; ſed quantum in ſe eſt, idem jus præcedentiæ miniſtris ejus debitum, conſervare laborent: caſu etiam quo id fieri non poſſet, potius ab omnibus actibus publicis, ubi hæc cauſa controverteretur, ſe excuſent. Ac ſi Galli aliquid exorbitans contra cauſam, vel perſonas miniſtrorum Regis Catholici, quemadmodum fœderati Coronæ Galliæ cum ejus miniſtris faciunt*, &c. Hæc Eberſtorffii anno 1644, Septemb. 23 ſcribebantur: ex quibus nonnulla quæ, vel Hiſpanicæ cauſæ iniquitatem in apertam lucem protrahant, vel Suecorum de cauſa eadem judicium declarent habemus. nam primum Imperatorum Auſtriacorum (cum *ſanguinis, fœderum, aliarumque neceſſitudinem vinculis illigati*, in Hiſpanicas partes trahantur,) quæcumque nunc obtenduntur *decreta* ipſo jure velut ab addictis lata nulla ſunt. 2. Decretorum eorundem, quandoquidem antiquis moribus repugnant, nulla haberi à quoquam ratio debet. 3. Ea à non rogatis & poteſtate in pares carentibus condi nunquam licuit. 4. Francis, in quorum injuriam vergunt, minime conſciis clam condita minime obeſſe poſſunt. 5. Ex iis ſubinde iteratis nihil Hiſpanis juris obvenit, quandoquidem quæ *initio ſuo vitioſa ſunt* tractu temporis convaleſcere non poſſunt.

6. Anti-

Pag. 90.

Pag. 97.

Ex Cancellaria Imperiali.

Sua ſibi vindicarunt.

Decretorum à facultate carentibus poſt annum 1644 conditorum allegatio jus non eſt, ſed putida juris fictio.

Nullam facultatem habentes.

Debitum dici nequaquam poteſt, quod in rerum natura nunquam fuit.

Nota Hiſpanos antiquum rerum ordinem in ſua cauſa everſum velle.

Nota Suecos Hiſpanis Francorum jura invadere auſis lumbifragium minatos eſſe.

6. Antiquum ſibi primatum Franci perpetuo vindicaverunt. 7. Fœderatorum Suecorum, Haſſorum, &c. ope ſubnixi ei inhiantes fortiter depulerunt.

Qui Monaſterii Francicas partes ſecuti Hiſpanis paritatem cum ipſis affectantes non tulerunt; quî Norimbergæ ad primi loci dignitatem graſſantes prodita amicorum cauſa deſertiſque quas ante propugnabant partibus tuliſſent? eos de primatu cum Francis Norimbergæ contendiſſe ſive fateamur, Chiffletio aſſerenti gratificaturi, ſive negemus, quod vetus conſuetudo poſcit, defenſuri fruſtra eos, vel Hiſpanis ceſſuros, vel ut Franci ab antiquo imparibus cederent conſenſuros, quos paulo ante æmulæ gentis poplitibus timidoque tergo in Francorum gratiam non parcere certos noverat Chiffletius idem falſus vates divinaverit.

Quod à Ferdinando tertio reſponſum ex voto Burena retulerit Francico juri obeſſe nullomodo poteſt. hæc reſcripti verba fuerant: *Cæſarea Majeſtas, benigne indicare dicto Domino Senatori juſſit, ſe probe informatam, ex rerum præteritarum memoriis, de jure ſæpe dicti Sereniſſimi Regis Catholici, quoad prælibatam præcedendi coronam Franciæ prærogativam, memoremque ejus, quæ ſibi cum eodem tam arcta ex tot quà ſanguinis, quà fœderum vinculis conſtet conjunctionis; pro ſingulari ſua, quam rerum & dignitatis ſæpe memorati Sereniſſimi Regis Catholici continuo gerat, cura, ſponte ſua, & antequam à quocumque hac ſuper re interpellaretur, id operæ dandum intellixiſſe, nequid in præjudicium dictæ prærogativæ præcedendi, jam pridem in aula Cæſarea, & conventibus publicis ſacri Romani Imperii, Regi Catholico ejuſque miniſtris acquiſitæ ac conſervatæ, in eo qui nunc Monaſterii celebratur congreſſu committeretur: ideoque cum ipſi, hoc rerum ſtatu ac tempore, in exordio præſertim condictorum pacis tractatuum rem hanc vi aut armis committere, neque tempeſtivum, neque facile viſum fuiſſet; Plenipotentiariis ſuis illic commorantibus injunxiſſe, ut quamvis occaſionem, ubi hoc cauſæ in contentionem deduci poſſet, vitarent; idque mandatum ſuum diverſis literis & reſcriptis ſuis renovaſſe. Nunc autem poſteaquam aliunde etiam intelligat, ſæpe memoratum Sereniſſimum Regem Catholicum in hoc ſecum conſentire, quod eam rem in contentionem armorum hoc tempore, ac in dicto congreſſu deduci, ſcandaloſum ac fortè etiam periculoſum ſit futurum, tantò lubentius facturum, ut prænominatis Plenipotentiariis ſuis denuò reſcribat, injungatque non modo, ne in quem actum, qui Sereniſſimo Regi Catholico, quoad ſæpè dictam prærogativam præjudicialis eſſe poſſit, conſentiant: ſed omnes potius occaſiones, ubi in contentionem venire poſſet, providè ſeduloque evitent: quod ſi etiam quid factum fuerit, quo quis juri Sereniſſimi Regis Catholici, quoad hoc, aliunde derogatum cenſere poſſet, ut iidem Plenipotentiarii ſui, re cum Plenipotentiaris Sereniſſimi Regis Catholici deliberatâ, dent operam, ut quatenus citra præjudicium præeminentiæ Cæſareæ & turbas ac impedimenta pacis tractatuum, poſſit fieri, id ſimili vel alio actu in contrarium facto, dextrè reparetur: ac demum ſi à Plenipotentiariis Regis Galliæ vi, vel aliter in contrarium aliquid* [a] *exorbitans attentaretur, ut Plenipotentiarii Cæſarei ſeſe cum legatione Sereniſſimi Regis Catholici* [b] *conjungere, omnemque operam ſuam ad conatus Plenipotentiariorum Gallicorum reprimendos, omnemque actum præjudicialem, quoad hoc, avertendo pro virili conferre debeant.*

Quantumvis emendicato hoc Ferdinandi III reſcripto validius nihil ad

Pag. 98. Nullum Hiſpani ipſi ante annum 1557 obtenderunt.

Ille ipſe qui litem movit Philippus II de primi loci aſſecutione deſperans paritatem affectavit.

Vincula illa adverſus antiquos mores valere non debent.

Nihil tale Ferdinandi I & Maximiliani temporibus factum, ex hujus ad Carolum IX, epiſt. conſtat.

In conventibus ordinum Germanicorum decretum nihil eſt quo Francorum priſca jura infringerentur.

Nota. Hiſpanos timore prævalente à primi loci invaſione ſibimet temperaſſe.

Ei quod plane non eſt, derogari nullo modo poteſt, aut potius nunquam.

Nota. Ferdinandum III ſibimet etiam metuiſſe.

Hoc opus, hic labor fuit.

Vis nulla à Gallis metuenda fuit, tantiſperdum à publicis actibus abſtinendum putavere Hiſpani.

[a] Tali cautione opus nullo modo fuit.

[b] Hæc cum Ferdinandi I & Maximiliani II proteſtationibus è diametro pugnant.

 cauſæ

cauſæ ſuæ præſidium eſſe poſſe putent Hiſpani, infirmum revera ac ruinoſum, cujus fundamenta univerſa Hiſpanorum & Auſtriacorum priorum conſentientia acta ſubvertant, eſſe facile deprehendet quiſquis memoria judiciique lumine valuerit. Francicam Majeſtatem ante annum 1557, tanto Hiſpanici Reges cultu proſecuti erant, ut ſe ad obſequium & *ſervitium* paratos certatim proteſtarentur, primaſque regibus noſtris ſponte deferrent. Ildephonſus Aragonum Rex, *venerando ac ſemper diligendo amico Ludovico illuſtriſſimo Francorum Regi Ildephonſus per Dei gratiam Rex Aragonum*, &c. *ex toto exponens me cum regno meo ad voluntatem veſtram atque ſervitium*, &c.

Tomo 4. ſcrip. Franc. pag.731.

Pag.734. Idem, *nobili & illuſtri Ludovico Francorum Regi, Ildephonſus Dei gratia Rex Aragonum*, &c. *expoſitus ex toto voluntati & ſervitio veſtro, cum omni terra mea, regnique viribus*, &c. Eodem tempore Ferdinandus Ludovici VII ſororius & Alphonſi Imperatoris filius, proprio in Gallæcia & Legione, tutorio in Caſtella & Toletana ditione, tantiſper dum Alphonſus Sancii fratris filius adoleſceret jure regnans, *reverendo Domino & amico ſuo Ludovico Dei gratia excellentiſſimo Regi Francorum, Ferdinandus eadem gratia Rex Hiſpanorum cum reverentia ſalutem*, &c. *in omnibus & per omnia ſublimitatis veſtræ ſervitio me paratum invenietis*, &c. Quid per ſubſequentes ſingulos ire neceſſe eſt? qui primi latius in Hiſpania dominati *Catholici* dicti ſunt Ferdinandus & Iſabella; Philippus I Ioannæ ad quam univerſa Iſabellæ hæreditas devoluta erat maritus; & Carolus, Philippi & Ioannæ primogenitus, antequam anno 1519 ad Imperium Germanicum eveheretur, Francorum Reges Carolum VIII, Ludovicum XII, & Franciſcum I more majorum reverenter habuerunt. anno demum 1557, priſco quantum in ſe fuit ordine turbato primi loci prærogativam Francis Philippus II præripere conatus eſt: nec reclamavit antiqui moris probe conſcius, ſed propinquo nova molienti indulgentior Ferdinandus patruus, qui cum Francorum *rem ſine ipſorum facto ad alium tranſire* nequaquam poſſe ſecum perpenderet, medius inter diſſidentes quam iniquarum partium fautor haberi maluit. *Iudicium* igitur *tam acris controverſiæ ſuſcipere* palam recuſavit, *ſeſe ei nullomodo immiſcere conſtituit, ſe nulla judicandi vel decernendi facultate* præditum agnovit, ne alterutrius partis, quodcumque illud eſſe aut reputari poſſet, *juri præjudicium afferre aut alterum offendere videretur*, modis omnibus præcavit & præcavendi poſteris author fuit. *Ab inſtituto & exemplo* parentis, cui à Maximiliano II *diſcedere* religio erat, Carolo IX, *ut fratri chariſſimo quoad ejus unquam fieri poterat, omni loco & tempore gratificari ſe cupere* proteſtatus eſt. Quo vel caſu, vel conſilio evenit, ut majorum conſentiente authoritate viliore facta ſpretoque temperamento, in partes Hiſpanicas palam tranſeuntes inſultabundo pede Francica jura Ferdinandi II & III, primi nepos ac pronepos, nulla injuria affecti calcarent? alione quam priores quibus ſucceſſive ſuffecti ſunt jure utuntur, aut alia quam quæ à deceſſoribus tranſmiſſa eſt poteſtate pollent? ſi Ferdinandus & Maximilianus, quorum hæreditatem ad ſe devolutam gloriantur, adverſus Francos judicandi & decernendi facultate caruerunt, unde *decreta* à Burena Philippi III miniſtro laudata condendi *facultas* ad eos dimanarit, ipſine ſibi quod ante nemini licuerat, imo quod nefas viſum fuerat, licitum putent? ſi nec Ferdinandus I, nec Maximilianus II, motæ ab Hiſpanis *controverſiæ judicium ſuſcipere* potuere,

Pag.733.

Nova diſquiſit. pag.93.

quî *ſuſcipiendi poteſtatem* ad poſteros tranſmiſerint? ſi cum *rei ad ſe non pertinenti ſeſe immiſcere culpam eſſe noſcent*, ſe litigantium Regum *controverſiæ nullomodo immiſcere* officii ſui eſſe duxerunt, quid ni præter officium egiſſe & uſque nunc agere dixerimus, qui ſe *controverſiæ* eidem non tantum *immiſcuerunt*, ſed rerum Hiſpanicarum *ſponte ſua curam continuo gerere* patrociniumque ſuſcipere profeſſi ſunt? ſi quod nos Maximiliani II epiſtola docet, nullum anno 1564 de controverſia Hiſpanica judicium latum fuerat, quibus *ex rerum præteritarum memoriis*, de Catholici Regis *jure*, de quo nemo in Germania pronunciaverat, *probe informatum* ſeſe Ferdinandus III reſponderit? ſi Ferdinandus & Maximilianus *modis omnibus præcavendum* cenſuerunt ne Francico *juri præjudicium afferri*, aut Rex Chriſtianiſſimus *offendi poſſet*, quibus niſi forte poſt annum 1564 adverſus Ferdinandi & Maximiliani authoritatem editis actibus in aula Cæſarea & conventibus publicis Imperii Germanici primi loci jus Hiſpano *acquiſitum* cenſerit Ferdinandus III? quis autem quæ per manifeſtam injuriam Francorum à quoquam undecumque quæſita ſunt legitime Hiſpanis acquiſita eſſe dixerit, aut Ferdinandum III, cui vel abſolute falſa, vel iniqua & proavi ac propatrui menti expreſſe contraria, Hiſpanici miniſtri ſubdole retulerunt, *bene informatum* crediderit? cum *errantis nec voluntas eſſe poſſit nec conſenſus*; ſive unicum ſive plura in futurum reſcripta eliciant Hiſpani, *& nati natorum & qui naſcentur ab illis*, perinde erit: quandoquidem à *decernendi facultate* carentibus *facultas* in poſteros quam non habuerunt tranſmitti non potuit: ab his, qui *facultatem nullam* à majoribus traxerunt, *juris* nihil aliis *conferri* potuit: quicquid conferre viſi ſunt, nec legitimum fuit, nec ex eo *juris* vel umbra cuiquam *acquiri* potuit. Quo plura ſive erratorum ab imprudentibus ac deceptis admiſſorum, ſive injuriarum à prudentibus & noxæ intentis illatarum exempla nunc & impoſterum protulerint rerum noſtrarum æmuli, plus invidiæ ſibimet conflabunt, nec orbi, qui *alteri per alterum iniquam conditionem inferri non deberi* à ſæculis multis didicit, diutius imponent, nec Francis, qui eos à publicis actibus abſtinere ſæpius coëgerunt, quamque nacti ſunt Spartam tueri fortiter decreverunt, vel tantillum nocebunt. Pag.98.

Corollarum, quibus à ſeſqui ſæculo incubare ceperunt, *multitudinem* nihil ad illum quem inſane depereunt primatum facere, cum ex ipſorummet confeſſione evicerimus, privataque nonnullorum in eorum gratiam delirantium judicia, cum falſâ quam ſibi fundamenti loco ſternunt hypotheſi, concidere neceſſe ſit, cordatum nullum morari debent. Ne cui tamen fucum faciant, ſingulorum quæ allegantur vitium retegere non dedignabimur. Bartholomeus Chaſſanæus Heduenſis Gallus in Catalogo gloriæ mundi. *Videtur quod Rex Hiſpaniæ ſit omnibus aliis Regibus præferendus, cum plura habeat Regna ſub ſe, & plures coronas: quoniam Rex eſt Aragonum, Caſtellæ, Legionis, Rex Granatæ, Rex Majoricarum, Rex Cordubæ; & etiam Catholicus dicitur; Rex Galliciæ, Rex Andaluſiæ: Et ſic dicitur habere ſeptem aut octo Regna & ſic ſeptem coronas: ex quo videtur, quod ratione multiplicationis coronarum debeat cæteris Regibus præferri.* At primùm, contrarium iis quorum maxime intererat, quique fere omnia Regnorum in Hiſpania ſegmenta in maſſam redegerant & Catholici audiebant, conſtanter ad annum Diſquiſ. p. 91. parte. I. conſ. 37. anno 1529.

 uſque

uſque 1519, viſum eſt; nam Ferdinandus & Iſabella *Catholici* primum nuncupati, Philippus I, Ioannæ Iſabellâ natæ & ex aſſe hæredis, Carolus V, univerſorum Hiſpanicorum Regnorum, ſolo Portugalenſi excepto potens, more majorum Francis primas detulerunt. Quis Chaſſanæum privatæ conditionis & privatarum litium tricis à puero impeditum hominem, convenientiora de Regibus quam ipſi de ſe ſentirent cenſuiſſe, rerumque potentes quid ſuæ dignitatis eſſet ignoraſſe crediderit? 2. Hiſpanicorum Regnorum à Chaſſanæo facta enumeratio manca in multis & inconveniens eſt; quandoquidem Navarræni, Toletani, Valentini, Murcienſis, Giennenſis, Hiſpalenſis & Gadium ſeu Gibraltaris Regnorum nullam rationem habet. Arragonicum à Sancio majore Ranemiro notho aſſignatum, Caſtellenſi Ferdinando legitimo dato, & Legionenſi ac Gallæcienſi, paulo poſt annum 714 fundatis, eoque antiquitatis nomine potioribus, præfert. Andaluſiæ in plura ſub Sarracenis Regna diviſæ unicum Regnum comminiſcitur, nec eam à Vandalis, totius Bæticæ tyrannis nomen ſortitam, quicquid Bæti alluitur, eoque Eliberim, in cujus vicinia Granata nunc jacet, Acci, quæ nunc Guadix dicitur, Cordubam, quam imperitè Andaluſiæ opponit, Hiſpalim & Gades comprehendiſſe videt; *Majoricarum*, quæ in rerum natura nunquam fuerunt, Regnum inſcitè confingit: unica enim inter Baleares Majorica, Minoricæ, cum qua unum idemque Regnum *Majoricæ* ſynecdochicè dictum, conſtituit, veteribus innotuit, nec plures Majoricas poſteri comminiſci potuerunt, qui Majoricam ἀντιδιαιρετικῶς ad Minoricæ vicinæ diſcrimen nuncupatam didicerant. 3. Chaſſanæi de Regni quod nunc Hiſpanicum dicitur, ob *Coronarum multiplicationem* prærogativâ hypotheſis per ſe ridicula & falſa eſt. Cum enim Coronarum in Hiſpania multiplicationem ex ejus clade ortam fuiſſe conſtet, quod olim in fruſta miſerè concerpta, magnoque infortunio mactata ſit, ad gloriam ejus aut dignitatem facere, ſanus nemo dixerit. Quis inſecta animalcula, quia plura tenui pendentia filo corpuſcula trahere videntur, perfectis unico firmius compacto conſtantibus; ſpeculum in particulas comminutum ac exinde quaſi ex teſſellis conflatum, quia ſingulæ portiunculæ ſpeculi naturam ac nomen retinent, totidemque facies intuentibus exhibent, integro; adamantem aut pyropum contritum, quia ex ſingulis detrimentis ſinguli radiorum igniculi ſeorſim emicant, ſolido, unicum lumen emittere apto; Hiſpaniam hinc à Saracenis advenis, inde à Chriſtianis indigenis, dum ſe mutuo perimere conantur, membratim laniatam, illæſæ nullâque ſciſſurâ violatæ prætulerit? ſi in compugnantia ἀποσπασμάτια ſcindi, ſecumque à nova Regna fundantibus committi miſerum fuit, quis coronarum in ea multiplicationem, quæ illati damni manifeſtum indicium eſt & inane ſolatium, in gloriæ ac dignitatis, qua ea ex dilaceratione excidit, argumentum trahat? quiſquamne adeo deſipuerit, ut eam, qua pene obruta eſt, miſeriam felicitatis loco habeat? ſi rurſus *coronarum multiplicationem* juſtam ei non dolendi, ſed gloriandi cauſam ſubminiſtraſſe, in eaque prærogativam ejus ſitam fuiſſe demus, qui Chaſſanæi aliorumque ὁμοψήφων incogitantiam excuſabimus, quibus id adverſus propriam hypotheſin in mentem venit, ut eam poſt redactas in maſſam à Catholicis Regibus coronas minutiores gloriâ ac dignitate creviſſe pronunciare non dubitent; annon abſurdum eſt Hiſpanicæ Gentis hoc ipſo decus

augeri,

augeri, quod coronarum in ea multiplicatio, quæ præcipuum ejus decus eſſe credebatur, à Catholicis Regibus ſublata ſit?

5. Quod Chaſſanæus ex *Catholici* titulo ab Alexandro VI Papa poſt annum 1492 Hiſpaniarum Regibus tributo prærogativam eorum elicit, vanum & ludicrum eſt. Ii enim *Catholici* antequam *dicerentur* vel erant, vel non erant. Si erant, nihil iis ex Catholici aliis communi titulo novæ prærogativæ acceſſit; ſi non erant, nihil præter falſam denominationem adepti ſunt; nullâ certe alia de cauſa, quam quod Granatenſe Regnum Mauris Mahumetanis armata manu extorſiſſent, eos *Catholicos* dici placuit; quique nunc *Catholici* titulo univerſi orbis imperium ipſis delatum putant, voluntariæ ſe inſaniæ mancipant; quorum ut familiam Chiffletius augeat, allegatis à ſe Chaſſanæi verbis inconſideratè ſubjungit, *Quid ſi haud ita multo poſt vidiſſet Chaſſanæus Catholicos Reges orbis Americani maximos Imperatores, verius quam Reges?* Quaſi vero qui Senatus Aquenſis anno 1501, poſt detectum à Columbo novum orbem nono, à Ludovico XII inſtituti præſes fuit, eo jam munere defunctus, prout in apparatu ſacro Poſſevinus notat, anno 1529 *Catalogum gloriæ mundi* ſcripſit, & poſt annum 1550 ultimum diem obiit, Caſtellæ Reges terris ad vaſtitatem ab alaſtoribus Hiſpanis redactis, & ab Alexandro VI, A. 1503, 18 Aug. denato, inter eos & Portugaliæ Regnum diviſis, latè dominari cæpiſſe ignorare potuerit. Americam ergò ſexaginta antequam defungeretur annis Hiſpanicæ libidini objectam, ſubactam, vaſtatam optimè novit. Cur dominiorum in ea fundatorum non meminerit, qui ad falſam de Hiſpanorum inter Reges prærogativa opinionem oſcitabundus tranſierat, præſtare noſtrum non eſt.

Disquiſ. pag. 91.

Ei Chriſtophorum Beſoldum ex Anteceſſore Tubingenſi Ingolſtadienſem adverſarius ſuccenturiat, cujus locum appoſita ad marginem cenſura falſi manifeſti coarguemus; ac exinde in auctorem ipſum Deo dante retorquebimus; *In omnibus*, inquit, *anteponendi ſunt* [1] *majores: Hiſpanum autem Gallo majorem eſſe manifeſtum ſatis* [2] *videtur: cum præter Hiſpaniam,* [3] *Flandriam & bonam Italiæ partem ditioni & imperio ejus ſubjectam, præter* [4] *Siciliam utramque & quamplurimas inſulas ei obedientes, ad* [a] *novum Indorum orbem, ab Hiſpanis &* [b] *Luſitanis repertum, cui ipſe dominatur, quis reſpexerit,* [c] *innumeraſque fere gentes & provincias ipſi* [d] *obedientes, inveniet ipſius imperium non ſolum longius* [e] *latiuſque ſe porrigere quam aliorum Principum qui nunc ſunt, ſed etiam omnium aliorum, qui ab* [f] *origine mundi unquam fuerunt. Dignitatem etiam ex eo arguit Hiſpanus, quod puram* [g] *Catholicam religionem (id enim & ipſe fatetur Gallus) in omnibus ſuis regnis obſervat.* [h] *Divitiæ etiam conferunt ad majoritatem, quas nemo* [i] *abundantius Hiſpano habet. Nullus Princeps Hiſpaniarum Rege* [l] *nobilior, & in eo omnium Regum ac magnatum orbis Chriſtiani, qui unquam fuerunt,* [m] *ſanguis coaluit.*

Beſold. de præced. c. 2.

[1] Majores non quibus latius, ſed quibus nobilius dominium obvenit.
[2] Perperam videtur.
[3] Flandria Dominium Regium non eſt, nec primas cuiquam deferre poteſt.
[4] Male Sicilia utraque bonæ Italiæ parti opponitur, cum Sicilia cis pharum Italiæ pars ſit. utraque Eccleſiæ Romanæ, reliqua Italica ditio Imperii Germanici feudum eſt, eoque dignitate minor.

Deducta à latiori Dominio, ejuſdem robore & divitiis argumenta nequaquam procedere jam notavimus; ex his enim antecedentibus, *latius imperat,*

[a] In novo illo orbe à ſe vaſtato triumphent ſi lubet Hiſpani, nihil hoc ad Europam in qua degunt.
[b] Portugalenſes ſibi jam ſua vindicant. [c] Præter Hiſpanicas colonias & Cafros ex Africa tranſlatos infrequentes ſuperſunt in Americano orbe indigenæ, quos innumeras gentes vocare abſurdum eſt. [d] Qui obedire dicuntur, maxima ex parte implacabiles Hiſpanorum hoſtes ſunt. [e] Vaſtitas illa imperii nihil ad primatum. [f] Adamum ſaltem & Noachum totius orbis Dominos excipere par fuerat. [g] Nec alium, nec puriorem quam Ludovicus XIV, Catholiciſmum Philippus IV, profitetur. [h] Divitiæ nullum niſi forte menſario inter conſortes primatum conferre poſſunt. [i] Abundantia illa univerſa jam dudum exaruit & ad quartillas redacta eſt. [l] Id falſum ad oculum demonſtravimus. [m] Sanguis ille in Hiſpano non aliter, quam per Capetinas matres coaluit, quod ipſum dignitate minorem haberi debere invicte probat.

rat, viribus & divitiis prævalet, conſequens hoc nullomodo ſequitur? *Ergo dignitate major eſt, primumque ſibi locum jure vindicare poteſt.* Nec rurſus ex eo quod quis latius dominetur cum potentiorem aut ditiorem eſſe inferre Beſoldis ullis licuerit. Everſo nunc eorum toto quantum quantum eſt machinamento inſanum eorum caput ineluctabili ejuſdem ruina obteramus, ſi ampliori, potentiori, ditiori Dominio primatus ex neceſſitate debetur? Si rurſus Principum quotquot ſunt aut ab orbe condito fuerunt potentiſſimus, ditiſſimus, cujus *Imperium longius ſe latiuſque porrigat*, quod Beſoldo placet Hiſpanus eſt; quid Germanico Imperatori, cujus ex hypotheſi & longe Auguſtius Imperium & minus robur & divitiæ prope nullæ? is ne Hiſpano qui ei ſponte primas & detulit ſemper & uſque nunc defert cedere jubebitur? Adeo ne Hiſpanum rerum ſuarum imperitum putabimus, ut quæ ſua ſunt attingere non audeat? Ipſa ergo Principum quibus ſupparaſitantur praxi eorum errorem revincente, deſipere fallacibuſque præſtigiarum ſuarum decipulis imperitos dementare deſinant turpi mercede redempta capita: Chifſletium vero præ aliis Chaſſanæi & Beſoldi non tam nugamentis, quæ jam revicimus, quam criminibus, quorum pœnas vita functi evaſere, abuti pudeat. qui enim illi tantiſperdum vixere fuerunt? annon plebeii vel fori contentioſi, vel ſcholæ ſæpenumero vitilitigatoriæ pulveri immerſi literiones? quis autem ſanus id nec rogatis, nec rogari dignis ſomniatoribus tantum tribuat, ut de ſummis rerum cacuminibus quomodocumque libuerit ſtatuant, orbique non modo non poſcenti, ſed contraria à majoribus edocto, ſua non judicia, ſed voluntaria adverſus Regum ſuorum ſupremam dignitatem delicta obtrudant: cum Chaſſanæus Æduus Regis Chriſtianiſſimi, Beſoldus Suevus *Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius* audierit, & ex natalium, demandati muneris, juratæ in ejuſdem ſuſceptione fidelitatis lege, Principis cui miniſtrabat decus pro virili tueri uterque debuerit, quis illum Narbonenſis ſecundæ populis jus à Franciſco primo dicere juſſum, Francica antiqua, orbis univerſi, Hiſpanorumque ipſorummet reverentia confimata, perinde ac ſi omni ſacramenti religione ſolutus eſſet impugnare auſum; hunc de jure tam privato, quam publico, ſi rogaretur reſponſa dare conſuetum, Germanicis quæ Hiſpani uſque nunc agnoſcunt ſubvertendis intentum, à Chiffletio proditæ quam agere debuerant patronorum cauſæ, & indignâ prævaricatione violatæ cui ſubeſſe ac ſervire nati erant Majeſtatis reis, Regum Regnorumque univerſorum arbitrium commiſſum fuiſſe non indignetur?

A Pio IV ſolitum Francis locum ſervatum, compreſſamque anno 1563 Maji 29, Requeſenii primum Regi ſuo ob Regnorum multitudinem locum temere proteſtantis audaciam, vel oblitus vel diſſimulans adverſarius, ad aliud Pii ejuſdem de Reipublicæ Venetæ dignitate judicium cæco impetu recurrit, nec ſe in eundem ſcopulum cui illiſus fuerat denuo frangendum impingere ſenſit. Iuſtinianum cujus verba refert audiamus: *Tridenti nova controverſia ſuborta eſt de præcedentiæ jure inter Bavaros & Venetos Oratores; propoſitaque eſt res illuſtriſſimis Concilii legatis: Illi autem Venetæ dignitatis rationem habentes, blandis verbis Bavaros hortati ſunt, ut hæc miſſa facerent*, diſparemque fortunæ ſuæ conditionem *cum Veneta conſiderarent; qui minime acquieſcere voluerunt. Pontificis itaque declaratio à Roma petita eſt: honorificentiſſime autem ſua Sanctitas de Veneta Republica locutus, cui amplum*

Diſquiſit. pag. 90.

Libro 14, hiſtor. Venet.

terra

terra marique aſſerebat parere Imperium, ac duo opulenta Regna, Cretam & Cyprum, ſubjecta eſſe; legatos per litteras admonuit, ut Bavaro Beatitudinis ſuæ nomine perſuaderent, ne in ea opinione perſiſteret, pateretur que æquo animo Venetum ſibi præferri, qui maritimæ terreſtriſque ditionis magnitudine, & amplioris fortunæ Majeſtate, vel Regium nomen ſuſtinere poſſet. Vnam Dominiorum multitudinem à Papa Venetos Bavaro anteferente ſpectatam more ſuo mentitus Chiffletius, nec Petri Iuſtiniani verba, nec legatorum Pontificiſque ipſius de Venetis ſententiam attendiſſe videtur. nec enim *diſparis fortunæ conditio ampliorique fortunæ Majeſtas* in eo ſita fuit, quod plura, ſed quod potiori jure ſua Senatus Venetus poſſideret, qui nemini in terris obnoxius ſolique Deo ſubditus, Imperii Germanici Vaſſallo longe præferendus fuit. Quid ni enim ſecundaria poteſtas, ut ut latius diffuſa videatur, primariæ anguſtioribus cancellis circumſcriptæ cedat? Etiamſi nec Cyprii Regni potens fuiſſet unquam, nec Cretenſis nunc eſſet, ſoloque Dominio Italico, imo unico Venetiarum ambitu clauderetur Senatus ab uno Deo pendens Majeſtas, Bavaro præter avitum ducatum ditione Palatina aucto, ſed ubique Germanici Imperii ſubdito primas nequaquam concederet: quanto minus conceſſerit latius & ubique nobilius dominans? propter verè Regium in ditionem ſubjectam Imperium æquo cum Regibus jure uſus primarios ubique legatos mittit: Bavarus aliique Germanici Imperii proceres Electorali dignitate clari ſecundarios tantum, quos *reſidentes* vocant; in eoque fortunæ diſparitas à Iuſtiniano notata elucet, quod Chiffletius talpa cæcior videre nec voluit, nec potuit.

Illuſtris viri Thuani de proteſtatione quam Tridenti Francici Oratoris adverſus legatorum Pontificiorum machinamenta paraverant, loquentis relatione abuſus, hæc ex ejus verbis urget: *Oratores Francos, Ferrerium & Fabrum, inaudita Italorum auribus libertate, in Pium* IV *Pontificem verbis invectos, quod tanquam pater impius filium primogenitum, hoc eſt Regem Chriſtianiſſimum, inauditum, perverſo omni judiciario ordine condemnaſſet, ablata ſeſſionis, qua ſecundum Imperatorem cæteros orbis Principes præcedere eſt ſolitus, prærogativa.* Sed nec *ablata ſeſſionis prærogativa,* nec Rex *condemnatus,* nec proteſtatione ab oratoribus ſcripta opus fuit, quandoquidem manum quæ vulnus inflictura videbatur continuit Pontifex, quem acrius Hiſpanos pupugiſſe ex edito à Valdeſio eorum mandato liquet; *Pio* IV *ſe hallo muy prendado en Franceſes, de que los conſervaria en la pretenſion que ellos querian tener, deſpues de aver paſſado con el muy muchas coſas ſe vino à tratar de medios, y el Embaxador de ſu Mageſtad ſe venia à contentar con la ygualdad, y Franceſes nunca la quiſieron por las prendas que Pio* IV, *tenia entonces con ellos, y por que temia que le quitarian la obediencia, ſe reſolvio la viſpera de Paſcua de Eſpiritu Santo de l'anno* 1563 *de dar à entender que otro dia quieria que vinieſſe el Embaxador de Francia à la Capilla, y eſtuvieſſe deſpues del Embaxador del Emperador, y que (ſi ſu Mageſtad ſe contentava) el meteria la cauſa en poſſeſſorio, y petitorio, y haria que ſe hizieſſe juſticia con mucha brevedad: de parte de ſu Mageſtad, nunca ſe quiſo aceptar eſte juyzio, y el Embaxador hizo à quel miſmo dia ſu proteſta, y non aſegurando ſe Pio* IV, *de que otro dia no vinieſſe el Embaxador de ſu Mageſtad tenia orden de quando eſte negocio legaſſe à eſtos terminos de no yr à la Capilla, y aſſi ſe quedo en caſa, y no fue mas à negociar con el Papa, y dio cuenta à ſu*

Diſquiſit. pag. 92. Thuan. l. 35.

Pag. 98.

Mageſtad de lo que avia paſſado, ordenoſe le que partieſſe de Roma, y que dixeſſe al Papa que ſu Mageſtad le revocava de Embaxador à cerca de ſu Santitad; pero no à cerca de la ſede Apoſtolica, y aſſi ſe partio, y con diſimulacion ſe entretuvo en Luca, y en Genova anno y medio que el Papa bivio, &c. Id eſt: *Pius* IV *Francis valdè ſe addixerat, eis prærogativam, quam ſibi vindicabant conſervaturum pollicitus, poſtquam multis cum ipſo actum eſt, de mediis agi viſum, Majeſtatis ſuæ legatus eo devenerat ut æqualitate contentus eſſet, quam Franci quod Papa ipſis obnoxius eſſet, metueretque ne ab ejus obſequio recederent, nunquam admiſerunt, in Paſchatis Spiritus Sancti veſpera anno* 1563 *denunciare placuit ſe præter quam quod legato Francico juſſurus eſſet, ut ad Capellam veniret immediatè poſt legatum Imperatorium ſeſſurus, (ſi Majeſtati ejus gratum erat;) cauſam in poſſeſſorio & petitorio agitandam decreturum, juſque ſine mora dici curaturum: ex Majeſtati ſuæ parte judicium illud admitti nunquam potuit, illaque ipſâ die proteſtationem ſuam legatus edidit: cumque Pius* I V *certus non eſſet, an legatus Majeſtatis ſuæ ad eum alio die venturus eſſet, decrevit ut rebus illo in ſtatu manentibus ad Capellam non procederet: is vero domi ſe continuit, nec ultrà cum Papa de negociis egit, & ad Majeſtatem ſuam de eo quod contigerat retulit; ei mandatum eſt ut Româ excederet, & Papæ diceret Majeſtatem ſuam eum revocaſſe ne ultrà legatione ad Sanctitatem ſuam fungeretur, quantumvis ad ſedem Apoſtolicam legatus eſſe nequaquam deſineret. ſic diſceſſit, Lucæque & Genuæ per ſeſquiannum, quo Papa vixit tempus diſſimulatione uſus traxit, &c.* Alta itaque mente repoſtum judicium Papæ ſpretique injuria faſtus toto Pii I V tempore manſit, & uſque nunc manet. Quamvis qui nullis à ſe cuniculis, quod ipſi jure placuerat & ſucceſſoribus conſtanter placet ſuffodi poſſe experti Hiſpani vanæ ſine viribus iræ transfigentem præcordia dolorem premere quam prodere malint.

Contrarium Itali omnes teſtantur.

Ad æqualitatem anhelans ſe dignitate minorem confeſſus eſt.

Vigiliâ Pentecoſtes quæ in 29 Maji incidit.

Repulſam qua dignus erat paſſus Roma excedere tandem coactus eſt.

Quam improbè legatum Francicum à Piccolomineo invitatum & à convivio ob denegatum à Succis primum locum abſtinere coactum finxerat Chiffletius, tam audacter Succos ob *majorem gentis, nominis & Regni Gothorum antiquitatem, pluralitatem coronarum, multiplicem Majeſtatem Francis ſe anteponendos jactaſſe fabulatur.* Quis enim præter eum avia ſua perrantem, cum Francis vel ad momentum Succos rixatos audiit? Quæ tamen adverſarius de iis retulit ipſi compertiſſima fuiſſe fingamus: quid hæc ad Hiſpanos, adverſus quos ipſomet Burena ab eo laudato teſte Monaſterii pro Francis Succi, manu rem gerere parati, ſtetêre? Vbi certiora nos quam Iſidorus aliique veteres Gothica & Francica primordia à Galieni tempore ex æquo repetentes habuerint, de ſuæ gentis magnitudine & antiquitate Succia docuerit; *pluralitatem coronarum* ſuarum *multiplicemque Majeſtatem* indubitatis monumentis ediſſeruerit; pluris denique quam ante annos 200 fiebat, antiquitatem & magnitudinem illam gentis, *pluralitatem coronarum*, *multiplicemque Majeſtatem* ejus fieri nunc debere Europæ demonſtraverit, ut qui hodie Danica & Norwegica Regna non poſſident, primum, quem Regnorum illorum cum Suecico potentes non tenuerunt, locum ſibi vindicent, quid amicæ gentis decori tribuendum ſit, agnoſcere nequaquam recuſabimus. Sed hæc, ut ante diximus, nihil ad Hiſpanos, qui nec Succi unquam, nec Succorum amici hactenus audierunt.

Pag. 89.

Vt ampullâ nullâ, aut vitro quod frangi poſſe videatur, nobis ad Regum noſtrorum dignitatem tuendam opus eſſe fateri cogantur eorum æmuli, riſoſque tandem claudamus; ſive familiam cum familiâ, regionem cum regione, gentem cum gente, Eccleſiam cum Eccleſia, Regnum cum Regno committendam putent, familiam Auſtriacum Capetinæ, Hiſpaniam Galliæ, Hiſpanos Gallis, Gothos Francis, Eccleſiam Hiſpanicam Gallicanæ, Regnum quodvis Hiſpanicum Francico cedere neceſſe fuerit; quæ univerſa in nodum obloquentium fauces eliſurum ſic ſtringimus. *Cui Regi ortu longè nobiliſſimo*, *regio* præpinguibus glebis *feliciſſima*, gens præclara præ reliquis enitens, *Hiſpanicæ in Conciliis ab anno* 314 *conſtanter prælata*, *Regnumque Hiſpanico quovis antiquius*, *illuſtrius*, *validius*, *cælitus obtigit*, *illi natalium*, *regionis*, *gentis*, *Eccleſiæ*, *Regni jure primus ab Hiſpanis* in loquendo ſcribendo, ſedendo, ambulando *locus debetur*, *ut de eo nunc & in perpetuum*, *quod ante annos* 1058 *de Childeberto Gregorius Magnus ſcripſerat*, *verè dici poſſit*, quanto cæteros homines Regia dignitas antecedit, tanto cæterarum gentium Regna, Regni veſtri profectò culmen excellit. Eſſe autem Regem, quia ſunt & alii, non mirum eſt, ſed eſſe Catholicum, quod alii non merentur, hoc ſatis eſt. *Chriſtianiſſimo Regi ortu longè nobiliſſimo*, *regio* præpinguibus glebis *feliciſſima*, gens præclara præ reliquis enitens, *Hiſpanicæ in Conciliis ab anno* 314 *conſtanter prælata*, *Regnumque Hiſpanico quovis antiquius*, *illuſtrius*, *validius*, *cælitus obtigit*, (*prout à nobis ad oculum ſuprà demonſtratum eſt.*) Ergo *Chriſtianiſſimo Regi*, *natalium*, *regionis*, *gentis*, *Eccleſiæ*, *Regni jure primus ab Hiſpanis* in loquendo, ſcribendo, ſedendo, ambulando *locus debetur*, *ut de eo nunc & in perpetuum. quod ante annos* 1058 *de Childeberto Gregorius Magnus ſcripſerat*, *verè dici poſſit*, *&c.* Lib.6. ep.5.

Illûſtrem tanti Præſulis de Francorum Regibus locum Francis, ſi fortè paterentur, ſurrepturus, irrito conatu vera falſis & abſonis miſcet Chiffletius: quæ nos ab invicem ſecernemus. 1 quod Gregorii 1 pontificatum in annum 590 confert, Epiſtolamque ab eo ad Childebertum anno 595 datam notat, extrà controverſiam eſt, quandoquidem anno Chriſti 590, Mauricii VIII, Indictione nona ineunte * ſedere cœpit; anno vero 595 Septembri menſe, Indictione 14 jam decurrente Childebertum per literas compellavit. Sed Gregorium, quem anno 604 Mart. 12. ad meliorem vitam tranſlatum conſtat, anno 603 mortalitatem expleviſſe, quod Chiffletius putabat, falſum eſt. 2. Childebertus, Sigeberti parentis & Chariberti ac Guntramni, qui in Francia Occidentali regnaverant, patruorum hæreditate auctus, trium Galliæ quadrantium Lutetiæque ipſius Clodovei Regiæ potens, Francis Occidentalibus, contra quam Chiffletius credidit, non minus præfuit quam Orientalibus. 3. Quod ei Regni Francorum jure à Gregorio tributum eſt, univerſis Francorum Regibus, ex quacumque familia genus duxerint, convenit. 4. Recaredus non anno 585 qui cum æra 623 concurrebat, ſed 586, æra 624 ineunte Regnum auſpicatus eſt, prout ex Iſidoro, Ioanne Biclarenſi, Roderico Toletano, Luca Tudenſi aliiſque Hiſpanicæ Hiſtoriæ ſcriptoribus, & Concilio tertio Toletano, æra 627, Recaredi anno 4, 8 Idus Majas congregato addiſcere potuerat diſquiſitor. 5. Quantumvis Recaredus *anno Regni* 1, *menſe* 10, *Catholicus Deo juvante effectus fuerit*, ejuſque anno poſt Catholiciſmum 9,

Lumin. pag.414.

* Septemb.3. feria 1.

Ioan.Oriclar.

 ad

ad Childebertum epiſtolam Gregorius Papa dederit; æquis cum Childeberto paſſibus incedere non potuit. hic enim à cunabulis Catholica fide imbutus, & parente, avo, proavo Catholicis editus, illi qui primus Arianiſmum abjuravit paternamque labem eluit longe præferendus fuit. 6. Childeberti Catholiciſmo, non Arianiſmum, qui Occidente univerſo antequam ſedere Pelagius 2 deſiiſſet, exactus fuerat, ſed Ethniciſmum, cujus lues Europæ Septentrionalia omnia pervadebat, opponit Gregorius: eodem enim tempore Orienti Mauritius, Franciæ Childebertus & Clotharius, patrueles; Gothis Recaredus; Langobardis Agilulfus; Wallenſibus, Pictis, Hibernis, Britonibus ciſmarinis, Catholici reguli præerant: Angloſaxonum Heptarchæ, extremorum Britannorum Dynaſtæ, Scandinaviæ & Sarmatiæ Reges, denſis Ethniciſmi tenebris circumſepti à Chriſtiano nomine alieni erant. 7. Quemadmodum Childebertum Regibus quibuſcunque non Catholicis; Childeberti Regnum, cæteris ſive Catholica, ſive non Catholica fuerint conceptis verbis præfert Gregorius, cujus hæc verba ſunt: *Quanto cæteros homines Regia dignitas antecedit, tanto cæterarum gentium Regna Regni veſtri culmen excellit. Si cæterarum Regna gentium* Francicum *excelluit*; quo jure Hiſpanicum *à cæteris*, ne Francicam Majeſtatem colere videatur, ſejungat, tam noſter quam Gregorianæ ſententiæ adverſarius? 8. Non *exteri*, eoque à Regni ſucceſſione alieni, ſed Carolinorum Regum propinqui paterni, juſtique hæredes Capetini ſunt; quibus nunc cum Clotarii Regno Childebertini à Gregorio Magno *cæteris* prælati nobiliſſima pars ſubeſt. 9. Quo tempore Otho Magnus, Henrico Patri ſucceſſit, in Francia Orientali, Ratholdi Arnulpho Imperatore Carolino nati poſteri; in Occidentali cum Veromanduorum, Meldorum, Tricaſſium Comitibus, Ludovicus ultramarinus, qui totius *Ortinæ* Regnum ad ſe devolutum contendebat, ſupererant. 10. Transrhenanum & Lotharingicum Regna ab Henrico patre relicta; cum per annos 26 tenuiſſet Otho 1; anno demum 962 Langobardicum ſive Italicum cum Imperio Romano (cujus univerſa poſſeſſione à 500 annis Germanici Imperatores exciderunt) ſub jugum miſit: ſed hinc Francicæ dignitati nihil decedit; Hiſpanicæ quam infra Francicam cum cæteris ſubſidere juſſit Gregorius nihil accedit.

In appendicibus ad 10 vindiciarum caput Iſidoriani Chronici de Theudi *Francorum Reges* profligante, locum ab exſcriptoribus fuiſſe corruptum Baronii Cardinalis auctoritate freti monueramus; ſententiam noſtram editorum & manu ſcriptorum exemplarium immanis diſcrepantia confirmat: ſic enim in editis ad æram 569, annumque Chriſti 531 legimus. *Iſto Francorum Reges quinque Cæſaraugustam obſidentes, omnem fere Tarraconenſem provinciam bello depopulantes, miſſo Duce Theudiſclo fortiter debellavit, atque à Regno ſuo non pace, ſed armis exire coëgit.* at Voſſianum manu exaratum codicem ſi conſulamus, longe alia offendemus: hæc nimirum; *eo regnante dum Francorum Reges cum infinitis copiis in Spanias conveniſſent, & Tarraconenſem provinciam bello depopularent; Gothi Duce Theudiſclo obicibus Hiſpaniæ interclusis Francorum exercitum multa cum admiratione victoriæ proſtraverunt. Dux idem prece atque ingenti pecunia ſibi oblata viam fugæ hoſtibus reſiduis unius diei noctiſque ſpatio præbuit. Cætera infælicium turba cui tranſitus conlati temporis non occurrit, Gothorum perempta gladio concidit.* Vnicam

cam à Childeberto & Chlotario adverſus Theudin & Cæſarauguſtanos felicibus auſpiciis ſuſceptam ſoloque religionis intuitu ſolutam expeditionem Gregorius Turonenſis lib. 3. cap. 29. memorat. *Se* (inquit) *ab ea civitate removerunt. Tamen acquiſita maxima Hiſpaniæ parte, cum magnis ſpoliis in Gallias redierunt.* Cui credibile fiat ad miſericordiam Cæſarauguſtanorum jejunio ac lamentis inflexorum, & *maxima Hiſpaniæ parte acquiſita cum magnis ſpoliis* in patriam reverſorum Regum exercitum, ab Hiſpanis profligatum, magna admiratione victoriæ proſtratum, *armis exire coactum Gothorum gladio* magna ex parte *peremptum* ac *conciſum* fuiſſe? Si quis nunc Gregorium noſtrum Turonenſem falſa nobis de ſpoliis totoque expeditionis exitu retuliſſe putet, Caſtrenſem in Albigenſi pago civitatem & Pariſienſe ſuburbanum adeat: illic enim *deportata circum* obſeſſæ urbis ſuæ *muros*, ac exinde tradita Francorum Regibus à Cæſarauguſtanis, vim deprecantibus, *B. Vincenti Martyriis tunica* aliquandiu delituit; hic in S. Germani à Childeberto Rege (cujus uſque nunc diploma extat) S. Vincentii memoriæ dicato primum monaſterio aſſervata Gregorianæ Hiſtoriæ fidem aſtruit, affictaque Iſidoro commenta refellit. Sed inſigni illo Francicæ victoriæ monumento carêre noſtros fingamus; quis *fortiter* à Theudiſclo *debellatos quinque Francorum Reges* audiens, totque una à Clodovei dormitione ad annum uſque 855 nunquam regnaſſe memor, riſum tenere valeat? Ne quiſquam deinceps Iſidoriano Chronico infarta pro genuinis habeat, in ſubjectam tam Francicorum quam Gothicorum Regum ſeriem oculos conjiciat.

Theodericus Oſtrogothus anno Chriſti 526, æræ 564, denatus.

Amalricus Theodorici ex filia nepos, anno Chriſti 531, æræ 569. Childeberti 20 cæſus.

Theudis anno Chriſti 542, æræ 580, Childeberti 31, Theodeberti 9 cæſus.

Theudiſclus anno Chriſti 548, æræ 586, Childeberti 37, Theodeberti poſtremo cæſus.

Agila anno Chriſti 554, æræ 592, Childeberti 43, Theodovaldi 6 cæſus.

Athanagildus anno Chriſti 567, æræ 605, Chariberti & fratrum 6 denatus.

Clodoveus Rex anno 511 denatus, Chrotildis maritus.

Theodericus Menſium Rex ex concubina natus, anno Chriſti 533, æræ 571, Theudis 3 denatus.

Theodebertus anno Chriſti 548, æræ 586, Childeberti 37, Theodiſcli 1 denatus.

Theodovaldus anno Chriſti 555, æræ 593, Childeberti 44, Athanagildi 2 denatus.

Clodomeres Aurelianorum Rex, anno Chriſti 524, æræ 562, antequam Theudis regnaret 7 cæſus.

Theodebaldus & Gundharius antequam Regnarent cæſi. Clodovaldus tonſus.

Childebertus Pariſ. Rex anno Chriſti 558, æræ 596, Athanagildi 6 nulla prole maſcula relicta denatus.

Clotarius Sueſſ. Rex, anno Chriſti 561, æræ 599, Athanagildi nono defunctus.

Charibertus Pariſ. Rex. Guntramnus Aurel. Rex. Sigebertus Metens. Rex. Chilpericus Sueſſ. Rex.

Chrotildis Amalrici uxor.

Cum igitur nec inter ſe, nec Gregorii Turonenſis relationi, nec Caſtrenſis Eccleſiæ, ſanctoque Germano Pariſienſi dicati Monaſterii monumentis,

quæ nunc ad malum habemus, Iſidoriani Chronici exemplaria conſonent; nec à Clodovei deceſſu ad Lotharii primi obitum per annos 344 *quinque Francorum Reges* uno eodemque tempore regnantes Europa viderit; ſed ab anno 511 ad 524, quatuor; à 524 ad 555 poſt Theudis cædem tres; à 555 ad 558, duo; à 558 ad 561 unicus genti præfuerit; tam *Francorum Reges* à Theudi, manu rem gerente Theudiſclo, *debellatos* fuiſſe quam quinque uno eodemque tempore rerum potentes *debellari*, ab eodem potuiſſe falſum & abſurdum eſt: qui enim in rerum natura nunquam fuerunt, nec vincere, nec vinci à quoquam ſimul potuerunt.

In tuto collocata Regum Regnique dignitate, de Francorum aliquot, qui dum Regiam cauſam propugnant ab omni Ampullæ Remenſis mentione abſtinuerunt, exiſtimatione ſollicitos nos eſſe convenit: in iis Theodorus Gothofredus revincendis adverſariorum commentis natus, totoque vitæ tempore illuſtrandæ hiſtoriæ noſtræ intentus, quia edito ante annos fere quadraginta pro Regia prærogativa libello, de Ampullæ miraculo, univerſoque unctionis ritu ſciens prudens ſiluerat, vapulare poſt funera cogitur, quique optima fide nunquam non uſus erat, velut *parum ſincerus* maligne ab adverſario proſcinditur; nos contra aſperſam hoſtili manu præclari viri laude digniſſimæ memoriæ labem, quo facilius abſtergat impactoque innocentis caput crimine abſolvat lector, octo ei quæſtiones, quas rerum miſcendarum artifex peritus Chiffletius ad mentem revocaſſe non videtur, ſigillatim ſuoque ordine ſepoſito omni affectuum faſcino trutinandas offeremus.

Lutetiæ anno 1614.

Epiſt. dedicat. Diſquiſit. præfixa.

1. *An illo ipſo tempore quo Clodoveum Chriſto nomen dantem tingi oportuit, miraculo Ampulla ad Remigium perlata ſit.*

2. *An Ampullæ illius ſive oleo, ſive alio quovis liquore Clodoveus inunctus ſit.*

3. *An Clodoveus ejuſque poſterorum ullus in Francorum Regem unctus ſit.*

4. *An Regiæ unctionis ritus Eccleſiæ Chriſtianæ divinitus imperatus, an verò libero ejus arbitrio abſolute permiſſus ſit.*

5. *An ex quo Francorum Reges inungi placuit, lapſamque cælo & ad Remigium perlatam Ampullam Hincmarus ſcripſit, ſolo ejus unguine, vel delibuti ſint; vel perlinendi fuerint quotquot in hanc uſque diem abhibito unctionis ritu conſecrati ſunt.*

6. *An Chriſtianiſſimorum Regum, quantus quantus eſt inter dignitatis conſortes primatus, uni unctioni ex Ampulla Remenſi petitæ adſcribendus ſit.*

7. *An primatus idem unctioni illi adſcribi ex parte debeat.*

8. *An ex unctione ſacra, undecunque petita ſit, dignationis quippiam (cujus merito aliis non unctis præferantur) in eos profluat.*

Primam & ſecundam quæſtiones, quod eas non ſine juſta cauſa à propoſito ſuo, totaque quam tractabat materia alieniſſimas Gothofredus judicaret, ne ſummo digito attingendas putavit: eaſdem nos, legitimis & Hincmaro antiquioribus monumentis deſtituti, Eccleſiæ Remenſis alumnis Ampullæ à ſeculis aliquot appoſitis cuſtodibus, elucidandas relinquemus. illi (quod pios, graves, doctrina claros viros decet) irretorto oculo luſtratis Chartophylacii ſui Theſauris, nobis unde ſua ante annos 800 eorum ex S. Remigii Abbate præſul decantatiſſimus Hincmarus hauſerit, enarrabunt; ſingulоſque quibus hinc inde tota ejus narratio ſtringitur nodos expedient, ut quibuſcunque

que hactenus aqua hærere viſa eſt dignoſcere liceat. 1. An veriſimile ſit Dominum opt. max. viri qui bella ex bellis ſerere fœderum neglecta religione nunquam deſtitit, Romanos, Burgundos, Gothos, alioſque in vicinia poſitos infeſtis ſignis adortus, & proditoria conſanguineorum Regum cæde extrema ſua tempore impiavit, truculentum caput cœleſti unguine perſundere ac conſecrare ceu vas aliquod ſanctum voluiſſe. Cum enim fruſtra nihil agere natura ſoleat, quanto minus ſummo rerum conditori tribuendum fuerit, ut fruſtra egiſſe viſus, eo fine ut in alium mutaretur qui revera mutatus non eſt mira protuliſſe credatur? 2. Qui fieri potuerit, ut Avitus Viennenſis Archiepiſcopus, ad quem *ſublimiſſimæ* in Clhodoveo competente *humilitatis nuntius pervenerat*; quique Epiſtola ad recens Baptiſatum data ei ſuo Regiſque ſui nomine ob ſacrum Baptiſma ſuſceptum gratulatus erat; tempus ſacrique univerſi ordinem nos docuerit, *ad ſalutem ex unda regeneratum, quo natum redemptioni ſuæ cæli Dominum mundus accepit*; *adunatorum numerum pontificum*; *manu ſancti ambitione ſervitii, membra Regia undis vitalibus confoviſſe*; *ſe ſervis Dei inflexiſſe timendum gentibus caput*; *ſub caſſide nutritos crines ſalutari galeâ ſacræ unctionis induiſſe*; *immaculatos artus ſimili candore fulſiſſe*, notans. *Clericum, qui Chriſma ferebat à populo interceptum. Nutu divino Chriſma defuiſſe, ſancto pontifice tacite orante cum lacrymis ſubito columbam nive candidiorem attuliſſe in roſtro Ampullam Chriſmate ſancto repletam, mirificoque odore omnes qui aderant inæſtimabili ſuavitate replentem: accipiente ſancto pontifice Ampullam ſpeciem columbæ diſparuiſſe, de Chriſmate illo infuſum in ſacrum fontem quicquam: viſo tanto miraculo Regem abnegatis Diaboli pompis & operibus ejus, baptizari ſe petiiſſe*, neque ſcripſerit, neque ſibi quomodocunque cognitum fuiſſe inſinuaverit. 3. Quo caſu evenerit, ut Nicetius Trevirorum Archiepiſcopus Clodoſuindam Clhodovei magni ex filio Clothario neptem ad procurandam Alboïni Langobardorum Regis mariti converſionem anno, non 563, ſed (Sirmondo teſte) 565, à Clodovei deceſſu quinquageſimo quarto hortatus; ei Clodovei avi, *antequam vera agnoſceret acquieſcere nolentis, cum probata cognovit humilis ad Domini Martini limina cadentis, ſeque baptiZari ſine mora permittentis*. Inſigne exemplum in memoriam (nulla miraculi quo nobilitatum Baptiſma ejus fuiſſet adjecta mentione) revocaret; ipſeque, ad cujus preces advolaſſe cœleſtis columba dicitur, in Teſtamento tam genuino ante annum 530 vel forte 524 condito, quam ab exſcriptoribus impudenter poſtmodum interpolato, & Clodovei Epitaphio miraculi nihil magni Principis à ſe memorato Baptiſmati acceſſiſſe Remigius referret. 4. Quî contigerit, ut Gregorius Turonenſis Eccleſiæ præſul, Eufronio anno Chriſti 572, *Sigeberti* Regis *duodecimo* ineunte, *poſt B. Martini tranſitum* 172, à Clodovei dormitione 61, Auguſti 21, feria 1 ſuffectus; anno vero *Epiſcopatus* 21, *Guntchramni Regis* 31, *Childeberti junioris* 19, adeoque Chriſti non 596 ſed 592, à Clodovei morte 81, 15 *Cal. Decemb.* denatus; Gregorius inquam qui Clodoveum *anno Regni* 15 *per invocationem nominis Chriſti victoriam de Alamannis, meruiſſe obtinere*; anno ſequenti *priuſquam* Clodoveus baptiſandus Francis *loqueretur, præcurrente potentia Dei omnem populum pariter acclamaſſe: mortales Deos abigimus &c.* anno Regni 26 *ad beatam* Martini *Baſilicam nuntios qui victoriæ de Alarico* reportandæ *auſpicium ſuſciperent direxiſſe*,

Greg. Tur. lib.2. c 27. c.32. c.35. c.37. c.40. c.41. c 42.

Diſquiſit. c.2. p.51

Diſquiſit. cap.4.pag.19.

pag.15.cap.3. p 9.c.4. p.19.

Lib.2.cap.30. cap.31.

direxiſſe, *cervam miræ magnitudinis ante* ejus exercitum *nutu Dei* Vigennam *flumen ingreſſam*, *illaque vadante populum qua tranſire poſſet agnoviſſe*; *pharum igneam de Baſilica S. Hilarii egreſſam*, *ab eo ſuper ſe advenire viſam*, *ut lumine B. Confeſſoris adjutus Hilarii, liberius hæreticas acies debellaret*; Clodoveanorum militum uni, *evaginato gladio* B. Maxentii *caput libranti*, *manum ad aurem directam diriguiſſe*, *gladium retrorſum ruiſſe*, *eum ad pedes B. viri ſtratum*; *B. Confeſſorem brachium ejus cum oleo benedicto contrectatum*, *impoſito ſigno crucis ſanum reſtituiſſe*; *in* Clodovei *contemplatione*, *ut* Ecoliſmæ *muri ſponte corruerent*, à Domino datum fuiſſe ſcripſerat: ubi Baptiſmi ejus hiſtoriam enarrandam ſuſcepit, velut ad miranda, quorum perpetuo ſtudio accendebatur, nauſeabundus, inſolitum aut præter naturæ leges editum nihil agnoſceret, *Nunciantur*, inquit, *hæc* quæ Franci acclamaverant *Antiſtiti* Remigio, *qui gaudiô magnô repletus*, *juſſit lavacrum præparari. Velis depictis adumbrantur plateæ*; *Eccleſiæ cortinis albentibus adornantur*, *Baptiſterium componitur*, *balſama diffunduntur*, *micant flagrantes odore cerei*, *totumque Templum Baptiſterii divino reſpergitur ab odore. Talemque ibi gratiam adſtantibus Deus tribuit*, *ut æſtimarent ſe Paradiſi odoribus conlocari. Rex ergo prior popoſcit ſe à Pontifice Baptiſari*, *procedit novus Conſtantinus ad lavacrum*, &c. *Rex omnipotentem Deum in Trinitate confeſſus*, *baptiſatus eſt in nomine Patris*, *& Filii & Spiritus Sancti*, *delibutuſque ſacro Chriſmate cum ſignaculo crucis Chriſti.* Quid S. Remigii à quo mortuum excitatum legerat cultorem ab Ægidio Remigii ſucceſſore ordinatum, eodem ſedente Remos profectum, *res minutas*, *maximè ſacras ad ſuæ gentis gloriam ſpectantes accurate proſequi ſolitum*, Luſitanici fontis & columbæ in Aredium delapſæ miracula prædicantem, Regiſque Theobaldi de ſerpente Ampullam ingreſſo apologum referre non dedignatum, Ampullæ à columbâ ad Remigium perlatæ meminiſſe vetabat?

Hic Ampullæ mentio fieri debuerat.

Diſquiſ. p. 21.

Diſquiſ. p. 22. & 23.

5. Quo Concilio anonymus qui geſta Francorum ſub Theodorico II. inter annum 720 & 735 ſcripſit; Fredegarius Scholaſticus qui Chronicon Childebrandi Ducis juſſu ad Pippini coronationem, Nibelungo Comite Childebrandi filio mandante ad Pippini mortem annumque Chriſti 768 perduxit; Dagoberti geſtorum ſcriptor incertus Fredegarii imitator; Rorico Monachus in geſtis Francorum; vitæ ſancti Arnulphi ex Remenſium Comite Epiſcopi & Confeſſoris author incertus; anonymus alius vitæ ſancti Solemnis Carnutenſium præſulis ſcriptor; Alcuinus S. Martini Turonenſis Abbas anno 804 denatus, in vita S. Vedaſti Attrebatum Epiſcopi, Clodoveani Baptiſmi hiſtoriam ſine ulla miraculi mentione conſcripſerint, Gregorium Turonenſem vel interpolantes, ut geſta Francorum, Fredegarius, geſta Dagoberti, Rorico, vita Arnulphi; vel diſſona ſcribentes, ut vita Solemnis quæ Clodoveum ab eo Baptiſatum aſſerit; & Alcuinus qui Clodoveum à Vedaſto primis Chriſtianiſmi rudimentis imbutum *ad Remigium properaviſſe* ſcribit, eoque Nicetio *Remigium in Franciam* ad Clodoveum *veniſſe* notanti, & Gregorio Turonenſi *clam* à Chrotilde Regina *accerſitum* narranti adverſatur.

Diſquiſ. p. 23.

Diſquiſ. pag. 102.

Diſquiſ. p. 39.

Quod præſulum ſedecim qui Remis poſt Remigii dormitionem, antequam Hincmarus ordinatus eſſet, ſederunt, ſeriem oſtentabundus texit, univerſoſque de Ampulla ſiluiſſe contendit, vento levius eſt; cum Mappinii unius

unius unica eaque excuſatoria ad Nicetium Trevirenſem circa annum 554 data Epiſtola ſuperſit; cæterorum ſi qua elucubrarunt monumenta perierint; nec in præſens divinare quiſquam poſſit quæ eorum fuerit de Clodoveo ejuſque Baptiſmate ſententia, quorum nihil planè habetur, vel aſſenſum nulli notum, vel diſſenſum temere divinando, cauſari ridiculum eſt: triplo ab Hincmari ætate ad tempora noſtra longiorem catalogum texere, deſputæque quam Eccleſia Remenſis in pretio habet Ampullæ reos Hincmari ſucceſſores univerſos impetu pari peragere adverſarius potuiſſet, nulla eorum quæ Hincmarianam narrationem confirment monumenta oſtendens: quot enim ex illis, vel famam ſcriptis extenderunt, vel ſi quid ediderunt, Ampullam in natura rerum eſſe teſtati ſunt? ut ut *qui tacet* neganti *conſentire videatur*, *verum tamen eſt eum non negare*, idque paſſim evenit, ut de compertiſſimis illi ipſi quibus nota & cara ſunt nihil prorſus dicant. Inanis ergo, momentique ad cauſam nullius eſt Remenſium Præſulum ſedecim qui ab anno 496 ad 845 ſederunt enumeratio, in qua inſuper nonnulla animadverſione digna occurrunt. nam 1 quod Mappinii vitam ad annum 571 perduxit, nullo antiquitatis teſtimonio fulcitur. 2. Quod Ægidium *Juſtiniani Imperatoris affinem* vocat, Flodoardo aliiſque veteribus ignotum cum fuerit gratis effictum non injuria videri poteſt. 3. Quod Ægidii ejuſdem exauctorationem in annum 592 confert, vel hinc refelli poteſt quod anno *Guntchramni* 29, *Childeberti* 15, cum anno 590 concurrente, Novembri menſe à Metenſi Concilio depoſitum lib. 10, cap. 19, Gregorius Turonenſis notat. 4. Quod Sonnatii, anno 637, Octobris 21, ex Ioannis Roberti aliorumque ſententia defuncti, obitum in annum 643, qui Dagoberti poſtremus fuit differt. 5. Quod Engelbertum, cujus parentes Flodoardus ignoravit & ſucceſſorem Landonem ante Sigebertum, anno 654 Feb. 1, denatum vivere deſiiſſe notavit, Egæ Palatii Majoris, anno Clodovei junioris 3, Chriſti 646 defuncti filium fuiſſe nullo authore indicato aſſeverat. 6. Quod Landonem Erchinoaldi, cujus Adalbaldus Duaci Dux & Sigefridus Pontivi Comes germani fuerunt, fratrem fuiſſe nullo certo documento munitus fingit; annoque 662, à Sigeberti morte 9, deceſſiſſe ſomniat. 7. Quod ubi Nivardum *Eumæ Principis filium* nuncupavit, & Childerici Regis ſororium fabulatus eſt, pro Bilichilde (quam Childerico eidem nupſiſſe ex Chartis à Miræo aliiſque editis conſtat,) Richildim neſcio quam ſubornans; pontificium ejus in annum 662, à Sigeberti Regis morte octavum, perperam differt: quandoquidem Nivardus Flodoardo teſte *in Epiſcopatu poſitus*, &c. *præceptum immunitatis à Childeberto Rege* pro Sancti Baſoli *Monaſterio ſuper teloneis & quibuſdam tributis obtinuit: eidem Rex Ludovicus ſub Eccleſiæ nomine, res quaſdam in Malliaco ſuper fluvium Vidulam, quas quibuſdam infidelibus ſuis ejectis receperat, auctoritatis ſuæ præcepto conceſſit Culmiciacum & Victuriacum:* nemo autem neſcit Childebertum, cum anno 654 Sigeberti Regnum invaſiſſet, ab Erchinoaldo deturbatum ac cæſum; Grimoaldum Childeberti parentem carceri mancipatum; & Ludovicum, cujus nutu univerſa hæc gerebantur anno 660 devixiſſe. 8. Quod Childericum Nivardi Præſulis germanum, (cujus filiam Reolus primum Comes ac exinde Nivardi ejuſdem in Epiſcopatu ſucceſſor duxerat; ex eaque filios jam grandiores à Theoderamno ante annum 680 necatos ſuſceperat) cum Childerico Rege annum vitæ vigeſi-

mum cum à Bodilone circa annum 676 peremptus eſt, vix ſupergreſſo infrunite confundit. 9. Quod Rigobertum quem Carolus Martellus, *mox ut* anno 717, 12 *Calendas Aprilis Dominica die*, Chilperico Rege & Ragemfredo majore devictis *reverſus eſt, de ſede ſua exturbavit* anno 723, à Vinciacenſi prælio 7. pulſum delirat. 10. Quod Abelem in Concilio Auguſtæ Sueſſionum *anno ab incarnatione* 744 *Childerici Regis* 2, *ſub die 6 nonas Martii*, *luna* 14, congregato ordinatum, *anno* 750 quo jam è vivis exceſſerat electum ſomniat. 11. Quod Tilpini Abeli ſuffecti electionem anno 759, dormitionem anno 811 aſſignat, quo Wlfarius Tilpini ſucceſſor Caroli Magni Teſtamento ſubſcripſit: cum enim Tilpini Epitaphium à Flodoardo deſcriptum eum *quadragenis & amplius annis* Eccleſiam Remenſem *paviſſe*; Annales Bertiniani hæc de ejus ſepultura ad annum 789 notent: *hoc anno, ut computatum eſt, depoſitio fuit Domini Tilpini Epiſcopi*, 3 *nonas Septembris*: anno circiter 748 Abeli ſucceſſiſſe; 789 Septembris 3, antequam Wlfarius Caroli Magni Teſtamento ſubſcriberet 22 in Domino dormiiſſe neceſſe eſt. 12. Quod Wlfarium cujus initia anno 811 Epiſcopatus 22 imperitè affixerat, anno 822 deceſſiſſe nugatur; cum enim Stephanum Papam anno 816 Iunii 22 feria 1 electum, *nondumque duobus poſt conſecrationem ſuam exactis menſibus, quam maximis poterat itineribus ad Imperatorem venire contendentem Ebo jam* Flodoardo teſte *præſul cum Ludovico Rege Remis ſuſceperit*; Wlfarium Iunii 5 denatum anni 815 Metas prætervectum fuiſſe credibile non eſt. 13. Quod Ebonem *anno* 854 *obiiſſe* ſomniat; Flodoardus enim Hiſtoriæ ejus ſcriptor accuratiſſimus, Hincmari in epiſtola ad Synodum Sueſſionenſem veſtigia ſecutus, lib. 3. c. 2. triennio prius defunctum monet (*poſtquam*, inquit, *res geſtas Leoni Papæ referentibus Epiſcopis, & regalibus inſuper Epiſtolis ordinatio Hincmari quando fidei quoque ſuæ tenorem Romam miſit rata eſt cum largitione pallii comprobata*) *per quinque circiter annorum curricula ſupervixiſſe fertur in corpore, uſque ad annum videlicet incarnationis dominicæ octingenteſimum quinquageſimum primum*, Martii videlicet menſis die 7, Indictione 14. 14. Quod ſedecim Remigii ſucceſſores, *claros natalibus, & doctrina illuſtres, & ſanctitate conſpicuos* fuiſſe velut ex tripode pronunciat, ejus audacia dignum eſt qui tam falſa fingere quam incerta mordicus tueri quandocunque commodum videtur audeat: unde enim illi Romani, Flavii, Mappinii, Ægidii, Sonnatii, Engelberti, Abelis, Tilpini Flodoardo diligentiſſimo antiquitatum Remenſium inveſtigatori ignoti *natales*, eorumque *claritudo* diſquiſitori noſtro innotuêre? Quibus fidiculis ex his Flodoardi ejuſdem de Rigoberto verbis *ejus*, Reoli ſcilicet, *ut traditur, carne propinquus Reoli patruelem* (quaſi quotquot *carne propinqui* ſunt *patrueles* ſeu germanorum filii dici mereantur) fuiſſe expreſſit? de Ebonis tam *natalibus* minime *claris*, quam moribus illaudatis qui dubitant, Theganum Trevirenſis Eccleſiæ Chorepiſcopum gravem & ætate parem authorem audiant. *Elegerunt*, inquit, *tunc unum impudicum & crudeliſſimum, qui dicebatur Hebo Remenſis Epiſcopus, qui erat ex originalium ſervorum ſtirpe, ut eum immaniter afflixiſſet cum confinctionibus cæterorum*, &c. *Epiſcoporum Galliæ maximeque Belgicæ provinciæ.* Reſponſum Nicolao Papæ datum attendant. *Quod Ebo accepta à Lothario pro patris proditione Abbatia Sancti Vedaſti, falſarum objectionum incentor extiterit*, &c. *Ebo in Synodo* apud Theodonis villam anno 835 congregata, *Præſens ab Impe-*

Vita Rigoberti, annales, &c.
Concil. Sueſſ.
Annal. Bertin.
Cap. 44.
Flodoard. lib. 2, cap. 20.

Imperatore præſente accuſatus eſt, quod eum falſo criminatus fuerat, & eiſdem falſis criminibus appetitum à Regno dejecerat, armiſque ab eo ablatis, nec confeſſum, nec convictum, contra regulas Eccleſiaſticas ab Eccleſiæ aditu ac Chriſtianorum ſocietate eliminaverat: ſicut & idem ſcripto ſubſcriptione ſua roborato, & verbis coram omnibus profeſſus fuerat. Et cum eſſent etiam alia crimina, de quibus poſt hanc accuſationem accuſandus erat, & de quibus apud Imperatorem jam antea accuſatus fuerat, & non canonice purgatus, ſicut & epiſtola Epiſcoporum ad Sergium Papam demonſtrat, & pro quibuſdam eorum extiterat à Conſilio Imperatoris ejectus: quæ patefacta veritate negare non valebat, petiit ſeceſſum, &c. Ipſi denique Ebboni crimina propria publice deploranti fidem habeat. *Ego*, inquit, *Ebo indignus Epiſcopus recognoſcens fragilitatem meam, & pondera peccatorum meorum, teſtes Confeſſores meos, Ajulfum videlicet Archiepiſcopum* [Bituricenſem,] *& Badaradum Epiſcopum* [Sagienſem,] *nec non & Modoinum Epiſcopum* [Auguſtodunenſem] *conſtitui mihi judices delictorum meorum*, &c. *Vt recederem ab officio & miniſterio Pontificali, quò me recognoſco eſſe indignum, & alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccaſſe ſecreto ipſis confeſſus ſum*, &c. *Eccleſiæ hactenus indignus præfui*, &c. *Manu propria mea ſubſcribens firmavi. Ebo quondam Epiſcopus ſubſcripſi.* Fœdior aliquanto, Gregorio Turonenſi teſte ante annos 245, Ægidii conditio fuerat: *requiſitus*, inquit, *Otho, qui tunc referendarius fuerat, cujus ibi ſubſcriptio meditata tenebatur, adfuit, negat ſe ſubſcripſiſſe. Conficta enim erat manus ejus in hujus præceptionis ſcripto. In hac igitur cauſa primum Epiſcopus fallax repertus eſt. Poſt hæc epiſtolæ prolatæ ſunt, in quibus multa de improperiis Brunechildis tenebantur, quæ ad Chilpericum ſcriptæ fuerant. Similiter & Chilperici ad Epiſcopum delatæ, in quibus inter reliqua habebatur inſertum, quia ſi radix cujuſlibet rei inciſa non fuerit, culmus qui in terris eſt editus non areſcet. Vnde prorſus manifeſtum eſt, ideo hæc ſcripta, ut ſuperata Brunichilde filius ejus opprimeretur. Negavit ſe Epiſcopus has epiſtolas, vel miſiſſe ſuo nomine, vel ſuſcepiſſe à reſcripto Chilperici. Sed puer ejus familiaris adfuit, qui hæc notarum titulis per tomos chartarum comprehenſa tenebat. Vnde non dubium fuit reſidentibus, hæc ab eodem directa. Deinde prolatæ ſunt pactiones, quaſi ex nomine Childeberti ac Chilperici Regis, in quibus tenebatur inſertum, ut ejecto Gunthramno Rege, hi duo Reges inter ſe ejus Regnum urbeſque dividerent*, &c. *Hæc Epiſcopus negare non potuit. Scripta enim iſta in regeſto Chilperici Regis in uno ſcriniorum pariter ſunt reperta*, &c. *Hæc eo negante Abbas, qui fuerat ſemper in his Conſiliorum arcanis particeps, locum hominemque denominat, ubi & qui aureos quos diximus detuliſſet; & qualiter de excidio Regionis ac Regis Gunthramni conventum fuerat, ut geſtum eſt, ex ordine denarravit. Quæ & ille convictus deinceps eſt confeſſus*, &c. *Ille confuſus ait: ad ſententiam dandam ſuper culpabilem ne moremini. Nam ego novi me ob crimen Majeſtatis reum eſſe mortis, qui ſemper contra utilitatem hujus Regis, matriſque ejus abii*, &c. Adeone periſſe de rebus frontem credidit diſquiſitor, ut admiſſi falſi, proditionis, & Majeſtatis convictos, proprioque ore damnatos reos, *Sanctitate conſpicuis* accenſeri fas putaret? *Doctrina illuſtres* Remigii ante Hincmarum ſucceſſores, quorum monumenta nulla extant, nullus in hanc uſque diem, ſive teſtis, ſive præco repertus eſt vocare, incompertaque profuſis temere laudibus proſequi merum humani gene-

Gregor. Turon. lib. 10, cap. 19.

ris ludibrium eſt; utut enim eos in doctiſſimis fuiſſe largiamur, qui de iis nihil præter nomen novit, in eorum ſibi non compertas laudes effundi ſine ſtultitia non poteſt.

Ab Hincmari majoribus ad æquales & poſteros digreſſus, denſum mutorum, qui de Ampulla nihil dixerunt teſtium, in ejus narrationem ducendum agmen inſtruit adverſarius; in cujus fronte Adonem Viennenſium Archiepiſcopum collocat, qui Chronicon ſuum ex anonymo *de Francorum geſtis* & Fredegario Gregorii Turonenſis exſcriptoribus contexuit; Bedæ Martyrologium continuavit & auxit; ſedit vero ab anno circiter 859 ad anni 873 vel 74, diem Decembris 16; ſiquidem Concilio apud Pontigonem anno 876 *indictione* 9, 11 *Kal. Iulii* Ottrannus Viennenſis ſubſcripſit, Adoni aliquanto ante denato ſuffectus: unde conficitur laciniam quæ Chronicon ejus ad annum uſque 879 perducit, à recentiore neſcio quo contra quam Chiffletius putabat adtextam fuiſſe.

Disquiſit. pag. 40.

Adoni Reginonem Prumienſis Cœnobii poſt Farabertum ab anno 892 ad 899 quo Richarius eo expulſo intruſus eſt abbatem ſuccenturiat, qui Gregorii Turonenſis veſtigiis non ſine cæſpitatione inhæſit, quandoquidem Clodoveum *anno Regni*, non 16 ineunte (quod res exigebat) ſed 12 *Baptiſatum* ſcribit: *deſiiſſe* autem *Chronicon ejus anno* 908, ſequentium ad anni 905 finem ſcripta refellunt. *Per id tempus Baltrannus Strasburgenſis Eccleſiæ & Luidhelmus Tullenſis Eccleſiæ Præſules migraverunt à ſeculo, quibus ſucceſſerunt in pontificali cathedra Otbertus in Strasburgenſi civitate, & Drugo in Tullenſi. Hucuſque Regino*, &c.

Disquiſit. pag. 43.

Hermannum ex Veringe Comitum gente Augiæ majoris Monachum anno 1054 defunctum prioribus adjungit, mendoſo ejus exemplari uſus quod ſub annum 495 ea de Clodoveo refert, quæ in editis ad annum 498 leguntur; & *Chrotildis* ſeu *Rotildis* Reginæ nomen in *Bruodhildis* quæ nulla fuit vocabulum deformat. Cum autem eum ex ſolis Gregorii Turonenſis lacunis hauſiſſe clarum ſit, nihil ab eo Gregorianæ Hiſtoriæ ſuper additum mirari nemo debet. Baldricii Everardo Tornacenſi Caſtellano nati, & Noviodûnenſis Eccleſiæ Præſulis anno 1112, pridie Calendas Iunii defuncti, locum ex Alcuini de B. Vedaſti vita libello deſumptum arripit; nec plura ab eo qui ſua ex Alcuino mutuatus ſit, quam ab Alcuino ipſo ſperari debuiſſe videt. Herigerum Abbatem Lobienſem anno 1107 denatum addit, qui Francos cum Clodoveo à Remigio *cælitus prædeſtinato* Baptiſatos narrans, nihil ultra retulit. Sigebertum ſubjungit in Gemblacenſi Leodienſis diœceſis ac exinde in S. Vincentii Metenſis cœnobio Monachum, anno 1113 Octobris 5 vita functum, qui univerſa ſua de Clodoveo ex *anonymo de geſtis Francorum* deprompſit; Hiſtoriam Miſcellam ad annum 504 defloravit; ſcriptam ab Hincmaro Remigii vitam, anno non 953 ſed 854 indicavit, *libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis claram Remenſis Hiſtoriæ* à Flodoardo editæ, *mentionem fecit*, totamque tam Hincmari quam Flodoardi de Ampulla narrationem, non quod eam improbaret, ſed quod ejus in authore quem in Chronico exſcribebat, neque vola neque veſtigium extaret, omiſit.

Ibidem.

Pag. 44.

Disquiſit. cap. 10. p. 45.

Ivonem ex S. Quintini apud Bellovacos Abbate Carnotenſis Eccleſiæ, ab anno 1091 Novembris 23, feria 1, ad annum 1115 Decembris 23, feria 5, Epiſcopum, eoque tam undecimi quam duodecimi ſeculi hominem, Sigeberto,

berto, cui ad triennium non ſupervixit, ſubnectit; qui unico verbo *Baptiſatum cum populo* Clodoveum in Chronico notans, cætera ad eum ſive ante, ſive poſt Baptiſmum pertinentia omittit; & in Epiſtola adverſus Remenſis Eccleſiæ querelas, quod Ludovicus VI, anno non 1106 ſed 1108, 3 Nonas Auguſti feria 1, Aurelianis à Daymberto Senonum Archiepiſcopo conſecratus eſſet, rite & ex jure communi factum defendit: ſi quæcunque reticuit negaſſe credatur, quis tam Gregorii Turonenſis Hiſtoriæ quam Hincmari & Flodoardi narrationi locus, per eum reliquus fiet? Othonis Friſingenſis anno 1158 denati, & Ivoni à Diſquiſitore ſuperadditi ratio conſimilis, Clodoveum Baptiſatum ſine ulla circumſtantiarum annotatione refert, an quia nullas memorarit, nullas agnoviſſe quiſquam ſanus dixerit? Diſquiſit. pag. 49.

Conradum à Lichteno Abbatem Vrſpergenſem, in cujus ac forte priorum aliquot Chronico, ad annum uſque 1229 perducto, pauca de Clodoveo ex anonymo de geſtis Francorum deprompta leguntur, teſtem advocans, lectorem ludos facit: quid enim aliud litteris, ſive Abbas, ſive Prior alius mandare potuit, quam quod in authore cui ſe committere decreverat, legebat? Vno igitur Catone hoc contentus, nihil ultra quam ab eo didicerat, memorandum putavit: nec fruſtra alium à Conrado, cui poſtrema Chronici debentur, priora ſcripſiſſe, quis hodie crediderit; cum ante annos quadraginta nos hæc Bellarminus Cardinalis monuerit. *Neceſſe eſt, hanc Hiſtoriam, vel non eſſe unius authoris, vel Conradum hunc inſeruiſſe aliqua in Hiſtoria ſua, ex ſcriptis aliorum. Siquidem anno* 1102 *ſcribit ſe Romæ fuiſſe, cum Paſchalis ſecundus pontifex feria quinta in Cœna Domini publicè Imperatorem Henricum excommunicatum pronunciavit. At ipſe (ut paulo ante notavimus) ſcribit, ſe anno* 1215, *factum eſſe Abbatem Vrſpergenſem: quæ certe non cohærent; niſi forte factus ſit Abbas cum eſſet pluſquam centum & quindecim annorum. Sed neque hoc dici poteſt; cum ipſe idem loquens de initio pontificatus Innocentii tertii, id eſt, de anno* 1198, *dicat ſe tunc fuiſſe in minori ætate, & adhuc laicum: quomodo enim poterat eſſe in minori ætate, ſi pluſquam centenarius erat?* Diſquiſit. pag. 52. De ſcript. Eccleſ.

Albericum in trium Fontium Cœnobio Cathalaunenſis ſub Remorum Metropoli Diœceſis Monachum, ad annum uſque 1241 ſuperſtitem, hoc in partes obtentu trahere conatur diſquiſitor, quod qui Flodoardi Hiſtoriam Remenſem non ſemel laudavit, *ranaſque in clauſurâ Monaſterii de Oiâ* S. Godonis juſſu ad ſuam uſque ætatem *mutas* fuiſſe ſub annum 676 obſervavit; de Clodoveo multa, de Ampulla nihil prorſus habeat: ſed cum Albericum, utut in aſſignandis annis à Sigeberto ſæpenumero diſcedat, quæcunque de Clodoveo retulit ex uno Sigeberto anonymi de geſtis Francorum imitatore tranſtuliſſe, priorumque nihil ſuo marte ſcripſiſſe conſtet, cum à Sigeberto prætermiſſa memorare ex hypotheſi nequaquam debuiſſe certum eſt. Diſquiſit. pag. 52.

Guillelmum de Nangiis ſive Nangiacum S. Dionyſii in agro Pariſiaco Monachum, qui *Chronicon ſuum ad decimi quarti ſeculi principium perduxit*, Sigebertum fere ſemper exſcripſit, eaque de cauſa Ampullam ſilentio ſepultam relinquere coactus eſt, fruſtra ſententiam quam nec dixit, nec dicere conſtituit, rogat: quodque viro gravi indignum cordatus quilibet judicet, ad picturarum ab antiqui moris imperito artifice in Bruxellenſis Bibliothecæ duobus codicibus delineatarum nullam per ſe authoritatem provocat; nec Diſquiſit. pag. 54.

tantum provocat, ſed utriuſque exemplum cælo expreſſum, repræſentat; quod nos eô fine, ut Lector tantas eſſe aliquid putare nugas deſinat, recudi curavimus.

BAPTISMVS CLODOVEI I. Regis.

Ex Chronico Dionyſiano. *Ex Nangiaci Chronico.*





Columbam Ampullæ geſtatricem nec depinxit, nec depingere debuit Clodoveani Baptiſmi qualemcunque imaginem ob oculos poſiturus: nec enim ad Baptiſma, ſed ad Chriſmationem poſt Baptiſma peragendam, quamque exprimere conſilium non erat, geſtata per columbam Ampulla ex hypotheſi neceſſaria fuit. Multiplici autem inſcitiæ ſuæ edito ſpecimine, quidlibet audendi ſibi poteſtatem arrogaſſe oſtendit. nam primum fontem, ad pollubri cippo ſuperpoſiti formam effictum exhibuit, ad quem ſaltu, imo volatu aviculæ inſtar, ſurſum ferri aut circumſtantium manibus attolli Clodoveum oportuit; quem Gregorius Turonenſis *in eum* more ſolito *procedendo*, id eſt, deſcendendo *ingreſſum* fuiſſe refert. 2. Affuſa capiti aqua, quod ex uſu veterum non erat, lotum fingit, quem ex Aviti mente Hincmarus priſci ritus memor trina immerſione, *ut undis vitalibus membra Regia refoveri* poſſent, ablutum expreſſe notat. 3. Peluis nullius fere concavitatis ad piſcinæ myſticos piſces poſt immerſionem innataturos continendum apte ſe admodum non habet. 4. Ex communiſſimæ formæ poculo, aut concha, ſupra Clodovei caput à baptiſta elevatis; ſacrum in ejus caput laticem fundi, nec ex quinti quo tinctus eſt, nec ex decimi quarti quo Nangiacus vixit ſeculi uſu fuit. 5. Baptiſmi miniſtrum in ipſo tinctionis & invocationis ſummæ Trinitatis actu mitrato cum circum-

circumſtantibus capite fuiſſe, nec vetuſto nec hodierno mori convenit. 6. Picturæ in quarum altera Prælati quinque Baptiſtæ adſtantes ſine ullo miniſtro comparent; altera unicum Baptiſtæ adſtantem cum miniſtro in genua prolapſo & apertum Sacramentorum librum geſtante exhibet, ſibi invicem nequaquam reſpondent. 7. Tam rudi ac monſtrifica manu delineatæ ſunt, ut nullo ſive naturæ ſive artis ſervato modo, Clodoveo jam tricenario athletici roboris Principi, pumilionis; Prælatis Baptiſmi Miniſtris giganteæ fere parem molem aſſignare minime verita ſit. 8. Clodoveum crinitorum Regum more demiſſis utrinque in humeros capillitii flagellis inſignem non ſubornant, ſed tonſum; altera vero Prælatos raſo mento, ſed qui comam aluerint velut ad ludibrium componit. Atque hæc de variis picturarum à diſquiſitore famæ parum propitio prolatarum monſtris, velut in tranſcurſu monere neceſſe fuit.

Ad ſeculum decimum ſeptimum, à decimo quarto velut ſaltu delapſus, Bernardum Girardum Hallianium, quem cognomento ad nominis formam perperam detorto Gerardum nuncupat, cum Papirio Maſſono, Claudio Faucheto, Ioanne Serrio, vel potius Serrano, prout ſe ipſemet inſcripſit, Iacobo Auguſto Thuano, Scipione Dupleix, & Dionyſio Petavio, velut in manipulum cogit, qui de Ampulla in Gregorio Turonenſi, quod nemo negat, nihil extare obſervarunt, quaque ipſi in ſententia fuerint, unico Thuano excepto diſerte non expreſſerunt. Vt decuplo imo centuplo plures fuiſſe largiamur qui Hincmarianæ narrationis miraculum alto ſilentio ſepultum reliquerint, vel Gregorii Turonenſis teſtimonio fulciri non poſſe agnoverint; cum *argumentum ab authoritate negativè* per ſe *invalidum* ſcholæ reputare ſoleant; eaque fere univerſos qui ab anno 700 ad 1500 ſcripſerunt indole fuiſſe certum ſit, ut marte proprio, quæ ante ætatem ſuam contigerant, enarrare non amaverint; ſed excerptorum, alieno labore utentium, priorumque monumenta ſuis inſerentium, quam primariorum authorum locum tenuerint, nihilque ultra quam in ſcriptore, quem præ manibus ſumpſerant, & imitari decreverant, inveniebant, ad poſteros tranſmiſerint; his ſolis argutationibus minimè movebimur; *ſiluerunt*, ergo *negaverunt*, *aut negandi eaque quæ non memorant impugnandi animo* ſiluerunt: quis enim adeo bardus ſit, ut Clodoveum baptiſatum non fuiſſe, quia Marius Aventicenſis centum poſt annos in ipſa Gallia ſub Clodovei abnepotum oculis poſitus, nihil de Baptiſmo ejus retulit; aut Clodoveum nunquam extitiſſe, quia Marianus Scotus Proſperi & Caſſiodori exſcriptor ejus non meminit, in animum inducendum putet? Si Remenſes vel unicum Remigii ſui, aut ſupparis alicujus & Gregorio Turonenſi æqualis monumentum protulerint, *par levibus ventis volucrique ſimillima ſomno* evaneſcet quanta quanta eſt, aut eſſe poteſt, ſive tacentium, ſive negantium ad inane terriculamentum excita *nubes*, ſeque *in æthera fundet apertum.*

Disquiſit. pag. 60.
Pag. 61.
Pag. 62.

Silentibus ſuis quos ad inanem pompam circumduxit, medios quoſdam qui ex hæſitantium cenſu eſſe videantur, interſerit Diſquiſitor: Flodoardus Remenſis Eccleſiæ Canonicus, rerumque ad eam pertinentium narrator diligentiſſimus, *anno 966 quinto Calendas Aprilis* denatus, in Hiſtoriam Remenſem ipſiſſima Hincmari de Ampulla verba tranſtulerat, *interceptumque qui Chriſma ferebat, & columbam advolaſſe Ampullam deferentem, cæle-*

Diſquiſit. Pag. 41. Ibidem.

ſtis

ſtis doni Chriſmate repletam diſerte aſſeruerat; ſed quia paucis interjectis hæc de Remigio, addidit, *tacite traditur oraſſe* inter ambigentes imo quæ aſſeveranter ſcripſerat in dubium ſemet impugnando revocantes abſurde reponitur.

Diſquiſit. pag. 60. Franciſcus Petrarcha, Archidiaconus Parmenſis anno 1374, Iulii 19, è ſeculo evocatus; *de vita ſolit.* lib. 2, cap. 13. ſuſpenſo ut ſic dicam gradu incedens, *Sanctus Remigius*, &c. *cælitus, ut ajunt, miſſo Chriſmate Regem unxit.*

Diſquiſit. p. 56, & 57. Pius II Papa, Calixto III anno 1458 Auguſti 18 feria 6 ſuffectus, & 1464 Auguſti 4 defunctus, in comment. lib. 6, ad annum 1429 de Caroli VII coronatione agens ſubdubitanter loqui viſus eſt: *opinantur Gallici candidam olim columbam è cælo miſſam B. Remigio*, &c. *liquorem olei*, &c. *non imminui putant*, &c. *de curatione morborum nihil ſatis compertum habeo, quamvis Gallici omnia illa credant fieri miraculoſe.*

Diſquiſit. pag. 60. Raphaël Volaterranus Geogr. libro tertio, inter annos 1503, & 1513 edito; *quo tempore, divino miraculo, miſſa cælitus Ampulla per columbam dicitur*, &c.

Lib. 1 de Regib. Franc. Michaël Ritius, Ludovici XII, anno 1515 Ianuarii 1, ad meliorem vitam tranſlati, Conſiliarius, *oleo, quod à columba cælitus allatum rumor eſt ungitur*, Clodoveus.

Lib. 1. hiſt. Franc. Paulus Æmilius Verona oriundus, Pariſienſis Eccleſiæ Canonicus, anno 1529 defunctus; Clodoveus *velut cæleſtis muneris Chriſmate delibutus.*

Diſquiſit. pag. 61. Franciſcus Modius Pandectarum triumphalium Tomo 1, lib. 4, c. 9. poſtquam eodem quo Clodoveus inunctus fuerat oleo Carolum ſextum delibutum fuiſſe aſſeveravit, de Ampulla addit; *quæ divinitus fertur per Angelum ad hoc miſſa.*

Hiſt. lib. 25, c. 2. Franciſcus Belcarius Metenſis Eccleſiæ ab anno 1561 ad 1568 Epiſcopus; anno 1591, Februarii 14, è vivis ſublatus: *oleum, quo Reges inunguntur, in Remigii Remenſis æde cuſtoditur, quod è cælo delapſum tradunt*, &c.

Lib. 2, c. 19. Iulius Cæſar Bullengerus, Academiæ Piſanæ Profeſſor: *Sacra Ampulla, quam cælo delapſam volunt, & moriente Rege exinaniri, reviviſcente repleri ajunt, ex adyto S. Remigii promitur.*

Lib. 1 de ſtrumis, c. 2. Andreas Laurentius, Henrici quarti Regis Archiater: *fuit* [Clodoveus] *unctus Chriſmate, ut ferunt, per columbam cælitus deportato.*

Alios forte ancipiti ſermone uſos congerere difficile nequaquam fuerit: ſed id primum in genere advertere licet quotquot, vel revera dubitant, vel dubie locuti videntur, ea de quibus minus certi ſunt nequaquam inficiari, ac nonnunquam longe ab iiſdem impugnandis abeſſe. 2. Quæ *tradita* ſunt & dicuntur, tam certis quam incertis niti poſſe; ipſumque nominatim Flodoardum quod *traditum* notavit aſſertione ſua firmaſſe. 3. Si quicquid paſſim receptum eſt, hoc ipſo quod *traditum* dicitur, nutet; de Sindone Veſuntione aſſervata, de Iacobi majoris per Hiſpanias prædicatione, de reliquiarum ejus in Gallæciam deportatione, de tumulo ejuſdem Compoſtellanis ipſis ante annum 798 ignoto, de S. Mariæ adhuc ſuperſtitis in columnæ Cæſarauguſtanæ faſtigio apparitione, præcipuiſque Hiſpanorum ſacris Guadalupenſibus, Granatenſibus, Burgenſibus, Montiſque Serrati mirandis, quibus una eaque minus illuſtris traditio patrocinatur, actum eſſe. 4. Famam

mam tam ficti pravique natura ſua tenacem, quam veri nuntiam, utut vero vix faveat inanibuſque rumoribus vulgo imponere ſoleat; ubi tamen conſtanti virorum gravium aſſenſu per ſecula multa firmata robur obtinuit, vero aliquo nec facile quatiendo fundamento fultam videri. 5. Improbabile eſſe, ut quod viri graves cum vulgo conſtanter *ajunt*, quodque inter omnes ex æquo *fertur*, *rumore* ſolo incertiſque fabulatorum commentis conſtet. 6. Ex Pii II mente, quod viri inter Gallicos graves à ſeculis multis cum vulgo *dixerunt*, *voluerunt*, *crediderunt*, licet id *opinati* dicantur, incertis accenſeri facile non debere; cum ea quæ mentium humanarum lumini ſubjacent, pro diverſo arbitrantium captu ponderis aliquid, vel mereri, vel perdere ſoleant; prudentiumque ac judicii acrimonia pollentium *opinatio* certæ exiſtimationi æquipolleat. 7. Pium Papam non ſuam, ſed Gallicorum de Ampulla ſententiam referre maluiſſe nemini mirandum; quandoquidem de re à ſe non explorata, ſed cujus dignationi detractum nihil vellet, loquebatur: eodem fere temperamento, quo anno 1483, nono Calendas Iulii, ab ejuſdem obitu decimo quinto, ad Ludovicum XI Auguſti ſequentis 30, feria 7, denatum ſcribens Sixtus IV uſus eſt: *vaſa*, *Ampullas nuncupata*, *in majori Remenſi & S. Remigii Remenſis Eccleſiis conſiſtentia*, *in quibus unctio*, *qua Reges Francorum in eorum coronatione inungi ſolent*, *exiſtit*, &c. Quaſi plures Ampullas unctioni Regum inſervientes Remenſes diverſis locis aſſervarent, memorans; cui enim incompertum erat unicumne an plura myrothecia ſacra Remis recondita eſſent? pluralem numerum ſingulari prætulit; nec minus Regis Hincmari relationi fidentis *deſideriis* tanquam *piis* favit, *factumque ſatis cupivit*. 8. In Pauli Æmilii Hiſtoria hæc de Clodoveo verba, *velut cæleſtis muneris Chriſmate delibutus*, *ad eum cæleſte munus* miſſum (quicquid in contrarium qui ea à ſequentibus maligne ſuppreſſis divulſit adverſarius obtendendum putet) non negare ſed fortius exprimere, iiſdemque receptam paſſim de Ampulla ſententiam magis ac magis confirmari. 9. Etiamſi Paulum Æmilium, alioſque infinitos dubie (quod Hincmari de Ampulla narrationi fidem accommodare nollent) locutos fuiſſe demus; eorum ſive dubitationem, ſive negationem Ampullæ dignitati (ſi idonea ejus firmamenta Remenſes habeant & expromere dignentur) nullatenus obfutura.

Diſquiſit. pag. 58.

Diſquiſit. pag. 60.

Poſtquam hinc ſilentes, inde hæſitantes, aut hæſitare viſos in eam pro virili armavit; ejuſdem aſſertores ceu Cadmæos qui ſe mutuo perimant fratres in prælia pro imperio cogit; delatam *à columba* S. Spiritus imagine Ampullam Hincmarus, Flodoardus, Aimoinus Floriacenſis Monaſterii Monachus anno plus minus 1016 denatus, eorumque exemplo alii plures ſcripſerant: univerſos eorum authoritate diſquiſitor oppugnat, qui *ab Angelo* aut *Angelico miniſterio* Remigio traditam voluerunt: Aſonis ſcilicet Dervenſis Monaſterii Abbatis, anno 991 denati, in paſſione S. Bercharii Altivillarenſis: Chronici Mauriniacenſis ante annos quingentos ab incerto ſcripti; Guillelmi Britonis in poëmate de geſtis Philippi II poſt annum 1223 edito; epitaphii Clodoveani ab incerto tabulis ligneis inſcripti; Franciſci Modii loco jam laudato; Remenſium qui *in ſummi templi faſtigio*, *pro indice ventorum*, *loco galli gallinacei*, *Angelicam ſpeciem*, *ad miraculi Ampullaris fidem erexerunt*, annoque 1484 in conſecrationis Caroli VIII pompa verſiculos edide-

Diſquiſit. pag. 41.

Diſquiſit. pag. 42. pag. 47. pag. 51. pag. 61.

pag. 48.

pag. 71. ediderunt, quibus *per Angelum tranſmiſſam* anno quingenteſimo Ampul-
lam aſſererent; nec uno certaminis inter eos excitati genere contentus ad-
pag. 73. verſarius à ſe obtinere poteſt ut alterutri digladiantium parti victoriæ ſpem
relinquat: utrique ex æquo infeſtus imminet, numiſmatis aureis & argenteis
prolatis, quæ anno 1614 Remis poſt Ludovici XIII conſecrationem à
miniſtris ejus in populum projecta ſunt; & erumpentem è nube manum ex-
hibuerunt, quæ ſacram Ampullam teneret, aureoque rore Remorum Metro-
polim cum adjacente ſolo irrigaret; inſcriptione addita, *Francis data mu-
nera Cæli.*

Diſquiſit. pag. 74. Vt internecina clade nulla evadendi ſpe deliniti quos ex adverſo collocat
cadant, univerſa hæc tanquam compugnantia urget: Hincmarus inquit, *tradit
allatam à columba Ampullam; Britto ab Angelo; in iſthoc autem aureo nummo
Ampulla porrigitur manu quæ prodit è nube, & ſic Deum Patrem ſignat. Pau-
linus Nolanus in verſibus, quos picturis Baſilicæ Fundanæ adjecit, Chriſtum pro-
ponit ſub Agni ſpecie, Spiritum Sanctum ſub alitis placidæ, ſive columbæ typo;
Deum Patrem, qui de nube Agnum coronat; hoc eſt ut cenſet Ioannes Maca-*
In hagio-clyptis m. ſ. *rius,* cujus manus exerta de orbe quodam nubium Filio coronam porri-
git, ut ei, cui omne in nos Imperium mandat, & quem vult audiamus. *Vnde
& Macarius* Manum *pro voce Patris & ejus etiam perſona recte interpretatur:
ut enim ſacræ litteræ ſapientiam filio, amorem Spiritui Sancti, ſic & Patri ſum-
mam rerum omnium poteſtatem adſcribunt, quam* Manum *appellant. Romæ*
Lib. 6. de Cruce, c. 11. *in curvitate abſidis S. Clementis Crux opere muſivo picta conſpicitur; cujus ex-
typum edidit Iacobus Boſius; in eminenti Crucis cornu Manus coronam tenet,
Chriſtumque in Cruce patientem, ut Paulini verbis utar,* Genitor de nube
coronat. *Ex ea porro Ampullam cælitus offerentium varietate à Francis tra-
dita, veritatis penuriam notare licet. Tam cæca eſt & ſtupida ſemper fictio, ut
neſciat eſſe omni ex parte munita,* &c.

Verum quæ Diſquiſitoris, turbarum nunquam non avidi, maligna auru-
gine tinctos oculos, pugnæ ſpecie fallunt, eam reipſa minime exhibent;
alterius nam altera poſcit opem res & conſpirat amice, quod ut ipſi vel ingra-
tiis ſuis extorqueamus, commune Theologorum axioma ad mentem revo-
camus; *opera Trinitatis ad extra eſſe indiviſa,* ut à Patre per Filium in Spi-
ritu Sancto eademque *poteſtate* ſive *manu* condi & conſervari univerſa cre-
dantur; ac ex conſequenti tam *Ampullæ* quam *Chriſmatis* quod ea conti-
netur (cujuſcunque generis illa ſint) primam formationem & ad Remen-
ſium manus deportationem (quomodocunque utraque facta credatur) *in
divinæ manus* operibus eſſe ac cenſeri ab adverſario ipſomet debere, nec
proinde ex Hypotheſi propria falſo aut inconvenienter Ampullam, quam
Cælo delapſam, Deique opus miraculoſum credunt *è nube prodeunti manui*
acceptam voluere Remenſes; quos nemo ſibimet adverſatos jure credide-
rit, ubi Dei manui Angelicum miniſterium ſubjunxerunt, cum eadem ſem-
Sapient. 8. verſ. 1. per ſe poteſtas exerat, quæ inſtrumentis ſive uſa, ſive non uſa, *à fine uſque
ad finem attingit fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Si enim Iob & David
Iob 10: 8. qui ſe parentum propagines eſſe non ignorabant, ad Dominum exclamare
Pſal. 119: 73. jure potuerunt; *Manus tuæ fecerunt me;* Si donaria humano artificio ela-
1 Chron. 29. verſ. 16. borata *de manu Dei eſſe;* Si bruta univerſa à *Domino manum aperiente eſca*
Pſal. 104: 28. * Exod. 3: 2. quomodocunque producta *ſatiari* vere David confeſſus eſt; Si * Dominus

de

de medio rubi locutus eſſe, [b] *in montem deſcendiſſe*, [c] ad populum *verba* feciſſe, [d] *legem* tradidiſſe recte dicitur, quia per [e] *Angelum in rubo apparuit, in* [f] *montem deſcendit*, & [g] *locutus eſt*, [h] *lex in diſpoſitione Angelorum data*, [i] *per Angelos ordinata*, [k] *per Angelos dictus ſermo* vocari meruit: Si [l] populus quem Dominus *Manna* paviſſe eique [m] *frumentum de Cœlo dediſſe*, legitur *Angelorum*, id eſt, Angelica opera efformatum *panem comedit*: Si denique ubi David *Angelum populum cædentem* conſpicatus in eo Domini manum ſenſit; in verba hæc prorumpens, [n] *Sit obſecro manus tua contra me & contra domum patris mei:* illis univerſis qui Ampullam cœlitus devectam crediderunt *divina* ſed *per Angelum* operante *Manu* demiſſam ſentire & ſcribere licuerit.

b Cap.19:18. c Cap.20:2. d Cap.24:12. e Actor.7:35. f Ibid. v. 30. g Ibid. v. 38. h Ibid. v. 53. i Gal.3:19. k Heb.2:2. l Deut. 8:3. m Pſal.78:24. n 2 Sam. 24. verſ.17.

Columbæ Ampullam roſtro deferentis ſpecie Spiritum Sanctum commode deſignari, multis operoſe & ad diſquiſitoris tædium Hincmarus docuit, nec tamen de miro ejuſdem ad Remigium volatu confirmando ſollicitus fuit: quid tum? an ipſi quod nemo ætate illa negabat; imo quod quemquam deinceps negaturum nequaquam ſuſpicabatur, confirmare neceſſe fuit? Adeone ſtipitem fuiſſe dixerimus, ut in confeſſis aut extra rem poſitis,quod Chiffletius amat,probandis, oleum & operam perderent? *Non alium quam Spiritum Sanctum in columbæ ſpecie apparuiſſe*, Hincmari exemplo eo fine ſcripſerat Aimoinus, ut ſpeciem illam nec Patris, nec Filii, ſed unius Spiritus Sancti eandem imaginem fuiſſe declararet quam ante ſexcentos annos Paulinus, & ducentis annis prior Tertullianus agnoverat. Horum de columba ſententiam adverſus Aſſonem, qui ejus apparitionem *Angelico miniſterio* deputabat, Ciceronis abuſus verbis torquet: ſed quid vetat Angelica manu ſeu virtute efformatam quæ Spiritum Sanctum proprie deſignabat imaginem fuiſſe, ſpiritumque ipſum quotieſcunque ſe manifeſtare dignatus eſt Angelum ſeu inſtrumentum vivens adhibuiſſe cujus fideli miniſterio ſacroſanctam ſuam præſentiam adumbraret? non ergo ſe mutuo tollunt quæ Chiffletio contraria perperam videntur Aimoini & Aſonis ſententiæ; nec iis inter ſe concordibus Ciceroniana ſequentia aptari poſſunt: *Cum tam variæ opiniones ſint, tamque inter ſe diſſidentes, alterum fieri profecto poteſt, ut earum nulla; alterum certe non poteſt, ut plus una vera ſit.*

Diſquiſit. pag. 33. Diſquiſit. pag. 41. Adverſus Valentinianos. Lib. 1. de nat. Deorum.

Guillelmi Britonis Chriſma quo Clodoveus inungendus erat vaſe fracto effuſum fingentis Hincmari narrationi contrarium commentum, poëticæ ſibi in veriſimilibus nihil non permittenti licentiæ tribuendum eſt; nec pluris quam vetuſti ſcriptoris de Sanctæ Virginis ſub cruce è qua pendebat Servator lamentis fabula faciendum, quam parum digna oraculi à Spiritu ſancto per Simeonem ad extrema properantem de gladio piam animam transfoſſuro editi interpretatio pepererat, priſciſque nonnullis perſuaſerat: hanc ut in tranſcurſu Diſquiſitor refellat, S. Ioannis de Maria Domini matre, Maria Cleopæ ejuſdem matertera & Maria Magdalena ſecum *prope Crucem ſtantibus* verba arripit; utque eam acerbos non edidiſſe ploratus facilius obtineat,*virginem obſervantiſſimam legis* fuiſſe ſubdit,*qua cautum erat, ne quem ex damnatis lugere fas eſſet:, quod ex more fiebat ſedendo humi, non in pedes ſtando.* Sed uni *legis* illius, ſi qua fuit, *obſervantiæ*, potiuſquam divinæ virtuti ſancta pectora in difficillimo agone ſuſtentanti fortem quem præſtiterunt animum deputare, præter quam quod minus honorificum eſt;

Diſquiſit. pag. 51. In tragœdia Chriſtus patiens inſcripta. Luc. 2: 35. Ioan.19: 25. Diſquiſit. pag. 72.

ex ipſa Paſſionis hiſtoria, quicquid *lege cautum* refert,confutari poteſt; quandoquidem nec Dominus, præter meritum ſupplicio addictus, quemque inſontem judex pronunciaverat, & criminatores indignis calumniis appetitum negare non poterant, inter *damnatos* reponi à quoquam debuit; nec illis qui eum iniqua vi oppreſſum mœrebant in mentem venit *acerbos* adſtantibus *ploratus edere* nefas eſſe; hæc enim de proſequentis, adeoque in pedes

Luc. c. 23. vers. 27. erectæ plebis luctu expreſſe notat Lucas, *ſequebatur illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum,* &c.

vers. 35. *Et ſtabat populus ſpectans,* &c. *Et omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud,*

vers. 48. & 49. *& videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus à longe: & mulieres quæ ſecutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes.* Si lege ſtantium planctus vetabatur, quî factum ut turbæ ſtantis quaſi nulla lege inhibitus planctus in Calvariæ monte, viaque proxima audiretur? Qui mutos, eoque teſtimonio quocunque modo ferendo impares, teſtium, & concordes manus conſerere anhelantium ridiculum mimum implere juſſerat; ducto ex Ampullæ, ipſi forte nunquam viſæ, materia & forma argu-

Diſquiſit. pag. 65. mento adverſus eam acrior inſurgit, &c. Vbi vero de Ampullæ etymologia, de vocis ſcriptione vitioſa & uſu figurato; de *Ampullis* ob formam *lenticularibus* dictis ex Hiſtoria ſacra & Apuleio; de anguſtiori Ampullarum collo; de Ampullarum Romæ proſtantium officinis; de Coſmi Myrotheciis *ampullaribus*; de *Ampullariorum* artificio; eorumque epitaphiis, Narbonem uſque excurrens, ad rem minime pertinentia, quantum libuit chartis illevit; *Remenſem Ampullulam oboli unius* pretio deſpicabundus æſtimat. Sed cum ejuſdem quotquot hactenus extiterunt ſive patroni, ſive adverſarii Deum

Pſal. 135. verſ. 6. opt. max. *in Cœlo & Terra quæcunque voluit* & quomodocunque voluit, feciſſe; tam luti & vitri quam Margariti conditorem eſſe: rerum naturarumque diſcrimina, modos, gradus, ab initio ſtatuiſſe & uſque nunc ſuo loco ſervare; ubicunque & quomodocunque operari dignetur, *officinam* ejus apertam cenſeri debere, ex æquo confiteantur: in eorum, qui Hincmarianæ narrationi fidem adhibuerunt, caput innoxium, Ampullæ, quam miraculo ad Remigium perlatam credunt, nec materiam craſſiorem, nec formam communem, jure torquere adverſarius poteſt: à Deo ipſomet ſine inſtrumentis, aut Angelico miniſterio, aut in Cœlo *cœleſtique officina* conditam, neque ajunt, neque negant; à *columbæ ſpecie* ad Remigium devolare viſa, undecunque primum petita, & quocumque modo efformata fuerit, geſtatam fuiſſe perſuaſi; ab eo, cujus omnia tam pretioſa, quam non pretioſa ſunt; cuique ſingula ſerviunt, vilia creaturarum artificio elaborata, & ad vulgi uſum comparata inſtrumenta adhiberi potuiſſe, non dubitant: quid ex eorum hypotheſi Ampullam vel ex nihilo tunc primum, cum Remigio tradita eſt, productam; ex officina cœleſti prodiiſſe, fateri; vel ex officina quapiam vitraria ad mirum opus quocunque modo ſumptam, Deumque, quandocunque ipſi collibitum eſt, vulgatis uſum negare cogit? qui *unius oboli* bacillos, in Moyſis aut Aaronis uſum è virgulto quacunque manu exſciſſos, ad tam multa mira ſelegit; qui ligno & ſali communi vim fontium medicatricem indidit; qui ex *maxillæ aſininæ dente* ſcaturiginem aquarum eduxit; qui ex *hydria* & *lecytho* inter Sidonios uſitatis, *farinæ* & *olei* fontes manare juſſit; qui Iordanis fluentis Nahamanis lepram eluit; qui aquam hydriis com-

communibus infuſam vino generoſo mutavit; qui panes, non ſimilagineos, ſed *hordeaceos* in deſerto creavit; qui *luto illitos* cæci à natalibus *oculos* illuminavit; qui *Petri tranſeuntis umbra*, *Paulique ſudariis & ſemicinctiis* languentes curavit; cur *Ampullam* vel à ſe primum ad *opacioris vitri* modum formatam, vel in natura rerum jam exiſtentem per *columbam* paulo poſt *diſparituram*, ad Remigium tranſmittere non potuerit? de facti poſſibilitate, cum lis nulla ſit; de facto ipſo qui certant, ad pacem quietemque adigentur, quamprimum Remenſes indubitata ejuſdem ex archivo ſuo documenta protulerint: quod ipſis curæ futurum non dubitamus.

Quod Chiffletio, quibus ex lacunis Ampulla primum emerſerit, divinaturo placuit; eam tam diu aſſervatam, quia Remigii manibus contrectata fuerat; eodem jure reconditam, quo *Sanctorum reliquiæ*, *veſtes*, *uſualia inſtrumenta*, recondi ſolent; id etiam Baptiſmi, quo Clodoveus cum gente tinctus eſt, memoriæ datum; populum denique ad fabulas pronum, quemadmodum *Ariſteæ animam corvi effigie evolaſſe* credidit, commentis à ſe repertis indulſiſſe; tunc fidem mereri, tempeſtivumque eſſe videbitur, cum Remenſes, quos ſtrenue cauſam acturos non diffidimus, ſe ad incitas redactos confeſſi fuerint. Diſquiſit. Pag. 66.

Tunc etiam iis locus aliquis eſſe poterit, quæcunque narrationi de columba Ampullam Chriſmatis deferente, occaſionem dediſſe putat: ex more in Chriſtianum orbem *poſt vetita* Gentilium ſpectacula invecto; cum ludos religioſos inſtitui, & rerum ſacrarum imagines quaſdam populis oſtentari placuiſſet, de Clodovei Baptiſmo & unctione Spiritui Sancto, ſub columbæ ſpecie in Chriſti Baptiſmate viſo, eademque forma in veteribus Baptiſteriis, Nolæ, Fundis, Antiochiæ, Romæ, repræſentari ſolito, adſcriptis ſpectacula edita; & picturas, ex quibus ſuam de Columba Chriſmatis Ampullam deferente narrationem Hincmarus hauſerit; ritu non diſpari *in pleriſque Belgicæ locis die Pentecoſtes, columbam in medio templi demitti canente Sacerdote*, accipite Spiritum Sanctum: *& mox ignem decidere cum aliquo ſtrepitu*, *quo exponantur fidelium ſenſibus, non Apoſtoli* proprie dicti, ſed Euangeliſtæ verba: factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis. *Similiter die ſacro nunciati conceptus divini*, *dum Angelus Gabriel dicit*, Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, *è templi fornice*, *columbam in puellam*, *quæ immaculatam virginem Mariam repræſentat, decidere* conjiciens. Hic tamen veri ſtudioſus Lector obſervabit, adverſarium ludos nullos ſacros ante annum milleſimum, ab Hincmari morte centeſimum decimum octavum, adeoque; nec ante Hincmarum, ſive de Clodovei baptiſmate, ſive de aliis ad Chriſtianum cultum rebus pertinentibus in Eccleſia editos habuiſſe; ex quibus de Hincmari narratione conjecturam capere novus Oedipus poſſet; utque religioſa quædam ſpectacula Hincmari ætatem præceſſiſſe demus; Divinatoriæ Chiffletianæ nihil ante tribuendum videri, quam Remenſes vadimonio deſerto, ſibi melius nihil ſupereſſe teſtati fuerint. Diſquiſit. pag. 70. Tertull. lib. de ſpectac. cap. 24. Ioan. 20. Actor. 2. Luc. 1.

Impotenti (docto, gravi, & ejuſdem cum Ludovico Pio ætatis viro, de Hildegardis Ludovici parentis, Irmingardis, ac Iudithæ uxorum, & Irmingardis Nurus majoribus comperta referenti) contradicendi libidine, velut œſtro quodam percitus, ante ſexennium, ad Alberici à cantilenarum plebeio ſermone ſcriptarum rhapſodis dementati nugas diverterat; has nunc eum

Diſquiſit. pag.67. eſſe aliquid putaſſe pudet: *Octavo*, inquit, *& nono ſeculo in Regno Franciæ magnus fuit proventus commentorum & fabularum: prodière tunc ſomnia de Carolo Magno, Rolando Cœnomanenſi, Oliverio Gebennenſi, Ogero Danico, Gerardo Roſſilionenſi, & ſimilibus; item de Sibiliâ Caroli Magni uxore*, ſuper cujus repudiatione, *inquit Albericus, à Cantoribus Gallicis* pulcherrima contexta eſt fabula. *Sic etiam ille ad annum* 806. De Guidone, filio Samſonis Ducis Burgundiæ, in Regem à juvenibus in Francia elevato, dum Carolus Magnus eſſet in Hiſpania, & de geſtis ejuſdem Guidonis, ſatis pulchra decantatur ſive fabula, ſive hiſtoria. *Sed profanis prætermiſſis ad res pias & ſacras accedamus. Vivente Ludovico Pio* (*hoc eſt ante annum* 840) *Hilduinus S. Dionyſii in Francia Abbas, Dionyſium Areopagitam cum Pariſienſi unum eundemque eſſe cenſuit: ex quo Areopagitæ nomine perſtrepere & conſonare omnia cœperunt; nihilque prætermiſſum, quo fabulæ plauſibili color & vires adderentur. Ipſemet etiam Hincmarus, tunc S. Dionyſii Monachus, Hilduini Magiſtri ſui, educatoris & Abbatis, fabulæ vindex & patronus fuit; eamque apud Carolum Calvum cum toto apparatu aſſerere & perſuadere conatus eſt.*

Edicto fabularum proſcriptorio *bonum factum* adſcriberemus ſi quam infamiæ labem *octavo ſeculo* adſpergendam Diſquiſitor habuiſſet, nonoque aliud quam Hilduini & Hincmari de duobus Dionyſiis in unum perperam conflatis à celeberrimæ memoriæ Iacobo Sirmondo, & diligentiſſimo poſt ipſum veritatis aſſertore Ioanne de Launoi confutatum erratum imputare poſſet: Quæ enim de Carolo Magno, Rolando, Oliverio, Ogero, Gerardo, Sibilia & Guidone à nugivendis vulgo obtruſa Albericus exoſculabatur, vix ante annum 1100 prodire potuerunt, quum præſertim cantilenis ſæculo nono labente ſcriptis earum idioma aptari facile nequeat, quarum Albericus monſtris delectatus erat: ea adhuc ex incude calentia à ſe in farraginem ſuam quam Friderico Barbaroſſæ anno 1152 Conrado Patruo ſuffecto inſcripſit relata non diſſimulat, qui merito Turpini nomen ſumpſit, Germanis, Francis, Hiſpanis recentioribus fucum facturus impoſtor: Rutlandus *Britannici maris præfectus* in Pyrenæi faucibus à Vaſconibus anno 778 oppreſſus legitur; quo tempore Gauſlenus, Gausberti qui Rotrudem Caroli Magni primogenitam duxit parens, Cœnomanos regebat: quis Rutlandum Cœnomanenſibus Comitibus ante inſerere auſus eſſet quam Gauſleni poſteri mares in Hugone Herberti, qui *evigilans canem* dictus eſt, filio circa annum 1080 defeciſſent? Oliverii, Ogeri, Sibiliæ ad merum vulgi ludibrium efficta nomina nullibi niſi in cantilenis Turpino & Romanſis exinde proſa ſcriptis comparent. Gerardus qui de Roſſilione dictus eſt Luitardo & Grimilde natus cum Bertha uxore, Pippini Aquitaniæ Regis filia, Viſeliaci & Pulteriarum Monaſteria fundavit, & poſt annum 860 denatus, impoſtoribus qui Carolum *Calvum* cum *Magno* avo longe poſt confuderunt fabularum materiem ſubminiſtravit: Guidonem, non *Samſonis Burgundiæ Ducis*, qui in natura rerum nunquam fuit, ſed Guidonis alterius Lamberto nati filium, cum Majeſtatis ſub Carolo *Craſſo* Magni pronepote poſtulatus eſſet, eoque anno 888 defuncto, Fulconis Remorum Archiepiſcopi & aliorum propinquorum fiducia Regnum Francorum affectans, & à Geilone Epiſcopo apud Lingones conſecratus eſſet; *à juvenibus in Regem* tempore Caroli Magni *elevatum* recentiores crediderunt: qui anno, non 806, ſed 778 Hiſpanicam

expeditionem à Carolo ſuſceptam, & Guidonem anno 894, ab expeditione illa 116°, fatis functum ignorabant. Cum anno 824 ad Ludovicum Pium ſcripta Dionyſii Areopagitæ nomen præferentia, quæ anno 532 Hypatius Epheſinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus ſibi aliiſque Catholicis tunc primum viſa velut notha rejecerat, Michaëlis Conſtantinopolitani Imperatoris legati detuliſſent, eaque pro genuinis Dionyſii Pariſiacæ Eccleſiæ fundatoris primi, quem longe poſt Areopagitam aliaque Octobris menſis die paſſum neſciebant, operibus venditaſſent, Francos univerſos ad antehac inaudita obſtupeſcentes mirum in modum perculerunt; Hilduinus priſca Monaſterii monumenta luſtrare juſſus, mala fide erroris, quem Græci tunc primum in Franciam intulerant, patrocinium ſuſcepit, novis commentis incruſtavit, & Hincmaro qui Magiſtri placita mordicus tueri officii ſui eſſe duxit, labendi Autor factus eſt. Quid mirum ſi oblatos ab eo cujus ſe diſciplinæ tradiderat carbones pro theſauris infelix auditor habuerit?

In ejus famam quandoquidem tanto impetu fertur, ut ſcientem prudentem impoſturam feciſſe Diſquiſitor velit; quis ille cujuſque meriti fuerit accuratius inveſtigandum eſt. Si claritatem generis attendere libeat, prioribus Remenſis Eccleſiæ præſulibus nihilo inferior deprehendetur, *Bertanni illuſtris Tardeniſi Comitis & Bernardi Toloſæ Comitis*, cujus proavia Aldana Caroli Martelli Francorum Ducis filia & Pippini Regis germana; Amita Bertha Pippini Italiæ Regis Carolo Magno nati uxor erat, *propinquus*, prout ex ejus epiſtolis in Remenſis Eccleſiæ Hiſtoria Flodoardus notat: ſi mores, vitæ religioſæ ab adoleſcentia addictus in S. Dionyſii Monaſterio ſub Hilduini Abbatis, Ludovici Pii Archicapellani, maximæ inter Francos authoritatis manu crevit, & unanimi, Caroli Calvi Regis, Concilii Bellovacenſis Clerique ac plebis Remenſis ſententia ad præſulatum vocatus eſt, quem *annis 37 menſibus 7 diebus 4 in Decembris 21* deſinentibus, Carolo Calvo, Ludovico Balbo, Ludovico & Carlomanno Balbi filiis Regibus, Optimatibus univerſis plebique ſuæ ob præclaras animi dotes venerandus tenuit: Si Doctrinam, inter ſæculi ſui præſules eminuit, dignus à Nicolao primo habitus, cujus ſociam opem Græcorum criminationibus cum Eccleſia Romana impetitus anno 867, qui vitæ poſtremus fuit, rogaret. Si opera, quod ardentis virtutis erat, *famam extendere factis*, à Flodoardo ſigillatim recenſitis, nunquam deſtitit.

Epitaphium apud Flodoardum. Necrologium S. Remigii.

Tantæ dignationis vir cum eſſet, in plurimis impingens permultos fefellit, ſed priorum quibus plus æquo tribuit nimia fere ſemper reverentia falſus; quod ut manifeſtius evadat errata à Chiffletio notata percurremus. *Allucinatus eſt*, inquit, *Hincmarus in Baptiſmi loco: ſcribit enim in vita S. Remigii, & in Capitulis Caroli Calvi, Clodoveum in Baſilica S. Mariæ, Remorum Metropoli, baptiſatum. At contra S. Nicetius Trevirorum Epiſcopus, in Epiſtola ad Clodoſwindam, Clodoveum in Eccleſia S. Martini Baptiſma conſecutum tradit his verbis*: Humilis ad Domini Martini limina cecidit, & baptiſari ſe ſine mora permiſit. Hallucinatum non negamus, certiora à Nicetio Trevirenſi *ad limina Martini* Clodoveum baptiſandum cecidiſſe narrante docti; nec à Clariſſimi viri Hadriani Valeſii, Martini limina de *Eccleſia S. Martini apud Remos ad portam collaticiam, vel Baſilicarem, cujus mentio fit in Remigii Teſtamento, quod Flodoardus edidit*, interpretantis ſententia

Diſquiſit. pag. 28.

tentia

tentia diſcedimus: ſed *anteſignanos*, quos errantes ſequeretur, habuiſſe monemus, Ebonem & Ludovicum ipſum Pium, cujus in charta à Flodoärdo deſcripta hæc ad annum circiter 820 verba ſunt: *Quia Ebo venerabilis Archiepiſcopus Remenſis Eccleſiæ, & reverendiſſimæ ſedis S. Remigii, glorioſiſſimi Pontificis, & ſpecialis patroni noſtri Præſul, clementiæ noſtræ innotuit, quia vetuſtatis ſenio contrita jam dicta Metropolis urbis ſancta mater noſtra Eccleſia, in honore ſanctæ ſemperque virginis ac genitricis Mariæ conſecrata exiſteret. In qua auctore Deo, & cooperatore Sancto Remigio, gens noſtra Francorum, cum æquivoco noſtro Rege ejuſdem gentis, ſacri fontis baptiſmate ablui, ac ſeptiformis Spiritus S. gratia illuſtrari promeruit.* Baptizatum ergo in S. Mariæ Baſilica Clodoveum non commentus eſt Hincmarus, ſed communi priorum opinione firmatum invenit & credidit; quod tamen nullam Regis in majori Baſilica conſecrandi neceſſitatem induxit, cum Robertus anno 922, & Lotharius anno 954, in S. Remigii Eccleſia uncti legantur.

Diſquiſit. pag. 29.

Secundo, aberravit Hincmarus in tempore Baptiſmatis Clodovei Regis, quod ipſe vult peractum in pervigilio Paſchæ. Id quod omnino diſſolvit S. Avitus Viennenſis in Epiſtola, qua Clodoveo Regi gratulatur de accepto baptiſmo 8 *Cal. Ianuarias, cum Chriſti Natalis nocturna pervigilatione celebrabatur. Vnde Sirmondus ſic de Baptiſmo Clodovei*: Docet Avitus quod hactenus ignorabamus, in vigilia Natalis Domini celebratum, non in vigilia Paſchæ, quod Hincmarus Remenſis falſo ſibi & rerum noſtrarum ſcriptoribus perſuaſerat. *Tum alio etiam loco:* de Clodovei Baptiſmo, quod falſo ab Hincmaro litteris eſt proditum, nulla unquam Hincmaro adſtipulantium turba præſtare poteſt ut verum ſit. Aberraviſſe, imo alios ſecum abduxiſſe ſponte fatemur: abductum tamen à prioribus criminator ejus Chiffletius etſi velit negare non audeat; Fredegarius enim Scholaſticus, quem ipſemet anno 752 ſcripſiſſe, eoque centum fere annis præceſſiſſe notat, hæc ad verbum Gregorii Turonenſis Epitome inſeruit. *Nam cum de prælio memorato ſuperius Clhodoveus Remis fuiſſet reverſus, clam à S. Remedio Remenſis urbis Epiſcopo, adtrahente etiam Chrotechilde Regina, baptiſmi gratia cum ſex millibus Francorum in Paſcha Domini conſecratus eſt.* Hujus exemplo Hincmarus ad diem Baptiſmatis in Eccleſia antiqua ſolemnem oculos convertit, nec Diſquiſitoris quadruplex Hiſpanorum hodiernorum priſcis ignotum in Natali, Reſurrectione, Pentecoſte, Sanctorum omnium feſto Paſcha memorantis, excuſatione opus habuit.

cap. 21.

Diſquiſit. pag. 30.

Tertio, deceptus eſt Hincmarus ubi ſcripſit, Clodoveum ſumpto cœlitus Chriſmate inunctum fuiſſe, & in Regem ſacratum; *qui in vita S. Remigii nude notavit baptiſmalem unctionem.* Qui *deceptum* non inficiamur, errorem ex Ludovici Pii pro S. Mariæ Remenſis Baſilica à Flodoardo deſcripta charta, aliiſque forſan priorum monumentis hauſiſſe monemus; (ipſe inquit Imperator) *Rex nobiliſſimus* [Clodoveus] *ad Regiam poteſtatem perungi Dei clementia dignus inventus fuit. Vbi etiam & nos Divina dignatione per manus Domini Stephani Romani ſummi Pontificis ad nomen & poteſtatem Imperialem coronari meruimus.* De Chartæ veritate ſe dubium ſimulat Diſquiſitor, ſed cum Flodoärdus ſæculi decimi nobiliſſimus & accuratiſſimus ſcriptor, anno à Charta data circiter octogeſimo, ab Imperatoris morte quinquageſimo quarto natus, Eccleſiæ Remenſis hiſtoriam anno 948, vitæ quinquage-

Ibidem.

quagesimo quinto, ex ejuſdem vulgo notis monumentis, diligentia ſumma ac fide non diſpari contexuerit; adulterina pro genuinis ab eo venditata fuiſſe non eſt quod ſuſpicetur.

Quarto, falſus eſt Hincmarus, dum in vita S. Remigii, & bis in opuſculis, produxit Epiſtolam Hormiſdæ Papæ, per quam *Remigio committit vices ſuas per omne Regnum dilecti & ſpiritualis filii ſui Ludovici, quem nuper adminiculante ſuperna gratia, pluribus & Apoſtolorum temporibus æquiparandis ſignorum miraculis prædicationem ſalutiferam comitantibus, cum gente integra converterat, & ſacri dono Baptiſmatis conſecrarat. Illam Epiſtolam, characteres temporum falſam & commentitiam demonſtrare*, Chiffletio non inviti concedimus: utut argumentis ejus niti nequeamus; cum id ipſum quod Marcellini Comitis authoritate fretus fundamenti loco ſternit; Hormiſdam nimirum Florentio & Anthemio conſulibus, annoque Chriſti 515 ſedere cœpiſſe, à vero alienum ſit; *fuit enim*, prout ex ejus vita conſtat, *temporibus Theodorici Regis & Anaſtaſii Auguſti, à conſulatu Senatoris* [anno 514] *uſque ad conſulatum Symmachi & Boëthii*, annumque 522; ad eum Florentio & Anthemio Conſulibus *pridie Idus Ianuarias* primam Epiſtolam dedit Anaſtaſius; poſtremam ad Cæſarium Arelatenſem, qui 3 *Idus Iunias Senatore Conſule* ſcripſerat, Symmachus *decimo quarto Calendas Auguſti* ſequentis feria 7 *ſepultus eſt: ceſſavit Epiſcopatus dies ſeptem*, in 7 Calendas Auguſti feriamque 7, deſinentes; ſucceſſit ergo 6 Cal. Auguſti ſeu Iulii 27, feria 1, Hormiſda: menſiumque quinque ac dierum totidem ad annum 514 pertinentium jacturam fecit Chiffletius. *tertio Idus Novembres*, *illuceſcente Dominica*, *annoque Arcadii ſexto*, qui characteres annum Chriſti 400 deſinentem, Stiliconis & Aureliani Conſulatu & decima quarta à Septembri ineunte indictione conſignatum indicant; S. Martinus ad Dominum tranſierat, anno Domini 511, *Felice Conſule, ſub die ſexto Idus Iulias, evocatione* Clodovei congregati Aurelianenſis Concilii primi patres, data ad Regem Epiſtola Canonibus à ſe editis ſubſcripſerunt; quintoque poſt menſe, indictione quinta ineunte annum Regni 31, vitæ 46, à Martini tranſitu 112, jam exorſus; quarto Calendas Decembres feria 3, vivere deſiit Clodoveus; eundemque annum univerſæ filiorum epochæ notant. fluxere ergo à Clodovei ſuprema ora ad Hormiſdæ primordia anni non quatuor, prout Chiffletius putavit, ſed duo tantum cum menſibus octo & die una; certumque ac fixum manet, nec Hormiſdam tertio à Clodovei obitu anno currente electum, ſuas *per omne* Clodovei ſuperſtitis *Regnum vices* Remigio noſtro *committere*, Clodoveumque quo vivo nunquam ſedit, *dilectum filium ſpiritualem* nuncupare; nec Clodoveum ante biennium & quod excurrit defunctum, ſub Hormiſda *coronam auream cum gemmis, quæ Regnum appellari ſolet, B. Petro, S. Remigio ſuggerente, dirigere* potuiſſe. Huc accedit quod cum Epiſtola quam Hormiſda Remigio direxiſſe fingitur totam (ſi modo pauca de Clodovei & Francorum converſione ac baptiſmate nequiter infarta, titulumque interpolatum excipias) ab Hormiſda anno 517, vel forte 518 ad Salluſtium Hiſpalenſem, quem vicarium per Luſitaniam & Bæticam conſtituebat, datam Epiſtolam exhibeat, malaque fide ad Gallum quæ Hiſpani erant transferens, ſexto vel ſeptimo poſt Clodovei dormitionem anno, baptiſmi ab eo ante annos octodecim ſuſcepti hiſtoriam (quaſi pridie geſta eſſet) abſurde referat, hac Ba-

Diſquiſit. pag. 31.

Vita Symmachi.

Anno 853. num. 57. ronii Cardinalis cenſura ab adverſario laudata perſtringi mereatur. *Nulla res potentior eſt, ad redarguendos errores & falſitates, ipſa temporis ratione,* quam quiſquis conſulere dignatus fuerit,duorum ad minimum novenniorum interſtitio diſſita à ſe invicem Clodoveani baptiſmatis & Hormiſdianæ Epiſtolæ in unum compingere auſi nebulonis inſaniam facile revicerit.

Poſſent alii in Hincmari de vita Remigii libello nævi deprehendi; ut quod Remigium, qui forte annis 75 vixit, & 54 Epiſcopatum tenuit, & ante annum 530 defunctus eſt, vitæ annos 96,Epiſcopatus 74 tribuit; & in illa ipſa lacinia quam Chiffletius vellicat, Fredegarium *ſex Francorum millia* tincta ſcribentem imitatus, non *tria* præciſe *millia*, ut Gregorius Turonenſis, ſed Diſquiſit. pag. 35. *tria millia virorum, exceptis parvulis & mulieribus*, de quibus nihil Gregorius, cum Clodoveo baptiſata refert: quod Amphilochium mentiri auſum, Pag. 36. quem Baronius & Bellarminus Cardinales proſcribere non dubitaverunt,pro legitimo habet, & Baſilium qui Paleſtinam nunquam adiit in Iordane lotum Pag. 32. nuganti aſſentitur: ſed ſingula perſequi animus non eſt. Addit Chiffletius *à Sirmondo ſagaciter notari* Hincmarum errore lapſum de Proſpero, & ejus Chronici termino, dum ſcribit Proſperum uſque ad Iuſtini tempora, & obitum Ioannis Papæ, & finem conſulatus Simmachi & Boëthii, Chronicon compoſuiſſe; qua in re nos conſentientes habet: ſed ipſemet imperitiæ ſuæ monendus eſt,ubi ſubjungit, *hoc eſt, ad annum uſque* 522: etſi enim Symmachi cum Boëthio genero conſulatus in annum 522 conferendus ſit, ad eundem Ioannis Papæ obitus referri non debet, qui anno demum 526 Maji 27, poſt Boëthii & Symmachi ſedem contigit; duplicem autem Chronici à Proſpero ſcripti editionem fuiſſe notabit lector, alteram breviorem quam Victor Tunnenſis à conſulatu Theodoſii XVIII annoque Chriſti 444 exorſus continuavit; alteram productiorem cui Marius Aventicenſis appendicem ſuam attexuit: utroque prior Caſſiodorus deflorato Proſperi Chronico proprium ad annum Chriſti 514 perduxit; Hincmarus vero (cum in codicem, cui ignotus aliquis ex Marcellino Comite aut Victore Tunnenſe conſulatuum 71 ſeriem ab anno 455 ad 527 ipſaque Iuſtiniani exordia pertingentem privato ſtudio adjecerat, incidiſſet) quæcunque in eo invenit eadem incuria Proſpero tribuit,qua Fauſtinus Eccleſiæ Potentinæ Epiſcopus Zoſimi Papæ ad Afros legatus Sardicenſes Canones Nicænis in codice quo utebatur ſubjunctos, quaſi univerſa quæ in collectione à Nicænis Canonibus incipiente comprehenſa videbat, Nicæna eſſent; Nicænos anno 418 vocare non dubitaverat.

Ibidem. Notat etiam Diſquiſitor, Hincmarum in eo lapſum, quod Francis Trojanam Gregorio Turonenſi & coætaneis ignotam originem tribuerit; quod Dionyſios Athenienſem & Pariſienſem in unum compegerit; quod *ſe* Nicænæ ſecundæ Synodi, quæ vulgo ſeptima univerſalis vocatur, *adverſarium Sirmondo teſte declaraverit:* ſed Francos Trojanorum propaginem fuiſſe, ab anonymo qui geſta eorum circa annum 730 deluſi Fredegarius, Rorico cæterique Hincmaro priores, pares, ſuppares, cum eo crediderunt: Dionyſium Areopagitam in agro Pariſiaco paſſum, ab Hilduino Magiſtro perſuaſus, aliis perſuadere conatus eſt; ſeptimamque Synodum Francofordienſis quæ eam Canone 2. anno 794 tempore Paſchatis (quod imaginibus *Deificæ Trinitatis ſervitium aut adorationem impendere* judicaret) reprobaverat; authoritate fretus, & communem Francorum opinionem ſecutus, damnavit. Ab

Ab eo Benedicti tertii literas corruptas Nicolaus Papa queſtus erat; ſed impactum crimen non agnovit; imo famam, collegarum teſtimonio munitus, fortiter tutatus eſt; & Nicolai, Adriani II, Ioannis VIII gratia nunquam excidit, nec Romanæ ſedi carus id ignominiæ meritus videtur, ut in ejus ante ſecula fere octo in Domino quieſcentis nomen, Pliniana à Diſquiſitore ſelecta verba invidioſe torquerentur. *Non debemus credere quæ fabuloſa tot ſæculis comperimus: nullum tam impudens mendacium eſt, ut teſte careat: neque alius fidei pronior lapſus, quam ubi falſæ rei auctor exiſtit.* Lib.8. c.22. Lib.5. c.1. Qui humani à ſe nihil alienum putavit; ſine vitiis neminem naſci; optimum illum qui minimis urgeretur haberi debere credidit; ab univerſis infirmitatis propriæ conſciis venia & commiſeratione potius quam inſectatione maledica dignus cenſebitur, eaque proborum ſemper mens erit, ut Apoſtolico præcepto excitati *omnia* cujuſcunque ſint *probent*; *quæ bona ſunt*, undecunque veniant, *teneant.* 1 Theſſ. 5. verſ. 21.

Hincmarum anno 844 ordinatum perperam reprehenſor ejus prodit; cum enim Ebbo in Concilio *anno* Domini 835, *Indictione* 12, 4 *nonas Martias*, apud Theodonis villam congregato abdicaverit; *Fulco* Hincmaro ipſomet teſte *fere per novem annos ſine ulla regulari Ebbonis reclamatione* Eccleſiam Remenſem tenuerit; & *poſt eum Noto pene per annum & dimidium eandem ſedem ſimiliter ſine ulla Ebbonis repetitione* inſederit; ad annum uſque 845 hujus adminiſtratio pertingat neceſſe eſt: Id ipſum *Concilii Trecis anno* 867, 8 *Cal. Nov. Indictione* 1, *congregati ad Nicolaum Papam verba* confirmant; *anno*, inquir, 845 *Carolus Synodum Epiſcoporum Regni ſui apud Belgivacum civitatem provinciæ Remenſis convocavit. Hæc capita quæ ſequuntur facta ſunt in Synodo habita apud Belvacum civitatem anno* 845, *menſe Aprilio*, *anno* 6, *Domini Caroli Magni*, *Indictione* 7, (lege octava) quæ à Calendis Septembribus anni 844 decurrere cœperat. Epiſt. 19. ad Synod. Sueſſ. Concil. Pag. 356. Hincmarus rurſus loco jam laudato de ordinationis ſuæ tempore. *Et mihi necdum duobus exactis menſibus poſt ordinationem meam in Synodo apud Meldis civitatem habita præceperunt*, &c. Atqui Concilii in Sirmondiana editione titulus hic eſt, *In Meldenſi Eccleſia celebratum die* 15 *Calendas Iulias Indictione* 8, *anno Chriſti* 845, *Sergii* II *Papæ anno* 2, *Caroli Calvi Regis anno* 6, *ſuccreſcente.* Hincmari epitaphium apud Flodoardum, ei Epiſcopatus *annos* 37, *Menſes* 7, *Dies* 4, tribuit, *in vigeſimum primum Decembris*, quem ei ſupremum fuiſſe S. Remigii necrologium notat, deſinentes. Cum igitur anno Domini 882, Carolomanni Regis primo, menſe ab exordio Regni quinto deceſſerit; anniſque 37, menſibus 7, diebus 4 ſederit; anno 845, Maii 18, feria 7, diebus ante Concilium Meldenſe 30, ordinatus fuerit; eaque de cauſſà *necdum exactis menſibus poſt ordinationem duobus* Meldenſe Concilium coactum ſcripſerit; effluxerat enim qui ordinationis ejus primus fuerat; ſecundi, ab eadem ordinatione menſis dies ſedecim tantum tranſierant, cum Meldenſe Concilium contractum eſt. *Anno Regni decimo ſexto* ineunte, Chriſti 496 deſinente, *indictione quinta*, *Decembris* 25, feria 4, in Natali Domini Clodoveus tingi meruerat; interceſſerunt ergo inter ejus Baptiſmum & Hincmari ordinationem, termino utroque incluſo, anni 348, menſes 4, dies 25; ſeruſque admodum ac fide ob admiſſa errata complura, minus dignus ignotæ prioribus univerſis hiſtoriæ narrator fuerit. Præceptum de Monaſterio Reomaenſi. Cum igitur ei qui ſæpius falſus fefellit, nec uni, nec primo ab-

 ſolute

ſolute ſe cordatus nemo committere aut ei ſine teſte credere debeat, ex officio Remenſes fecerint, ſi ſui quondam Præſulis cauſam acturi quibus ex lacunis Clodoveani Baptiſmatis hiſtoriam hauſerit, ediſſerant; novaque ex abditis educta luce ſæculum noſtrum beent: ſi quod ſuum eſt ex voto præſtent, bene erit; ſi præſtare vel nolint, vel nequeant, cum Hincmari narratione nequaquam periclitabitur Regum noſtrorum antequam unctione ulla ſacra delibuti ſint, multiplici jure proprius primatus, quem non magis à Remenſi Remigiana, quam Turonenſi Martiniana aut alia quavis Ampulla pendere ex ſuperioribus certo certius conſtat. ſive enim cum Chiffletio negando, quæſtionibus; *an ſacri Chriſmatis Ampullam columbæ ſpecies Remigio detulerit*; an Chriſmate illo Clodoveus unctus fuerit, reſpondere animus ferat; ſive cum Hincmaro, Flodoardo, Aimoino affirmando totam eorum narrationem tueri libeat; ex æquo inconvulſa manebit, quam machinamentis ſuis convelli poſſe Chiffletius putabat, Francici Regni prærogativa.

Quæſt. 3. *An vel Clodoveus, vel ex Clodovei poſteris ullus in Regem inunctus ſit*, quærenti ut ſatisfieri poſſit, pauca hæc obſervare juvat; cum *anno Chriſti* 441 *Cyro Conſule 6 Idus Novembris in territorio Arauſicano in Eccleſia Iuſtinianenſi habita Synodo*, non bis ex Romanæ Eccleſiæ more, ſed *ſemel* baptiſatos in Gallicana Eccleſia *chriſmari placuiſſet*; poſt annos 55, menſem unum, dies 18, anno nimirum Chriſti 496, indictione 5, Decembris 25, Clodoveum (ſimul ac è ſacra piſcina lotus emerſit) *non iterando Chriſmate* liniri oportuit, eoque revera delibutum quotquot de baptiſmate ejus ſcripſerunt narrant. Avitus Epiſtola ad eum anno 497 data, de ejuſdem continuo poſt Baptiſma chriſmatione: *Conferebamus, nobiſcumque tractabamus quale eſſet illud, cum adunatorum numerus Pontificum, manu ſancti ambitione ſervitii, membra Regia undis vitalibus confoveret; cum ſe Dei ſervis inflecteret timendum gentibus caput: cum ſub caſſide crines nutritos ſalutari galea ſacræ unctionis indueret: cum intermiſſo tegmine loricarum immaculati artus ſimili candore fulgerent. Faciet, ſi quid creditis, Regum florentiſſime.* Epitaphium Clodovei: *Purgatis aquis, & Chriſti fonte renatus, Fragrantem geſſit infuſo Chriſmate crinem: Exemplumque dedit, ſequitur quod plurima turba Gentilis populi*, &c.

Canon. 2.

Baptiſmus.

Chriſmatio.

Candide poſt Chriſmationem Baptiſmalem veſtitus.

Lib. 2, c. 31. Gregorius Turonenſis Hiſt. Fran. anno 590, à Clodovei Baptiſmo 94 ſcriptæ; *Rex omnipotentem Deum in Trinitate confeſſus, baptiſatus eſt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, delibutuſque ſacro Chriſmate cum ſignaculo crucis Chriſti.* Quæ verba Anonymus qui geſta Francorum circa annum 730 ſcripſit in farraginem ſuam retulit.

Ludovicus Pius ab illo qui S. Remigii teſtamentum interpolavit forſitan deceptus, & unctionis Regiæ in Pippino avo inchoatum præ oculis habens ſolemne, cum hæc in interpolato Teſtamento legiſſet, genus Regium *quod in Regiæ Majeſtatis culmen & perpetuo duraturum elegi, baptizavi, de ſacro fonte ſuſcepi, donoque ſeptiformis Spiritus conſignavi, & per ejuſdem ſacri Chriſmatis unctionem ordinavi in Regem*, &c. Clodoveum non *ut* à baptiſmate *confirmaretur* (quod Avitus, Gregorius & anonymus voluerant,) ſed *ut Rex eſſet* & à populis haberetur, quod priorum nemo dixerat, in præcepto pro S. Mariæ Remenſis Eccleſia circa annum 820 dato, unctum voluit; & Hincmaro perſuaſit; qui *anno* 869, 4 *Idus Septembres Metis in S. Stephani Baſilica* Carolum Calvum, Regni à Lothario nepote relicti uſurpatorem, cum aliis Epiſcopis

pis coronaturus, Ludovicum quem vulgo Clodoveum vocamus à B. Remigio poſt Baptiſmum *cœlitus ſumpto Chriſmate, unde adhuc* Remenſes *haberent, perunctum & in Regem ſacratum* aſſerere Principis ſui ante annos 29 defuncti exemplo, non dubitavit. Sed utrumque priores refellunt, cum Clodoveum jamdudum ad Regnum natalium jure evectum, eoque unctione ſacra non ut *Rex Francorum* (quod jam erat) fieret; ſed ut plene Chriſtianus, verus Chriſti athleta, *regalis ſacerdotii*, in Chriſto cum piis omnibus *in Reges & Sacerdotes Deo Patri* dicatis particeps (quod ante non fuerat) cenſeretur, opus habuiſſe expreſſiſſime notant. Avitus *in occiduis partibus in Rege non novo novi jubaris lumen effulgurat*, &c. *Tractabamus quale eſſet illud, cum adunatorum numerus Pontificum, manu ſancti ambitione ſervitii, membra Regia undis vitalibus confoveret: cum ſe Dei ſervis inflecteret timendum gentibus caput*, &c. Iam ergo *in Regno vetus, timendum gentibus caput, membra Regia undis vitalibus refovenda*, in Chriſto renovandus, & in ejus corpore myſtico, ut trunco ceu novus palmes inſerendus, cum baptiſatus & inunctus eſt, offerebat. Gregorius Turonenſis bellum Alamannicum quod proxime Clodovei Baptiſmum præceſſit, *actum anno* 15 *Regni ſui* refert; moxque ſubdit; *Regina accerſiri clam S. Remigium Remenſis urbis Epiſcopum jubet, deprecans ut Regi verbum ſalutis inſinuaret*, &c. *Omnis populus pariter acclamavit: mortales Deos abigimus pie Rex*, &c. *Rex prior popoſcit ſe à Pontifice baptiſari*, &c. *Rex omnipotentem Deum in Trinitate confeſſus, baptiſatus eſt in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, delibutuſque ſacro Chriſmate cum ſignaculo crucis Chriſti*, &c. Qui *annum Regni* 15 jam prætervectus, *ut Rex* à Remigio Chriſtianiſmi rudimentis imbuendus erat, à populo colebatur, *Baptiſmum prior poſcebat* poſt *Trinitatis confeſſionem* & tinctionem myſticam, non *ut Rex eſſet in ſaculo*, ſed *ut Regni Chriſti conſors* in Eccleſia cenſeretur, *ungi* ad cæterorum fidelium modum *cum crucis ſignaculo* meruit. Anonymus qui geſta Francorum ſcripſit, belli Alamannici victoriam in hæc verba concludit. *Acta ſunt hæc anno* 15 *Clodoveo regnante*, quibus hiſtoriam converſionis Clodovei ex Gregorio deſumptam ſubnectit. Clodoveus ipſe in præcepto pro Eccleſia Reomaenſi in Lingonibus quarto poſt Baptiſmum die feria 1 dato, *primo noſtro*, inquit, *ſuſceptæ Chriſtianitatis atque ſubjugationis Gallorum anno. Datum ſub die 4 Calendas Ianuarias, indictione 5, Actum Remis civitate, anno Magni Clodovei* 16. Cum igitur in Regno jamdudum confirmatus Chriſto nomen dederit, eodem cum populo tunc baptiſato *Chriſmate delibutus* fuerit; unamque *baptiſmalem* ejus *unctionem* Hincmaro priores agnoſcant; undecunque & quomodocunque ad Remigium perlatum quo unctus eſt Chriſma fuiſſe credatur, nihil vel ad Regiam quæ poſtea in uſu fuit unctionem, vel ad prærogativam quam ex unctione illa derivare plurimi conati ſunt, Clodovei Chriſmatio fecerit; totamque ejus hiſtoriam, tanquam à propoſito alienam, in libello de jure Regum ſcripto prudenter Gothofredus omiſerit: omiſſionem Hincmarianæ narrationis tacitam improbationem divinatoriæ ſuæ indulgens Diſquiſitor interpretatur: quid tum ſi graves emunctæ naris viro improbandi cauſæ negotium fecerunt? ſed nec probare nec improbare quæ nullius ad rem momenti eſſe videbantur neceſſe habuit; qui oleum quo Clodoveus perfuſus legitur ſive è cœlo, ſive è Remenſi ſacrario petitum fuerit, unctionis, non *in Regem*, ſed *in fidelem* propriam

Annal. Bertin.

Epiſt. 1 Pet. 2. verſ. 9. Apoc. 1:6.

Cap. 15.

Anno 496. Decemb. 29. feria 1.

materiem fuiſſe, probe noverat; nec ex neceſſitate ſequitur, *reticuit miraculum*; ergo *non credidit:* quandoquidem non quæcunque prætermittunt ea negant vel improbant hiſtorici; ſed nonnunquam quæ vera & indubitata ſciunt, quod inutilia aut iis quæ memorant comprehenſa videantur ſilentio premunt. Hac mente Fredegarius geſtorum Dagoberti, Arnulphi Remenſis Comitis & Solemnis Carnotenſis vitæ ſcriptores anonymi, Alcuinus in Vedaſti vita, aliique plures Clodoveum baptiſatum, nulla unctionis ejus mentione facta retulerunt: An Chriſmatum negaturi? imo quantum neceſſe fuit aſſerturi; cum enim de Baptiſmo ſolemni loquuti ſint, ſub *Baptizandi* vocabulo ſacræ tinctionis tam antecedentia, abrenunciationem ſcilicet Satanæ, confeſſionemque Trinitatis; quam conſequentia, unctionem ſcilicet, conſignationem & candidæ geſtationem comprehenſa voluerunt.

Ex his apparet Clodoveanam unctionem (cum ea, non qua Rex, ſed qua fidelis, æquo cum aliis piis jure, delibutus ſit) non magis ad Regum quam aliorum, etiam infimæ ſortis Chriſtianorum ἀξίωμα pertinuiſſe. Quid de Clodovei poſteris in veterum monumentis habeant, expromant oportet, quotquot vel in Reges unctos, vel unctione Regia opus habuiſſe credunt; nobis enim nihil hactenus occurrit ex quo vel unicum unctum fuiſſe convinci poſſit: *levatos* ſæpius legimus, *conſecratos* nunquam: quibus jus Imperii ſummum naturalis ſanguinis tradux contulit, Regnumque à proavis fundatum juſtæ hæreditatis lege obvenit; eos ad ritus à recentioribus poſtmodum invectos, ut quod erant eſſe crederentur, confugere neceſſitas nulla unquam coegit; nec falſo de iis, quod de Caſtellenſibus ſuis Diſquiſitor ſcripſit, pronunciare licuit; *quia non electionis, ſed mero ſanguinis jure traduces ſuccedunt in Regnis, non indigent Regia unctione ut capeſſant ſceptra, qui lucem non aſpiciunt niſi Reges. ut enim magni revera conjuges*

Diſquiſit. pag. 82.

Corpora legitimis impoſuere thoris;
Hinc ſata Majeſtas, mundum quæ temperat omnem;
Quoque die partu eſt edita, magna fuit.

Si iis *inungi ad Regnum* placuiſſet cum Regnum in Regna dividi ſoleret; quotque mares Rex decedens reliquerat, totidem æquo paſſu incedentes Reges Francia noſtra coleret; in Regno proprio ſinguli inungendi fuiſſent; quod ne fando quidem noſtras pervenit ad aures: ut vero perveniſſe, aliquemque ſub Merovingis Regiæ unctionis uſum fuiſſe demus; eorum hypotheſi qui alia ulla cum Remigiana Ampulla Reges inungi nefas putant commode aptari vix unquam potuerit. Clodoveo magno, quem primum à Remigio conſecratum volunt, fatis anno 511 concedente, Regnum pro numero filiorum quadripartitum; ceſſitque Theoderico primogenito ſed notho Auſtraſia, in qua Remorum Metropolis & univerſum ex conſequenti Remigii ſacrarium; Chlodomeres, Childebertus & Clotharius legitimi, paternam ditionem reliquam ſortito diviſerunt; ſi conſecrandi fuerant, eoſne ut conſecrarentur, Regni proprii finibus (ut Remos fraternæ ditionis urbem unctionem precariam emendicaturi pergerent) excedere debuiſſe quiſquam ſanus dixerit? anno 561 poſt Clotharii Magni dormitionem Francia rurſus in tetrarchias ſecta eſt, minimoque natu Sigeberto cum Auſtraſia reliqua Durocortorum Remorum obtigit; an ut ſolus Remigianorum ſacrorum potens jure ſuo germani natalium prærogativa potiores & raro cum ipſo con-

cordes, non niſi ejus arbitrio ungerentur? anno 584 Chilperico parenti Clotharius II ſuffectus eſt, ipſine Remos Childeberto II patrueli, ſed infenſiſſimo hoſti ſubditos ſe conferre licuiſſet? anno 596 inter Theodebertum & Theodericum Childebertinæ ditionis diviſione facta, Auſtraſiam Theodebertus ſortitus eſt; Theodericumne vel ſacrari nunquam, vel ut ſacraretur è Burgundia in Belgicam germano, cui nunquam propitius fuit, transvolare, eique ſe clauſis oculis committere neceſſe,fuit? anno 627 Chariberto ſecundogenito Aquitaniam cum Toloſa; Dagoberto primogenito reliqua ſua aſſignavit Clotharius: Charibertumne, ſi ſacrandus fuit, Toloſa Remos uſque excurriſſe in animum induxerimus? anno 644 Clodoveo II legitimo Neuſtriam cum Burgundia legavit Dagobertus; an ut unctione ſacra, vel in perpetuum careret, vel ex Sigeberti nothi, qui in Auſtraſia regnabat, nutu pendens liniretur? anno 660 Clothario III Neuſtria, Childerico II natu minori Auſtraſia tradita eſt; an extra ditionem ſe conſecrandus ſiſtere debuit? cui veriſimile fiat tale ſub Merovingis primogenitorum & legitimorum fere ſemper fatum fuiſſe, ut in minorum & nothorum tranſire fines ad plenum dignitatis ſuæ firmamentum cogerentur? faceſſat ergo procul, nullis unquam eruditorum ſuffragiis revocanda, quam ſupina negligentia univerſæque hiſtoriæ noſtræ imperitia pepererat, abſurda de Merovingorum Regum conſecrationibus opinio.

Quæſtionem *an unctionis Regiæ ritus Eccleſiæ cœlitus imperatus; an vero mero ejus arbitrio relictus fuerit*, enarraturis ad ipſa unctionum ſacrarum primordia recurrendum eſt, quæ hujuſmodi fuiſſe videntur. Quamprimum immiſſum à Deo diluvium terrarum nocentium crimina eluit, & Noachus reſtituti Orbis parens divino cultui reformando incubuit; dicatas Deo tam perſonas, quam res oleo, quod cœleſtis benedictionis defluxum ſignaret, affuſo conſecrari humano generi uſque tunc puero, eoque ſervili typorum Pædagogiæ addicto, placuit: ſacrorum præſides unctione, quæ gratiæ eos mancipantis & in viros alios mutantis copiam adumbraret delibutos fuiſſe docet Pſaltes; qui ubi Abrahami & Iſaaci tranſitum in Ægyptum & Guerat memoravit, *correptoſque* divinitus *eorum cauſa Reges* Pharaonem anno à diluvio circiter 367, Abimelechum poſt annos 24, exactiſque annis aliis 74, Abimelechum prioris ſucceſſorem notavit, hoc de iis editum à Deo ipſomet oraculum refert, *nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*; Patriarchas qui ſacra procurabant, & poteſtate Regia alii nulli homini obnoxii pollebant, Domini unctos fuiſſe innuens: unde profluxiſſe inter gentes Orienti obverſas videtur ut Reges inunctos eoſdemque rerum religioſarum procuratores eo modo haberent, quo in Chananitide de Melchiſedeco ſcriptura, *Rex erat Salem & Sacerdos altiſſimi*, extra Chananitidem de Anio Poëta ſcripſit, *Rex ille hominum Phœbique Sacerdos.* Rerum unctione conſecratarum illuſtre anno à diluvio circiter 528 exemplum dedit Jacob; cum divina in ſomnis viſione ad meliorum ſpem excitatus, *mane tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper*; locumque ob divinæ præſentiæ præmonſtratum ſignum, *Bethel* ſeu *Dei domum* vocavit: quod ethnicorum præſertim Phœnicum cippos oleatos & ſtatuas falſis numinibus conſecratas *Bathilia* ſeu deitatis domicilia vocantium ſuperſtitio in pravum poſtea morem detorſit, & mordicus ad ipſum uſque paga-

Quæſt. 4.

Vnctio ante legem.

Gen. 12. v. 17. & c. 20. v. 3. & cap. 26.

Pſal. 105: 15.

Gen. 14: 18.

Gen. 28: 18.

Euſeb. de præpar. Euang. lib. 1

paganiſmi caſum & Conſtantiniana tempora retinuit; Apulejus enim circa annum Chriſti 180 floridorum libro primo; *lapides unguine delibutos*; Arnobius Rhetor operis adverſus gentes anno circiter 317 editi libro primo; *lubricatos lapides*, *& ex olivi unguine ordinatos.* Iulius Firmicus Matheſeos l. 4. cap. 7. circa annum 340 à Conſtantini Magni morte quarto ſcripto ethnicos ſuos *ſimulacrorum* quæ oleo perfuſa colebant *conſecratores* indigetat; inveteratumque morem eouſque ſervatum docet.

Exod. 30. Anno à diluvio 794 Deo jubente unguenti ſacri, quo Sacerdotes deinceps linirentur confectionem Moſes paravit, eademque uſus *tabernaculum, arcam teſtimonii, menſam cum vaſis ſuis, candelabrum & utenſilia ejus, altaria thymiamatis & holocauſti*; *& univerſam ſupellectilem quæ ad cultum eorum pertinet*, conſecravit: ſacri hujus olei reliqua per annos 941 ad ipſam uſque Templi everſionem duraſſe; aliud nullum ad Pontificum ſuorum conſecrationem adhibitum; idque poſtea nunquam renovatum, Iudæi parum veriſimiliter contendunt; cum enim Templi à Salomone conditi, & à Zorobabele reſtituti, quam Tabernaculi à Moyſe primum erecti ſanctitas non minor, apparatus vero longe major fuerit; ut alio vel ritu utrumque cum toto ſuggeſtu à piis & legis obſervantibus conſecraretur; vel alio unguinis genere perliniretur quod perlinendum fuit, vix fieri poteſt: nemo autem non videt oleum, quod menſuram hin nunquam exceſſit; myrrhæ, cinnamomi, calami & caſiæ ad mille quingentorum ſiclorum ſeu librarum paulo plus quam 31 pondus injectorum infuſione minui, & cum tempore non mediocriter ſpiſſari neceſſe fuit, tanta copia ſepoſitum non fuiſſe, ut ſingulis capitibus ſacerdotalibus vaſiſque ſacrarii, quorum numerus nongentorum annorum ſpatio in immenſum crevit, perungendis ſufficere poſſet; quandoquidem conſecrandi ſacerdotis vertici largius affundebatur, ut è capite *in barbam* ejus ſummamque *veſtimenti oram* deflueret; eaque hin Vatablo teſte capacitas erat, ut *duodecim login contineret, log vero tantum* caperet *quantum ſex ovorum teſtæ.* Quicquid ſit, *oleum illud unctionis* adeo *ſanctum* fuit, ut *carnem hominis* ſacris non addicti eo perlini, aut ſimilem *compoſitionem* in ejus uſum parare nunquam licuerit; *quiſquis* enim *tale* conficere *& ex eo alieno dare* auſus eſſet, *de populo ſuo exterminandus fuiſſet.* Hinc autem manifeſtum fit Dominum, qui tunc primum ſacerdotium Leviticum à Regno, nunquam deinceps legitime uniendum, divulſerat, Reges poſtea conſtituendos ab omni ejus participatione arcuiſſe.

[Margin: Vnctio ſacerdotalis ſub V. T. — Pſal. 133: 2. — In Exod. 29. verſ. 40. — Exod. 30. v. 31. 32. 33.]

Vngendorum tamen Regum ritus extra Iſraelem Rege carentem paſſivus fuiſſe videtur; cum ex ætatis illius uſu de Rege ab arboribus conſtituendo parabolice loquutus Iotham hæc, anno à diluvio 1084, ante primam Saulis deſignationem 142, ad Sichemitas Abimelechi parricidio germanorum impiati exitiali dominio colla ſubdentes, verba fecit; *Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem:* Abimelechum à Sichemitis propinquis, unctionis adhibito ritu ad ſolium evectum inſinuans. Anno rurſus à diluvio 1193, ante Saulis creationem 66, Anna in hymno poſt Samuelis ablactationem decantato, Regem in Iſraele unctione poſtmodum conſtituendum, cujus mortales Reges typus eſſent, his verbis uſa prænunciavit, *Dominus dabit imperium Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui.* Cum jam Samuel adoleviſſet, curreretque annus à diluvio 1204, ante primum Saulis exortum 56, à viro Dei Heli pontifici *ſuſcitandum Sacerdotem fidelem, qui coram Domini Chriſto*, ſeu Rege

[Margin: Iudic. 9: 8. — Vnctio Regiæ ſub V. T. — 1 Sam. 2: 10.]

Rege futuro *ambulaturus eſſet* denunciatum fuit; exactis tandem annis 56, 1 Sam. 2: 35.
Saulem Iſraelitis præficiendum ex Benjamini tribu, aliquanto ante cætera- Iudic. 20.
rum gladio percuſſa & ad paucos redacta, imo *ex familia* Benjamitarum
minima Dominus elegit, ungique ex more jamdudum inter gentes recepto 1 Sam. 9.
à Samuele juſſit; *cras*, inquit, *mittam ad te virum de terra Benjamin & unges eum ducem ſuper populum meum Iſrael*; quod ut opere impleret Propheta *olei lenticulam*, non ex ſanctuario, ſed ex domo propria ſumptam, *ſuper caput* 1 Sam. 10.
ejus effudit, *eum exoſculatus eſt*, divinorumque donorum affuſione, unctione adumbrata, *in alium mutandum* prædixit; nec multo poſt Saule cui populus acclamaverat *vivat Rex* jam conſtituto coram eo cauſam egit, & innocentiæ teſtem ac judicem appellavit; *ecce* inquiens *præſto ſum*, *loquimini de me coram Domino*, *& coram Chriſto ejus*, &c. *Teſtis eſt Dominus adverſum vos, & teſtis Chriſtus ejus in die hac*, &c. Hoc initio, ritus inter vicinas gentes receptus in Iſraelitidem tranſlatus eſt, Regnumque typicum ibidem fundatum, quod uſque ad populi deportationem duravit; nec eos qui aliis ordine ſufficiebantur, cum eodem jure ac lege regnarent, eodem ritu conſtitutos fuiſſe dubium eſſe debet; quantumvis de pluribus, quorum eadem quæ Saulis aut Davidis conditio fuit, hoc tantum, quod *Reges conſtituti* ſint, aut *patrum loco regnaverint*, nulla prorſus *unctionis* mentione facta, ſcriptura referat; paucorum vero tam in Iuda quam in Iſraele, quia ſingulare quippiam eis & præter ordinem contigit, *unctionem* diſerte memorat: Davidis nimi- 1 Sam 16: 1.
rum à tribu Benjamitica & Saulis familia, in quas Domino dirigente eoque ſigno Regem futurum deſignante ſors ceciderat, alieni, Iuda in obſcuriore oppido prognati in familia Ieſſe noviſſimi, in ſeptem fratrum collegio natu minimi, eoque nomine deſpecti & cuſtodiæ pecudum deputati. cum enim Deus abjecto longe antequam periturus eſſet Saule, cum eo familiam ejus univerſam ſolio deturbaſſet, novoque rerum ordine in alia tribu ac familia conſtituto ſtaturæ decus & natalium prærogativam, ob quas Eliab imperium vultu totaque corporis ſpecie portendens inter fratres eminebat, negligere ſtatuiſſet, deſignati à ſe Principis electionem ſolenni fuiſſe ritu factam poſteros neſcire noluit. 2. Salomonis, quia in familia Davidica majoribus in He- 1 Reg. 1: 34.
brone antequam Hieroſolyma ſubacta eſſent natis, Daniele ex Abigail Carmelitide, Sephatia ex Abitat, Ietrahem ex Egla ſuſceptis, ac præ iis univerſis Adonia filio Haggith, Regni dum pater ſupereſſet uſurpatore, cui germani reliqui & procerum pars magna favebant, poſt habitis extraordinario Dei nutu ad Regium faſtigium vocatus erat. 3. Iohazi, quia poſt ſublatum cum quadraginta duobus fratribus à Iehu Ochoziam parentem, *interfectum* 2 Reg. 11.
ab Athalia Ochoziæ matre *univerſum ſemen Regium*, Regnumque ab eadem per nefas occupatum, cædi ſubductus ab amita Ioſaba Iojadæ pontificis uxore in cunis vagiens Ioas *ſex annis cum ea in Domini domo* tanquam privatus *delituit*, *anno vero ſeptimo* à Iojada coram univerſo populi cœtu productus Rex ſalutatus eſt, totiuſque in eo nondum octenni familiæ Regiæ collapſa dignitas, parricidali tyrannide everſa, denuo aſſerta eſt. cum igitur pueri Regum priorum hæredis ad paternum ſolium evectio, quædam familiæ Davidicæ in integrum reſtitutio novaque Regni fundatio fuerit, ſingulos ad eam pertinentes actus diſtinctè enarrari, & ſcriptis ad perpetuam memoriam mandare oportuit: hinc ſcriptura, *pepigit* Iojada cum centurioni-

 bus

bus templi cuſtodibus *fœdus*, *iis adjuratis filium Regis oſtendit*, & mandata pro Regni Regiſque ſalute dedit, *produxit* denique *filium Regis, & poſuit ſuper eum diadema, & teſtimonium: feceruntque eum Regem, & unxerunt: & plaudentes manu dixerunt, Vivat Rex*; quibus demum completis Athalia quæ nepotum Regnum nequiter invaſerat, & violentum imperium exercebat, meritas pœnas luere juſſa eſt. 4. Ioachazi, quia violato legitimæ ſucceſſionis ordine natu minorem majori populus prætulerat; quod ut evidentius fiat, hæc de ejus coronatione & Regno ſcriptura diſerte notat, *tulit*

2 Reg.23. *populus terræ Ioachaz filium Ioſiæ: & unxerunt eum, & conſtituerunt eum Regem pro patre ſuo, viginti trium annorum erat*, &c. *Tribus menſibus regnavit in Ieruſalem*, &c. *Vinxit eum Pharao Nechao in Rebla*, &c. *Impoſuit mulctam terræ centum talentis argenti, & talentum auri, Regem conſtituit Eliacim filium Ioſiæ, pro Ioſia patre ejus; vertitque nomen ejus Ioacim*, &c. *Vigintique annorum erat Ioacim quum regnare cœpiſſet*. Fuit igitur integro fere biennio major Ioacim, quo ad Regnum provecto naturalen ſucceſſionis legem à populo neglectam firmavit Pharao.

1 Reg. 19. De Hazaele & Iehu *ungendis* mandatum Eliæ ſexto ante tranſlationem anno datum non eo fine ſcriptura refert, ut ſolos in Syria & Iſraele unctione prævia Reges conſtitutos inſinuet: paſſivus enim ab antiquo, prout ante notavimus, inter orientales unctionis ritus erat, ſed quia in utriuſque cooptatione ſingularia & extraordinaria multa fuerunt. 1. Neuter natalium jure Regni compos factus eſt, ſed ex aliena familia Regumque quibus à ſe ſublatis ſucceſſerunt miniſterio aſſumptus. 2. Hazael ad Iſraelitarum carnificinam, Iehu ad Achabi poſterorum internecionem divinitus electus, eoque fine extra ordinem à Propheta ungi juſſus. 3. Ad luculentius providentiæ mundana omnia procurantis teſtimonium, utriuſque unctio longe antequam contingeret imperata eſt: ſexto enim ante raptum anno, divinum Elias mandatum ſuſcepit; mandati executio Elizæo commiſſa eſt, qui anno ab Eliæ tranſlatione circiter quarto Damaſcum profectus Hazaeli Benadadi legato divinum conſilium patefecit, cumque continuo poſt unxiſſe videtur, dilata in ſeptennium Iehu unctione, quam diſcipuli miniſterio uſus procuravit:

2 Reg. 9. atque hæc cauſa Spiritui Sancto peculiaris fuit illuſtris facti circumſtantias ſingulas minutatim proſequendi, traditam ſcilicet diſcipulo ab Eliſæo *olei lenticulam*, cum expreſſo *lumbos accingendi*, *in Ramoth Galaad proficiſcendi*, Iehu à cæteris populi ducibus ſegregandi, ſegregatum ungendi, & monendi, eoque monito in ſubitam fugam ſe proripiendi, mandato: quod ubi diſcipulus implevit Iehu ad commilitones reverſus, ſubſtratis in modum Tribunalis eorum veſtibus rogatus inſedit, clangore tubæ & feſtivis circumſtantium acclamationibus Rex renunciatus eſt, feſtinuſque univerſos in Ioramum duxit.

Eſaiæ 45: 1. Eodem conſilio Cyrus annis antequam Babylonis potens eſſet ducentis & quod excurrit, ab Eſaia Chriſtus Domini nuncupatur, Deo Principem qui Babylonem Iudaicæ Reipublicæ flagellum ſubacturus, Synagogam reddita populo libertate, velut è tumulo excitaturus, templumque ac cultum inſtauraturus eſſet, à ſe longe ante quam naſceretur ad magnalium ſuorum illuſtre monumentum electum, eoque titulo qui Regum juſſu ſuo, & ritu à ſe comprobato in poteſtate conſtitutorum proprius eſſet deſignatum præ-

mon-

monſtrante: Iudæorum enim aliorumque orientalium Reges ungentium morem ſecuti ſive fuerint, ſive non fuerint, Perſæ quod unctione Saul, aliique Iſraelitici Reges conſequi ſoliti erant Cyro ſingulari propitii Numinis favore tempore præfinito contribuendum, indicare ad piorum ſolamen voluit.

Non alio quam Saul aliique ſeptem prænotati ritu Iſboſeth Abnere procurante, Abſalom & Adonia à factione ſuper univerſum Iſrael, Roboam, Abia, Aſa, Ioſaphath, Ioram, Ochoſia, Amaſia, Oſias, Ioatham, Achaz, Ezechias, Manaſſe, Amon, Ioſias, Ioacim, Ioachin, Sedecias à populo Iuda; Ieroboam, Nadab, Baaſa, Ela, Zimri, Thebni, Amri, Achab, Ochozias, Ioram, Ioachaz, Ioas, Ieroboam, Zacharias, Sallum, Manahem, Phaceia, Phaſeé, Oſee, decem tribubus conſtituti fuiſſe videntur; quandoquidem Ioſias de quo hoc unum libro 2 Regum cap. 21. v. 26. legebatur, *ſepelierunt* Amon, &c. *Et regnavit Ioſias filius ejus pro eo.* Et 2 Chron. 33, verſ. 25. *Reliqua populi multitudo, cæſis iis qui Amon percuſſerant, conſtituit Regem Ioſiam filium ejus pro eo.* A Ieremia non minus Saul quam David Chriſtus Domini dicitur, unde eum, alioſque, de quibus ſimilia ſcripta ſunt unctione delibutum fuiſſe perſpicuum fit: de Abſalone res æque clara eſt, cum enim *factam* in Hebron ejus cauſa *conjurationem validam* Spiritus Sanctus monuiſſet, continuo poſt ejus cladem hæc populi pœnitentis verba refert. *Abſalom quem unximus ſuper nos, mortuus eſt in bello.* Continuo poſt Davidis unctionem in Hebron, *Abner tulerat Iſboſeth filium Saul, & circumduxerat per caſtra, Regemque conſtituerat ſuper Galaad, & ſuper Aſſuri, & ſuper Iezrahel, & ſuper Ephraim & ſuper Benjamin, & ſuper Iſrael univerſum.* An ſine unctione, adeo ut ei in cujus ditione Dei tabernaculum cum ſacrorum miniſtris præcipuis futurum erat, quique Davidi *à domo Iuda uncto* anteferri cupiebat, ſolenne quippiam ad Majeſtatis firmamentum faciens deeſſet? Adoniam quem regio cultu procedentem *pater non corripuerat, cuique cum Ioab filio Sarviæ, & cum Abiathar ſacerdote partes adjuvantibus ſermo fuerat,* ſolenni more Regem conſtitutum, & unguine perfuſum hiſtoricus ſacer inſinuat. *Immolatis* ab eo *arietibus, & vitulis, & univerſis pinguibus juxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus fonti Rogel, vocatos univerſos fratres ſuos filios Regis, & omnes viros Iuda ſervos Regis; Nathanem Prophetam, & Benajam cum robuſtis & Salomone fratre,* cui Regnum deſtinatum non ignorabat, conſulto præteritos narrans. Si enim ex quo concurſu ad Adoniam facto ſacriſque ſolennibus peractis regnaſſe, populique vivat Rex acclamantis plauſibus exceptus fuiſſe dicitur: Si David Regnum Adonia ad privatam conditionem redacto ad Salomonem tranſlaturus de eo mulæ Regiæ imponendo, in Gihon cum univerſo aulico comitatu deducendo, à Sadoc ſacerdote ungendo buccinæ clangore & fauſtis acclamationibus Rege declarando, in Regiam exinde, ut paternum ſolium inſideret, reducendo, ad Sadocum Pontificem, Nathanem Prophetam, & Benajam ducem mandata dare neceſſe habuit: Si denique poſt exauctoratum Adoniam, univerſa Iſraelitarum concio, Salomonis unctionem iterandam putavit, quis paulo ante ab Adonia cum titulo Regio temere uſurpatam, contrario eoque geminato actu abſterſam fuiſſe dubitet? quo iniquior Ieroboami & ſucceſſorum Davidicæ & puri cultus deſertorum domus cauſa erat, ſeque truculentius mactabant Davidis

2 Sam.15:12.
Cap.19: 10.
Cap.2: 8, 9.
1 Reg.1: 6,7, 9, 10, &c.

 poſte-

poſterorum in Iſrael æmuli, in quorum ſerie novemdecim tantum capitibus conſtante decem adverſariæ factionis ferro decuſſa leguntur, eo diligentius cavere debuerunt, ne quid ex ſolennibus à prima Regum inſtitutione ſervatis,& in Iuda quavis occaſione data renovari ſolitis,ipſis deeſſe videretur: qui igitur Davidis nepotes unctione ſacra ſucceſſive in Regni aviti poſſeſſionem mitti videbant, ritu non diſpari, ne dignitate inferiores putarentur, conſecrandi fuerunt; quique per æmuli in Regem uncti calcatum cadaver ad ſolium pergebant, ne nullo jure cæſi locum occupare crederentur, paria invidioſe affectarunt.

In cap. 11. lib. 4. Regum.

Ne univerſos ordine ſuo, ex communi gentis uſu, unctos fateri cogatur; filios non in ſe, ſed in patribus unctos, Vatabli noſtri conjecturam ſecutus, opinatur Diſquiſitor; ſed in alterutrum ex his ſcopulis impingat neceſſe eſt. 1. *Si filii Regum*, quod *in patribus uncti* cenſerentur, *non ungebantur*, poſt Davidem trina unctione delibutum poſterorum nemo ungendus fuit: at contrarium expreſſe ſcriptura docet; Abſalonem, Salomonem, Ioaſum, & Ioachazum unctos; imo Salomonem bis unguine delibutum fuiſſe narrans. Nemo autem opinor quotquot poſt patres unctos audit ſuperfluo ritu conſecratos reputabit. 2. *Si filii in patribus* Domini Chriſtis *uncti erant*, ad omnes & ſingulos tam regnaturos quam non regnaturos ex æquo *Chriſti Domini* titulus pertinebat:at non pertinuit;nam nulli ad Regnum non evecto tributum uſpiam legitur; ſed ſolis Sauli, Davidi, Ioſiæ, Cyro, quem Perſiæ Regnum tenuiſſe nemo neſcit, aptatum reperimus; unde manifeſtum fit quicquid de *filiorum in patribus unctione* Vatablus ſcripſit nullo certo firmamento niti.

Quicquid ſit, unctio ſacerdotalis ante Regiam per annos 462 inter Iſraelitas recepta, uſque ad deportationis tempora per annos 489, à reditu ad ultimum templi excidium per annos 606 duravit: intercedunt inter Aaronis conſecrationem & templi à Romanis incendium anni 1599, in quibus ſacerdotalis unctionis (ſi modo captivitatis interſtitium excipias) aliquis uſus fuit; Regiæ à Saulis conſecratione prima uſque ad Ieroboami ſchiſma anni 93, exinde ad Regni Iſraelitici everſionem per Salmanaſarem 254, ad templi everſionem & Sedeciæ deportationem 386, decucurrerunt. Poſt Iſraelitici Regni everſionem in Iuda per annos 132 permanſit; univerſa ejus à Saulis primordiis duratio annorum 479 periodum complexa eſt; potuitque divinitus imperata dici, quia Dei juſſu Saul, David, Salomon, Hazael, Iehu, inuncti ſunt: Sacerdotes illo ipſo oleo quo fœderis arca & cætera ſanctuarii inſtrumenta illini placuerat, delibuti ſunt; communiore alio, quod tamen *ſanctitatis ſeu ſanctum* (utpote ex tabernaculo, vel Prophetæ Deo dicati penu) depromptum, vere dici poſſet, Reges: hinc de Davide Dominus ipſemet Pſalmi 89. v. 21. *Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum*; quem poſt Saulem eo quod in poteſtate habebat, ſed quod forte ex tabernaculi vaſis (unde Salomonicæ unctionis materia petita diſerte legitur) hauſerat; à Samuele unctum fuiſſe ſcriptura monet: in ipſo ſanctuario ſacerdotes; extra ſanctuarium, Salomone & Ioaſo exceptis, Reges: Saul enim in Samuelis ſolario primum, ac paulo poſt in Galgale: David in paterna domo, ac exinde Hebrone prima Regni ſede: Salomon primo in Gihon; Hazael in Eliſæi hoſpitio; Iehu in propriis ædibus conſecrati ſunt: ex ſanctuarii vaſe in

in ſacerdotum caput: ex Samuelis & Eliſæi lenticula, in Saulis & Iehu; ex Samuelis & Sadoci cornu, in Davidis & Salomonis verticem oleum fuſum eſt: tam ſacerdotalis quam Regia unctio iterari potuit: de ſacerdotali clarum eſt; quandoquidem qui hoc de Aarone & filiis mandatum ſuſceperat; *Applica ad te Aaronem fratrem tuum cum filiis ſuis de medio filiorum Iſrael, ut ſacerdotio fungantur mihi, Aaron, Nadab, Abiu, Eleazar & Ithamar: quum ſanctificans aſperſiſſet altare ſeptem vicibus, unxit illud, & omnia vaſa ejus, labrumque cum baſi ſua ſanctificavit oleo; quod fundens ſuper caput Aaron unxit eum, & conſecravit; filios quoque ejus. Hæc*, inquit ſcriptura; *nomina filiorum Aaron, primogenitus ejus Nadab: deinde Abiu & Eleazar & Ithamar. Hæc nomina filiorum Aaron ſacerdotum qui uncti ſunt.* Vnde ad eos poſt Nadab & Abiu caſum Moyſes, *vos non egredimini fores tabernaculi, alioquin peribitis: oleum quippe ſanctæ unctionis eſt ſuper vos.* atqui *veſtem ſanctam qua utebatur Aaron, habere filii poſt eum* debuerunt, *ut ungerentur in ea.* Quo tempore Abſalom adverſus parentem inſurrexit, jam ſacerdotale munus oleo ſacro perfuſus obibat, *Arcam Dei in urbem reportare* juſſus Sadoc; qui poſt annos tredecim Salomonem inunxit; idem tamen, Abjathare paulo poſt exautorato, unctus legitur; *unxerunt*, inquit ſcriptura, *Salomonem Domino in Principem, & Sadoc in ſacerdotem.* De Regia ex ſequentibus liquere poteſt; Saul à Samuele clam in ſolario, ac paulo poſt publice pro concione unctus eſt: quinquennio exacto in Saulis abdicati locum Bethlehemi primum David unctus eſt; Hebrone rurſus poſt octennium triſtemque Saulis cataſtrophen iterata à domo Iuda unctione conſecratus; ibidem poſt octennium exactum oleo ab Iſraele univerſo tertiò perfuſus eſt. Salomon quem in Gihon Davidis parentis juſſu Sadoc ſacerdos unxerat, Hieroſolymis *coram Domino*, adeoque in loco ſacro univerſus Iſrael *unxit*.

Exod. 28: 1. Levit. 8. v. 11, 12, 13. Num. 3: 2, 3. Levit. 10: 7. Exod. 29: 29. 2 Sam. 15: 25. 1 Reg. 1: 39. 1 Paralip. 29: verſ. 22. 1 Sam. 10: 1. cap. 11. v. 15. 2 Sam. 5: 3. 1 Reg. 1: 39. 1 Paralip. 29. verſ. 22.

Quemadmodum unctione ſacra Deo mancipati & dicati ſacerdotes inviolabiles (ceu divini cultus inſtrumenta quæ tangere promiſcuo vulgo nefas erat,) fiebant: Reges *Domino conſecravit* unctio; ſic Salomonem *unctum Domino Principem* legimus; quia oleo ſancto divinorum donorum in caput ejus ex populi voto fundendorum copiam deſignante, delibutus univerſo Iſraeli ſacer evadebat: eadem Saulis fuerat tam poſt quam ante abdicationem conditio; quod ut evidentius teſtatum faceret à Deo jam deſignatus *David percuſſit cor ſuum eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul, dixitque ad viros ſuos, propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt*, &c. *Dixi non extendam manum meam in Dominum meum, quia Chriſtus Domini eſt; manus mea non ſit in te*, &c. *Dixit David ad Abiſai, ne interficias eum; quis enim extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit?* &c. *Propitius ſit mihi Dominus ne extendam manum meam in Chriſtum Domini*, &c. *Dixit David ad Abner; vivit Dominus quoniam filii mortis eſtis vos, qui non cuſtodiſtis Dominum veſtrum Chriſtum Domini*, &c. Et ad Saulem, *tradidit te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in Chriſtum Domini.* Et ad Amalecitam qui Saulem à ſe confoſſum gloriabatur; *Quare non timuiſti mittere manum tuam ut occideres Chriſtum Domini?* &c. *Sanguis tuus ſuper caput tuum: os enim tuum locutum eſt adverſum te, dicens, Ego interfeci Chriſtum Domini*, &c. *Abjectum* etiam *Saulis quaſi oleo* quod

1 Sam. 24. v. 6, 7. Ibid. v. 11, 13. cap. 26: 9. verſ. 11. verſ. 16. verſ. 23. 2 Sam. 1: 14. verſ. 16. verſ. 21.

 cum

cum ab omni injuria immunem præſtare debuerat *unctus non fuiſſet clypeum* ſerio queſtus eſt: eadem denique mente è medio qui Ioaſum & Amonem non ex optimis Reges percuſſerant ſublatos ſedulo ſcriptura notat.

2 Reg. 12: 20, 21: & cap. 21: 23, & 24.

Quum à vero Dei cultu Ioſuæ Pontificis poſteri noviſſimi jam defeciſſent, eumque Matthathias Ioaribi adnepos cum filiis, qui *Haſamonei* ſive *illuſtres* dicti ſunt, reſtituere conatus, totius gentis oculos in ſe ac ſuos convertiſſet, anno à poſtrema populi deportatione 426, à reditu 373, ante Chriſti æram 164, Iudas Macchabæus Matthathiæ tertiogenitus, ſed ob heroicas virtutes germanis à patre prælatus, ſummus ſacrorum Pontifex & armorum dux electus eſt, cui poſt triennium in medio victoriarum curſu cæſo Ionathan ordine inter fratres quintus, Ionathani ſolidos præfecturæ annos ſeptemdecim permenſo, & Tryphonis proditione ſublato, Simon Matthathiæ ſecundogenitus ſucceſſit. Cui cum pontificatum gentiſque præfecturam ad octennium tenuiſſet à Ptolomæo genero perempto, Ioannes filius cognomento Hyrcanus ſuffectus, annos regiminis 31 complevit, Ariſtobulo primogenito poteſtatis hærede relicto, qui pontificali cidari non contentus Regios titulos familiæ Davidicæ tunc depreſſæ debitos uſurpavit, diademate Regni inſigni frontem primus cinxit, materna cæde & fraternis vinculis famoſus; hunc Regni vel potius tyrannidis anno primo vita functum, Alexander cognomento Iannæus excepit, cujus poſt annos 27, Hircanus primogenitus, Ariſtobuli germani & Antigoni Ariſtobulo nati tyrannide tandem deturbatus, hæreditatem adivit, anno à parentis morte 62, Herodi alienigenæ, Mariamnes Antigono & Alexandra filia natæ marito, locum facere coactus eſt, ejuſdemque aliquanto poſt juſſu octogenarius capite minutus eſt; cum Antigonum cruci ſuffixum Herode inſtigante jugulari juſſiſſet Antonius, unicus ex Haſamonæorum ſtirpe Alexander Antigono natus ſupererat, quem ante juſtam ætatem ad pontificatum evectum, anno Regni 6, Herodes in piſcina ſuffocari curavit; eo exitu Haſamonææ gentis tam ſacerdotium quam Regnum concidit. Reddita populo ſacrorum libertate, cum templi inſtauratione pontificalis muneris ſplendor redivivus, antequam Ariſtobulus ad Regnum graſſaretur, annis 434 fulſerat, ex eoque tempore ſacerdotalis unctionis uſus redierat: nec enim Ioſuam Ioſedeci filium cum poſteris alio, quam majores ante deportationem ritu initiatos fuiſſe, aut Haſamonæos patrii moris retinentiſſimos de ſacris ſolennibus ætate ſua quicquam deperire ſiviſſe, credere par eſt; poſt abominandam Ioſuæ nepotum defectionem, cum nullus ex iis pontificatus capax ſupereſſet, Haſamonæi Ioaribi, primæ in ſacerdotum familia ordine, ſtirpis poſteri, tanquam jure potiores ad pontificatum vocati fuerant: idque unum præter ordinem admiſſum videri poterat, quod naturæ lege pauliſper ſepoſita ex Matthathiæ filiis tertio & quintogenitos Simoni qui naſcendi ordine ſecundus erat anteferri, & Ioanani natu maximi nullam haberi rationem placuiſſet, cætera legitima cenſeri poterat; at Regnum quod Deus ipſe à ſacerdotio ſecreverat, à pontificibus Ioannis Hyrcani poſteris cum ſacrorum neglectu invaſit, familiæ Davidicæ ad Regnum cœlitus vocatæ injurium legique adverſum fuit: ulluſne Regiæ unctionis uſus inter eos fuerit, Ioſepho qui eorum hiſtoriam ſcripſit ſilente, nemo facile dixerit; nec forte improbabile fuerit, eos qui inter Seleucidas & Lagidas nulla unctione delibutos medii degebant, eorumque jamdudum

mori-

moribus aſſueverant, non Iudaico ſed Græcanico ritu ad ſolium perductos fuiſſe; in ſpurio illo dominatu quædam legitimi ſpecies Iudaicæ gentis oculos præſtringebat, reſtituti enim in Iuda Regni potentes erant Iſraelis poſteri, majorum fortiſſimorum patriæ legis vindicum meritis nulla oblivione delendis clari: ſed ubi à Pompejo tributum pendere juſſa Herodi Idumæo filiis nepoti & pronepoti ſervire, *tranſlatumque* à Iuda *ſceptrum* deplorare, gens Iudaica coacta eſt ab iis quorum precarium ſub Romanis ad Iudaica ſacra nauſeantibus Regnum fuit, quique ethnico fere more vixerunt, in Auguſti & Tiberii vel comitatu verſati, vel cultu educati, Caligulæ ac Claudii congerrones & pupilli, priſci deinceps moris nihil in iis quos Dominos à Romanis infeſtis impoſitos ringentes patiebantur vidit aut videre niſi caſu forte potuit. Nullam igitur Haſamonæis, & Herodianis rerum potentibus Regiam inter Iudæos unctionem fuiſſe probabile eſt; cum inter orbis Dominos, quorum annis ante Chriſtianam æram 63 ſubacta jugum cervice ferre didicerant, qui ſuis *unguentatos eſſe* vitio vertere ſolebant, eoſque *qui bene ſemper olerent non bene ſemper olere* judicabant, nulli in poteſtate conſtituendi ungerentur, quantumvis poſt fundatam à Iulio Cæſare Monarchiam, is paulatim mos invaluerit ut qui ſimulachra ſua ad conſecrationem, ut dii deinceps nuncupatentur, *lubricabant*, Auguſtorum ſuorum fato functorum apotheoſim molientes, eorum cadavera ad rogum per *pollinctorem ſacerdotem* ungerent: ſed unctionibus illis univerſis commune cum Iudaica nihil fuit. Diſquiſit. pag. 111. Arnob. lib. 1. Tertul. ſcorp. cap. 7.

[a] Oppanſum ſancto ſanctorum velum glorioſo introitu amoturus & circumfuſam Synagogæ oculis caliginem ſalutari præſentia diſcuſſurus, [b] *Iſraelis gloria*, [c] *gentium ſpes*, [d] *lux mundi*, [e] *ſtella matutina*, [f] *Sol juſtitiæ*, [g] *oriens ex alto*, umbrarum præcurrentium [h] *corpus*, figurarum in ſacerdotio ac Regno typico [i] *veritas*, verus Melchiſedec, [k] *Iuſtitiæ ac pacis Rex*, [l] *Sacerdos in æternum*, non à ſemet intruſus, ſed [m] *à Deo vocatus tanquam Aaron*; illo ipſo, quo Iudaicæ gentis ſacerdotium & Regnum ab alienigenarum nutu pendebant tempore advenit, qui ſejuncta jampridem munera ſociaret, Regnumque ſacerdotale in perpetuum fundaret; is Aaronico *ex* [n] *mandati carnalis lege oleo* delibutus non eſt; ſed [o] *lætitiæ*, imo [p] *Spiritu Sancto unctus*, [q] *unctionis* ejuſdem, quæ [q] *à ſancto* eſt, pioſque [q] *omnia docet*, quoſcunque corpori ſuo myſtico inſerit participes facit, ut non tantum [r] *Chriſtiani* per ſe ſinguli, ſed cum capite ſuo Domino Ieſu univerſi, Apoſtolo teſte unus idemque [ſ] *Chriſtus* ſint, cujus *Spiritus omnia in omnibus operatur*, hujus in fideles deſcenſum externa unctione Eccleſia adumbrandum putavit, eoque fine oleum in eos quos quotidie Chriſto per baptiſmum infantat fundi ſolitum *chriſma* nuncupavit. hinc tertii à Chriſto nato ſeculi initio anno, à prima baptiſmatis noſtri per Chriſtum ſuſcipere dignatum ſanctificatione circiter 170, Latinorum antiquiſſimus Tertullianus, poſtquam *divini Spiritus aquis incubantis* in mundi tam *primordio* quam ſexta ætate *geſtationem* memoravit; *Angelum Domini Sanctum aquis in ſalutem hominis temperandis adeſſe*, eidem & aquis ſub novo Teſtamento *plus aliquid, ut ſpiritum medeantur, acceſſiſſe, in aqua* baptiſmatis *mundatos ſub Angelo Spiritu Sancto præparari* contendit, eoque *à columba S. Spiritus imagine* delatum Remigio chriſma ſcribentes iis qui *angelicum miniſterium* adhibitum

Vnctio fidelium omnium baptiſmalis.

a Heb. 9: 12.
b Luc. 2: 32.
c Gen. 49: 10.
d Ioan. 8: 12.
e 2 Pet. 1: 19.
f Malch. 4. verſ. 2.
g Luc. 1: 78.
h Colloſſ. 2. verſ. 17.
i Ioan. 14: 6.
k Heb. 7: 2.
l Ibid. verſ. 3.
m Heb. 5: 4.
n Heb. 7: 5.
o Pſal. 45: 8.
p Actor. 10. verſ. 38.
q 1 Ioan. 2. verſ. 20. 27.
r Actor. 11. verſ. 26.
ſ 1 Cor. 12. v. 11. & 13.

Tertull. lib. de baptiſmo. cap. 5.

cap. 7.

tum voluerant nequaquam adverſari docuit, ſequentia adjicit, *egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione de priſtina diſciplina, qua ungi oleo de cornu in ſacerdotium ſolebant. Ex quo Aaron à Moyſe unctus eſt, unde Chriſtus dicitur à chriſmate, quod eſt unctio, qua Domino nomen accommodavit, facta ſpiritalis, quia ſpiritu unctus eſt à Deo patre*, &c. de veteri diſciplina recens baptiſatos chriſmandi morem, cujus Theophilus Antiochenus & Irenæus Tertulliano priores meminerant, nullibi in novo Teſtamento imperatum inſinuans, promanaſſe; & ſacerdotale munus eo deſignari refert, quodque de unctione regali bis legerat, ad ſacerdotalem transfert: ſed quadringentis annis eo poſterior Iſidorus aliique ex patribus plures, tam ad Regnum, quam ad ſacerdotium fideles chriſmate perungi cenſent. *ſicut*, inquit Iſidorus, *in baptiſmo peccatorum remiſſio datur, ita per unctionem ſanctificatio ſpiritus adhibetur, & hoc de priſtina diſciplina, qua ungi in ſacerdotium & Regnum ſolebant.* (Orig. lib. 6. cap. 9.)

(Ioan. 18: 36. Gal. 3: 28.) Cum *in Chriſto*, cujus nec *Regnum de hoc mundo*, nec ſacerdotium Aaronicum, pii *omnes unum* ſint, nulloque *Iudæum & Græcum, ſervum & liberum, marem & fœminam*, Regem & ſubditum, corpori myſtico inſerendos diſcrimine Dominus habeat, etiamſi cœlo ad Remigium ſacris operantem vel nunquam vel ſemel, ſæpius vel imo millies columba ampullifera deſcendiſſe credatur, aliud nihil ad Chriſtiana ſacra tranſiens Clodoveus, vel conſecutus eſt, vel conſequi potuit, quam reliqui cujuſcunque ſortis fideles, ubique gentium promerebantur, quique annos ſolidos quindecim regnaverat in ſeculo non ad *terrenum* quod hæreditatis titulo ſubditis univerſis ſupereminens tenebat, ſed ad *cæleſte*, cujus tunc primum conſors cum univerſo Chriſtianorum vulgo fiebat, *Regnum*, prout ante notavimus, chriſmate delibutus eſt, nulla ante ipſum vel Regia unctio, vel baptiſmati ſubjuncta ab Eccleſia unctionis peculiaris ad temporale Regnum & Reges Chriſtianos, quorum primus Conſtantinus anno Chriſti 337 morti proximus tingi voluit, reſpectus fuit: nec Theophilus Antiochenus, Irenæus, Tertullianus, aliique ante Conſtantini Imperium denati Patres, qui Regem nullum niſi infidelem ac fere ſemper infeſtum noverant, de unctione illa quæ Regum propria eſſet cogitare potuerunt, id ipſum de Eccleſiarum præſulibus qui poſt Conſtantini Imperium, quarti, quinti, ac fere ſexti ſæculi periodo decurrente, ubique gentium vixerunt ſentire, oportet: ad ſolium enim levabantur Auguſti, & eorum exemplo Barbarorum Reges, quique diademate frontem cingebant, pontificum qui eos vel coronarent, vel ungerent, miniſterio non utebantur: (Greg. Tur. lib. 2. cap. 38.) anno 508 Clodoveus noſter *codicillis de conſulatu acceptis in Baſilica beati Martini tunica blatea indutus eſt & chlamyde imponens vertici diadema*: anno vero 525, à Clodovei obitu 14, Iuſtini Imperatoris 8, Auguſtum eundem Ioannes 1 Papa non ſine fauſtis precibus coronavit, primumque coronandorum (Vita Ioannis primi.) à pontificibus Principum exemplum edidit: quod anno 566 cum Iuſtinus minor Iuſtiniani avunculi ſolium inſeſſurus eſſet Eutychius Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcha ſecutus eſt. unde Corippus à Diſquiſitore p. 3. (Lib. 2. cap. 5.) laudatus:

Pontificum ſummus, plenaque ætate venuſtus,
Aſtantem benedixit eum, cælique potentem
Exorans Dominum, ſacro diademate juſſit
Auguſtum ſancire caput, ſummoque coronam
Imponens apici.

Euty-

Eutychium Ioannis I Papæ authoritatem ſecutum alii deinceps Patriarchæ imitati ſunt, & coronandorum Regum munus ad Pontifices tranſtulerunt: Regiæ poſtea coronationi ad majorem Regnum inter Hiſpanos auſpicantium cultum unctio acceſſit, eo fine à Weſogothis quorum Regnum electivum ac proinde infirmius erat uſurpata, ut qui Principes ſuos paſſiva cæde tollebant, ab iiſdem de veteris Teſtamenti diſciplina unctione conſecratis, & Regi Regum oblatis, parricidales deinceps manus abſtinerent.

Novi illius in Chriſtianam Eccleſiam à Weſogothis invecti moris exempla prolaturus Diſquiſitor, ab alienis & impertinentibus, quod inſcitæ temeritatis fuit, orditur: *de Recaredo*, inquit, *Hiſpaniarum Rege* (*qui Pipinum ſeſqui ſæculo ad minimum præceſſit*) *ſic S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus:* Leuvigildo defuncto, filius ejus Recaredus Regno eſt coronatus; *Lucas Tudenſis*; in Regno coronatus eſt, &c. Anno æræ Hiſpanicæ 624, Chriſtianæ 586, ante Pippiniani Regni primordia 165, cum adhuc Arianus eſſet, *coronatum* audimus *unctum* aut Pontificis cujuſquam manu *coronatum*, quod Chiffletius volebat, non legimus. *Atqui unctio ex more præcedebat coronationem*; *ut exempla ſtatim docebunt.* Exempla illa Recaredi ſucceſſores poſt unctionem tunc primum uſu receptam coronatos fuiſſe docet; Recaredum, vel antequam coronaretur unctum, vel ex antiquo gentis more coronatum, nec demonſtrant, nec inſinuant. Leuvigildus enim Iſidoro eidem familiari authore: *Primus inter ſuos regali veſte opertus, ſolio reſedit. Nam ante eum & habitus & conſeſſus communis ut genti ita & Regibus erant*, &c. Primus ergo *Regio cultu* adeoque *corona*, quam in plebeja veſte nemo geſtaſſet inſignis ſemet ſupra majores extulit, qui anno æræ Hiſpanicæ 606, Chriſtianæ 568, à Clodovei primordio 87, ab ejuſdem chriſmatione 72, à coronatione 60, regnare cœpit; ſecunduſque ab eo Recaredus poſt annos octodecim coronam geſtavit. Quando primum *communes veſtes* Leuvigildus poſuerit Iſidorus non indicat, ſed eum anno Chriſti 585 Regni 18, à Clodovei Baptiſmate & chriſmatione 89, ab ejuſdem coronatione 77, quo Audecam Suevici Regni uſurpatorem ſolio deturbavit Regnumque proprium ampliavit, majora quam priores Reges ſpirare cœpiſſe probabile eſt, ut Recaredus Regnum iniens parentis, qui anno proxime præcedente coronam primum ſumpſerat exemplo coronatus dicatur: unctionem coronationi tunc adjunctam fuiſſe, quandoquidem nec Iſidorus, nec alius ullus notat, Chiffletius hodie nullus niſi temere aſſeruerit. demus tamen quod ſub incerto uſque nunc pendet compertiſſimæ veritatis eſſe: nec à Recaredo tantum aut Leuvigildo parente, ſed ab anteceſſoribus Weſogothis coronam poſt unctionem geſtari conſueviſſe: quid inde commodi traxerint Francicæ gentis æmuli? fuerit enim unctio illa Regia non Catholicæ Eccleſiæ, ſed Arianicæ ſectæ inventum, cum univerſos Gothorum in Hiſpania ante Recaredum Reges Arii dogma amplexos fuiſſe; in Leuvigildo *virtutis gloriam errorem impietatis adeo offuſcaviſſe, ut perfidiæ furore repletus in Catholicos perſecutione commota plurimos Epiſcoporum exilio relegaret, Eccleſiarum redditus & privilegium tolleret, multos quoque terroribus in Arrianam peſtilentiam impelleret, pleroſque ſine perſecutione inlectos auro rebuſque deciperet; auſus quoque inter cætera eſſet hæreſis ſuæ contagia etiam rebaptizare Catholicos, & non ſolum ex plebe, ſed etiam ex ordinis ſacerdotalis dignitate*, &c. *Recaredum*

Diſquiſit. pag. 78.

Vnctio Regum Gothica.

Iſid. Chronicon.

Ioan. Biclar.

redum denique *anno Regni primo*, *menſe* à coronatione *decimo*, *Catholicum Deo juvante effectum*, ac proinde dum hæretica caſtra parentis exemplo ſequeretur coronatum fuiſſe liqueat. Egregiam vero laudem & ſpolia ampla Hiſpani reportaverint, ſi priſcorum Regum ſuorum unctionem ab invidioſo ſacrilegorum auſu arceſſant. Quanto ſatius fuerit poſt ejuratum Ariomanitarum errorem, & Recaredi Catholici elatum funus, à Catholicis qui Principum ſuorum ſecuritati conſultum volebant Regiæ unctionis ritum ex vet. Teſt. praxi repetitum fateri?

Diſquiſit. pag.75.

In hanc, velut conſcientiæ morſu adactus, partem inclinans Diſquiſitor *Recaredum primum omnium Regum Catholicorum totius orbis unctum & coronatum fuiſſe* ſcribit; utut, nec *primum*, ſed poſt patrem, nec *Catholicorum Regum primum*, à Catholiciſmo ſuſcepto, ſed *decimo* antequam ſuſciperet *menſe* adeoque cum necdum Catholicus eſſet *coronatum* fuiſſe negare nequeat; unctum vero fuiſſe nuſquam legatur. Ex Auguſtis Catholicis Zeno anno 474, ante Recaredi Regnum 112 à Leone filio; Iuſtinus primus anno 518 ante Recaredum 68, à Ioanne I Romano Pontifice; Iuſtinus II, anno 566, à Conſtantinopolitano Patriarcha coronatus eſt: ex Barbararum gentium Regibus Clodoveus Catholicus anno 508 coronam ſibimet impoſuit, longoque poſt tempore Recaredus exortus eſt: quem poſt editam Catholicæ fidei confeſſionem, ſi Concilium tertium Toletanum anno 589; *Verum Catholicum*, *verum orthodoxum*, *verum amatorem Dei*, Concilium aliud Toletanum anno 597, & Barcinonenſe anno 599, *Chriſtianiſſimum*, *& Piiſſimum* nuncupavere ante converſionem, jam coronatus tale nihil audiit; audierat vero anno 497, longe ante Recaredi, & Leuvigildi parentis natale, non à ſubditis præſulibus ut Recaredus, ſed ab extraneo Burgundicæ ditionis favoris minime ſuſpecto præſule Avito, cujus hæc ad eum verba ſunt. *Invenit tempori noſtro arbitrum quemdam divina proviſio, dum vobis eligitis, omnibus judicatis, veſtra fides noſtra victoria eſt*, &c. *Habetis bonorum authores, voluiſtis eſſe meliorum, reſpondetis proavis quod regnatis in ſæculo: inſtituitis poſteros quod regnatis in cœlo*, &c. *Quicquid fœlicitas uſque huc præſtitit, addet hinc ſanctitas*, &c. *Nunquid fidem perfecto prædicabimus, quam ante perfectionem ſine prædicatione vidiſtis?* &c. *Vnum ergo quod vellemus augeri, ut quia Deus gentem veſtram per vos ex toto ſuam faciet, ulterioribus quoque gentibus, quas in naturali adhuc ignorantia conſtitutas nulla pravorum germina corruperunt*, *de bono theſauro veſtri cordis fidei ſemina porrigatis. Nec pudeat pigeatque etiam directis in rem legationibus adſtruere partes Dei, qui tantum veſtras erexit*, &c. *Conſtat vos eſſe, quo communis uno ſolis jubare omnia perfruuntur. Vicina quidem plus gaudent lumine, ſed non carent remotiora fulgore. Quapropter radiate perpetuum præſentibus diademate, abſentibus Majeſtate*, &c. *In apice rerum omnium gubernacula continente non minus eminet ſanctitas, quam poteſtas*, &c. Audierat anno antequam Recaredi parens Leuvigildus regnaret duodecimo à Pelagio I Papa, Clodovei filius Childebertus. *Hæc*, inquit, *inſinuanda breviter eſſe excellentiæ veſtræ curavimus, ut ille ardor fidei veſtræ, & unitatis amor, non alicujus perverſi hominis fabulas, aut chartas ſuperfluas permitteret attendi.* & alia Epiſtola anno 557 data, *convenit excellentiam veſtram pro fervore ejuſdem fidei, quam vos in corde habere gaudemus, peculiarem curam per univerſas Galliæ veſtræ*

Diſquiſit. pag.78.

Arbiter communis in cauſa fidei.

Sanctus.

Perfectus.

Fidei ſeminator apud exteros.

Sol inter Reges.

Hinc apparet Clodovæum ante acceptos Anaſtaſii codicillos diademos geſtaſſe.

veſtræ regiones impendere, &c. *Deus qui gloriam veſtram contra inimicos pacis Eccleſiaſticæ miſericorditer hoc tempore præparavit, præſtet vos ita ſollicitos & circumſpectos exiſtere, ut non prævaleant intra ſata ſanctæ Eccleſiæ in illis partibus loliorum ſuorum ſemina maligna jactare*, &c. Audierat Leuvigildo regnante à Venantio Fortunato Italicæ originis Præſule, Childeberti nepos ex fratre Sigebertus,

Juſtitiæ cultor pietatis amore coruſcas.

Audierat ab eodem Charibertus Sigeberti germanus,

——— *quadripartitis mundi ſub partibus ampli*
Fructificante fide ſemina laudis habet, &c.
Semita Juſtitiæ, gravitatis norma refulges,
Et ſpeculum vitæ dat præcioſa fides, &c.
Tu melior fidei merito. Nam Principis ampli
Trajani imperium de pietate refers.

Audierat & Chilpericus Venantio eodem judice,

——— *Catholicis Religionis apex.*

Audire etiam meruit Guntramnus ab Eccleſia Romana cœlitum albo adſcriptus, eoque Recaredo quem tanta dignatione proſecuta non eſt, longe prælatus; audiit etiam à Gregorio magno Papa Recaredi coætaneus Childebertus junior, quem cæteris Regibus vir ſanctus ob Regni culmen & Catholici titulum antecellere judicavit. Quacunque igitur laude poſt Catholicæ fidei profeſſionem à Clero Hiſpanico Recaredus, quem adhuc hæreticum Regno coronaverant Gothi, dignus viſus eſt, eadem ab exteris Romanaque Eccleſia Clodoveus, ejuſque liberi, nepotes, pronepotes continuata ad Recaredi tempora ſerie ornati ſunt.

Recaredo intercedente Gothos ad fidem Catholicam reverſos, Arianæ perfidiæ renunciaviſſe, Orthodoxos priuſquam Ariana labe inficerentur, ſic diu ante Francos Chriſtianos fuiſſe; imo Theophilum *ipſorum Epiſcopum interfuiſſe atque ſubſcripſiſſe Nicæno Magno Concilio anno* 325, admittere parati, ſingula hæc ab adverſario nolente ac ringente extorquebimus. 1. Male tam à Chronico Angloſaxonico manuſcripto ad annum 591, quam ab Alberico ad annum 596, Gothicæ gentis ac præcipue Epiſcoporum 62 ad fidem Catholicam reditum, quem anno 589 Majo menſe contigiſſe Concilium Toletanum docet referre. 2. Ex eo uno quod Theophilus Gothorum Epiſcopus *Concilio Nicæno anno* 325 *interfuerit & ſubſcripſerit* Catholicum fuiſſe non demonſtrari; quandoquidem Ariani plures Catholicis intermiſti, & ſub larva latentes Concilii fidem manu non corde firmarunt; quod de Euſebio Cæſarienſi, Patrophilo Scythopolitano, Athanaſio Anazarberno, Narciſſo Neroniadis, Macedonio Mopſueſtienſi & aliis aliquot negari nullo modo poteſt. 3. univerſam Gothorum gentem, nec anno 325, nec poſtea ad Chriſtianam fidem converſam fuiſſe, ſed partem tantum, quæ à contribulibus infidelibus durius poſtea exagitata eſt. 4. Gothos, qui anno 325, ante Francorum converſionem 171, Catholica ſigna ſequebantur, & Francis tunc Ethnicis præferendi fuerant, quandoquidem à vera fide deſciverunt, vel hoc ipſo nomine gradu priſtino excidiſſe, & infra Francos in fide ſemel ſuſcepta uſque nunc conſtantes dejectos fuiſſe, ut de iis initio *primis* poſtea *noviſſimis* dicere licuerit: *turpiter atrum deſiit in monſtrum facies formoſa ſuperne. ſi enim refu-*

Diſquiſit. pag. 78.

Lum. p. 409.

2 Pet. 2: 20, 21, 22.

gientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri & ſervatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim fuiſſet illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſus converti ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato. contigit enim eis illud veri proverbii, Canis reverſus eſt ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. Sileant ergo deinceps, ſi qua frons reliqua eſt infœlix, quæ deſertorum adverſus fortiſſimos Chriſti pugiles patrocinium ſuſcipere auſit.

Lib.6. c.36. Quando primum ad Arianiſmum deflexerint qui Chriſto nomen dederant Gothi indicat Sozomenus; *Vlphilas*, inquit, *eorum Epiſcopus, licet initio ab Eccleſia Catholica nihil diſſentiret: tamen poſt, regnante Conſtantio, per inſcitiam, una cum Eudoxio* [Conſtantinopolitano] *& Acacio* [Cæſarienſi] *ut pote ex Epiſcoporum numero qui in Concilio Nicano convenerant, Concilio Conſtantinopolitano* [A. D. 360] *interfuit. Qui ſimul ut eo venit, dicitur, cum principes ſectæ Arianæ cum eo de Religione diſſeruiſſent, eſſentque polliciti legationem ei apud Imperatorem ex ſententia confectam fore, ſi modo ſe ipſorum opinioni vellet addicere, vel neceſſitate compulſus, vel quod eum de Deo opinionem meliorem judicaret, communioni Arianorum ſe adjunxiſſe, & totam ſuam gentem ab Eccleſia Catholica ſeparaſſe*, &c.

De Acacio falſum.

A Sozomeno ſibi parum conſtare viſo, diſcedens Baronius Cardinalis, ejuſque exemplo diſquiſitor, Theodoreti, ſub Valente Gothos Arianum virus imbibiſſe narrantis, æque perplexam ſententiam, turpius deinceps ſecum pugnaturus, amplectitur. quid enim Theodoretus? *quemadmodum*, inquit, *Barbari peſtifera erroris Ariani pernicie infecti fuerint, arbitror operæ precium, his qui ejus rei ignari ſunt, enucleate explanare. Vbi Iſtro transmiſſo cum Valente pacis fœdera junxerant, eodem momento Eudoxius ille infamia notatus perſuadet Imperatori, ut Gothos qui olim cum divinæ cognitionis luce primum illuminati eſſent, doctrina Apoſtolica fuerant inſtituti, ad ſuam traducat communionem. Nam opinionis conjunctione & conſenſu pacem firmiorem fore dixit. Qua approbata ſententia, Valens eorum ducibus hanc de doctrine conſenſione conditionem proponit. Qui reſponderunt, ſe nullo modo velle avitam doctrinam deſerere. Eodem tempore Vlphilas eorum fuit Epiſcopus, cui facile obſequebantur, ejuſque verba pro ratis legibus habebant. Quem cum Eudoxius & verborum lenociniis deliniviſſet, & pecuniæ ineſcaſſet illecebris, perfecit ut Barbaros illos ad communionem Imperatoris amplectendam induceret. Adjecit præterea, quo facilius ei perſuaderet, contentionem illam ex ambitione ſolum ortam, nullamque omnino doctrinæ eſſe differentiam. Itaque ad hodiernum diem Gothi Patrem majorem eſſe filio dicunt illi quidem; ſed filium creaturam appellari, licet cum his qui illud dicant communicent, nequaquam ferre poſſunt. Quin etiam ab avita doctrina non penitus deſtiterunt. Etenim Vlphilas, cum eis communionem Eudoxii & Valentis perſuadere conaretur, dixit nullam eſſe in doctrina diſcrepantiam, ſed ex inani & levi contentione eam in Eccleſiam diſcordiam invectam fuiſſe.* Hactenus ille, ex cujus ad Sozomeni ſententiam proxime accedentis mente tria hæc habemus, Vlphilam ab Eudoxio, Gothos ab Vlphila, cum jam Iſtrum pace convalente inita transmiſiſſent, depravatos fuiſſe. Imperium Valens anno Chriſti 364 à Conſtantii obitu tertio vertente, 4 Cal. April. inierat: Anno 370 vivendi finem fecit Eudoxius, à quo anno Conſtantii mortem proxime præcedente Vlphilas

l. 4. c.32.

Socrat. lib.4. cap.13.

las depravari facile potuit, eodemque qui Eudoxii poſtremus fuit anno *Athanaricus in Chriſtianos perſecutione commota, plurimos interfecit, & de propriis ſedibus in Romanum ſolum expulit; plurimos Barbarorum ob fidem interfectos ad coronam Martyrii ſublimavit: quorum tamen plurimi ad Romanum ſolum non trepidi velut ad hoſtes, ſed certi quod ad fratres, pro Chriſti confeſſione fugerunt.* Tunc etiam facile evenit ut ab hæretico, ſed qui ſententiam Catholicam errori ſuo nequaquam repugnare vel credebat, vel credere ſimulabat, inſtituti, fidele Chriſto Martyrium facerent, à pia ſe profeſſione abduci ne ad momentum paſſi: quodque paulo ante vere Hilarius noſter ſcripſerat, puriores nonnunquam auditorum aures quam ora Doctorum dari experti: in ſolo, non Romano, quod Theodoretus volebat, ad Iſtri dextram, ſed in Barbarico ad lævam, ab Athanarico adverſus Chriſtianos ſubditos excitatam perſecutionem, oculatorum teſtium fide fretus Auguſtinus de civitate Dei docet. *Rex*, inquit, *Gothorum in ipſa Gothia perſecutus eſt Chriſtianos crudelitate mirabili*, &c. *ſicut à quibuſdam fratribus, qui tunc illic pueri fuerant, & ſe vidiſſe incunctanter recordabantur, audivimus.* Ad triennium circiter Eccleſiam Gothicam ſæva hæc procella vexavit; quam immiſſis in univerſam gentem Hunnis tanta ſeveritate Dominus ultus eſt, ut anno 376 ante Clodovæi Baptiſmum 120 ſolum vertere, & in Thraciam perfugere coacti ſint: tunc vero Phritigernes cum ſuis annitente Vlphila jam dudum ab Eudoxio corrupto, ſed qui Catholicum ſe mentiebatur, ad Arianiſmum deflexit; Athanaricus cum ſuis gentiliſmum mordicus retinuit, & ad poſteros tranſmiſit. anno enim 406 Radageiſus qui ei ſucceſſiſſe videtur cum ducentis Paganorum millibus Italiam inundavit, qui ſtatim à contribulibus, tam Arianis, qui Alarico, quam Ethnicis, quam Sauli parebant, & Honorio cum Hunnis militabant, ſub Stiliconis auſpiciis oppreſſus eſt: reliqui in Thracia & vicinia degentes Gothi poſt Valentis infortunium Theodoſii majoris & Arcadii Catholicæ religionis addictiſſimorum Principum temporibus Arianas partes ſequi pervicaciter nec deſtiterunt, nec avitam de Trinitate ſententiam, quod Theodoretus inſinuare videbatur, poſt annum 376 propugnarunt, ſed à Catholicis ſeparari, à ſacris eorum abhorruere, prout de Gaïna, Phravita, & aliis legimus. Quotquot à Catholica fide cum Phritigerne deſciverunt à Valente; cum Baronio Cardinali & diſquiſitore deceptos; idque Theodoretum affirmaſſe opinari abſurdum eſt, cum Anomæorum truculentiſſimus, & Catholicorum hoſtis infenſiſſimus Valens, pacem rogantibus Gothis hac una conditione dederit, ſi illam ipſam qua laborabat ſcabiem ſibi affricari ſinerent, tantoque furore adverſus Catholicos baccatus ſit, ut nulla piis in univerſo Oriente ſacrorum libertas reliqua eſſet: cui credibile fiat, hanc tyranni in Orthodoxorum Præſules quavis occaſione data graſſantis animo ſententiam ſediſſe, reale nullum de fide diſſentientium partium diſcrimen fuiſſe. Sed hoc ipſum ſine fronte cauſatus Eudoxius Vlphilam, Vlphilas Gothorum gentem cujus pontificium obibat, in errorem impulit, prout ex Sozomeni & Theodoreti expreſſiſſimis teſtimoniis conſtat. Quod ante Athanarici perſecutionem *in Gothia niſi Catholicos non fuiſſe* ſcripſit Auguſtinus, aperte falſum, niſi commode accipiatur, videri poſſit; ſi enim nemo tunc in Gothia niſi Catholicus fuit, quis Catholicos *mirabili crudelitate* perſequentis Regis impiis

Hieron. in Chron.

Oroſ. lib.7. cap.7.

Lib.8. c.52.

Ammian. Sozom.

Lum. p.410.

impiis mandatis obſequutus, Chriſti athletas *Martyrio coronarit?* quiſquamne adeo inſanierit, ut Catholicos à Catholicis ſublatos diceret? ſed hæc ſanctiſſimi Præſulis mens fuit, in Gothorum gente, cujus pars Chriſti lumine perfuſa, pars ethniciſmi inaniis agitata priori imminebat, nullos falſi ob hæreſin nominis Chriſtianos, ſed ſolos in quos deſæviret Catholicos Athanaricum reperiſſe, quod à vero nequaquam abhorret; ut ut enim Vlphilam in præcipitium egiſſet Eudoxius, ſceleris quo ſe obligaverat Præſul ignara fraternitas à ſancto propoſito nequaquam diverterat.

Ex his quibus velut fidiculis Gothicæ hiſtoriæ veritas aſtringitur, adverſus evanida Chiffletii ſomnia liquet, nec univerſam Gothorum gentem, ſed partem tantum, ante Clodovæi & Francorum converſionem Chriſto nomen dediſſe, & Martyriis inclaruiſſe; nec partem illam quæ triumphata Athanarici rabie Martyrum ſuorum coronas Chriſto obtulit, intemeratam ei fidem ſervaſſe, ſed poſt triennium in Arianicæ impietatis baratrum miſere corruiſſe; nec ubi pace convalente percuſſa, Iſtroque tranſmiſſo impietati ſe dedidit, ab Eudoxio (quod Theodoretus perperam ſcripſerat) ſed ab Vlphila quem Eudoxius ante ſexennium denatus corruperat, deceptam fuiſſe; nec ad Catholicam profeſſionem, qui anno 376 quo Arianicum virus imbiberat, ante annum à Clodovæi converſione nonageſimum reverſos fuiſſe; nec illo, quo Clodovæus converſus eſt, tempore, Gothos ullos Catholicos fuiſſe. Addimus nunc Francis pias quas Chriſto dicarent primitias, ante annum 376 Gothorum ruina infamem nequaquam defuiſſe. Bauto enim Francicæ originis, vir conſulatu cum Arcadio Auguſto anno 385 perfunctus, Chriſtianiſmum amplexus eſt, & Eudoxiam filiam Arcadio poſtea nuptam reliquit, ex qua Theodoſius II aliique imperatorio diademate redimiti proceſſerunt, prout ex ſequenti tabella clarum fiet.

Theodoſius Comes Thermantiæ maritus.

Theodoſius Auguſtus Flaccillæ ac exinde Gallæ maritus. — Honorius Comes.

Arcadius Eudoxiæ Bautonæ Franco natæ maritus. — 1. nupt. Honorius Auguſtus Mariæ, ac exinde Thermantiæ maritus. — 2. nupt. Galla Placidia Auguſta Athulphi Gothor. Reg. ac exinde Conſtantii Auguſti uxor. — Serena Stiliconis Vandali uxor.

Theodoſius II, Eudociæ maritus. — Pulcheria Auguſta Marciani Auguſti uxor. — 1. nupt. Honorius puer denatus. — 2. nupt. Valentinianus III, Liciniæ Eudoxiæ maritus. — Honoria Attilæ deſponſata. — Eucherius cum patre cæſus. — Maria & Thermantia Honorii Auguſti uxores.

Licinia Eudoxia Valentiniani III. uxor. — Eudoxia Hunerico Vandalorum Regi nupta. — Placidia Olybrii Auguſti uxor.

Hildericus Vandalorum Rex. — Iuliana Areobindæ Patricii uxor.

Olybrius anno 524 Conſul.

Sic ab anno 385 Catholici Franci ſanguis Auguſtam gentem imbuit, & ad Clodovæi noſtri & filiorum per annos 130 tempora purior fluxit, quod

de

de Gothica gente nemo niſi forte per ludibrium dixerit. Anno Domini 396 ante Clodovæi converſionem centeſimo, poſt Gothorum ad Arianiſmum deflexionem vigeſimo, ex Bethlehemitico receſſu ad Lætam Paulæ nurum ſcribens Hieronymus, cum Indos, Armenios, Hunnos, Chriſti rudimentis imbui cepiſſe notaſſet; hæc de Getis improprie dictis addit, quæ avide Chiffletius arripit, *Getarum rutilus & flavus exercitus, Eccleſiarum circumfert tentoria: & ideo forſitan contra nos æqua pugnant acie, quia pari religione confidunt.* Hæc de Marcomannis, quorum regina Fretela ſeu Fritigil quæ Ambroſii diſciplinæ ſe tradiderat, intelligenda eſſe Hieronymus ipſemet epiſtola 135 ad Fretelam eandem poſt annos 20 data, manifeſte docet. *Quis,* inquit, *hoc crederet ut Barbara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem, & dormitantibus, immò contendentibus Græcis, ipſa Germania Spiritus Sancti eloquia ſcrutaretur?* Ea tamen ut compendii ſui faciat adverſarius, vero Autorum ordine neglecto, hos confeſtim ſubjungit, *Getas Hieronymo, ut etiam Ennodio, Oroſio, Iornandi, Sidonio, Dudoni, & aliis,* Gothos eſſe; quod de Hieronymo falſum, de reliquis abſolute nec inficiamur, nec ſi admittamus ad rem facit. ut ut enim Eccleſiæ tentoria ſe contulerint, pari cum Catholicis Chriſtiana ſcilicet religione confiſi Germanici Getæ, Catholici Gothi nequaquam fuerunt, iſque quem affectaverunt, quemque Albini gentiliſmo Hieronymus præferre potuit, Chriſtianiſmus verus ac ſincerus dici non poterat; dici tamen potuiſſe demus, quid hoc ad Gothicum illud examen, quod Hiſpanias ab anno 417 ad 586 inſedit & Arianiſmo infecit? de hoc enim uno nobis cum Diſquiſitore lis eſt; nec ipſi Hieronymiana de Gothis in Germania verſantibus verba ad aliorum propaginem in Hiſperia ultima regnantem trahere licuit. Sed adverſarium, gradum ultra promoventem attendamus.

Lum. p.410. Epiſt.7. Ennodius, Oroſius & Sidonius præponi debuerant.

Rurſum, inquit, anno 405 *Gotthi Catholici à S. Ioanne Chryſoſtomo petierunt & acceperunt ſacratos Epiſcopos, ut ipſemet teſtatur.* Moduarii Diaconi adventu de Vnilæ obitu certior factus, Regiſque Gotthici defuncto ſucceſſorem dari poſtulantis, literis excitatus de alio ordinando ſe cogitaviſſe, epiſtola non 7 ſed 14 narrat; ordinatum tamen nulli teſtatur. nos vero non unum, ſed plures Vnilæ ſuffectos fuiſſe demus; quis ad nugantis Chiffletii paralogiſmum non ſtupeat? *Ex illis qui in Oriente remanſerant Gothis, ad Chryſoſtomum jam deportatum, nonnulli recurrerunt, eoque ſe Catholicos eſſe teſtati ſunt:* ergo *Gothi illi qui ante quadriennium Alarico duce de contribulium ad Chryſoſtomum recurſu & Catholiciſmo ne cogitantes, in Italiam eruperant, & poſt annos duodecim ſub Wallii auſpiciis Hiſpanias invaſerunt, Catholici fuerunt.* Sive illi ipſi qui ante annos 20 cum Phritigerne defecerant; ſive alii per Orientalem orbem ſparſi, anno ante Clodovæi converſionem 91, *ſacratos* à Chryſoſtomo *epiſcopos* accepiſſe dicantur; nihil, ex pio eorum propoſito in Hiſpanicos, quorum longe alia tunc & poſt mens fuit, laudis defluet; nec minus impii haberi debuerint Occidentales Arianiſmo contaminati, ſi Orientales iiſdem nec conſciis, nec curantibus, ad tempus autem in perpetuum reſipuiſſe videantur: hoc certe negari non poteſt Oſtrogothos, quorum pars medicam Chryſoſtomi opem rogaverat, nunquam revaluiſſe: quandoquidem, qui poſt annos 70, ſub Zenone Theodoricum Amalum in Odoacrem ducentem, ſequuti ſunt, Vveſogotis Arianis nihilo meliores fuerunt.

Epiſt.7.

Pergit

Lib. 1, & 7. Pergit Chiffletius, *Alaricus Gotthorum Rex à P. Æmilio fuiſſe ſcribitur à Chriſti nomine non alienus: quippe qui cum Romam obſideret, teſte Oroſio, præceptum prius dedit, ut qui in ſancta loca, præcipueque in SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicas confugiſſent, hos inprimis inviolatos ſecuroſque eſſe ſinerent. Vnde Iſidoro tradente evaſerunt multa millia Romanorum, quibus Gotthi propter Chriſtum miſericorditer pepercerunt. Addit Iornandes, Gotthos ſanctorum locis in aliquo penitus injuriam irrogari paſſos non fuiſſe. Quod profecto ab hæreticorum moribus longe abeſt.*

Qui Deo ſub ſanctorum Apoſtolorum nominibus conſecrata oratoria, vel nunc violare amat, vel antehac violarunt, ſua præſtent: quocunque œſtro perciti videantur, noſtra non intereſt. Alaricus, hoc ipſo quod Arianus fuit, *à Chriſti* cujus Ariomanitæ cultum non reſpuebant, *nomine alienus* haberi non potuit; quodque ſanctorum Baſilicis vim à ſuis inferri noluit, ex communi tam ſectæ ſuæ, quam Catholicorum diſciplina fuit; cujus Ariani alii in Gallia & Hiſpania immemores, Catholica ſacraria Paganorum more diripuerunt, prout ex Idacio & Sidonio conſtat. Arianis nemo Conſtantio Auguſto addictior fuit; is tamen anno 341 Antiochiæ Dominicum aureum dedicavit, 356 Iunii primo ſancti Timothei reliquias ex Epheſo transferri & Conſtantinopolim deferri juſſit; 357 quinto nonas Martii ſanctorum Andreæ & Lucæ reliquias Patrenſibus ablatas Conſtantinopoli in ſanctorum Apoſtolorum Baſilicam inferri curavit, & 360 qui vitæ penultimus fuit, 11 Cal. Martii Conſtantinopoli Dominicum dedicavit. Hieroſolymitano templo quod ſacrilega Iudæorum audacia violaverat Pompejus & Titus, Ethnici parcitum voluerunt; *miſericordiam ſolutus à Clodovæo Pagano populus captivus gaudiis mundo* inſinuavit: Domini Ieſu cunabulis & ſepultura nobilitata loca intemerata uſque nunc ſervant Mahometani. Quid mirum ſi eam modeſtiæ laudem, quam Dei populo ſacratiſque ejus locis propitii infideles ſæpius retulerunt, Alaricus Chriſtianus, ſed Arianiſmi labe, quam Oroſius, Iornandes, Iſidorus agnoverunt, infectus, anno Domini 410, ante Clodovæi converſionem 86, retuliſſe videatur. Qui Arianos ob adulteratum Trinitatis dogma vimque Catholicis ſæpius illatam merito deteſtamur, iis adeo iniqui eſſe non debemus, ut eos infra Paganos quaſi Apoſtolorum nomina & memorias aſpernati eſſent dejiciendos putemus.

(Avitus epiſt. ad Clodovæum.)

Weſogothis quorum proprie patrocinium ſuſceperat, ad tempus faceſſere juſſis, Oſtrogothum Clodovæi noſtri ſororium lectori obtrudit adverſarius: *Theodoricus*, inquit, *in Italia & Hiſpania Gotthorum Rex, ut Orthodoxos Antiſtites ad Synodum Romæ convocaret, autoritate Symmachi Papæ id perficiendum curavit, Apoſtolicæ ſedis culmen ſic veneratus, cujus ſe potius protectorem quam perſecutorem exhibuit, ut ipſius Synodi acta indicant.* Laudabile aliquandiu æquumque Catholicis Theodorici regimen fuiſſe, ut ut negare animus non ſit, noviſſima ejus prioribus non reſpondiſſe, Chiffletiumque miſcendis rebus natum, Romanæ ab eo ſedi exhibitum cultum, in majus auxiſſe, monendum duximus, cum anno 498, à Clodovæi Baptiſmo 11, *ſub contentione una die cum Laurentio ordinatus eſſet Symmachus, hoc conſtruxerunt partes, ut ambo pergerent ad Iudicium Regis Theodorici, & factus eſt Præſul Symmachus*, &c. *Poſt annos* 4, *aliqui ex clero zelo ducti, & aliqui ex Senatu, maxime Feſtus & Probinus, incriminaverunt Symmachum, & ſub-*

(Lum. p. 410.)

(Vita Symmachi.)

orna-

ornaverunt falſos teſtes, quos miſerunt Ravennam ad Regem Theodoricum, &c. *Feſtus & Probinus Senatores miſerunt relationem Regi, & cœperunt agere, ut viſitatorem daret Rex ſedi Apoſtolicæ. Tunc Rex dedit Petrum Altinæ civitatis Epiſcopum*, &c. Anno Domini 501 à Clodovæi Baptiſmo v, antequam in Hiſpania Theodoricus regnaret 10, *Ruſo Magno, Fauſto, Avieno, viris clariſſ. conſ. ſub die* 10 *Calend. Novemb. ſancta Synodus apud urbem Romam ex præcepto glorioſiſſ. Regis Theodorici diverſis è regionibus congregata dixit. Cum ex diverſis provinciis ad urbem Romam convenire ſacerdotes Regia præcepiſſet autoritas, ut de his, quæ venerabili Papæ Symmacho*, &c. *ab adverſariis ipſius dicebantur impingi, ſanctum Concilium judicaret legitime, Liguriæ*, &c. *Pontifices, quibus allegandi imminebat occaſio, ſuggeſſerunt, ipſum, qui dicebatur impetitus, debuiſſe Synodum convocare*, &c. *Potentiſſimus Princeps, ipſum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem ſuam literis demonſtraſſe ſignificavit*, &c. *Dum in venerabili collectione de incipiendo haberetur negotio (prout poſcebat cauſa) tractatus, ſanctus Papa Symmachus Baſilicam Iulii, in qua Pontificum erat congregatio, (prout habuit cura cæleſtis) ingreſſus eſt, & de evocatione Synodali clementiſſimo Regi gratias retulit, & rem deſiderii ſui eveniſſe teſtatus eſt*, &c. Evocatio igitur Synodi à Rege, *conſenſus* in *evocationem* à Papa literas ad Regem dictante, & coram Synodo *rem deſiderii ſui eveniſſe teſtante.* Æra 549, cum anno Chriſti 511, qui Clodovæi poſtremus fuit, concurrente, *exſtincto Geſalico Rege Gotthorum Hiſpaniæ Regnum* 15 *annis obtinuit.* non ergo *Hiſpaniæ Rex* erat cum Synodum Romæ in Symmachi Papæ cauſa congregari præcepit, ſed poſt decennium Hiſpanico Regno auctus eſt, idque cum Italico ad vitæ finem tenuit. anno 524, à Clodovæi obitu 13, Theodoricus Rex hæreticus tenuit duos Senatores præclaros & exconſules Symmachum & Boetium, & occidit interficiens gladio. *Eodem tempore*, anno ſcilicet 525, *revertens Papa Ioannes venerabilis & Senatores cum gloria, dum omnia obtinuiſſent à Iuſtino Auguſto, Rex Theodoricus hæreticus cum grandi dolo & odio ſuſcepit eos, ſcilicet Ioannem Papam & Senatores, quos etiam gladio voluit occidere, ſed metuebat indignationem Iuſtini Auguſti. Tamen in cuſtodia omnes afflictos maceravit, ita ut beatiſſimus Ioannes Epiſcopus primæ ſedis, in cuſtodia afflictus, deficiens anno* 526 Maji 27 *moreretur, Symmachus Scholaſticus Iudæus, jubente non Rege, ſed Tyranno, dictavit præcepta die quarta feria*, 7 *Calend. Septemb. Indictione* 4 *Olybrio Conſule, ut die Dominico adveniente Ariani Baſilicas Catholicas invaderent. Sed qui non patitur fideles cultores ſuos ab alienigenis opprimi, mox intulit in eum ſententiam Arii auctoris religionis ejus. Fluxum ventris incurrit, & dum intra triduo evacuatus fuiſſet, eodem die quo ſe gaudebat Eccleſias invadere, ſimul Regnum & animam amiſit.* Hoc fine ex Rege Tyrannus, ex *Catholicorum protectore* & Symmachi Papæ veneratore, Ioannis 1 & Orthodoxorum ſubditorum *perſecutor* factus, vitam Regnumque claudens quantum Chiffletianis præconiis tribuendum ſit manifeſte docuit. Nos vero, ex præmiſſis tria hæc ad cauſam Francicam facientia, quæ jure noſtro uſi quæque criminator negare nequeat adverſus ejus vitiligationes, exprimemus. 1. quod annis ante Clodovæi Baptiſma & Francorum converſionem ducentis, Chriſtianiſmum ſuſceperint Gotthi, quod dira ab Athanarico Rege ſuo paſſi, glorioſe annis circiter 126 priuſquam Franci Paganiſmum

Iſidor.

Vit. Ioan. Pap. 1.

Anonymus à Valeſio editus.

ejurarent, de ejus rabie triumphaverint, quodque Francorum infidelium quam Gotthorum hæreticorum conditio deterior videri potuerit, à diſputatione de Franci Regni prærogativa alieniſſimum eſſe, quandoquidem *πρωτοτόκια* ſua decoxere Gothi, quorum ignominioſus in hæreſin caſus, præcedens meritum deturpavit. 2. Hiſpaniam nullos, ante Recaredum, Reges, niſi deſertorum filios, & Arianicæ perfidiæ mancipia vidiſſe. 3. Francis qui annos ſolidos 90 in Catholica profeſſione, antequam hæreſin Recaredus abjuraret, exegerant, novum ab integro rerum ordinem natum eſſe, & ex eo primogenita jure optimo deberi. Fimbrias Gotthicas ambitioſe dilatantem non ſine faſtidio paſſi, quî Regibus, Eccleſiæ Regnoque noſtro convitium facere auſum, feramus? Vbi Recaredum quem anno 586 *Regni primo, menſe* 10 *Catholicum factum*, Iſidorus & Ioannes Biclarenſis notant, anno præcedente Catholicam fidem profeſſum perperam ſcripſit, numeroque titulorum à Concilii tertii Toletani patribus tributorum inito, *elogiis*
Pag.411. illis *ornatum Regem nullum in tota antiquitate reperiri* contendit, neque nos univerſam illam ſelectarum laudum congeriem uno eodemque tempore in Regum Merovingorum caput effuſum volumus, ſed tribus gloriam eorum modis vindicamus. nam 1. quæcunque ab Hiſpanis ſuis audiit Recaredus, eadem à Francis & exteris audire à Clodovæi temporibus meruerunt noſtri. 2. Majora ab Avito extra Francici Regni fines poſito audiit Clodovæus. 3. Childebertum noſtrum ſexto poſt Concilium tertium Toletanum anno Recaredo prætulit Gregorius Magnus, eoque ipſo univerſas Chiffletii ampullas difflavit. fac enim *carmina non prius audita* Recaredo ſuo Hiſpaniarum *ſacerdotes cantaſſe:* quid ni Francorum quibus à Gregorio cedere Recaredus jubetur titulis univerſa & ſingula hæc accedant? Ad maledicta
Lum. p.411. converſus adverſarius, continuo poſt ſubjungit, *eodem* quo Recaredus vixit *ſæculo Chilpericus Franciæ Rex* (*quem Gregorius Turonenſis Neronem & Herodem ſui temporis appellat*) *hæreticus Sabellianus erat, deque divina Triade male ſentiebat.*

Greg. Tur. lib.5. c.44. Ad 1. Andabatam, clauſis oculis nos adoriri certum, dum ex Gregorii Turonenſis libro 5, caput 44 laudat, prodit Chilperici criminator. toto enim illo capite, ſuam adverſus Agilanem Leuvigildi legatum diſputationem refert, de Chilperico ne cogitans Gregorius, an non dementis eſt, quæ de Gotho Ariano vere Gregorius ſcripſerat ad Francorum Regem à cunabulis Catholicum detorquere? 2. Cæco impetu genuinum in Chilperico infixurus Leuvigildum quo regnante cæſus eſt, Herodis dum filium trucidavit, Neronis dum Eccleſiam perſecutus eſt, portionem eodem tempore fuiſſe diſſimulat: quis enim Chilpericum anni 584 Septembri menſe confoſſum, Leuvigildum 585 deſinente, vel 586 ineunte denatum neſcit? geminus ergo, ex criminatoris ſententia, Nero & Herodes, Occidentalem tunc orbem infeſtabat, cis Pyrenæum Chilpericus, trans Leuvigildus, erantque Francis ad minimum pares Gothi: ſi Francicam gentem infamare Chilpericus potuit, quanta infamia ob Leuvigildum ſuum Gothica laboraverit? 3. Etiamſi Chilpericum Neronis, Herodis, Sabellii inſtar exhorrere libeat; quid hoc ad Francorum gentem, ab anno 496 Catholicam, & Chilperici germanos quibus Herodianum, Neronianum, hæreticum nihil impingi poteſt? iniqua igitur hac in parte Francorum & Gothorum comparatio fuit, quandoqui-

quidem nihil à Chilperico ſuo labis Franci traxerunt; cum Leuvigildo efferati Gothi piam de Trinitate ſententiam ejuſdemque profeſſores ſumma vi oppugnarunt, nec in Recaredi converſi laudes ante annum 589 à Chilperici deceſſu 6 proruperunt: 4. Si cujas fuerit, ubi ſederit, in quas partes inclinaverit Gregorius Turonenſis, attendere libeat, de Chilperico æquiora ſentire facile fuerit; inter Arvernos, Sigeberti & Childeberti ſubditos, ortus & educatus Turonicæ Eccleſiæ, eorundem Principum Regno contributæ præfuit; perpetuoque Chilperico Sigebertinis & Childebertinis populis odioſe adverſatus in pravas de eo ſuſpiciones pronior fuit. 5. Quod Chilpericus *Deum* carnei hominis inſtar *perſonam* dici aliquando incommodum putavit, ſuamque ſententiam Gregorio Turonenſi & Salvio Albigenſi probare conatus eſt, eum in Sabellianiſmum corruiſſe non evincit, quandoquidem vocabula *πρόσωπον* & *perſona* *πολύσημα* ſunt; nec initio *ὑφιςάμενον* ſignificarunt. 6. Venantius Fortunatus, doctrina, ſanctitate, Gregorii Turonenſis familiaritate conſpicuus, partibus nullis, utpote Italicæ originis præſul addictus, Chilpericum non modo non infamat, ſed germanis Clotarii Magni judicium ſecutus teſteſque Galliæ Præſules appellans præfert, & ob doctrinam ac religionem præcipue commendat:

Lib.5. c.45. A. D. 580, ante Chilperici mortem 4.

In te, inquit, *dulce caput, patris omnis cura pependit,*
In te tot fratres, ſic amor unus eras.
Agnoſcebat enim te jam meliora mereri,
Vnde magis coluit, prætulit inde pater.
Præpoſuit genitor cum plus dilexit alumnum:
Iudicium Regis frangere nemo poteſt.
Auſpiciis magnis creviſti, maxime Princeps,
Hinc in amore manens plebis, & inde patris, &c.
Pro te pugnavit fortis in arma fides.
Proſpera judicium, ſine te, tua cauſa peregit,
Et rediit proprio celſa cathedra loco.
Rex bone, ne doleas. Nam te fortuna querelis,
Vnde fatigavit, hinc meliora dedit, &c.
Nil dolet amiſſum, te Rege ſuperſtite, mundus, &c.
Conſuluit domui, Patriæ, populoque creator,
Quem gentes metuunt te ſupereſſe virum, &c.
Quid de juſtitiæ referam moderamine, Princeps,
Quo male nemo redit, ſi bene juſta petit? &c.
Cui ſimul arma favent, & littera conſtat amore,
Hinc virtute potens, doctus & inde places, &c.
Doctrinæ ſtudio vincis & omne genus, &c.
Edomites omnes, tuearis amore fideles,
Sis quoque Catholicis religionis apex.

Lib.9. carm.1.

A.D. 575 poſt mortem Sigeberti.

Quis Fortunatum adeo inverecundum fuiſſe putet, ut in media Dei ſervorum corona, ut Sabelliano *religionis apicem*, Neroni & Herodi *juſtitiæ moderamen* adſcribere non dubitaret? Sive ſtare Fortunato patrocinante, ſive cadere Gregorio criminante, Chilpericum oporteat, occultorum ſcrutatori *Domino ſtabit aut cadet*; ad criminum ei impactorum confeſſionem, ſi ſe Gallia adigi ſinat, Hiſpania nihilo infelicior fuerit, quæ paria in Leuvi-

gildo Chilperici coætaneo ſerio deploravit, nec eam de ſtatu graduque dejiciet flagitioſi cujuſquam Principis nequitia.

In Regium caput ictu librato totaque maledici oris rabie effuſa, univer-
Lum. p.411. ſum Gallicanæ Eccleſiæ corpus aggreditur criminator: *vigebat*, inquit, *tunc in Galliis Simoniaca hæreſis, cui eradicandæ totis viribus incumbebat S. Gregorius Magnus, ſcribens ad Epiſcopos Gallicanos, & ad ipſos Francorum Reges, qui ſinebant ejuſmodi vepribus repleri agrum Dominicum, illaſque non extirpabant.* Vniverſam cum Regibus Gallicanorum præſulum coronam ſceleris convictam ne quis nunc putet, maligne diſſeminato rumori dum gregis Dominici cura angitur, & omnia tuta timenda putat, faciliorem ſe præbuiſſe Gregorius, ipſemet cujus autoritate pugnat adverſarius, agnoſcit epi-
Lib. 4. Epiſt. 53. ſtola ad Childebertum Regem anni 595 menſe Septembri data, *illud valde execrandum nobis eſt nunciatum, quod ſacri ordines per Simoniacam hæreſim, id eſt, accepto præmio conferuntur*, &c. A quo quamque fideliter *nunciatum* fuerit, nec ipſe refert, nec aliunde conſtare nobis poteſt. anno 599 nihilo compertiora habebat: ſic enim Syagrium, alioſque Galliarum Præſules
Lib. 7. indict. 2. Epiſt. 111. compellat: *nuncio apud nos olim diſcurrente vulgatum eſt, quod in Galliarum partibus ſacri ordines per Simoniacam hæreſim conferantur.* Si crimen vel Galli confeſſi fuiſſent, vel certis indiciis Gregorius deprehendiſſet, an id unum quod à *nuncio* ante quadriennium *diſcurrente*, quomodocunque *vulgatum* fuerat ipſis objeciſſet? pendebat ergo ſub incerto nuncii Præſules noſtros infamantis fides; nec idoneis ullis poſtea firmamentis aſſerta fuit: cum aſſerta non ſit, quis Chiffletium ignota aſſerere auſum, à calumnia excuſet? Francos tamen univerſos ſub reatu ceu totidem Simonis germina fuiſſe demus; an protinus collabi Francici Regni primatum neceſſe fuerit? non noſtro, ſed Gregorii Præſules Gallicanos *ex nuntio vulgato* reos peragentis, judicio ſtet adverſarius, eoſque quos Simoniacos fuiſſe contendit, primum inter Reges locum ab antiquo ſortitos, gradum ſolitum tenuiſſe, quantumvis ringens agnoſcat. quid enim de Childeberto Simoniæ poſtulato ſentiebat anno 595 Gregorius? *ſicut*, inquit, *magnæ lampadis ſplendor in tetræ noctis obſcuritate, luminis ſui claritate fulgeſcit: ita fidei veſtræ claritas inter aliarum gentium obſcuram perfidiam rutilat ac coruſcat.* Quidquid autem Reges ſe cæteri, [*adeoque Recaredus*] gloriantur habere, habetis, &c. Quod rurſus anno 599 de Theodorico & Theodeberto Regibus paternæ, ſi qua fuit
Lib. 7. indict. 2. Epiſt. 115. culpæ inſimulatis, ſenſit, *valde*, inquit, *ſtudendum eſt, ut unde glorioſiores cæteris gentibus* [adeoque Gothica] *eminetis, de Omnipotenti Domino, qui dat ſalutem Regibus, perfectius placeatis. Cætera* igitur *Regna* Francicum, Gregorio teſte, *excellebat, eminebant cæteris gentibus* Franci; Childebertus cum filiis, *cæteros Reges fide &* dignitate vincebant, neque nunc Francici Regni potentes, gradu minores dici poſſunt.

Lum. p.411. Etiamſi *vepribus Simoniacis agrum Dominicum repleri* ſiviſſent Merovingi Reges, non *idcirco debuiſſet obliterari gloria Francorum, qui primi à S. Remigio rectam fidem acceperant*; *pari ratione antiqua* Gothorum *gloria deleri non debet, qui Martyres pro Chriſti fide, qui Doctores Eccleſiæ, qui religione excellentes erant, cum Franci falſis diis adhuc addicti eſſent.* Dicam amplius, Gothis illis antiquis, nec Francos infideles, nec eorum poſteros fidem anno 496 amplexos, ſed nulla Martyriorum corona redimitos comparandos fuiſſe, ut ut

ſeculi

ſeculi ſexti Franci cum Clodoveo Catholici facti, Gothis Hiſpanicis Martyrum ſub Athanarico, nepotibus, ſed degeneribus & Ariana fuligine per annos 213 denigratis longe præferendi, eorumque reſpectu Eccleſiæ Catholicæ primogeniti habendi fuerint; illi enim fidei ſemel ſuſceptæ tenaciſſimi, ſub Clodoveo, filiis, nepotibus & pronepotibus annos 90 expleverant, cum Gothis à Majorum fide deviis ſana mens indita, & Regum 16 partim Ethnicorum, partim Hæreticorum jugum tulerunt.

Quæ ex Luca Tudenſi, & Baronio Cardinali Francorum obtrectator addit, morari nos nullo modo debent, cum Francico primatui nihil vel demant, vel demere apta ſint: quid enim ad nos, ſi *Alphonſus* I, Recaredi *primi* inter Gothos Hiſpanicos *Catholici*, propinquus & imitator ob reſtitutam in ditione ſubdita religionem, fundatas Eccleſias, inſtitutos Epiſcopatus, *Catholicus* poſt *æram* 776 annumque Chriſti 738, & profligatos ſæpius à Francis Saracenos, dictus fuerit? an protinus ruet alto à culmine, prima Francorum, à Clodovei temporibus Catholicorum, dignitas; ſi ex Recaredi qui eam coluit poſteris quiſquam ad ejus laudes Francorum ope ſublevatus, & exemplo animatus, anno ab ejus obitu plus minus 136 aſſurrexiſſe credatur? qui nobis noſtra ſervamus, illi præclare geſtorum ſuorum præconia non invidemus: nec Ferdinando & Iſabellæ, quod *Catholici* titulum ad poſteros tranſmittendum affectaverint, vitio vertimus, aut Francis quibus non rogantibus titulum eundem ante annos mille Pelagius I tribuerat, affectatione illa detractum quicquam putamus; quandoquidem non alio quam Carolus VIII, aut Ludovicus XII, eorumque poſteri jure *Catholici* inſcribi potuere; ſed *Catholicos* dici, quia de religione diſſentientes, *poteſtate, quod non oportere* B. Iſidorus ante annos mille quadraginta monuit, *compelli* volunt abſurdum, & à veteris Eccleſiæ Hiſpanicæ praxi alienum judicamus. Lum. p.412. Lum. p.411.

Quod in Hiſpania à Saracenis *per annos* 800 *vexata & ſubacta* Chriſtiana religio *non defecerit*, quod Martyres multos protulerit, quod Concilia aliquot congregaverit, quod denique in Gallæcia imminentibus undique infidelibus Chriſtianorum reliquiæ fortiter reſtiterint regioni ac genti ex animo gratulamur; quicquid utraque laudis meruit ad Francorum quorum auxiliis ſubnixa caput extulit præconium pertinere certi. Lum. p.412.

In Alberici noſtri laudato ab adverſario loco, multa ſunt quæ correctione indigent; nam 1. corrupte Saracenicorum Principum nomina effert, pro Vlit *Abriamam*, pro Muavia *Mahacuam* nominans. 2. Male annos 344 ab illo tempore, quo *Hunni Gothos ex Scythia expulerunt*, ad Gothici & Suevici in Hiſpania Regni excidium numerat. cum enim ab Hunnis anno 376 Gothi pulſi eſſent; anno vero ex Iſidori Pacenſis coætanei mente 712 cum Roderico Rege Gothicum Regnum perierit; inter utrumque terminum medii reſtant anni 335 non plures. 3. Gothico in Hiſpania Regno ex quo Vandali ceſſere, Suevique devicti ſunt, 256 annos perperam aſſignat, cum enim Vandalos anno 429 Majo menſe in Africam tranſiiſſe oculatus teſtis Aquæ Flaviæ Epiſcopus Edatius aſſerat, Suevos Audecane deturbato à à Leuvigildo anno 585 ſubactos, Iſidorus coætaneus ſcribat, Gothici Regni caſum anno 712 Iſidorus Pacenſis aſſignet, à Vandalorum ceſſione ad excidium Gothicum anni 284, à Suevorum debellatione ad illud ipſum exci- Lum. p.412.

 dium

dium anni 127 decurrerent; in Aquitania ſecunda ab anno 417 ad 507, quo Alaricus devictus eſt annis nonaginta; in Hiſpania & Gallia Narbonenſi ab anno 476, quo Imperium Occidentale concidit ad 712, annis 236 Gothi regnaverint. 4. Gallæciam *tertiæ in Hiſpania partis Regnum* imperite vocat; cum quinquepartita ſub Romanis & Gothis Hiſpania fuerit, Taraconenſis nimirum à Taracone Metropoli nomen ſortita; Carthaginenſis Toleto, Bætica Hiſpali, Luſitania Emeritæ, Gallæcia Bracaræ Metropoli ſubdita. 5. *Gallæcienſe Regnum neque Gothos, neque Saracenos potuiſſe ſubigere* falſo ſcribit, quandoquidem id anno 585 Leuvigildus, anno 712 Saraceni *ſubegerunt*; Pelagius qui novum in Aſturibus Carthaginenſi provinciæ

Luc.Tud.l.4. contributis Regnum fundavit, Saracenica *dominatione* initio *oppreſſus*, poſtea *manifeſtus rebellis* apparuit, & in Legione, Oveto, Canicis, aliiſque adjacentibus locis dominatus eſt; poſteri Gallæciæ partem ſui juris ceſſerunt, quæ procedente tempore Regni Legionenſi contermini titulo donata uſque nunc *Gallæcienſe Regnum* dicitur; quantumvis per totam Gallæciam, cujus portio meridionalis cum Bracara Metropoli, & Portugale, unde novi Regni nomen Portugalenſibus Regibus paret, id diffuſum non ſit, ſed ſola ejus ſeptentrionalia occupet. Nihil ergo in Alberici per devia abducti loco fuit quod gloriabundus oſtentaret adverſarius; ſed Albericum ne latum urguem à vero deflexiſſe demus; quid probandum ſuſcepit diſputator? an non primum inter Chriſtianos gentes Hiſpanicæ locum deberi? qui vero ex Alberici loco probat, *Gallæcienſe Regnum à Gothis & Saracenis nunquam ſubactum, etiam nunc viget.* Ergo primus Hiſpanis locus debetur, riſum teneatis amici?

Lum. p.412. Ioannis Piſtorii Vratiſlavienſis Eccleſiæ præpoſiti, viri docti, ſed Hiſpanicis partibus addictiſſimi, Tomo 3 ſcriptorum Hiſpanicorum præfixa præfatione ceu telo altum vulnus inflicturo armatus, in nos fertur, nec videt quæcunque ille de SS. Iacobi Majoris, Pauli Mancii in Hiſpania prædicatione, Hiſpanorum perpetua ab ipſis Apoſtolorum temporibus in fide, conſtantia, & indeſinentibus pugnacis gentis pro religione adverſus Reges Hæreticos & infideles certaminibus cumulate congeſſit mera ſomnia eſſe; ex quibus non primam abſolute, quod probandum erat, ſed nulli alii imparem, *nullam aliam fideliorem aut conſtantiorem*, quod primatum nullum inducit eſſe aut haberi debere concludit; quodque abſurditate non vacat in ea quod ante annos mille S. Iſidorus expreſſe damnaverat, *fieri non oportere* conteſtatus, laude præcipiat dignum ducit.

Lib. 5. c.6. Eadem fere Lucii Marinei Siculi qui Hiſpanica gente nullam Chriſtia-

Hiſpan. c.6. niorem, & Ludovici Nonnii Belgæ, qui *nuſpiam plus ſanguinis pro Chriſti fuſum aut purius ſervatam ac propagatam* religionem fuiſſe ſcripſit; ex his enim quæ dicuntur tantum, non probantur, hoc unum ſequi clarum eſt, Hiſpanos Chriſtianis aliis poſtponi non debere; cæteris vero, ac nominatim Francis præferendos eſſe nequaquam pro Chiffletii voto conficitur.

Lib.2. artis magnetione. p 3. probl.5. Clemens lib.1. muſei ſect. 3. In Athanaſii Kircheri Fuldenſis *horoſcopio magnetico*, Claudii Richardi Burgundi Matheſeos in collegio imperiali Madritenſi Profeſſoris *demonſtratione*, Grayaci apud Sequanos pro urbis porta oppoſita Philippo IV inſcriptione, *cui ſoli ſol ſemper*, quod ei ſingulis momentis alicubi ſol luceat, *meſſis vindemia miſſa fiat*, adverſario nihil præſidii; quandoquidem nequaquam

quam procedit argumentum, *latius dominatur*, *ergo* inter dominantes abſolute primus eſt; cum tam poſtremis quam primis plura accreſcere poſſint, quæ ordine priſco non mutato, ſed temporis decurſu magis ac magis confirmato, eorum Imperium ultra fines antiquos provehant, & in immenſum diducant. Falſo denique Clodovæi primi inter Francos Reges Chriſtiani, & Caroli Magni *defenſoris Eccleſiæ* à Leone III proclamati, traducem Auſtriacos propius quam Capetinos Principes contingere à Chiffletio & congerronibus jactavit, Carolinæ nobilitatis nihil in Auſtriacos niſi per Capetinas matres defluxiſſe, Capetum Carolinorum Principum *conſanguineum* fuiſſe cum demonſtraverimus, Capeti patrem Hugonem Ludovico IV dignitate proximum & *poſt* eum Regem, ante annos 717 anno nimirum 936 *Regni primo* antequam Capetus naſceretur 4, ante Caroli Lotharingiæ ducis natalem decimo octavo *indictione* 9, à Ludovico eodem in charta S. Cornelii Compendienſis Monaſterio data agnitum fuiſſe addimus; ut quamcunque in partem inclinent, quacunque anſa primatum Regium prehenſum velint Hiſpanica ſervitia ſe ad incitas redacta ſentiant; quique Recaredum Regem ob ſuſceptam Catholicam fidem, traductum ad Orthodoxam de Trinitate ſententiam Regnum, & munera Romam miſſa à Gregorio Magno anno 599, indict. 2, laudatum gloriantur; impio patre natum avitum errorem reliquiſſe; ſed ab omni labe purum nequaquam fuiſſe meminerint; cum eum à tumore mentis, vagis libidinibus, impotenti ira & diritate abſterrere Gregorius neceſſe habuerit, qui Childeberti, Theodorici, Theodeberti, & Chotharii tam ſuis quam patrum *meritis*, fide, religione *illuſtrium* gloriam prædicans, nihil in eorum vita probroſum notavit; annoque 602 à Recaredi morte proximo, totum ſe in Clotharii, 18 ætatis annum nondum prætervecti, laudes his verbis uſus effudit. *Inter tot curas & ſolicitudines, quas pro ſubjectarum vobis gentium regimine ſuſtinetis, exiſtere vos in cauſa Dei laborantibus adjutores, eximiæ laudis & magnæ mercedis eſt. Et quia tales vos bonis præcedentibus oſtendiſtis, ut præſumere de vobis meliora poſſimus; petere quæ pro mercede veſtra ſunt, libentiſſime provocamur*, &c.

Lib. 7. 7. Epiſt. 12

Lib. 9. epiſt. 55.

Ex *aviis* in quæ nos Recaredi & Majorum occaſione revincenda adverſarii importunitas pertraxerat Deo manuducente reduces, quæ Weſogothicæ unctionis monumenta ſuperſunt attendamus. Coronam à Leuvigildo anno 585, à Recaredo adhuc hæretico anno proxime ſequenti primum ſumptam obſervavimus; unctionem ſi coronationi præcurriſſe demus, ejus non ab Orthodoxis, ſed ab Arianis uſus in Chriſtianum orbem invectus fuerit; quod an Hiſpanicæ gentis paraſitis arriſurum ſit, maximopere dubito: poſt Leubanis & Vitterici cædem à Gothis jam Catholicis ex veteris Teſt. diſciplina repetitum fuiſſe crediderim. *Recaredi Regis ſucceſſores à Toletanis Archiepiſcopis conſecratos, unctos & coronatos; Gundemarum anno* 610 *ab Auraſio, Chintilam anno* 635, *Tulgam anno* 640, *Chindaſwinthum anno* 642, *Receſwinthum anno* 653, *ab Eugenio* oleo perſuſos aſſerit diſquiſitor: quo authore? Temulento nebulone qui ſub ementito *Luitprandi* titulo non tam *chronicon* edidit quam olidarum nugarum plauſtra nequiter evomuit: dignum igitur patella operculum invenit, largus eoque quantumvis inanis Hiſpanico faſtui gratiſſimus, *arcanorum regiorum*, *politicorum*, &c. promiſſor Chiffletius, cui in mentem venire debuerat ridicule à ludionibus

Diſquiſit. pag. 79.

nuper

nuper exortis ſubornatum falſi nominis auctorem, qui Hiſpanis univerſis ad annum uſque 1245 ignota enarraturus, ex intimo Italiæ ſinu ſe circa annum 960 prodiiſſe fingeret: non quæro quo vel jure, vel conſilio, (ſi regia inter Gothos unctio ſolemnis erat) Leubanem & Wittericum Gundemaro priores Siſebutum, Recaredum II, Suintelam, Siſenandum inter Gundemarum & Chintilam medios omiſerit: tota enim arbitrii libertate uſum ferre facilius fuerit: ſed unde homini ex hypotheſi longius poſito, totius fere vitæ curriculum Ticcini & Cremonæ emenſo, trecentis fere annis poſt Iſidorum, Hildephonſum & Iulianum veros Hiſpanorum fundos, quibus integram ſuam meſſem acceptam ferunt Gothicæ Hiſtoriæ ſcriptores, exorto, tot eventuum prioribus indictorum ſpicilegium provenerit? quis etiam tantum tenebrioni nudius tertius à male feriatis in apertum lumen protracto permiſerit, ut annotatos antiquis Hiſpanorum monumentis characteres, aliis pro libidine ſubſtitutis, & priorum calculis everſis expungeret? Concilium octavum Toletanum, *æram* 691 cum anno Domini 653 concurrentem, *anno Receſuinthi* 5 aſſignabat, eumque anno Chriſti 649 regnare exorſum inſinuabat: at Pſeudo Luitprandus Receſuinthi ejuſdem primum annum cum quinto confundit, ab Eugenio Toletano anno Chriſti 653 unctum & coronatum mentiens: ne pili igitur æſtimanda ſunt quæcunque in perſonati Luitprandi cæca nuper ſub nocte ad Hiſpanicæ gentis ludibrium ab impoſtoribus cuſo *Chronico* & *adverſariis* occurrunt, niſi forte aliunde, ceu prioribus ſurrepta, fidem inveniant.

Exploſis quibus nitebatur falſis, vera nunc à Chiffletio prolata attendamus; *in Chronico Regum Wiſigothorum Manuſcripto quod ſervatur Bruxellæ in Bibliotheca Regia, poſtquam actum eſt de obitu Receſſuindi Regis, additur ſtatim:* ſuſcepit autem Dominus Wamba Regni gubernacula eodem die quo ille obiit, in ſupradictis Calendis Septembris, dilata unctionis ſolennitate uſque in die 13 Calend. Octobris. *Iulianus Toleti Epiſcopus in Hiſtoria Wambæ Regis jam laudata:* adfuit in diebus noſtris clariſſimus Wamba Princeps, quem digne principari Dominus voluit, quem ſacerdotalis unctio declaravit, quem totius gentis & patriæ communio elegit. *Tum quibuſdam interjectis:* ubi ventum eſt quo ſacræ unctionis ſuſciperet ſignum in Prætorienſi Eccleſia, ſanctorum ſcilicet Petri & Pauli, regio jam cultu conſpicuus, ante altare divinum conſiſtens, ex more fidem populis tradidit: deinde curvatis genibus oleum benedictionis per ſacri Quirici Pontificis manus vertici ejus refunditur, & benedictionis copia exhibetur. Vbi ſtatim ſignum hoc ſalutis emicuit: namque mox è vertice ipſo, ubi oleum ipſum perfuſum fuerat, evaporatio quædam fumo ſimilis, in modum columnæ ſeſe erexit in capite; & è loco ipſo capitis apis viſa eſt proſiliiſſe: quod utique ſignum cujuſdam felicitatis futuræ ſpeciem portenderet.

Diſquiſit. pag. 79.

Cum id ipſa rerum natura ferat ut ex *oleo* tepefacto promanet *vapor*, *apeſque olei* pinguedo alliciat, miraculi nihil in Wambæ unctione deprehendens Mariana: *ludibria ſæpe oculorum à populo pro veris* prædicari ingenue monuerat; quaſi id concoquere nequeat diſquiſitor, Iuliani factum narrantis autoritatem urget; ſed nonnunquam viris magnis evenit ut vulgi opinationibus faveant, audita & paſſim credita bona fide referant, nec ea quæ Principes tangunt ad examen ſuum revocent, ſed ſuo quemque judicio frui

Lib. 6. c. 12.

frui ſinant; quod in præſens ſervare decrevimus. Vllane Wambæ coronationem Regia unctio præceſſerit, nec Iulianus, nec fide dignus alius notat: quocirca quod poſt annum milleſimum quingenteſimum, à Wambæ primordiis fere nongenteſimum Ioannes Magnus ex conjectura ſcripſit, leviculum eſt; nec id exigit ut aliorum in Hiſpania Regum exemplo Wamba inunctus ſit; poſſintque ad Davidem alioſque ſub Veteri Teſtamento Reges commode trahi, quæ ille de *ſanctorum Regum exemplo* dixit. Lib. 6. c. 22.

Quicquid ſit, illuſtre in Wamba Regiæ unctionis exemplum habemus, cujus proprium tempus ex Chronici Bruxellenſis fide conſignare operæ pretium eſt. Receſſuindum obiiſſe *Calendis Septembris die quarta feria, hora tertia, æra* 710, *anno incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti* 672, *anno Cycli decemnovennalis* 8, *luna* 3, ubi aſſeruit, confeſtim de Wamba verba jam à Chiffletio laudata addit; *ſuſcepit autem Dominus Wamba Regni gubernacula eodem die quo ille obiit in ſupradictis Calend.* &c. Vnctus ergo in Regem Wamba fuerit anno Domini 672, à Clodovei baptiſmate & Chriſmatione 176, ante Gothicum excidium 40.

Ad ſecundum unctionis à Gothicis Regibus ſuſceptæ exemplum veniamus, *accepit*, inquit de Wamba Chronicum, *pænitentiam prædictus Princeps die Dominico exeunte hora noctis prima, quod fuit pridie Idus Octobris, luna* 15, *æra* 718, *ſuſcepit autem ſuccedente die ſecunda feria glorioſus Dominus noſter Ervigius Regni ſceptra, quod fuit Idus Octobris, luna* 16, *æra* 718, *dilata unctionis ſolemnitate uſque in ſupervenientem diem Dominicum, quod fuit* 12 *Calendas Novembris, luna* 22, æra quæ ſupra. Vnctus ergo Ervigius anno Domini 680, à Clodovei baptiſmate 184, ante Gothicum excidium 32, Octobris 21, feria 1. quod Concilium 12 Toletanum anno 681 *quinto Idus Ianuarias anno Ervigii primo* congregatum confirmat, in quo Rex idem hæc ad Patres verba habuit, *ſublimationis noſtræ primordia paternitati veſtræ opinabili relatione non latent, quibus clara divinorum judiciorum diſpoſitione præventus, & regnandi conſcenderim ſedem, & ſacroſanctam Regni perceperim unctionem.*

Tria ſervati ejuſdem ritus exempla profert diſquiſitor in Egicane, quem Ambroſius Morales, *unctum in Eccleſia Prætorienſi SS. Petri & Pauli Dominica ſequente, diebus undecim poſt ejus electionem, decem poſt ſoceri mortem*, refert. In Witiza Egicanis filio, de quo hæc Pſeudoluitprandus, *conſecratur, inungitur, coronatur* (*ut Imperatores ſolebant Conſtantinopolitani*) *manu Patriarchæ ejuſdem urbis die Lunæ Calendis Septembris à Gunderico Toletano Pontifice, & præſentibus Epiſcopis Metropolitanis, & Palatinis, in Æde S. Mariæ, quæ de Alficen modo dicitur.* In Roderico Witizæ æmulo, de quo hæc rurſus Hieronymus Higuera; *Rodericus Rex conſecratur & inungitur in Æde S. Leocadiæ Prætorienſi, in urbe Regia, à Sinderedo legitimo Pontifice Toletano, præſente Oppane intruſo, à quo noluit Rodericus conſecrari. Intererat magnus numerus Pontificum & Palatinorum in Regia conſecratione.* Diſquiſit. pag. 81. Lib. 12. c. 57. In Chron.

Vnde vir gravis & de Hiſpanica hiſtoria optime meritus Ambroſius Morales, Egicanem anno 689, decima ab Ervigii *ſoceri morte die, unctum* fuiſſe hauſerit; quodque Lucam Tudenſem & Rodericum Toletanum fugerat, deprehenderit; tantiſperdum quæ verſavit monumenta nos latent, nemo facile divinaverit; ab eo tamen confictum nihil facile crediderimus. Pſeu-

 doluit-

doluitprandi fides adeo ſubleſta eſt, ut ejus autoritate diſquiſitor ipſemet niti non audeat; ſed ubi locum ejus excerpit, nihil ſe de eo certi habere fateatur; *Luitprandum vel alium* à ſe teſtem advocari ſcribens: etiamſi ejus præter laudata à diſquiſitore verba nihil exſtaret, plus ſatis in illis nanciſceremur, unde ſoricem indicio ſuo prodi manifeſtum fieret: nam 1 adverſus Chiffletii ipſiuſmet hypotheſes conſecrationem unctioni, quaſi aliud fuiſſet, aut eſſe jure potuiſſet, opponit. 2. Vt ut anno 704 quo Egica obiit Septembris Calendas in feriam ſecundam incidiſſe demus, in feriam illam præter morem conferri Regiæ unctionis ſacrum nequaquam debuerit; quod in diem Dominicam differri Wamba & Ervigius voluerant. 3. Imperite Pſeudoluitprandus *Imperatores Conſtantinopolitanos Patriarchæ manu inungi ſolitos*, eorumque exemplum Witizam ſecutum aſſeverat; cum enim Conſtantinopolitanorum Imperatorum nulla vel ante vel poſt Luitprandi tempora unctio fuerit, quod nunquam factum eſt in exemplum trahi nullo modo potuit. 4. Witizæ unctio ſi qua fuit, non poſtquam patri *ſucceſſit*, ſed aliquanto ante contigerit; quandoquidem *cum patre* per *annos* vel 5 (ut Lucas Tudenſis opinatur) vel *tres* (ut Rodericus Toletanus aſſerit) Regno potitus eſt, nec cum ſolemnibus neglectis ſolio inſediſſe veriſimile eſt. 5. Anno 704 quo patri ſucceſſit, à Gunderico Toletano anno 701 denato ungi non potuerit. Hieronymus Higuera ob ſuppoſitas Dextro, Maximo, Luitprando portentoſas farragines infamis, & Societatis quæ illuſtres viros, Salmeronem, Toletum, Bellarminum, Vaſquezium, Suarezium, &c. protulerat, dehoneſtamentum verius quam ornamentum, qui à probo quoquam audiatur indigniſſimus eſt; etiamſi veri compertique quippiam literis mandaret, ſuſpectum redderet, ſtupenda cui ſe mancipavit impoſtura. ſed inſcite confictа ſunt quæ de Roderici inunctione prodit: nam 1 Sanctæ Leucadiæ Eccleſia *Prætorienſis* dicta non eſt, ſed ea quæ S. Apoſtolorum Petri & Pauli memoriæ dicata fuerat. 2. *Oppane præſente à Sinderedo unctum* fuiſſe anile commentum videtur; cum enim Rodericus Regnum invaſit, Toleto jam à Witiza pulſus Sinderedus fuerat; cum Witiza dignitatem pro virili retinente *duobus annis*, Roderico Toletano teſte, regnavit Rodericus; qui ſi quamprimum Regium nomen affectavit unctus dicatur, Toleti cui Witiza adhuc incubabat à Sinderedo abſente conſecrari non potuit: ſi poſtquam effoſſis Witizæ oculis, eoque Cordubam deportato Toleti potens factus eſt; Oppane, quem cum fratre exegerat, *præſente* inungi non potuit. 3. Qui in *Eccleſia ſive ſanctæ Leucadiæ, ſive Prætorienſi* ſuburbanis conſecratus dicitur, *in urbe Regia* conſecratus dici non debuit. 4. *Conſecratio* ex Chiffletii ipſiuſmet hypotheſi ab *inunctione* diverſa non fuit; cum diverſa non fuerit ab ea diſtingui nullo jure potuit. Abeant ergo quo digna ſunt inficeta tam Pſeudoluitprandi quam Higueræ commenta; quibus poſtquam ſe oblectavit diſquiſitor, novum nobis oſcitantiæ ſuæ ſpecimen edit.

In notis ad Luitpr.

Lib. 3, c. 18.

Diſquiſit. pag. 81.

Denique, inquit, *in antiqua exhortatione ad Principem Hiſpaniæ, quæ via Regia dicitur, hæc habentur:* rite portas diademata Regis; primum, quia de femore Regis, Regalique deſcendis proſapia, decenter tibi convenit & bene multa regere Regna: ſecundo, quia te Regem eſſe & ſacri chriſmatis unctio, & fidei confeſſio, operiſque confirmat & actio.

Viam quam laudat *Regiam* de *unctione* Weſogothorum Regum agere, eorum-

eorumque imperio ſtante ſcriptam credebat diſquiſitor; ſed eum utroque nomine falli ex his evincitur. 1. Regnum à Weſogothis in Hiſpania fundatum, *electivum* fuit non *hæreditarium*. 2. Regnum illud non Hiſpania ſola, ſed cum ea Galliæ Narbonenſis parte, Mauritania Tingitana & Baleäribus conſtitit. 3. Regni illius potentes non *Hiſpaniæ* ſed *Gothorum Reges* dicti ſunt. 4. Regum illorum filii *Hiſpaniæ Principes* nec dicti ſunt, nec dici ex hypotheſi potuerunt, cum ad eos paternum Regnum hæreditatis nomine non devolveretur, ſed ejus ita capaces eſſent ut ſolo arbitrariæ electionis jure illud obtinerent. 5. Caſtellæ Reges poſtquam Legionenſe, Gallæcienſe & Toletanum Regna titulis ſuis adjecerunt, vicinisque Regibus tremendi eſſe cœperunt; *Hiſpaniæ* non tantum *Reges*, ſed etiam *Imperatores* aliquamdiu audierunt. 6. Eorum primogeniti ex illo tempore *Hiſpaniæ Principes* dicti ſunt. 7. Principes illi hæreditatem paternam naturæ lege adeuntes, ad *multorum Regnorum*, quorum ſub Gothis nulla mentio, ſpem vocati ſunt. 8. Procedente tempore cum Regnorum numerus creſceret, magis ac magis ſpes illa dilatata eſt. 9. *Diademata Regis* proprie non portaverunt, ſed certam de iis ſuo tempore portandis ſpem aluerunt. 10. Nec ipſi nec eorum patres, niſi forte extra ordinem, unctione Regia delibuti ſunt. 11. Regnum illud cujus cauſa *Reges* dicebantur commune Chriſtianorum omnium fuit, & uſque nunc eſt; quod *ſacri Chriſmatis* poſt baptiſma *fidei confeſſio & operis actio confirmat:* unde diſquiſitorem *viam* illam quam ſub oculis habuit *regiam* per *avia*, quæ *peragrare* amat ſecum abduxiſſe ex neceſſitate conficitur.

An *Regiæ unctionis* ritus in novo Aſturum Regno totaque Hiſpania à Pelagii temporibus ſolemnis fuerit aſſerere nos priſcorum inſtrumentorum penuria vetat; ter tamen diverſis temporibus adhibitum probanti Chiffletio negare nec volumus, nec opus eſt. Ex Ambroſii Moralis lib. 13, cap. 29, vetus Monaſterii S. Vincentii de Monteforti monumentum laudantis, hæc excerpit. *æra* 829 *unctus eſt in Regno Rex Magnus Adefonſus, decimo octavo Calend. Octobris.* Agebantur hæc anno Domini 791, Caroli Magni 23, à Clodovei baptiſmate 295, à Gothico excidio 79, à Pippini unctione prima 42, Septembris 14, feria 3. Diſquiſit. pag. 81.

Ex Luca Tudenſis Eccleſiæ non *Epiſcopo* ſed *Diacono*, ad æram 902, annum Domini 864, Caroli Calvi 25, à Clodovei baptiſmate 370, à Gothico excidio 152, à prima Pippini unctione 115, hæc de Alphonſo Magno refert, *obeunte patre caſu à palatio aberat, poſtquam accepit nuntium quod pater ejus Ordonius erat mortuus, ſumma feſtinatione Ovetum venit, & de conſenſu & favore omnium Magnatum anno ætatis ſuæ* 14, *in Regem unctus eſt, & commiſſam Regni adminiſtrationem ſtrenue diſponere inchoavit.*

Ex eodem ad æram 1705, ſeu annum Domini 1037, Henrici 1 ſextum, à Clodovei baptiſmate 571, à Gothico excidio 325, à prima Pippini unctione 287; hæc rurſus de Ferdinando 1, Caſtellæ & Legionis Rege exſcribit, *conſecratus eſt Dominus Ferdinandus in Eccleſia S. Mariæ Legionenſis ſedis, & unctus in Regem à Servando ejuſdem Eccleſiæ Catholico Epiſcopo.* Sic ex viginti duobus Aſturum & Legionis Regibus, tres tantum habemus de quorum unctione teſtimonium aliquod exſtet.

Quartum ut addat, hæc Lucæ de Alphonſo VIII, ad annum Chriſti 1135,

 æram

æram 1173, Ludovici VI 27, à Clodovei baptiſmate 639, à Gothico excidio 423, à prima Pippini unctione 385, verba arripit, *fecit, congregari Epiſcopos & omnes Barones Regni ſui in Legione, & imponi ſibi coronam ſecundum legem Dei, & conſuetudinem Regum priorum.* In quibus quia nulla unctionis mentio occurrebat, ad Prudentii Sandovalii Pompejopolis ante annos 50 Epiſcopi autoritatem confugit, hunc ejus locum mutuatus, *cum Rex acceſſiſſet, Archiepiſcopus oleo ſancto ipſum inunxit, poſuitque in ejus capite coronam pretioſam, & in manu ſceptrum.* Sed Sandovalium Roderico & Lucæ ante annos 350 indicta proferentem, niſi de iis quos imitatus ſit conſtet, ſequi rationi minime conſentaneum fuerit: ut vero conſentaneum eſſe largiamur; tria nobis quæ adverſus diſquiſitorem notemus ſupererunt. 1. Eum, dum Alphonſum Raimundi & Vrracæ filium *octavum* vocat, proprios calculos evertere, & ad ſententiam noſtram tranſire; qui poſt Alphonſum *Catholicum*, Alphonſum *Caſtum*, Alphonſum *Magnum*, Alphonſum *Ordonii*, Alphonſum *Veremundi*, Alphonſum *Ferdinandi*, Alphonſum *Aragonium* prioris generum, Alphonſum ejuſdem privignum Vrraca natum in Aſturibus & Gallæcia regnaſſe novimus. 2. In Hiſpania ante annos 500 Regiæ unctionis ritum obſoleviſſe. 3. Hiſpanos hoc ipſo (quod obſoleſcere paſſi ſunt) ſe nullo (ut adhiberent) mandato conſtrictos teſtatum feciſſe; plena arbitrii libertate tam adhibendo quam non adhibendo uſos eſſe; nec ex eo quod in deſuetudinem ante ſæcula 5 abierit, Regni ſui dignitati ablatum quicquam credidiſſe & uſque nunc credere.

Ea Merovingorum univerſorum infelicitas fuerat, ut ante ſenectutis annos immatura morte ſublati acerbo funere mergerentur; ſoli Childebertus I, Clotarius I & Guntranus annum vitæ 50 excederent; vix Clodoveo I, Chilpericis I & II, Clotario II & Dagoberto I, 40 prætervehi daretur: cum ab anno 644 juvenculi regimini nondum apti, patribus ſuccederent, vitamque deſidem ſub Majorum palatii tutela otio inerti torpentes agerent; nudum poteſtatis nomen penes ipſos fuit, res ad palatii Majores abſolute tranſiit, tantoque deſpectu Regum Majeſtas obruta eſt, ut anno 749 *Burchardus Wirtziburgenſis Epiſcopus, & Folradus Preſbyter Capellanus, miſſi ſint Romam ad Zachariam Papam, ut conſulerent Pontificem de cauſa Regum qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum Regis, ſed nullam poteſtatem Regiam habuerunt. Per quos prædictus Pontifex mandavit, melius eſſe illum Regem, apud quem ſumma poteſtatis conſiſteret: data autoritate ſua* [ſeu reſcripto] *juſſit Pippinum Regem conſtitui, anno* vero 750 *ſecundum Romani Pontificis ſanctionem Pippinus Rex Francorum appellatus eſt: & ad hujus dignitatem honoris unctus ſacra unctione manu ſanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiſcopi & Martyris, & more Francorum elevatus in ſolium Regni in civitate Sueſſiona. Hildericus vero, qui falſo Regis nomine fungebatur, tonſo capite in Monaſterium miſſus eſt.*

Eginhardi annal.

Vnctio Regum Francica.

Sic anno à Clodovei baptiſmate 254, à Wambæ unctione 78, à Gothico excidio 38, Merovingorum poſtremus Hildericus, qui Theodorico patri poſt ſeptennii interregnum à Carolomanno & Pippino Majoribus anno 744 ſuffectus fuerat, annumque vitæ ad ſummum 19 agebat, anno non tam *Regni* quam *ſervitii* ſub palatii Majoribus *ſeptimo*, à Pippino annos 38 nato, ad quem à proavis reale Imperium devolutum fuerat, avito ſolio deturbatus, & in

Monaſterium Sithiu nunc S. Bertini in oppido Audomaropolitano dictum attonſo crine detruſus eſt. Ioannes Aventinus annalium Boicorum libro tertio, mirum Zachariæ Papæ reſponſum affingit, quaſi in ea ſententia fuerit; *Principem populo, cujus beneficio poſſidet, obnoxium eſſe; quæcunque habet, potentiam, gloriam, divitias, honorem, dignitatem, à populo accepiſſe: plebi accepta referre neceſſe eſſe. Regem plebes conſtituere, eundem & deſtituere poſſe*, &c. Quodque *autoritatis* ſeu epiſtolæ à Zacharia ad Bonifacium miſſæ, hæc extrema verba fuiſſe notat; *data pridie 9 Novembris, imperante Domino piiſſimo Auguſto Imperatore, Imperii ejus anno 33, indictione quinta.* Difficultate non caret, quandoquidem ex aliis Zachariæ epiſtolis & Synodis Romæ ab eo congregatis pleniore eum formula uſum Conſtantini nomini ſequentia immediate attexuiſſe conſtat; *à Deo coronato Magno Imperatore*; *annos ejus* ab *Imperii annis* ita diſtinxiſſe, ut *annus ejus* 24 cum *Imperii ſecundo*, indictione 11, annoque Domini 743 concurreret: unde ſequitur *annum ejus* 33 cum *Imperii* 11, *indictione* 6, à Calendis Septembribus anni 752 inchoata coincidere. atqui *anno* Chriſti 752, *indictione* 5 à præcedentis anni Septembri decurrente, *Martii* 15, *feria* 3, Zacharias Papa diem ultimum obiit, nec octavo ab obitu menſe, qui ſextæ indictionis tertius erat, Novembris 4 ad Zachariam & Francos epiſtolas è tumulo dare potuit: ſed forte anno Domini 749, Conſtantini 30, Imperii ejuſdem 8, indictione tertia incunte de tondendo Hilderico, & ſufficiendo Pippino conſilium dederit; cum præſertim Caroli Magni gener Eginhardus, anno 749 Burchardum & Fulradum Francorum legatos, Zachariæ Papæ reſponſum tuliſſe, & 750 Hildericum depoſitum fuiſſe, diſerte aſſerat.

Cum Hilderico collabente univerſa Merovingæ gentis gloria, tranſlatoque ad Arnulfinam familiam Regno, aliam rerum ſeriem exordiri, novumque morem induci placuit. qui enim Merovingorum ruinæ incubituri audaci per calcatos eos greſſu ad ſolium pergebant, naſcenti dignitati ſuæ ne fallente veſtigio nutaret, merito timuerunt; eoque fine ut altas radices inconcuſſa ageret, ipſi vero tanquam Deo conſecrati, ſecuro Imperio potirentur, oleo ſacro ceu ſacrarii vaſa quæ tangere nefas eſſet inungi voluerunt: eorum à quibus nihil non ſperabat cauſa veteres ritus aliquoties à Gothis labente ſeculo ſeptimo uſurpatos innovari Eccleſia Romana juſſit; Franci vero qui priſcorum Regum ſuorum hæredem delicti nullius reum abdicabant, ſeque Pippino ac poſteris in perpetuum committebant, quæcunque eos veneratione digniores, imo inviolabiles redditura videbantur, gratulabundi ſuſceperunt.

Anno 753 Stephanus Papa venit ad Pippinum Regem in villa quæ vocatur Cariſiacus, ſuggerens ei ut ſe & Romanam Eccleſiam ab infeſtationibus Langobardorum defenderet, &c. Cariſiacum primum non venerat, prout ex Stephani III Papæ vita conſtat; nam 15 *Novembris indictione* 7, *à civitate Papia movens, ſuum in Franciam proſecutus iter fuerat*, &c. *Ad venerabile Monaſterium Sancti Chriſti Martyris Mauricii pervenerat*, &c. *Cum hymnis & canticis Spiritualibus, uſque ad palatium* Ponticonem, *pariter & cum Rege omnes profecti fuerant*; 6 *Ianuarii menſis die, in apparitionis Domini & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti ſacratiſſima ſolemnitate*, &c. *Quia tempus imminebat hiemale eundem ſanctiſſimum Papam, qui per Pariſiacum deductum cum ſuis omnibus Pariſius apud venerabile*

Eginhard.

Pontyon.

nerabile Monaſterium beati Dionyſii ad hiemandum pergere curavit. Quo peracto, & eo in eodem venerabili Monaſterio cum jam fato Chriſtianiſſimo Pippino conjungente, Domino annuente, poſt aliquantos dies iſdem Chriſtianiſſimus Pippinus Rex ab eodem ſanctiſſimo Papa Chriſti gratia cum duobus filiis ſuis Reges uncti ſunt Francorum. Quod univerſi annalium noſtrorum ſcriptores ad annum 754 confirmant; ac imprimis Emmæ Carolo Magno natæ & Pippini neptis maritus Eginhardus; *Stephanus*, inquit, *Papa poſtquam à Rege Pippino Eccleſiæ Romanæ defenſionis firmitatem accepit, ipſum ſacra unctione ad Regiæ dignitatis honorem conſecravit, & cum eo duos filios ejus, Carolum, & Carolomannum. manſitque hyberno tempore in Francia*, &c.

Iterata igitur à Stephano Pontifice ejus unctio fuit, non ut Regni quod jam per triennium tenuerat compos fieret; ſed ut in poteſtate quam anno 750 hortatu Zachariæ Papæ, tradentibus Francis, ſacris Eccleſiæ Romanæ nomine operante Bonifacio, ſuſceperat, magis ac magis confirmaretur; actaque vicarii ſui Romanæ Eccleſiæ Præſul, quantum in ſe erat, obſignaret; à quo addita Caroli & Carolomanni unctio ut certius conſtaret utriusque parentem Pippinum non ſibi ſoli, ſed ſuis in perpetuum Regnum quæſiviſſe; nec in Carolina gente ſingulare Pippini caput; ſed univerſam in eo & cum eo familiam Regno donatam fuiſſe, ut in ejus poſſeſſionem poſt patrem filii, ac exinde nepotes & pronepotes, &c. ordine quiſque ſuo, & naturali ſucceſſionis lege mitterentur. Hinc factum ut ex Carolina gente ab anno 750 ad 987 non unum aut alterum, ut in Gothica gente, ſed viginti novem capita, in iiſque nonnulla non ſemel ſed ſæpius ſacra unctione delibuta habeamus. nam Pippinus anno 750 & 754; Carolus Magnus anno 754 & 800, imò niſi fallor 808, Ludovicus Pius anno 781 & fortè 816; Carolus Calvus annis 840, 848, 869 & 875; Ludovicus Balbus annis 855, 877, & fortè 78; Carolus Craſſus annis 862, & 880; Arnulfus annis 887 & 896; Ludovicus Arnulfi filius annis 899 & 900; Carolus Simplex annis 893 & 911 ſacro oleo perfuſi ſunt.

Cum anno 987 Carolinorum poſtremus Ludovicus V anno ætatis 20 nondum maritus, nullaque prole auctus è vivis excederet; Franci qui Carolum defuncti patruum, ob crimen Majeſtatis, & perduellionem anno 978 à Rege germano, & univerſo Regni conventu cum filiis in patre fulminatis, civiliter mortuum, regnoque capeſſendo ineptum reputabant; ad Hugonem Capetum, Regum priorum conſanguineum, & in Regno ſecundum, liberis ſe ſuffragiis, ut omni fidelitatis ſacramento ſoluti converterunt, ut ab eo tanquam ſtirpe, Regiæ deinceps ſucceſſionis ordo decurreret. cum igitur conſentientibus votis electum, Durocortori Remorum ab Adalberone Archiepiſcopo ungi curaverunt: nec mirum, ſi undecim tantum inter Ludovici cui ſufficiebatur obitum & ejus unctionem dies intercedant; Ludovicus enim in Pentecoſte quæ tunc pridie Idus Iunias contigit, cum ex more conventus procerum generalis ceu *Regni Parlamentum* conveniſſet, in lethalem ægritudinem incidit; 10 Calendas Iulias conventu nondum ſoluto Compendii deceſſit; manuducente divina providentia adunati proceres de republica ſerio cogitarunt; electumque nulla interpoſita mora Capetum Remos deduxerunt, ubi in media eorum corona, 5 *Nonas Iulias* feria 1 ſolemni more *unctus* & *coronatus* eſt.

Ter quotannis à Pippini temporibus in Natali, Paſchate, Pentecoſte, Parlamenti conſeſſus fuit.

In

In tantæ molis negotio, præceps, turbidum, bonis moribus inimicum, nihil occurrit; quod ante decennium Lothario Regi, Regnoque de Carolo Lotharingiæ duce, ex lege ſtatutum fuerat, reſigi adverſus priſcos mores non placuit; qui ejuſdem civili morti addicendi Lothario Regi autores fuerant; decreti ſui vindices exſtiterunt; quique Ludovici v Regnum Capeto propinquo legantis ſuprema mandata audierant, ejuſdem judicium ſecuti, Regibus proximum, Regno digniſſimum, cæteris (ſive jura ſanguinis, ſive merita, ſive opes, ſive ſenilem prudentiam, in eo qui annum ætatis 48 agens, tirocinium jamdudum poſuerat, nulli non conſpicuam ſpectare liberet) anteferendum concordes elegerunt: Ioannes Papa, Emma Ludovici parens, Adelhais Auguſta Othonis II, qui Carolum in Lotharium germanum & patriam armaverat, mater; Theophania Auguſta Othonis ejuſdem relicta, Conradus Burgundionum Rex Mathildis Caroli germanæ maritus, Giſlebertus Roceii Comes Albrada Mathildis germana natus, Veromanduorum & Sueſſionum Comites cum Liudulpho Noviodunenſium Epiſcopo germano, Gerberga Albradæ ſorore uterina oriundi, Capeto adhæſerunt; Cleri Gallicani anathemate qui Caroli partes ſequebantur perculſi ſunt; pauciſſimi, Herbertus nimirum, Tricaſſium & Meldorum Comes Caroli ſocer Portenſium & Reiſtetentium Comites ab eo è Lotharingia finitima prenſati; Guilhelmus Aquitanorum Dux qui Regnum ſibi quam ſororis marito maluiſſet, novo Regi aliquamdiu reſtiterunt; qui ſeptimo à coronatione menſe Robertum filium ad Regni conſortium vocatum inungi juſſit; quoque modo ad fundandum in Carolina familia Imperium anno 754 Carolus & Carolomannus Pippino patre ſuperſtite uncti fuerant; anno 781 Carolus, Pippinus & Ludovicus Caroli Magni filii, & anno 813 Bernardus ejus ex Pippino nepos, eodem procurante conſecrati ſunt; anno 815 Lotharius, Pippinus & Ludovicus Ludovici Pii filii, ejuſdem juſſu coronam cum unctione meruerunt; anno 855 & 862 hinc Carolomannus, Ludovicus & Carolus Ludovici Germaniæ Regis filii, inde Ludovicus & Carolus Carolo Calvo nati, ante parentum ora ſacro oleo perfuſi ſunt; anno denique 978 Ludovicum filium Lotharius conſecrari voluit: eodem ad firmandam in familia poteſtatem, anno 988 ineunte Robertum filium Capetus; anno 1017 Hugonem primogenitum; anno 1028 Henricum ſecundogenitum Robertus; anno 1059 Philippum filium Henricus; anno 1129 Philippum primogenitum, & 1131 Ludovicum ſecundogenitum Ludovicus *Craſſus*; anno denique 1179 Philippum unigenitum Ludovicus VII vulgo *Iunior* dictus, ſe vivis ac ſpectantibus conſecrari juſſerunt. Sed poſtea mos ille exolevit. ſi enim coram Philippo *Audace* parente Philippus *Pulcher*, coram Philippo *Pulchro* Ludovicus *Huttinus* primogenitus conſecrati ſunt, non ad Francorum, ſed ad Navarrorum Regnum tunc provecti ſunt.

Aſſumptus anno 750 à Francis Regiæ unctionis ritus, nunquam poſtea intermiſſus eſt; jamque ſeculorum novem periodum implevit; adeo ut ex Carolina gente 29; ex Burgundica altera annis 879, 890 & 923, tres; ex altera annis 888, 912, 942 & 993, quatuor; ex Capetina ab anno 888 ad 1610, triginta quatuor; ex univerſis 74 Reges inuncti reperiantur; quorum nonnullis Regni ſui annos non à paterni obitus, ſed à propriæ conſecrationis die hoc uno fine auſpicari viſum eſt; ut quantum benedictioni Pontificum conſe-

A Germanis plurimos poſt annum 911 unctos omiſimus.

cran-

crantium, & populorum apprecantium votis elicitæ tribuerent, teſtatum facerent: nec enim eos ſe ad Regnum in familiam anno 987 tranſlatum, natos; idque à parentibus ad filios legitimæ hæreditatis titulo devolutum, ſibi juſtæ ſucceſſionis ordine obveniſſe, fugiebat; quantumvis hoc ſibi potiſſimum nomine gratularentur, quod ſubditorum ad conſecrationis ſolemne undique confluentium, incredibilis concurſus, fauſtæ acclamationes, & publicus ſolita Imperii inſignia geſtare exorſi cultus, univerſis officio defungentibus, datumque à Deo Regem certatim venerantibus, quod cœlo placuiſſet, placere luce meridiana clarius probaret. Ex eo autem, quod ille ipſe ritus, qui inter Gothos libere primum receptus, eorumque Imperio cadente antiquatus fuerat, poſt annos 38 inter Francos renaſci viſus eſt; quod Regnum nullo modo confert, ſed eum tantum cui naturæ lege debetur, regnicolis univerſis, ceu Deo dicatum caput venerationi eſſe debere oſtendit; quod à Gothica gente cujus Regnum electivum erat ad Francicam, in qua hæreditarium eſt & fuit ſemper, tranſiit; quod ſero admodum poſt annum ſcilicet 600 à Gothis, poſt 749 à Francis, poſt annum 1065 à Normannis Francici Regni Vaſſallis & imitatoribus aſſumptus eſt; nullo cœleſti mandato in Eccleſiam invectum; eadem à Gothis, Francis, Anglis libertate uſurpatum & ſervatum; neque nunc Francos, inter quos per annos 900 obtinuit, alia ulla lege ad eum deinceps ſervandum teneri; quam reverentiæ quæ rebus antiquis adnaſci ſolet, & conſtantiæ quæ deſtinato conſilio à viris gravibus in uſum ſemel recepta, à contemptu quantum in ſe eſt vindicat. Si Francorum Reges Hiſpanorum exemplo ungi deſinerent, Regiæ eorum poteſtati reale nihil detraheretur; ſed quod à Majoribus acceperunt, & ſeculorum novem dignatione conſecratum, perpetuoque uſu confirmatum repererunt, temere non mutabunt; cum præſertim
Pſalm 85. in unctionis ritu Pſaltæ oraculum, *miſericordia & fides obviaverunt ſibi*, graphice exprimi videatur; Præſulumque ac populorum Regem ſuum Regi Regum ad cœlum miſſis votis & ſuppliciis offerentium, fide divinam miſericordiam olei ſacri inſtar è cœlis eliciente, quæ Regni clavum capeſſentis caput perfundat, largoque munerum ſuorum defluxu locupletet.

Ex jam demonſtratis 1. quod Clodoveum non ad terrenum & temporale Majorum proprium, ſed ad cœleſte ac perpetuum piorum omnium commune Regnum Remigius unxit. 2. Quod Clodovei poſterorum Merovingorum nemo Regia unctione perfuſus eſt. 3. Quod Regiæ unctionis ritus à Gothis poſt annum 600, à Francis poſt 749 libere aſſumptus neutri genti cœlitus imperatus eſt, ſequentia ex neceſſitate conſequuntur. 1. Vnctionem Clodovei à Regum conſecratione hodierna longe diverſam, nihil prorſus ad diſputationem de primatu Regio facere. 2. Quamcumque fidem Hincmariana de columbæ ampulliferæ ad Remigium volatu fidem relatio mereatur, ad Regum unctionem nullo modo pertinere. 3. Regum unctionem longe poſt Clodovei tempora, Gothis primum ac exinde Francis placuiſſe. 4. Recte Gothofredum Regiam nullam unctionem ante Pippini tempora in Francia noſtra agnoviſſe. 5. Vnctionem illam nulli ſuſcipienti regnandi jus, Majeſtatemque, quam à patribus trahit, conferre. 6. Nihil ex ritus illius libere aſſumpti omiſſione, Francicorum Regum Majeſtati, quæ aliunde profluit, deceſſurum eſſe. 7. Ex Hincmarianæ relationis

tionis hypotheſi columbam ad unum Remigium hoc uno fine ut chriſmatis defectum ſuppleret; unuſque Clodoveus cœleſti oleo perfunderetur, devolaſſe. 8. Cum ex eadem hypotheſi Clodovei unius occaſione deſtinata ſit; longe ab Hincmari, aliorumque veterum mente deflectere, quotquot ampullam cœlo ad Regum noſtrorum unctionem demiſſam volunt.

Cum ad unctionem baptiſmalem miſſam Hincmarus, Flodoardus, Aimoinus diſerte ſcribant; ſi quis ejus poſt Clodovæi tinctionem, uſus ex hypotheſi eſſe debuit; ejus oleo chriſmandi poſt baptiſmum cæteri Reges fuerint: atqui Merovingorum, Carolinorum, Capetinorum confirmandorum nemo, Remigianum ſacrarium adiit; Præſulum nemo ad eos, poſt baptiſmum liniendos, ampullæ Remigianæ ſtillam vel minimam expetiit: ſi non expetiit; quanto minus ad Regalem conſecrationem, quæ toto Merovingorum tempore nulla inter Francos fuit, expetierit? Gradu igitur promoto ad quintæ noſtræ quæſtionis elucidationem accedamus: ea fuit, *an* Quæſt.
ex quo Francorum Reges inungi placuit, & Hincmari de columba ampullifera quinta.
relatio prodiit, ad ampullæ Remenſis oleum recurrere neceſſe fuerit. Si, quæ nuperorum ſententia eſt, *ad hos ſervatum munus in uſus*, ejuſque nota neceſſitas fuit; quam veteres mentem induiſſe dixerimus, qui Durocortoro Remorum, vel neglecto, vel ad animum non revocato, quam nudiustertius nati, neceſſitatem urgent, ſibi nec notam, nec creditam fuiſſe facto ipſo teſtati ſunt? ſub Merovingorum Imperio, per annos 254, quos à Clodovæi baptiſmate ad Childerici exauctorationem decucurriſſe conſtat; cum nulla Regiæ ſive *unctionis*, ſive *conſecrationis*, ſive *coronationis* memoria exſtet; tam qui ampullæ miraculum negant, quam qui propugnant, Regem nullum qui Remis ſedem Regni fixerit, aut ibidem Regnum exorſus ſit, aut denique ſacro ullo ſolemni Regiminis ſui initia dicaverit, uſpiam repererint. Pippinus in Belgica anno 750 Rex creatus à Bonifacio, non apud Remos quibus ampullæ cuſtodia concredita eſt; ſed *apud Sueſſiones in Regem* Annal. Moiſſiac.
unctus eſt. anno rurſus 754 à Stephano Papa in S. Dionyſii Monaſterio, Vita Stephani.
non modo extra Remorum fines, ſed etiam extra Belgicam, *ad Regiæ dignitatis*, quem jam poſſidebat, *honorem* conſecratus eſt, & cum eo duo filii Eginhard.
ejus, Carolus & Carlomannus. anno 768 menſe Septembri, *Carolus in Noviomago civitate, & Carolomannus in Sueſſiona inſignia Regni ſuſceperunt.* Anno 781 *abiit Rex Carolus Romam, & baptizatus eſt ibi filius ejus, qui voca-* Annal. Bertin.
batur Carolomannus, quem Adrianus Papa mutato nomine vocavit Pippinum, & unxit in Regem ſuper Italiam, & fratrem ejus Ludovicum ſuper Aquitaniam. Thegan.
Anno 800 Leo Papa Carolum Magnum *conſecravit* & *unxit ad Imperatorem in Eccleſia ubi beatiſſimum corpus Principis Apoſtolorum Petri requieſcit, die Natalis Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Anno 816 Ludovicus Pius Imperator Stephani Papæ *adventum Remis ſuſtinere ſtatuit*, &c. *Die Dominica, imperiali diademate coronatus eſt, & benedictione inter Miſſarum celebrationes inſignitus*, &c. *Coronationem* nulla *unctionis* mentione addita, legimus: Remiſque, non quia neceſſe erat; ſed quia ibi Papæ occurrentis *adventum ſuſtinere ſtatuerat*, peractum ſacrum diſcimus. Anno 840 Iunii 6, Vita Ludovici.
feria 1, *apud* Genabum ſeu *Aurelianis civitatem* à Wenilone Senonum Caroli Calvi libell. ad Venilonem Archiep.
Archiepiſcopo, *in Baſilica S. Crucis*, Carolus Calvus *ſecundum traditionem Eccleſiaſticam Rex conſecratus eſt, & in Regni regimine chriſmate ſacro perun-*

 ctus,

ctus, & diademate, atque Regni ſceptro in Regni ſolio ſublimatus. Anno 848, *Aquitani deſidia inertiaque Pippini coacti Carolum* (Calvum Regem) *petierunt, atque in urbe Aurelianorum pene omnes nobiliores cum Epiſcopis & Abbatibus in Regem elegerunt, ſacroque chriſmate delibutum & benedictione Epiſcopali ſolenniter conſecraverunt.* Anno 855, *Carolus Calvus Aquitanis petentibus Carolum filium Regem deſignatum attribuit. Aquitani urbem Lemovicam mediante menſe Octobri convenientes, Carolum puerum filium Caroli Regem generaliter conſtituerunt, unctoque per Pontificem coronam Regni impoſuerunt, ſceptrumque attribuerunt.* Anno 869 Septembris 9 feria 1 Metis in Baſilica S. Stephani protomartyris ab Hincmaro Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo Lotharienſis Regni, Carolus Calvus Rex *coronatus eſt, & ſacra unctione Deo conſecratus.* Anno 875 *in die Nativitatis Domini, Beato Petro multa & pretioſa munera offerens, in Imperatorem unctus & coronatus, atque Romanorum Imperator* Carolus idem *appellatus eſt.* Anno 877, Compendio Villa Regia *diſcurrentibus legatis inter Ludovicum & Regni primores*, &c. *Sexto Idus Decembris*, feria 1, *conſenſu omnium tam Epiſcoporum & Abbatum, quam Regni primorum, cæterorumque qui adfuerunt, conſecratus & coronatus eſt in Regem Ludovicus* cognomento Balbus *ab Hincmaro Remorum Epiſcopo*, &c. Anno 878 apud Trecas 7 *Idus Septembris*, feria 1, *Ludovicus* idem *à Ioanne Papa coronatus eſt*; unctuſne prius fuerit dicere nunc non poſſumus. Anno 879 *Hugo Abbas & cæteri primores, qui cum filiis quondam ſenioris ſui Ludovici, Ludovico ſcilicet & Carolomanno, agebant*, &c. *Anſegiſum* Senonum Archiepiſcopum, *& alios miſerunt ad Ferrarias Monaſterium, & ibi eos conſecrari & coronari in Reges fecerunt.* Qua die conſecrati fuerint, nemo in hanc uſque diem prodidit; ſed affecta jam æſtate, poſtquam Ludovicus Franciæ Orientalis Rex, & Occidentalis invaſor ad ſua redierat, totum id contigiſſe veriſimile eſt. Paulo poſt *apud Mantalam territorii Viennenſis*, congregato Concilio, Boſo totius Regionis ſub Regibus præfectus, Idibus Octobris, feria 3, ſe *in Regem ungi & coronari* fecit.

Anno 888 ineunte Agendici Senonum à Gualthero Archiepiſcopo, Odo Francorum Rex Andemantum Lingonum à Geilone Epiſcopo, Guido qui Regnum affectabat, & paulo poſt Italiæ & Romæ potens factus eſt; Agauni Sedunenſis diœceſeos in S. Mauricii Monaſterio à partium illarum Epiſcopis; Rudolphus Burgundionum Iuranorum Rex; anno 890 à Concilio Valentino Ludovicus cognomento *Orbus* Boſonis filius Provinciæ Rex; anno 893 à Calend. Ianuariis, ſive 892 ab incarnatione Domini, Martii 25 inchoato, Remis à Fulcone Archiepiſcopo, Franciæ Occidentalis Rex, Februarii 5, feria 1, Carolus Simplex unctus eſt. Anno 922, Iunii 30, feria 1, *Robertus Rex Remis apud ſanctum Remigium ab Epiſcopis & Primatibus Regni conſtitutus eſt; poſt* cujus *conſecrationem tertia die, ſexto nonas Iulii*, feria 4, Heriveum denaſci contigit. Anno 923, tertio Idus Iulii, feria 1, Rodulfus filius Richardi Rex apud urbem Sueſſionicam, in Monaſterio S. Medardi conſtitutus eſt. Anno 936, Iunii 20, feria 1, Ludovicus *Vltramarinus Laudunum deductus, ac regali benedictione ab Artaldo Remorum Archiepiſcopo unctus eſt.* Anno 954, pridie Idus Novembres, feria 1, *Lotharius filius Ludovici apud ſanctum Remigium Rex conſecratus ab Artaldo Archiepiſcopo.* Quo in loco Ludovicus Lotharii unigenitus Regni conſors anno 978 factus, conſecra-

Flodoard. Chron.

ſecratus fuerit, nemini nunc compertum eſt. Anno 987 Iulii tertio, feria 1, Remis Hugo Capetus unctus eſt; idemque anno 988 Ianuarii 1, feria 1, Robertum unigenitum Aurelianis à Siguino Senonum Archiepiſcopo ungi curavit. Anno 1017, Iunii 9, in Pentecoſte Robertus Rex *Regio in Compendio adſcitis Regni Primoribus coronam, ut decreverat, ex more à Pontificibus fecit* Hugoni primogenito *imponi.* Anno 1028, Iunii 23, feria 1, *coadunatis Rex* idem *metropoli Remis Regni Primatibus, ſtabilivit Regni coronæ Henricum* ſecundogenitum. Anno 1059, indictione 12, 10 Calendas Iunii *in die ſancto Pentecoſtes*, Henrico patre ſuperſtite Remis *Philippus Rex in majore Eccleſia, ante altare Sanctæ Mariæ à Gervaſio Archiepiſcopo conſecratus eſt.*

Glab lib. 3. cap. nou.

Anno 1108, *Senonenſis Archiepiſcopus Daimbertus invitatus cum comprovincialibus, videlicet Galone Pariſienſi Epiſcopo, Manaſſe Meldenſi, Ioanne Aurelianenſi, Ivone Carnotenſi, Hugone Nivernenſi, Humbaldo Autiſſiodorenſi, acceſſit. Qui in die inventionis ſancti Protomartyris Stephani* [Auguſti tertio, feria 1,] *Sacratiſſimæ unctionis liquore delibutum* [Ludovicum Regem,] *Aurelianis Miſſas gratiarum agens, abjectoque ſecularis militiæ gladio, Eccleſiaſtico ad vindictam malefactorum accingens, diademate Regni gratanter coronavit, nec non & ſceptrum & virgam, & per hæc Eccleſiarum & pauperum defenſionem, & quæcunque Regni inſignia approbante Clero & populo devotiſſime contradidit. Nec dum poſt celebrationem divinorum feſtivas depoſuerat exuvias, cum ſubito mali nuntii bajulatores à Remenſi Eccleſia aſſiſtunt, literas contradictorias deferentes, & autoritate Apoſtolica ſi tempeſtive veniſſent, ne Regia fieret unctio interminantes. Dicebant ſiquidem primæ Regis coronæ primicias ad jus Eccleſiæ Remenſis ſpectare, & à primo Francorum Rege, quem baptizavit Beatus Remigius, Clodovæo, hanc prærogativam illibatam & inconvulſam obtinere: ſi quis eam temerario auſu violare tentaverit, anathemati perpetuo ſubjacere. Ea ſiquidem occaſione Archiepiſcopo ſuo venerabili & emerito viro Viridi Rodulfo, qui Domini Regis, eo quod abſque ejus aſſenſu electus & inthronizatus fuerat ſede Remenſi, graviſſimas & periculoſas incurrerat inimicitias, pacem impetrare, aut Regem non coronari ſperabant. Qui, quia intempeſtive venerunt, ibi muti ad propria loquaces redierunt: aut ſi quid dixerunt, nihil tamen utile retulerunt.*

Suger de vita Ludovici VI, c. 13.

S. Stephani paſſionem quæ Auguſti III, cum 1 inventione A. D. 415. Decemb. 26. facta confudit Sugerius.

Apoſtolicam autoritatem ex opinione vicariatus S. Remigii obtendebat Radulfus Remenſis.

Hucuſque S. Dionyſii Abbas Sugerius, cujus de lite à Remenſibus adverſus Senonenſes Aurelianis mota, *Aurelianenſi* (ut cum vulgo loquamur) *gloſſa* depravat diſquiſitor, quaſi Hincmari de ampulla relationem falſi coarguere in animo habuerit, aut habere debuerit: ſed neutrum neceſſe eſt; hoc enim unum cum Daimberto Archiepiſcopo, Ivone Carnotenſi, & Collegis Daimberti ſuffraganeis voluit; Remenſes ex vero & confeſſo principio falſa & improbabilia concludere: quandoquidem ex eo quod fundamenti loco vere ſternebant, *Clodovæum* ſcilicet *à Remigio baptizatum*; quod ſubſumebant nullo modo ſequebatur, *Remenſi* ſcilicet *Eccleſiæ primæ Regum coronæ jus deberi*; nec recte, adverſus Hincmarianæ de ampulla relationis aſſertores, argumentum proceſſiſſet; *Clodovæum Remigius tinxit, & oleo cælitus delato perfudit*; ergo ad Remigii ſucceſſores, regiorum infantium tingendorum & ungendorum jus pertinet. Si nihil ex Clodovæi tinctione, & unctione ad alios, ſive Reges, ſive Regales tingendos & ungendos ad Remenſem Eccleſiam juris devolutum eſt; ſi nihil uſque nunc ea ſibi juris

 vin-

vindicat; vixque ullum à ſe, vel Regem, vel Regium puerum poſt Clodovæi tempora tinctum, & confirmatum proferre poteſt; quanto minus conſecrandorum & ungendorum Regum jus ad ſe ſolam, ob ampullæ ſacræ depoſitum; traxerit? aliud certe tam Regia, quam plebeja capita baptizandi & confirmandi; aliud Reges jam fideles conſecrandi jus eſt, nec hoc ex illo neceſſario profluit, aut profluere Clodovæi tempore potuit; cum nulla prorſus, (tantiſperdum Clodovæus vixit) Regia coronatio, aut à Pontificibus procurata conſecratio fuerit; ex eoque quod abſolute non fuit, jus nullum promanare potuit. Anno 508 Clodoveus non Remis, ſed Cæſaroduni Turonum; non Pontificia, ſed propria manu uſus, capiti coronam impoſuit; primuſque anno 525, à Clodovæi morte 14, Ioannes Papa coronandorum Principum morem, novo Præſulibus attributo munere induxit. Merovingorum Clodovæi poſterorum nemo de Pontificum manu coronam conſecrandus ſumſit, aut Pontificum cuiquam *coronæ* ſive *primæ*, ſive *non primæ* imponendæ jus quæſivit, in Pippino novi moris initio facto, Remenſi tam Eccleſiæ quam ampullæ nihil prorſus tributum. ab anno 750 ad 893, per annos 143, Remis Francorum nemo coronatus eſt: nam quod in S. Mariæ Remenſis Eccleſia anno 816, poſt Pippini conſecrationem 66, Ludovicus Pius à Stephano Papa *coronatus* eſt, nullum Remenſium Archiepiſcopis privilegium contulit; cum Ebbo, quo præſente coronationis ſolemne peractum, ſacris operatus non fuerit; Ludovicus non *primam*, cujus imponendæ munus anno 1108 ſibi Rodulfus reſervatum volebat, ſed tertiam Romæ anno 781 ab Adriano Papa, & Aquisgrani anno 813 à Carolo Magno parente jam coronatus ſumſerit; nec *ad Regnum Francorum*, de quo uno inter Rodulfum & Daimbertum quæſtio anno 1108 vertebatur, ſed ad *urbis Romanæ Imperium* à patre ante biennium relictum, coronatus dici tunc potuerit.

De uno igitur Carolo *Simplice* anno 893, à Clodovæi baptiſmate & confirmatione 397 conſecrato, verum eſſe poteſt quod *primam* Remis *coronam* ſumſerit, ſed in ſedecim aliis ad minimum Francici Regni locis intra Gallias regnaturi, uncti & coronati jam fuerant; Auguſtæ ſcilicet Sueſſionum, in S. Dionyſii Monaſterio, Noviomagi, Aquisgrani, Aurelianis, Lemovicibus, Lugduni, Metis, Compendii, Trecis, apud Ferrarias, Mantalæ, Senonibus, Lingonibus, Agauni, & Valentiæ, prout à nobis ante demonſtratum eſt. *Primam* omnium inter Francos Regum *unctionem & coronationem*, ſibi Sueſſiones & Moguntini jure vindicaverint; nihil tamen ex illa ad Epiſcopos vel Moguntinos, vel Remenſis ſuffraganeos; nihil ad Remenſes Sueſſionenſium Metropolitanos juris proprie devolutum eſt; quandoquidem ſacræ illius ceremoniæ unus Zachariæ Papæ legatus, Moguntinæ Eccleſiæ Præſul, Bonifacius extra ſedem propriam miniſter; Tilpinus Remenſis cum Sueſſionenſi ſpectator tantum fuit. Quemadmodum Ludovicus in Aquitania regnaturus, extra Regni fines, Romæ nimirum, à Papa unctus fuerat; bis in Belgica, Aquisgrani nimirum à Carolo patre, anno 813; & Remis à Stephano Papa, anno 816 urbis Imperator coronatus eſt: ab anno 750 ad 987 in Provincia Remenſi XII, Remis V, in Senonenſi VI, reliquæ Regum conſecrationes in Colonienſi, Trevirenſi, Lugdunenſi, Bituricenſi, Tarantaſienſi, & Viennenſi, prout ſe occaſio obtulit, peractæ ſunt; nec Archiepiſcoporum noſtrorum, ante annum 1188 ullus, conſecrationes Regias

ſedi

ſedi ſuæ reſervandas putavit: ab anno 987, quo Regnum Capetus iniit, cum quinque duntaxat earum exempla exſtarent; biſque extra Remos, Aurelianis nimirum & Compendii, conſecratos Reges fuiſſe conſtaret; duo tantum Henrici I & Philippi I ſupererant, quæ Rodulfus Remenſis in cauſæ ſuæ commodum trahere poſſet.

Quocirca publicam optimo jure adverſus audax ejus molimen, Daimberti Senonum Archiepiſcopi, & Præſulum comprovincialium nomine, proteſtationem Ivo Carnotenſis edidit, qua univerſa Remenſium fundamenta ſubverteret. illi de Ampullæ miraculo, quod nemo tunc negabat, ſecuri, id unum urgebant; à Clodovæi temporibus, regiarum conſecrationum jus, ſedi ſuæ per Remigium quæſitum, & ad poſteros Clodovæi filiorum & nepotum, ut rebantur, conſecratores ſucceſſive tranſmiſſum fuiſſe: in eandem cum ipſis de Clodovæi & poſterorum conſecratione, opinionem tranſiens Ivo, earum jus Remenſium proprium credi debere, duplici argumento fultus negat; primumque jus facti, ac exinde factum ipſum ad lances revocat. Nullo alio quam cæteræ Regni metropoles, Remenſem jure niti poſſe, ſic demonſtrat: *Quæ*, inquit, *ratio eſt Belgicorum, Regem ſuum creare, & conſecrare, quamvis in aliis provinciis regnaturus ſit, ſi ita ipſorum Regum voluntas, & temporum atque locorum opportunitas ſe obtulerit: eadem eſt Celticorum & Aquitanorum, qui Belgarum provinciæ nihil debent, Regem ſuum, quamvis & in Belgica regnaturus ſit, eligere, & omne Regi debitum obſequium exhibere.* Hæc de facti provincias omnes ex æquo tangentis, æquali inter univerſas jure appoſitiſſime ſcripſit; nec Hincmarianam de Ampulla relationem impugnare neceſſe habuit, qua admiſſa nihilo Celtarum & Aquitanorum quam Belgarum conditio deterior fiebat. Epiſt. 44.

De facto ipſo, quæ ejus ſententia fuerit, ex ſubjectis liquere poterit; *Si*, inquit, *ad conſuetudinem recurrimus, quæ in exemplis maxime declaratur: reſpondemus ex verbis Auguſtini, quia* ratio exemplis anteponenda eſt, cui tamen & exempla concordant. *Ecce rationem dedimus, quam apud eos æque validam ſuper hoc negotio inveniri non credimus: addamus exempla rationi concordantia. Sicut enim legitur in geſtis Francorum, diviſum eſt Regnum inter filios Lotharii, nepotes Clodovæi: Charibertus & Guntrannus provincias Celticorum & Aquitanorum acceperunt in Regnum ſuum, & alter eorum, Charibertus ſcilicet, Pariſius ſibi ſedem Regiam poſuit, & uſque ad flumen Garumnam Regnum ſuum extendit: Guntrannus vero Aurelianus ſedem Regiam ſibi conſtituit, & Burgundiam, quæ Celticæ pars eſt, in Regnum accepit. Iſti Reges quippe nullam à Remenſi Epiſcopo benedictionem, vel coronam acceperunt, ſed à ſacerdotibus provinciarum, quas regebant, ſublimati ſunt & ſacrati.* Quæ de Chariberti & Guntranni Regnis eorumque amplitudine pronuntiavit, præſtare quoque Concilio trans Garumnam poſitam regionem (quaſi Regum Francicorum non fuiſſet) à reliqua Aquitania divulſerit, divinare nos neceſſe non eſt; hoc unum ad cauſam faciens, nunc notandum venit; cum tam vere in Celtica & Aquitania regnantes à Remenſi Archiepiſcopo unctos & coronatos negare; quam falſo à Celticarum & Aquitanicarum provinciarum Pontificibus *ſacratos* reliquos putavit: ut ut vero ex ejus negatione, hypotheſis quam Remenſes propugnabant ſequatur everſio; plus ei quam æquum fuerat, favit; Sueſſionum Reges Merovingos Clodovæi poſteros Re-

 mis

miſs à S. Remigii ſucceſſoribus; cæteros à ſuarum provinciarum præſulibus conſecratos opinatus: cum enim *non entis, nulla ſint aut eſſe poſſint conſequentia*, longe validius Remenſium hypotheſin quaſſaſſet, ex actu cujus nullum ſub Merovingis exemplum fuit, juris quippiam in ſacerdotem ullum Francicum dimanare potuiſſe abſolute inficiatus.

A Merovingis ad Carlovingos delapſus, pergit: *Poſtquam Regnum Gallorum in ſuam Monarchiam revocatum eſt, deleta progenie Clodovæi, Pippinus, & filii ejus Carolus, & Carolomannus, nec Remis, nec à Remenſi Archiepiſcopo in Reges ſublimati ſunt nec inuncti. Ludovicus quoque nepos Ludovici ſenioris apud Ferrarias, qui locus eſt in Pago Senonenſi, & uxor ejus, nullo præſente Metropolitano, à quibuſdam Epiſcopis in Reges ſunt conſecrati & coronati. Unde in geſtis Francorum ita legitur:* audientes Hugo Abbas & cæteri *primates*, qui cum filiis quondam ſenioris ſui Ludovici agebant, Ludovicum *nepotem* cum uxore ſua ad has partes venturum; quoſdam Epiſcopos miſerunt ad Ferrarias Monaſterium, & ibi conſecrari eos ac coronari in Reges fecerunt, &c.

Hic in perſonis erravit Ivo.

Annal. Bertin. A.D. 879. Primores, additum. Hic nonnulla omiſſa.

Hic nonnulla ſunt quæ in Ivone deſideremus: Nam 1 *poſt deletam Clodovæi progeniem ad Monarchiam reductum Francorum Regnum* falſo autumat; cum anno demum 750, Merovingorum Clodovæi nepotum poſtremus Childericus tonſus ſit; anno vero 678, ante ejus retruſionem 72, *Francorum Regnum ad Monarchiam redactum ſit.* 2. Ad Ludovicum Franciæ Orientalis Regem, & Luitgardim uxorem perperam trahit, quæ geſta Francorum de Ludovico & Carolomanno, Ludovici *Balbi* filiis Francorum Occidentalium Regibus retulerant. 3. De ſuo vocabulum *nepotem* geſtorum à ſe laudato loco inſeruit. 4. Nullum Ludovici coronationi Metropolitanum interfuiſſe, truncato geſtorum quæ exſcribebat textu, inconſiderate negat: quandoquidem diſerte Annales Bertiniani; *quoſdam Epiſcopos, Anſegiſum & alios miſerunt ad Ferrarias*, &c. Ut Anſegiſum Senonum Archiepiſcopum, Regum coronandorum conſecratorem præcipuum fuiſſe dubium non ſit. Ivonis errores duplici ſuo cumulavit diſquiſitor, de Ludovico *Balbo* & ejus uxore, Ivonis verba interpretatus: anno enim 879, Aprilis 10, in paraſceve fatis conceſſit *Balbus*; ſub æſtatis finem apud Ferrarias filii conſecrati ſunt: Anſgardis eorum parens adhuc ſuperſtes à viro longe ante dimiſſa, de corona ne cogitavit; Adelheidem Anſgardi ſuperductam, cum marito Ioannes Papa coronare noluit; poſt mariti dormitionem coronare jure alius nemo potuit. Sed ad Ivonem redeamus.

Diſquiſit. pag. 109.

Item, inquit, *in geſtis Francorum:* ſupererant duo filii Roberti, &c. majorem natu Odonem Franci, *& Burgundiones, Aquitanienſeſque Proceres congregati in unum*, licet reluctantem, tutorem *Caroli* pueri, Regnique elegerunt gubernatorem, *quem unxit Walterus Archiepiſcopus Senonum. Item Carolus Simplex in carcere poſitus, Rodulfum nobilem filium Ricardi Burgundionum Ducem, quem de fonte ſacro ſuſceperat, una cum conſilio Hugonis Magni filii ſupradicti Roberti, & Procerum Francorum, in Regnum ſublimavit. Unctus vero eſt in Regem ipſe Rodulfus tertio Idus Iulii Sueſſionis civitate*, &c.

Aimoin. de mirac. S. Benedic. cap. 1. Addita ab Ivone. Hucuſque Aimoinus.

Ex Aimoino falſa hæc imprudens hauſerat Ivo; Robertum Odonis patrem *Andegavorum Comitem*, & *Saxonici generis virum* fuiſſe; Carolum Simplicem à patre *in cunis* relictum; Odonem *tutorem* ejus *electum:* ſed

ex Bertinianis annalibus, Roberto ad paucos tantum menſes Andegavorum comitatum commiſſum; ex Abbone Odonem Roberti filium, *Neuſtricum*, eoque non Saxonem, ex veteri Chronico, & Caroli ipſius chartis, eum Septembris 17 *S. Lamberti die*, menſe à patris deceſſu ſexto ineunte natum, eoque non *in cunis* relictum; ex Abbone rurſus & Reginone, Odoni non poſtumi *tutelam*, ſed Regnum delatum conſtat. Alienis propria nunc errata addit, Rodulfum à Carolo ſub cuſtodia poſito, *Hugonis* Roberto nati *conſilio ſublimatum* ſomnians; nam Flodoardus ſub cujus, ut ſic dicam, oculis, Rodulfi *ſublimatio* facta eſt, refert; poſt Roberti cædem, & Caroli fugam, eum *Heribertum, Seulfum Archiepiſcopum, cæteroſque Regni primates, multis legationibus ut ad ſe reverterentur exoraviſſe. Quod illi renuentes, pro Rodulfo in Burgundiam tranſmiſerunt, qui ocyus cum multa ſuorum manu illis occurrit. Auditoque Francos, quod Carolus ad ſe venire Nordmannos mandaſſet, ne illi conjungerentur, inter Carolum atque Nordmannos ſuper Iſaram fluvium cum Rodulfo medios reſediſſe. Tuncque Carolo trans Moſam refugiente, Rodulfum cunctos elegiſſe. Rodulfum Richardi filium Regem apud urbem Sueſſionicam, in Monaſterio ſancti Medardi conſtitutum, & Heribertum Comitem, Bernardum conſobrinum ſuum, cum aliis legatis conſilium, quod per illos agebatur, ut fertur, ignorantibus, ad Carolum direxiſſe: qui ab eiſdem ſacramentis perſuaſus, ad Heribertum cum paucis profectus eſt. Qui eum in caſtello ſuo ſuper Somnam apud ſanctum Quintinum ſuſcepit. Indeque his, qui cum eo venerant, remiſſis, Carolum in quandam munitionem ſuam, quæ vocatur Caſtellum Theodorici, ſuper Maternam fluvium deduci fecit: ibique illum, ſubminiſtratis victui neceſſariis, ſub cuſtodia detinuit.* Ex quibus ante Caroli captivitatem, eoque invito Rodulfum *ſublimatum* fuiſſe manifeſtum fit. Subjungit Ivo. Chron. ad A.D. 923.

Poſt mortem Rodulfi Regis, per Willelmum Archiepiſcopum reductus eſt ab Anglia Ludovicus filius Caroli Simplicis in Franciam, & 4 Calendas Iulii unctus eſt in Regem apud Laudunum. Poſt tranſlationem vero Regni Francorum in progeniem Hugonis Magni Ducis, Robertus piiſſimus Rex filius Hugonis Regis Aurelianis in Regem conſecratus eſt & coronatus. Cujus filius Hugo juvenis Compendii eſt unctus, & in Regem ſublimatus. Ex his hujuſmodi exemplis manifeſtum eſt quod Francorum Reges non omnes in Remenſi Eccleſia, vel à Remenſibus Archiepiſcopis ſunt conſecrati: ſed multi in multis aliis locis, & à multis aliis perſonis conſecrati ſunt. Longe validius Remenſes perculiſſet, ſi Merovingum nullum à Pontificibus conſecratum & coronatum diſerte pronuntiaſſet; nec alia exempla quam extra Remos, & ab aliarum provinciarum Epiſcopis unctos Francorum Reges evincentia protuliſſet: ſed ex octo quæ congeſſit exemplis, primum Merovingos in Celtica regnantes ſpectans, cum falſo nitatur, abſolute inutile eſt; Rodulfi, Ludovici IV & Hugonis Roberto II Rege nati, Remenſium Pontificum privilegium non ſufflaminant; cum enim Rodulfus à Seulfo apud Sueſſiones, Ludovicus IV ab Artaldo Lauduni; Hugo ab Arnulfo Compendii Sueſſionenſis diœceſis conſecrati ſint; conſecrandorum etiam extra metropolim à Remenſium Pontificibus Regum jus ſtabilire videntur: adverſus Ludovici, Odonis & Roberti II, ab Anſegiſo Gualtero & Seguino Senonum Præſulibus in provincia propria apud Ferrarias Senones, & Aurelianos unctorum exempla, ne hiſcere

hiſcere uſque nunc audeant Remenſes, quos hac ex parte pro voto profligavit Ivo.

In eodem cum Remenſibus luto hærens, tam Merovingos quam Carolinos & Capetinos initio Regni *ungi* à Pontificibus ſolitos putabat, ſed quia Charibertum & Guntrannum *ſacratos* & *benedictos*, non autem *unctos* aut *conſecratos* dixit; nulla, ex ejuſdem mente, *unctione ſacratos* contendit diſquiſitor; eoque fine multis de imaginario *conſecrandi* & *ſacrandi* diſcrimine diſputat; panem & aquam ad uſum ſacrum tranſlatos, *ſacroſque* effectos à Francorum vulgo *benedictos* appellari; preces à Tertulliano, his verbis uſo, *ſacrificamus pura prece*, ſacrificiis, Cerda teſte, annumerari, panem ſanctum à Petro Damiani *ſacrificatum* vocari, milites qui caſtrenſe juramentum præſtiterunt, & *militiæ ſacramenta*, prout Vegetius loquitur, dixerunt, *commilitones ſacratos* à Capitolino nuncupari; *vota* ipſa, Virgilio auctore, *ſacrari*; Imperatores Conſtantinopolitanos Corippo aſſerente, Patriarchæ *benedictione* ſine unctione ulla ſacratos; ea de cauſa *ſacros, ſacratos*, Majeſtatem eorum *ſacram*, epiſtolas *ſacras* & *divales*, vultus in ſignis *divinos* appellatos cauſatus.

Pag. 110.

Pag. 111.

Sed hæc univerſa pluma leviora, ſcopum nec feriunt, nec ferire valent; *panis, aqua, chriſma, ſacramentalia*, & *ſacramenta* univerſa, dum prece & myſticis verbis *ſacra* fiunt, etiamſi non ungantur, tam *conſecrata* quam *ſacrata* dicuntur: hinc in libris ritualibus, de *fontis baptiſmalis, aquæ, panis, olei*, &c. *conſecratione* tituli; illam ipſam formulam, qua in euchariſtia *alimentum refectionis* in *ſacramentum religionis* tranſit, verba conſecrationis Theologi nuncupare ſolent; ea etiam quæ quomodocunque *ſacra fieri* mos erat, pro *conſecratis* & *ſacratis* reputabantur: *vota* ſeu res voto promiſſæ, hoc ipſo quod actu Numini offerebantur; ei *conſecrata* ſeu *ſacrata* credebantur; nec aliud in mente Virgilius habuit, ubi metri legem ſecutus, *votum* ab Ænea *ſacratum* ſcripſit: ſacerdotes unguine ſacro delibuti; non minus quam milites, qui uncti nec ſunt nec fuerunt unquam, ſacrati cenſentur; eam ob rem de Gregorio Turonenſi à Chiffletio ipſemet laudatus ſcripſit Fortunatus, *quem patris Ægidii Domino manus alma ſacravit*; & *luminum prærogativorum* pag. 410, de Gothis adverſarius idem, *à S. Ioanne Chryſoſtomo petierunt & acceperunt* ſacratos *Epiſcopos*. Conſtantinopolitani Imperatores, quorum unctio nulla fuit, Patriarchæ coronam imponentis, & *benedicentis* ad Deum fuſa prece, *ſacrati* & *conſecrati* ex æquo dici potuere; quamtumvis ante *benedictionem* illam, *ſacri* imo *divini* eorum exemplo habiti fuerint, qui de Patriarchis, eorumque piis officiis ne cogitaverant: primus enim omnium anno 525 à Ioanne I Papa cum benedictione coronatus Iuſtinus, cæteris ſubſecutis Patriarchalis benedictionis depoſcendæ auctor fuit: at priores omnes ab ipſis Auguſti temporibus, tanta dementia ceperat, ut ſibi *Numen*, *divinitatem*, *æternitatem*, *oracula* adſcribere; *Imperium*, *comitatum*, *veſtigium*, ſua denique omnia (ne equis quibus vehebantur, quoſque *divina animalia* dici patiebantur, exceptis) *ſacra* & *divina* nuncupare non dubitarent.

Hoc ſenſu in inſcriptionibus monumenta diis dicata, *vota* paſſim dicuntur.

Diſquiſit. pag. 21.

In opere Gallico *de primatu* fuſius demonſtravi.

Infidelium, poſtquam ad plures abierant, cadavera *per pollinctorem ſacerdotem* ad apotheoſim uncta; apotheoſim ipſam *conſecrationem* dictam, fruſtra diſquiſitor notat; *ſacrationis* enim vocabulum cum inuſitatum eſſet, de iis quæ quomodocunque *ſacra* fiebant, aut fieri putabantur, *conſecrationem* dici

Diſquiſit. pag. 111.


dici vulgo placuerat; nec *conſecrationis* vocabulo, *unctio* ſola, ſed univerſorum ad apotheoſin cum unctione requiſitorum ἀποτέλεσμα deſignabatur; ut ut præcipue ac proprie ad ſecreta à conſecrante pronuntiata verba referretur. Falſo etiam ab Ivone unctionem & conſecrationem pro uno & eodem ritu accipi; *ſacrationem* à *conſecratione* & *unctione* ſemper diſtingui, ex eo colligit quod benedictos tantum, non autem *conſecratos* aut *unctos* quos *ſacratos* voluit, dixerit; quodque *ubi Regem unctum ait, non adjecit fuiſſe conſecratum*; *ubi conſecratum ſcripſit, non addidit fuiſſe unctum.* Sed hæc univerſa ludicra ſunt; nam 1, etſi Ivo non conjunctim, ſed alternatim *conſecrandi* & *ungendi* vocabulis uſus ſit; ea nec confudit, nec confundenda à prioribus, qui ſejunxerunt, præmonitus cenſuit; cum illa ipſa quæ defloravit Francorum geſta *conſecrationem* ab *unctione* expreſſe diſtinguant; quod Chiffletius non ignoravit, qui ex Pſeudoluitprando & Higuera tres hos actus, *conſecrationem*, *unctionem* & *coronationem* in Weſogothicorum Regum inauguratione ita concurriſſe didicit; ut *conſecratione* benedictionis electum *ſacrantis* actus *unctioni* prævius; *unctione* præviæ *conſecrationis* ſeu *benedictionis* realis obſignatio; *coronatione benedictione conſecrati*, & *unctione* obſignati *ſublimatio* proprie denotaretur. Si ergo Ivo *unctionem* nominans de *conſecratione* reticuit, & contra, totum id brevitatis ſtudio imputandum eſt, quo impulſus alterutram ex conjunctis partibus, ad totum quod una conſtituunt, exprimendum ſufficere poſſe putavit. 2. *Sacrandi* vocabulo, quod Merovingis Regibus aptavit, nihil aliud eum, quam *conſecrationem unctioni* præcurrentem, *unctionemque* ipſam immediate ſubjungi ſolitam, intelligere potuiſſe, ſervata uſque nunc à Francis loquendi formula evincit. qui enim ſolemnem Regum ſuorum inaugurationem, *benedictionem, unctionem* & *coronationem* complexam, *ſacrum* ſeu *ſacrationem* Regis, vulgo *le ſacre du Roy* vocare ab antiquo aſſueverunt; ſub *ſacrationis* voce ſynecdochice *unctionem* à ſe & Ivone comprehenſam plus ſatis inſinuarunt. 3. Id ipſum tam Merovingis *ſacratis*, quam Carolovingis *conſecratis* tributum voluiſſe, prolatis exemplis ſubdita concluſio demonſtrat: *Ex his* [Chariberti, Pippini, &c.] *hujuſmodi exemplis manifeſtum eſt quod Francorum Reges non omnes in Remenſi Eccleſia, vel à Remenſibus Archiepiſcopis ſunt conſecrati: ſed multi in multis aliis locis, & à multis aliis perſonis conſecrati ſunt.* Si *conſecrati ſunt* quorum *exempla* protulit; *conſecrati* ex neceſſitate fuerint Charibertus & Guntrannus qui primum ei exemplum ſubminiſtrarunt, quoſque ſacratos dixit; nec ex ejuſdem mente, à *ſacratione* eorum diverſa aliorum *conſecratio* fuit. Atqui verum prius: ergo & poſterius. Hoc ex ſpecimine facile deprehendet lector, quantus vitilitigationum artifex, decumanos in *ſimpulo* fluctus excitare natus Chiffletius audire mereatur; nec eum qui *Ampullam* à *ſimpulo*, quam *caligam* aut *calceum* à *pilei* figura longius diſtantem, *ſimpulum* vocare ſuſtinuiſſe mirabitur; qui *ſacrationem* & *conſecrationem*, Ivoni *ſynonyma* vocabula, inter *oppoſita* referre auſum audierit. *Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis*; quoque ſtet fabula talo, modo Francis exoſis obganniat nequaquam curat.

Diſquiſit. pag. 109.

Eodem modo Epiſcoporum conſecratio *le ſacre* dicitur.

Diſquiſit. pag. 108.


Simpulum.




Ampulla Pyracea.



Lenticula.



Ampulla.



Ivonis de Chariberto, aliiſque Merovingis à Regnorum ſuorum in Celtica Metropolitanis *conſecratis* ſententiam adverſus Chiffletianam detorſionem tutati, eandem quod falſo fundamento nitatur ſponte deſerimus, cum enim Pontificum manu *unctus* & *coronatus* Merovingus nemo fuerit, & à Pippino inierit Regiæ inter Francos *unctionis* ritus, eum ex ætatis ſuæ uſu, Merovingæ genti præfidenter affinxiſſe, priſcoſque ex recentiorum indole æſtimaſſe palam eſt. Vbi exemplorum octo manipulum adverſus falſam Remenſium hypotheſim coëgit, eandem novo incommodo acrius urget; *mirum*, inquit, *videtur quare unus in proprium jus ambiat vendicare, quod multorum conſtat eſſe commune. Niſi forte quis dicere audeat, majorem vim ſacramentorum eſſe apud alios quam apud alios; quod ſchiſmaticum eſſet, & unitatem Eccleſiæ divideret.* Certe ſi, quod Remenſium nemo inficiari auſus eſſet, par erat Metropolitanorum collateralium, & à ſe invicem minime pendentium in ſacro miniſterio poteſtas, par benedictio, par benedictionis ab iis impertitæ fructus, id ipſum Ludovico & Roberto proavo à Senonenſibus *unctis*, oleum eorum *benedictione conſecratum* contulerit, quod Capeto Ludovici abavo, Henrico avo & Philippo patri ex Ampulla Remigiana contulerat, ſive cœlitus demiſſus, ſive aliunde petitus liquor, ad Clodovæi unius chriſmationem ex hypotheſi deſtinatus, quique quanta quanta vis ineſt materiæ, qua conſtat, modulum ſupergredi non poteſt, aut alio quam cæteræ cauſæ, quæ in ſcholis *morales* vocantur, modo ſpiritum afficere, cui uni proficere ſtuduerunt primi Regiæ unctionis inventores. Sive verò contulerit, quomodocunque de Ampullæ Remigianæ origine, dignitate, uſu ſtatuendum ſit, quid à Senonenſibus Ludovicum VI ungentibus, ſibi ſedique ſuæ præreptum, aut præter officium admiſſum jure Remenſes querantur, nihil prorſus erit, ipſiſque velint nolint cauſa cadendum fuerit.

Ab uno Regum arbitrio, quod ſibi Remenſes arrogabant privilegium pependiſſe ſic oſtendit; *hæc dicentes non reprehendimus inſtitutionem Eccleſiaſticam, per quam pax Eccleſiæ firmius colligata eſt, cum inferiores à ſuperioribus ſacramentorum diſpenſationem ſuſcipiunt, nec ultra quam ſibi conceſſum eſt uſurpare præſumunt. Verum ubi perſonarum æqualis eſt poteſtas, quorum altera alteri nihil præter charitatem debet, ſi altera alteri jus ſuum vult detrahere, & ſibi ſoli arrogare, ſua quærens, deceptus eſt ſeculi ambitione. Nos quippe Remenſi Eccleſiæ non invidemus, & ſi Reges Francorum erga eam habuerint tantam devotionem, ut malint à Metropolitano ejus conſecrari, quam ab alio, non repugnamus, non dolemus: imo ſuper benedictionem eorum ſi nos adeſſe contigerit gratanter* loco idiotæ Amen reſpondebimus. 1 Cor. 14.

Nulla vero Remenſes *lege* aut *privilegio* niti, ex his concludit; *lex eſt*

præ-

præceptio vel prohibitio ſcripta, ad communem utilitatem referens quicquid jubet aut prohibet. Contra hanc ergo nihil fecimus, qui nulla contradictione prohibiti, communi utilitati in hoc facto charitate ſuggerente conſuluimus. Si verò privilegiis nititur Remenſis Eccleſia, illa privilegia apud nos nulla ſunt, quia nec in generalibus Conciliis nobis audientibus ſunt recitata, nec ad Eccleſias noſtras epiſtolari maturitate directa: & ut manifeſtius dicamus, nulla nobis familiari vel publica relatione propalata. Illius ergo legis prævaricatores non ſumus, cujus auditores nunquam fuimus.

Vlterius provectus, legis cujus, ſi qua lata fuerat, impoſſibilis erat, vinculis Senonenſes teneri nequaquam debuiſſe, probat; *Si,* inquit, *audita eſſet, nihil nobis obeſſe deberet. Lex enim juſta debet eſſe & poſſibilis, loco & tempori congruens. Iuſta ſi ſit, Deus ſcit. Nos autem interim nec ut juſtam approbamus, nec ut injuſtam condemnamus, quam adhuc ignoramus. Poſſibilis vero non erat, quia conſecratio Regis Remis ab Archiepiſcopo Eccleſiæ nondum intronizato ſine ſumma perturbatione & ſanguinis effuſione celebrari non poterat. Loco non conveniebat, quia civitas ſub anathemate poſita erat. Tempori opportuna non erat, quia ſi conſecratio Regis differretur, Regni ſtatus & Eccleſiæ pax graviter periclitaretur. Quod ergo fecimus, ſalubri deliberatione & provida diſpenſatione fecimus, nulli invidentes, nullius auctoritatem nobis arrogare molientes, ſed nos intra terminos noſtros ſimplici oculo cohibentes.* Eo denique devenit, ut in *lege* vel *communiſſima diſpenſationi*, pro cauſa & tempore, locum eſſe potuiſſe, contendat: ſed tali defenſione opus non erat; quandoquidem conſecrationum à Remenſibus in ſede propria factarum ſex tantum exempla exſtabant; Caroli ſcilicet Simplicis, anno 893 à Fulcone, Roberti I, anno 922 ab Eriveo; Lotharii anno 954 ab Artaldo; Hugonis Capeti anno 987 ab Adalberone; Henrici I, anno 1028 ab Ebalo, Philippi I, anno 1059 à Gervaſio: extra ſedem & provinciam, unicum Caroli Calvi anno 869 ab Hincmaro, quod Trevirenſis metropolis vacaret, Mettis uncti: extra ſedem, ſed in provincia quatuor, Ludovici ſcilicet Balbi anno 877 ab Hincmaro Compendii; Rodulfi anno 923 à Seulfo in S. Medardi Monaſterio prope Sueſſiones, Ludovici IV anno 636 ab Artaldo Lauduni, & Hugonis Roberto ſecundo nati, anno 1017 ab Arnulfo Compendii: ſex è contra conſecratorum à ſe Regum exempla Senonenſes proferre poterant, Caroli ſcilicet Calvi anno 840 & 848 à Wenilone Aurelianis, Ludovici & Carolomanni anno 879 ab Anſegiſo apud Ferrarias, Odonis anno 888 à Gualtero Senonibus, & Roberto II anno 988 à Siguino Aurelianis.

Poſt Ivonis dormitionem ad Remenſem Eccleſiam, ſic volentibus Regibus, conſecrationum regiarum honor rediit. anno enim 1129 Aprilis 14 in Paſchate à Raynaldo Philippus Ludovici VI primogenitus, anno 1131 Octobris 23, feria I, ab Innocentio II Papa coram Concilio univerſo Ludovicus *Iunior* dictus, anno 1179 Novembris I, feria 5, in feſtivitate omnium ſanctorum à Guilhelmo de Campania Philippus II *Auguſtus* dictus, procurante & ſpectante Ludovico patre; qui duodecim Regni pares, Clero addictos ſex, Remenſem ſcilicet Archiepiſcopum cum Lauduni Clavati, & Lingonum præſulibus, Ducali; Bellovacenſi, Catalaunenſi & Noviodunenſi Epiſcopis Comitali titulo inſignibus; Laicos totidem, Burgundiæ, Normanniæ, & Aquitaniæ Duces, cum Flandriæ, Campaniæ & Toloſæ

Comitibus, ſolemni ſacro intereſſe voluit; eorum unicuique propria munia aſſignavit, ut ex Clericis qui chriſma, ſceptrum, coronas; ex Laicis qui gladium, calcaria, vexilla conſecrandi geſtaturi eſſent deinceps, non ignorarent: ex ejuſdem inſtituto promanaſſe videtur, ut vici qui *Quercus populoſa*, vulgo *le cheſne pouelleux* dicitur incolæ, Ampullæ ex S. Remigii Monaſterio, poſt obſides datos ab Abbate ad Matricem Eccleſiam deferendæ, cuſtodes appoſiti ſint; eiſque fundi nobilis qui Mota curtis ſolis, vulgo *la Mote de Courtiſols* ad ſecundum à Catalaunis miliare dicitur, poſſeſſor præſit, *militiſque S. Ampullæ* titulo gaudens, à vulgo *le chevalier de la S. Ampoulle* nuncupetur. anno 1223 Auguſti 6, feria 1, à Guilhelmo de Ionevilla Ludovicus VIII; anno 1226, Novembris 29, adventus Dominica prima à Iacobo de Baſilicis vulgo *Bazoches* Sueſſionenſium Epiſcopo, cum ſedes Remenſis vacaret, Ludovicus IX; anno 1271, Auguſti 30, feria 1, à Milone de Baſilicis Sueſſionum Epiſcopo, cum rurſus ſedes vacaret, Philippus III *Audax* dictus, anno 1286 Ianuarii 6, feria 1, à Petro Barbeto Philippus IV *Pulcher* dictus; anno 1315 Auguſti 19, feria 1 poſt aſſumptionem, à Roberto de Curtiniaco, Ludovicus X *Huttinus* dictus; anno 1317 Ianuarii 6, feria 5, ab eodem Roberto Philippus V *Longus* dictus; anno 1322, Februarii 9, feria 3, à Roberto eodem Carolus IV *Pulcher* dictus, anno 1328, Maji 29, in Trinitatis Dominica à Guilhelmo de Tria, Philippus VI *Valeſius* dictus; anno 1350, Septembris 26, feria 5, ab Hugone de Arceis Ioannes; anno 1364, Maji 19, in Trinitatis Dominica à Ioanne de Credonio Carolus V *Sapiens* dictus; anno 1380, Novembris 1, feria 5, à Richardo Pica Carolus VI; anno 1429, Iulii 17, feria 5, à Raynaldo de Carnutibus Carolus VII; anno 1461, Auguſti 15, feria 5, à Ioanne Iuvenali Vrſino Ludovicus XI, anno 1484, Iunio menſe à Petro de Valle Carolus VIII; anno 1498, Maji 27, feria 1, à Guilhelmo Briconneto Ludovicus XII *populi pater* dictus; anno 1515; Ianuarii 25, feria 4, à Roberto Lenoncurtio Franciſcus I; anno 1547, Iulii 25, feria 1, à Carolo de Lotharingia Archiepiſcopo & Cardinale Henricus II; anno 1559, Septembris 27, feria 5, à Carolo eodem Franciſcus II; anno 1561, Maji 16, feria 5, in aſcenſione Domini à Carolo eodem, Carolus IX; anno 1575, Februarii 15, feria 3, à Ludovico de Lotharingia Metenſium Epiſcopo & Cardinale, quod Ludovicus nepos Archiepiſcopus deſignatus nondum in ſacris eſſet, Henricus III Remis unctus & coronatus eſt.

Sic annorum 486, menſium 6, dierum 25 (qui inter tertium Nonas Auguſti, anni 1108 & tertium Calend. Martias anni 1594 decucurrerunt) periodo durante, Regum 23 conſecratione Remorum metropolis nobilitata eſt: quorum unus Romani Pontificis, alius Cardinalis Mertenſium Epiſcopi, alii duo Sueſſionenſium Epiſcoporum quod ſedes Archiepiſcopalis vacaret; reliqui novemdecim Remenſium ipſorum manu inuncti ſunt. Cum à Ludovici *Pii* temporibus, B. Remigium Clodovæi conſecratorem fuiſſe per occidentem fere univerſum invaluiſſet opinio; Guilhelmo de Campania Remorum Archiepiſcopo, Romanæ Eccleſiæ Cardinali Preſbytero, & Philippi noſtri *Auguſti* avunculo, Alexandri III reſcriptum, quo vetabatur ne alius à Remenſi Præſul Regum conſecrandorum munus ad ſe trahere auderet, elicere tanto facilius fuit, quanto certius conſtabat, ei cum Regibus

bus populos certatim favituros. nullo igitur reclamante, imo plaudentibus univerſis regiarum unctionum prærogativam ſedi ſuæ alligavit; quamque ſibi poteſtatem anno 1108 Rodulfus *Viridis* vindicare conatus erat, ad poſteros tanta auctoritate munitam voti compos tranſmiſit: nec fortaſſe in hanc uſque diem quiſquam de ea minuenda cogitaſſet, niſi periclitantis reipublicæ ſalus, quæ proborum ſuprema lex eſſe debet, novum priſcæ libertatis deſiderium in noſtris excitaſſet. Anno 1588, *fœderati in Comitiis Blæzenſibus legem* Thuan.l.109. *inter fundamentales, ſicuti eas vocabant, ferendam propoſuerant, ut nemo Rex legitimus in poſterum haberetur, priuſquam Durocortori Remorum ſacro oleo, quod in B. Remigii cœnobio religioſe aſſervatur, more ſolemni inunctus eſſet. Id ut inſolens & aſtu Guiſianorum, qui urbem & inſignia Regia in poteſtate habebant, ab emiſſariis ſuis propoſitum prudentiores arguebant, & iniquum eſſe dicebant, legitimam Regni ſucceſſionem, quæ proximo agnato lege Regni defertur, loco certo includi; itaque tunc magno conſenſu decretum fuit, nihil cauſæ eſſe, cur minus ſolemnis inauguratio dici deberet, etſi minime Durocortori facta eſſet; nam exemplis conſtare id in Imperatorum & Regum conſecrationibus ſecundum tempora ſemper variaſſe*, &c. Ea jam protulimus. Cum igitur poſt execrandum Regis optimi Henrici III parricidium, Remenſem ſedem audaciſſimus Henoticæ factionis ſignifer juratuſque legitimi Principis hoſtis Nicolaus Pelleveus Cardinalis occuparet; Remenſes ipſos tranſverſos ageret adverſus Regem Regnumque conjuratorum furor, anno 1594, tertio Calend. Martias, feria I, Autrici Carnutum provinciæ Senonenſis, in qua Reges 12 ante conſecrati fuerant, oleo non ex Remigiana, ſed ex Martiniana Ampulla petito, Henricus Magnus inunctus eſt; *tandemque* Nicolaus Thuanus Epiſcopus *tenuit, ut quando inaugurationem in ſua Eccleſia fieri placuiſſet, ipſe in ea inaugurationi præeſſet, & Archiepiſcopi Remenſis partibus fungeretur. Id ſolemni more ex inſtituto majorum condicta die celebratum fuit. Laodunenſis, Lingonenſis, qui Duces, & Bellovacenſis, Catalaunenſis, ac Novidunenſis, qui Comites ſunt, Epiſcoporum ac Franciæ Parium vice erant Philippus Becus Nannetenſis* [qui poſtea Remis ſedit,] *Henricus Magnanus Dinienſis, Henricus Eſcubleus Maleacenſis Epiſcopi: Coſmus Clauſſa qui Catalaunenſis ipſe Epiſcopus erat, Ioannes Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſcopus; Burgundionis, Aquitani, Normanniæ ducum; Flandriæ, Campaniæ, Toloſæ Comitum ac Franciæ Parium loco ſedebant Franciſcus Borbonius Contii Princeps, Carolus Borbonius Sueſſio, Henricus Borbonius Montiſpenſerii Dux, Franciſcus Lucemburgus Pinæi Dux, Albertus Gondius Radeſiarum Dux, & Annas Levius Ventadurii Dux.* Anno denique 1610, Octobris 17, feria I, Remis à Franciſco de Gaudioſa Cardinale Oſtienſi, quod Ludovicus de Lotharingia Archiepiſcopus & Cardinalis ſacris nondum initiatus eſſet, Ludovicum XIII conſecrari placuit.

Vt autem præcedentia univerſa velut in manipulum cogamus; ex quo regiarum unctionum exempla inter Francos eſſe cœperunt, ubicunque voluere Reges, ſive Remis, ſive extra Remos in provincia Remenſi, ſive denique extra provinciam Remenſem ſæpius inuncti ſunt à quibuſcunque voluere, à Romanis Pontificibus ſæpius, à Cardinalibus & Romanæ Eccleſiæ Legatis aliquoties, à Senonum Archiepiſcopis octies, à Sueſſionum Epiſcopis bis, Carnutenſi ſemel, à Remenſibus ut plurimum conſecrati ſunt; qua-

cunque die voluere, nunc feriam 3, nunc 5, ſed longe ſæpius primam eligentes, unguine ſacro delibuti; quocunque vitæ tempore vel ipſi vel parentes voluere, nunc ante, nunc poſt pubertatis annos inaugurati ſunt; nam Carolus Magnus & Carolomannus germanus anno ætatis duodecimo; Pippinus & Ludovicus *Pius* germani quarto, vel ad ſummum quinto; Ludovicus *Balbus* cum Carolo fratre, undecimo vel duodecimo; Carolus *Simplex* decimoquarto ineunte; Lotharius decimotertio; Ludovicus V undecimo; Philippus I octavo; Philippus & Ludovicus Ludovici VI filii duodecimo; Philippus II decimoquarto ineunte, Ludovicus IX undecimo, Carolus VI & VIII decimotertio, Carolus IX undecimo, Ludovicus XIII decimo ineunte conſecrantibus oblatus eſt; cæteri vel in ipſo adoleſcentiæ flore, vel jam viri iiſdem ſemet conſecrandi ſtiterunt: quocunque voluere oleo ſacro peruncti ſunt; alii enim Sueſſionenſis, alii Aurelianenſis, alii Compendienſis, alii aliarum Eccleſiarum oleo perfuſi ſunt; Henricus Magnus Martiniano: ante Ludovicum VII anno 1131 conſecratum, petitæ ex Ampulla Remigiana unctionis particeps nemo diſerte legitur. Hincmarus qui anno 869 Carolum Calvum Mettis in S. Stephani Baſilica conſecraturus, Clodovæum *per Beati Remigii Apoſtolicam & Catholicam prædicationem cum integra gente converſum, & cum tribus Francorum millibus, exceptis parvulis & mulieribus*, &c. *baptizatum, & cœlitus ſumpto chriſmate, unde adhuc habebant* Remenſes, *perunctum* aſſeruerat; *chriſmate* illo *cœlitus* in hunc unum finem demiſſo, quemquam per annos 373, vel uſum fuiſſe, vel uti jure potuiſſe aſſeverare nequaquam auſus eſt; eo fortaſſis poſt Hincmari dormitionem Heriveus & Artaldus Roberti I & Lotharii conſecratores uti cœperint, cum eos in B. Remigii Baſilica unxiſſe legantur; uſos tamen nec Flodoardus accuratiſſimus ætatis illius ſcriptor, nec alius ullus refert; nec ex neceſſitate ſequitur, *hic vel ille Princeps Remis, imò in S. Remigii Baſilica ſuburbana conſecratus eſt*; ergo *Ampullæ Remigianæ oleo perunctus eſt*. Sed poſt annum 1101 Ampullæ illius uſus paſſivus factus eſt, quaque libertate priores uſi fuerant, Sueſſiones, Compendium, Aurelianos ad Regum conſecrationem, Remis poſt habitis commeando; eadem qui poſt annum 1131 vixerunt, Remos Ampullæ Remigianæ depoſito claros, cæteris locis antetulerunt; eadem poſteritas tantiſperdum antiquæ conſuetudini obſequi, Majorumque exemplo regi, quam jure ſuo uti maluerit, anteferet: ubi vero æquum, commodumque judicaverit, vel priſtinum morem deſuetudine paulatim antiquari; vel alio qui magis arrideat inducto, expungi ſinet: hæc enim univerſorum fere mortalium conditio eſt, ut conſueta remiſſius, nova ardentius expetant, quæque in perpetuum valitura crediderant, ſenſim mutare cogantur. Sex Franciæ Pares Laicos, Burgundum, Normannum, Aquitanum, Flandrum, Campanum, Toloſanum, ungendi Regis ſacro intereſſe Ludovicus VII voluerat; ſemel tantum Normannus, anno ſcilicet 1179 per ſe interfuit; cumque Ioannem Anglorum Regem, ante annum 1212 Normannia univerſa exegiſſet, & eam fiſci viribus adjunxiſſet Philippus *Auguſtus*, alium deinceps qui Normannorum Ducis vices impleret ſubornari oportuit; idemque de Toloſæ Comite cujus, vi pactorum ditio anno 1271 cum Regno coaluerat, de Campaniæ Comite, cujus ditionem univerſam, ſibi regnoque ante annum 1350 comparaverat Philippus *Valeſius*, de

Annal. Bert.

Aqui-

Aquitanorum Duce, cujus pactis non ſtantis, Provinciam ante annum 1380 armata manu ſubegerat Carolus *Sapiens*; de Burgundione, cujus anno 1477 Ducatum coronæ univerat; de Flandriæ Comite, cujus ditio anno 1383 ad Burgundum tranſierat, quique anno 1526 ſe ſuaque Regno ſubduxerat, ex neceſſitate cogitandum fuit,quis de cæterorum uſu receptorum perpetuitate ſecurum ſe dixerit?Hæc ergo fixa maneto diſputationis noſtræ ſumma: *Quam neceſſitatem Franci, nec ſub Merovingis, nec ſub Carolinis, nec ſub Capetinis Regibus agnoverunt, ea nulla prorſus eſt aut fuit unquam. Ad Ampullam Remigianam recurrendi neceſſitatem Franci, nec ſub Merovingis*, quorum nemo ad Regnum unctus eſt; *nec ſub Carolinis*, quorum tres tantum, aut ad ſummum quatuor Remis conſecrati ſunt; *nec ſub Capetinis Regibus*, quorum quatuor extra Provinciam Remenſem inaugurati ſunt, *agnoverunt*. ergo *ad Ampullam Remigianam recurrendi neceſſitas nulla prorſus eſt, aut fuit unquam.*

Romanus *ſemel*; Toletanus *ter*, Campanus *quater*, Aquitanus *octies*, Flander *duodecies*, Burgundus *quatuordecies* Regio ſacro per ſe intereſſe potuit.

Ampullam illam ad Remigium Clodovæum confirmaturum, quod *chriſma deeſſet* perlatam, Hincmarus & ſuppares expreſſe ſcripſerunt; cum ſcripſerint in finem alium nullum, quam ut oleo ejus Clodovæus unus chriſmaretur, perlatam cenſuerunt; nullum ejus poſt Clodovæi chriſmationem, uſum ejus cœlitus imperatum agnoverunt; eamque (ut olim Hydria Mannæ, & virga Aaronis in Arca, ſerpens æneus in tabernaculo, Gedeonis Ephod in excelſo, B. Martini Cappa in Regum noſtrorum oratorio, à Cappa illa *cappella* dicto repoſita) in ſacrario Remigiano non ad novos uſus, ſed ad perpetuam extraordinarii illius cui inſervierat memoriam, aſſervatam fuiſſe crediderunt. Ex eorundem, qui recentiorum fontes eſſe videntur, hypotheſi, ſi quis ejus in futurum uſus eſſe debuiſſet, ad recens baptizatorum ex priſtino inſtituto obſignationem, non ad Regiam inaugurationem, nulli tunc Chriſtiano notam, aſſervanda fuiſſet: cum non fuerit, quantus quantus eſt à ſeculis aliquot ejus in Regiis conſecrationibus uſus, novus, à primitivo alienus, & abſolute arbitrarius jure videri potuerit; ut eos univerſos falli neceſſe ſit, qui ad Reges inungendos cœlo demiſſam in animum induxerunt; ſiquidem id unum ex priorum univerſorum mente mittentis conſilium fuit, ut ejus ope Chriſmatis quo præter ſpem deſtituebatur Clodovæum tincturus Remigius, defectum suppleret. huc accedit quod hodiernus Ampullæ ſtatus, eam ad perpetuos unctionum per interminatum ſeculorum ſuperventurorum orbem ſubinde recurrentium uſus nequaquam datam manifeſte convincit. ſi enim Guilhelmum Marlotum magnum S. Nicaſii Remenſis Priorem oculatum & in propinquo poſitum teſtem audiamus; *Liquor, qui Ampulla continetur, non eſt omnino liquidus, ſed tantillum exſiccatus, balſamo concreto ſimilis: dum Reges conſecrantur, per Archiepiſcopum acu aurea extractus miſcetur ſancto chriſmati, illudque rubore tingit, ut referunt qui adfuere Ludovici* XIII *inaugurationi. Tertia parte jam eſt deminutus liquor, neque magis. Erravit enim Froiſſardus, qui in Caroli* VI *Regis inunctione ſcripſit, Ampullam non imminui: decreſcit enim portione, quæ ex illa detrahitur.* Si vero non jam *liquorem* per ſe fluidum & unctioni aptum, ſed *ſpiſſatam balſami concreti* inſtar, eoque unctioni ineptam ex *liquore* materiam quotidie decreſcentem continet Ampulla, falluntur que quotquot *imminui* eam negant, Ioannes Froiſſardus, Petrus Mattheus, Iulius Cæſar Bullengerus, &c. quis Remigianæ Ampullæ oleo, quod *tempus*

Lib. 2, cap. 3.

pus,

pus edax rerum paulatim lenta morte conſumit, & in aliud jam dudum mutavit, nec perpetuitatem, nec perpetuam ad unctiones, quibus ex hypotheſi deſtinabatur aptitudinem tributam; quique in contraria ſententia ſunt, Deo ipſi quaſi in neceſſariis defecerit, & proprium ex eorum mente de Ampulla conſilium deſtituerit, convitium imprudentes facere non videat? Qui Hincmarianæ potiſſimum relationis auctoritate freti, Hincmarum ipſum nullum ætate ſua Ampullæ inunctionibus uſum noviſſe, nullum inſtituiſſe, nulli inſtituendi autorem fuiſſe meminerint; quem ſententiæ Hincmarianam convellentis colorem dixerint, quove eam tibicine fulcierint? ſi ad ſeculorum poſteriorum praxin confugiant, à primitivo qualem Hincmariana relatio ob oculos ponit ad aſcititium priori longe diſſimilem deflectent, nec quid Deus proprie voluerit, aut primum inſtituerit, ſed quod homines proprio arbitrio uſi, ſibi permiſerint, ſequentur; cum ab eventu à mortalibus in finem judicio ſuo bonum procurato, & divinitus permiſſo, ad primitivum rei cujuslibet inſtitutum conſequentia nulla ſit, nec liceat quod quomodocunque evenit, cum eo quod ex lege evenire debuit, confundere. quem igitur ad modum ex eo quod Iudæi coram ſerpente æneo & Ephod Gedeonis ſuffitum adoleverint, nemo in hunc finem ſerpentem à Moyſe erectum, Ephod à Gedeone paratum fuiſſe jure collegerit, ex eo quod in bellicis expeditionibus Franci B.Martini Cappam vexilli loco habuerint,eam nemo ut vexilli loco eſſet à B.Martino geſtatam fuiſſe, recte concluſerit; nequaquam in Regiæ unctionis cauſa procedet argumentum, *Ampullæ Remigianæ oleo ad Regum conſecrationes à ſeculis aliquot uſi ſunt, & uſque nunc utuntur Franci*; ergo *ad Regum conſecrationes, Ampulla Remigiana primum data eſt, & à Remigio in futurum ſepoſita.* quod enim libere nunc fit, & ante ſecula aliquot factum eſt, Remigii exemplo nequaquam confirmari, Hincmariana relatio docet.

In eos nunc qui primatus Regii fontem, Ampullam credunt, ſtyli convertenda cuſpis, cumque illi in duas acies diſcindantur, hæc priorum occaſione examinanda quæſtio; *an primatum ſuum unctioni ex Ampulla Reges noſtri in ſolidum debeant.* Affirmavit ante annos 430 Guilhelmus Brito. *Dignior*, inquit, *vere Rex noſter Rege omni.*

Quæſtio 6.

Lib. 2.

Quem ſacrare ſuis Remorum Metropolites
Cum Compræſulibus habet illo chriſmate ſacro,
Hoc ad opus ſolum quod cælica fudit oliva, &c.
Sic ſuperexaltat terræ præ Regibus illum,
Quem facit ut ſolum conſecret unctio cœli,
Vnguine cum reliqui ſacrentur materiali.

Materiale Ampullæ oleum eſſe, perperam negat.

Ante annos fere 200 Nicolaus de Lariſvilla in tractatu de conſecratione Eccleſiæ B. Remigii per Leonem IX Papam his verbis uſus; *allata eſt ſancta Ampulla, ut Francorum Rege cæleſti unguine liniti, cæteris Regibus, Auroræ conſurgentis more*, quaſi *propter hoc à Domino prælecti, præeſſent.* Et in vita B. Remigii; *in ſancta Ampulla totius Franciæ dignitas, nobilitas, honor, gloria, Majeſtas conſiſtit & magnificentia.*

Imo alio fine ex hypotheſi. gratis hæc omnia ſcripſit.

Conſil.31. Etiamſi divinitus miſſo oleo unctus negetur, non minus Chriſtus erit.

Ante annos 130 ille ipſe Bartholomæus Chaſſanæus qui *Hiſpaniarum Regem majorem videri* temere pronuntiaverat, in Catalogo gloriæ mundi; *Rex Franciæ cum ſit Chriſtus, ſcilicet oleo ſacro divinitus emiſſo unctus, & ſacra-*

cratus, omnibus celſior eſt atque major; ex quo vocatur Chriſtianiſſimus.

Ante annos 60 Hubertus Morus Pariſienſis Theologus, & Remenſis Eccleſiaſtes, de ſacris unctionibus ad Clementem VIII Papam, lib. 3. cap. 3. *hoc Ampullæ inſigni munere præpotentem Deum Reges noſtros Eccleſiæ ſuæ patronos adoptaſſe, hactenus creditum eſt, &, ut opinor, non temere.*

Petrus Ceriſerius Ludovico XIII ab Eleëmoſynis, in Tacito Francico; *voluit Deus, ut ejus Vnigenitus agnoſceretur per columbæ deſcenſum in Iordanem; voluit quoque, ut ſimile miraculum Eccleſiæ ſuæ filium primogenitum declararet.*

Guilhelmus Marlotus jam laudatus præfat. ad lectorem, *auctores crediderunt Regum noſtorum titulos excellentiores ab illius unctionis dignitate originem duxiſſe.* Libro 2. ab initio, *Regum noſtrorum magnitudinem & prærogativam ad illius unctionis referunt dignitatem.* Libro 4. cap. 19. *unctio ſumpſit initium à noſtris Regibus, qui ea ſoli fruuntur felicitate, ut digniori ungantur liquore, qui unquam de cœlo in terram profluxerit, ob quem renuntiati ſunt vindices fidei, hæreſium hoſtes, & Sanctæ ſedis Priores natu filii,* &c. *Negari non debet, quod unctio divina ſit fons & origo tituli Chriſtianiſſimi*, &c. *Scriptores qui de dignitate Regum Franciæ egerunt, unctionem adferunt pro baſi omnium prærogativarum.*

Imo ob aliud, eoque abſolute ſepoſito. Perperam adferunt. Imo negari debet prout ante demonſtratum eſt.

Sebaſtianus Campegius Venetus de Monarchia lib. 3, cap. 6; *Dicere poſſumus, Regem Gallorum, propter dona à Deo anteceſſoribus ſuis data, omnibus Imperatoribus ac Regibus preferendum.*

Conſimilia alii plurimi, quibus præcedentia univerſa cumulent, congerere amant, de quorum auctoritate ac merito, ut certiora lector habeat, ad animum ſuum quæ jam aliquoties inculcavimus, & in apertum lumen eduximus, revocare dignabitur. 1. Ex Hincmari & ſupparium hypotheſi Ampullam ad unum Remigium, unius Clodovei non inaugurandi, ſed confirmandi cauſa miſſam fuiſſe. 2. Ex illo tempore ad annum uſque 869 & quod excurrit, in ſacratio nulli utendam delituiſſe. 3. Ad Regum illorum conſecrationem, qui ea poſtea uſi ſunt, proprie datam non fuiſſe. 4. Quicquid ex dantis conſilio conferre apta fuit, Clodoveo uni in cujus bonum dabatur reipſa contuliſſe.

De Martiniana Ampulla par fere judicium eſſe debet; ſola enim traditione, univerſa ejus dignitas conſtat, uſuſque nulli Veterum notus nuper adſcitus eſt: ab Angelo ad B. Martinum delatam fama eſt, quo merito? Severus Sulpitius de vita B. Martini libro 1, anno 399, antequam ad Dominum vir Sanctus tranſiiſſet, hæc de eo ſcripſerat; *ipſe cum caſu quodam eſſet de cœnaculo devolutus, & per confragoſos ſcalæ gradus decidens, multis vulneribus eſſet affectus, cum exanimis jaceret in cellula, & immodicis doloribus cruciaretur, nocte ei Angelus viſus eſt lavare vulnera, & ſalubri unguento contuſi corporis membra contingere: atque ita poſtera die reſtitutus eſt ſanitati, ut nihil unquam pertuliſſe incommodi putaretur.* Paulinus, non Nolanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſed eo recentior Laicus, qui Perpetuo poſt annum 453, à Paulini Nolani dormitione 23 Euſtochio ſuffecto poëmation dicavit, & Severi Sulpitii proſam carmine reddidit, libro 2.

Traditionis de Ampulla Martinianæ occaſio.

Ecce autem præfracta trucem dum membra dolorem
Feſſa gemunt, ſubita adflicto ſolatia portans

Angelus adſiſtit ſancto venerabilis ore,
Abluere infuſis feſtinans vulnera lymphis,
Paulatim ignoti contingens unguine ſucci
Perducens tenuem tactu leviore liquorem,
Vnde rigat, tacitam propere ſenſere medelam
Membra ſimul madidis mollito corpore venis,
Confeſtimque artus ſtabiles viguere fugati,
Vndique mandato Domini ceſſere dolores.

Venantius Fortunatus Pictavorum Epiſcopus, poſt annum 600, libro 2, de vita B. Martini capite 3.

Dum cellæ recubat graviter ſub nocte ſopora
Pervigilis Domini venit Angelus aëre fulſus,
Vlcera quæque viri tractans dum ſingula palpat,
Tangens membra manu ſolidat veſtigia greſſu,
Excutiturque lues fugitivo tabida ſaltu,
Et ſudibus laceros rediit cutis una per artus,
Craſtinus incolumi proceſſit corpore comptus,
Angelicaque fidem teſtis præſentia fecit.

Alcuinus S. Martini Turonenſis Abbas de vita ejus, libro 1. circa annum Domini 800, à Martini tranſitu 400 ſcripto; *idem quoque ſanctus Martinus cadens per gradus graviter pene totis attritus membris*, *nocte ab Angelo ad integram recreatus eſt ſanitatem.* Angelum Martini vulnera *abluere* & unguine linire *viſum* Severus, Paulinus eorumque exemplo qui *palpaſſe* & *recreaſſe* tantum voluerunt poſteriores, quicquid de lotione, & olei affuſione dictum à prioribus fuerat, ad mentalem Martini ſemiſopiti motum, & Angeli qui nec aqua materiali, nec lotione reali, nec oleo ſenſibili, nec vaſis quæ poſtea relinqueret ad languentis refocillationem indigebat, retulerunt, nulla uſpiam Ampullæ mentione facta, de cujus origine & dignitate ab una traditione repetenda Turonenſes, quantum fama cordi eſſe debet, viderint. Vt vero eos inconcuſſis firmamentis munita Majorum traditione officio ſuo jam defunctos reputemus; confeſſa hæc nobis ex eorum hypotheſi promanabunt. 1. Ampullam quam aſſervant, non Regno quod tunc primum in Belgica ex parte adhuc Ethnica fundabatur; non Regibus à fide ad annum uſque 496 alienis, non ad conſecrationem poſterorum, de qua vel primum inſtituenda nemo ante annum 750 cogitavit; vel è Majoris Monaſterii myrothecio expetenda, nemo ante annum 1594 à Martini ſanatione mira 1200, ſed uni Martino ad unam corporis medelam cœlitus datam fuiſſe, ac proinde non minus à primitivo ejus uſu deflexiſſe, qui eam in Henrici Magni unctione adhibendam eſſe cenſuerunt; quam ante à proprio Remigianæ uſu deflexerant, qui eam ad conſecrationem Regum è Remenſi ſacrario depromſerant: cum deflexerint, aliud nihil ex utriuſque oleo jure ſperaverint, quam ex Sueſſionenſi, Sandionyſiano, Aurelianenſi, Compendienſi, Ferrarienſi, Senonenſi, Laudunenſi Majores conſecuti fuerant; ſed qua libertate præcedentes aliunde petito unguine perfundi voluerant, eadem qui poſtea Regni potentes fuerunt, iis quæ cœlo demiſſa credebant in ditione ſubdita reconditis myrotheciis uti decreverunt, in hoc unum intenti ut pretioſiore & jam dudum conſecrata à Deo ipſo materia, illud ipſum

ſum quod ex communiore Pontificum prece ſanctificata in anteceſſores profluxerat, ipſi promererentur; accederetque conſecrationi eorum ex inſtrumenti cœlo devecti ſtatu aliquid dignationis, etiamſi conſecrationis illius eadem quæ cæterarum univerſarum vis eſſet.

His, de quorum veritate nemo jure dubitaverit, poſitis; quæcunque de prima Regum noſtrorum dignitate, & titulis, ex una eorum conſecratione promanantibus, vulgo jactantur, in irritum cadant oportet. *Quod enim primo inter Reges advenit, ei, quem jam habet primatum, nec dat, nec dare poteſt. Vnctio, ſive ex Ampulla Remigiana, ſive ex Martiniana, ſive ex alia quacunque primo inter Reges advenit.* Ergo *unctio, ſive ex Ampulla Remigiana, ſive ex Martiniana, ſive ex alia quacunque, primo inter Reges quem jam habet primatum, nec dat, nec dare poteſt.*

Majoris tanta evidentia eſt, ut Solis radio ſcripta videatur, eique refragari auſi, abſurdis volentes nolentes illidantur, effectum ſcilicet quod ex conſecratione promanare volunt *cauſa ſua*, conſecratione nimirum, *& natura & tempore prius eſſe*; cum ab ipſo Regni exordio, antequam unctione ulla ſacra delibutus ſit, primum inter Reges locum Rex Chriſtianiſſimus obtineat. 2. *Accidentia*, nempe conſecrationem quæque ex conſecratione profluere putantur ἀξιώματα, *ſubjecto, cui accidunt, quodque ex neceſſitate præſupponunt*, nempe primo inter Reges *natura & tempore priora eſſe*; quod ἀντιφατικὸν eſt. 3. *Ens in actu*, nempe primatum Regium *poſſe denuo fieri* conſecratione ſuſcepta.

Minoris veritatem experientia ipſa confirmat, cui obniti non niſi moti capitis fuerit. cum enim primum ante baptiſmum inter Reges coætaneos locum Clodoveus tenuerit, jus par ad poſteros, qui nunquam ad Regnum conſecrati ſunt, tranſmiſerit, tota Merovingorum dignitas ad Carolinos, Carolinorum ad Capetinos devoluta ſit, ille ipſe primatus Regius qui non conſecratorum à Regni primordio proprius fuit, ad eos quos conſecrari poſtea placuit à primo Regni momento ante conſecrationem ullam tranſierit. De Clodoveo res clara eſt, quem ad fontem baptiſmatis accedentem, adeoque nondum fidelem, *timendum gentibus caput*, *Regum florentiſſimum*, *Solem* inter Reges, *apicem rerum omnium gubernacula continentem*, *patrem omnium*; cui Gundobagodus Burgundionum Princeps, *ſuæ gentis Rex*, *miles* eſſet, Avitus Viennenſis in Regno Burgundico conſiſtens, vocat. Id ipſum Theodericus Oſtrogothorum Rex & Alarici Weſogothorum Regis ſocer, his, ad Clodoveum, verbis confirmat; *veſtra ſalus, noſtra gloria eſt, & toties Regnum Italiæ proficere judicamus, quoties de vobis læta cognoſcimus.* Ad Alaricum generum à Clodoveo impugnandum; *cavete ſubito in aleam mittere, quos conſtat tantis temporibus exercitia non habere*, &c. *Objiciamus quamvis cognato* [Clodoveo cujus ſororem duxerat] *cum noſtris conjuratis eximias gentes.* Ad Herulorum, Guarnorum & Thoringorum Reges; *vos quos conſcientiæ virtus erigit, conſideratio deteſtabilis præſumptionis accendit, Legatos veſtros, una cum meis & fratris noſtri Gundibaldi Regis ad Francorum Regem Ludovicum deſtinate; ut aut ſe de Viſigothorum conflictu*, &c. *ſuſpendat*, &c. *omnium patiatur incurſum, qui tantorum arbitrium judicat eſſe temnendum. Quid quærit ultra, cui offertur abſoluta juſtitia? Dicam plane quod ſentio. Qui ſine lege vult agere, cunctorum diſponit Regna quaſſare.*

A.D. 497.

A.D. 508.

Quemadmodum ſe Burgundionum Rex Clodovei *militem* eſſe profeſſus, majorem cujus Majeſtatem comiter coleret, agnovit; imminentem cervici placare Alaricus Weſogothorum Rex conatus eſt: *Alaricus*, inquit Grego-
Lib.2. c.35. rius Turonenſis, *Rex Gothorum, cum videret Clodoveum Regem gentes aſſidue debellare; legatos ad eum dirigit, dicens: ſi frater meus vellet, inſideret animo, ut nos Deo propitio pariter videremus*, &c. Annuerat Clodoveus pactiſque percuſſis illæſum dimiſerat; ſed paulo poſt in novas iras exardeſcens, Theoderici, conjuratorumque Regum interceſſione deſpecta, de *terra*
Lib.2. c.37. *ejus in poteſtatem redigenda certus, victoriam Deo juvante obtinuit*, Alaricum interfecit, Aquitaniam univerſam ſubegit, triumphatoque hoſte *codi-*
Cap.38. *cillos de conſulatu* ab Anaſtaſio Conſtantinopolitano Imperatore honoris ergo miſſos *accepit*.

Childebertum Clodovei filium Regibus aliis Pelagius 1 Papa anno 557, à Clodovei morte 46 prætulit: *cum*, inquit, *celſitudini veſtræ multa dona miſericordia divina contulerit, pro amore tamen, quem Eccleſiæ ejus ſinceriter exhibetis, fecit vos multis regnantibus clariores*, &c.

Childebertum Iuniorem regnique dignitatem anno 595 tanti Gregorius Magnus fecit, ut *quanto cæteros homines Regia dignitas antecedit, tanto cæterarum gentium Regna Regni* Francici *culmen excellere* judicaret, &c. filioſque Childeberti anno 599 *Regibus cæteris glorioſiores eminere* pronuntiaret.

Si Merovingi primum inter Reges locum Regni jure ſortiti ſunt; quis Carolinos Merovingis ſuffectos, eodemque jure regnantes, & Capetinos ad quos ordine, tota tam Merovingorum quam Carolinorum hæreditas devoluta eſt, primum in Regum univerſorum collegio, Regni jure locum tenuiſſe, & tenere uſque nunc debere, ambigat? Si rurſus Merovingi Regia nulla unctione conſecrati, *Regibus cæteris glorioſiores eminuerunt*; cui Carolinos & Capetinos quos ab anno 750 conſecrari mos eſt, ante conſecrationem, omnemque ad conſecrationem reſpectum *cæteris glorioſiores eminere*, falliqué quotquot Regium eorum primatum ab uma conſecratione derivandum putant, obſcurum deinceps eſſe poſſit? Sed eos, vel obtorto collo ad proditæ Regiæ dignitatis confeſſionem neceſſariam trahamus: *Sine quo ritu ab ipſis Clodovei temporibus, univerſa Regni cæteris eminentis Majeſtas, & quanta quanta fuit, aut eſſe potuit dignitas, conſtitit, & in præſens ſuis viribus nixa conſiſtit, ab eo nullo modo pendet; delirant quotquot contra ſentiunt, eorumque deliramentum jure optimo Theodorus Gothofredus deſpuendum cenſuit. Sine unctionis (ex Ampulla ſive Remigiana, ſive Martiniana, ſive alia quacunque) ritu ab ipſis Clodovei temporibus, univerſa Regni* Francici *cæteris eminentis Majeſtas, & quanta quanta fuit, aut eſſe potuit dignitas, conſtitit, & in præſens ſuis viribus nixa conſtitit*; prout ante demonſtratum eſt. ergo *ab unctionis (ex Ampulla ſive Remigiana, ſive Martiniana, ſive alia quacunque) ritu, univerſa Regni* Francici *cæteris eminentis Majeſtas, & quanta quanta fuit, aut eſſe potuit dignitas nullo modo pendet; delirant quotquot contra ſentiunt, eorumque deliramentum jure optimo Theodorus Gothofredus deſpuendum cenſuit.*

Certe, ſi *in Ampullæ* Remigiana, & unctione ex illa, *tota Franciæ dignitas conſiſtit*; ſi prærogativarum Regibus regnoque debitarum *baſis* & *fons* eſt; ſi *ab ea tituli* univerſi dignitatem illam adſtruentes *profluunt*; quod Guil-

Guilhelmus Brito, Nicolaus de Lariſvilla, Bartholomæus Caſſanæus, & alii recentiores volunt; alterutrum velint nolint, fateantur oportet, ut ſcilicet *Francia* ſub Merovingis unctione nunquam conſecratis, & Carolinis non niſi ſero ex Ampulla Remigiana unctis, *tota ſua dignitate* caruerit, falſumque Avitus, Theodericus, Pelagius I, & Gregorius Magnus dixerint; quod tam ſentire quam muſſare abſurdiſſimum eſt: aut ſi *Franciæ* quod certiſſimum eſt, *tota ſua* ſub Merovingis & Carolinis *dignitas conſtitit*; *effectum* per annos 397, vel aliquanto amplius *ſine cauſa ſua, ædificium ſine baſi ac fundamento* conſtiterit; *rivus* denique *ſine fonte* profluxerit; quod vel ad momentum cogitare inſaniſſimum eſt.

Quod de primo, inter Reges & Regna, loco jam evicimus, de *primogeniti Eccleſiæ* & *Chriſtianiſſimi* titulis demonſtrandum reſtat; Clodoveum anno 496 deſinente, Chriſto peperit, & chriſmate recens ex fonte natum confirmavit, nullum ad illam uſque diem in Occidente univerſo Regem enixa Catholica Eccleſia; Illyricum enim Gipedes, Langobardi, Heruli aliique Barbari Arianiſmo fœdati; Africam Vandali fuligine eadem denigrati, Italiam cum Illyrici parte poſt Odoacrem Theodericus Oſtrogothorum Rex lepra conſimili laborans, Hiſpaniam cum Aquitania Weſogothi & Suevi Arii diſcipuli; Galliæ Celticæ partem Orientalem Burgundiones nihilo meliores; Belgicam, Germanias, Britannias, Sarmatiam Franci, Alemanni, Saxones aliique Barbari ne nomine quidem Chriſtiani occupabant: ubi Clodoveum divina luce *Oriens ex alto* perfundere dignatus eſt, nova & inſolita rerum facies, ex ipſa *mortis umbra* emergere viſa, ſterilitatis priſtinæ probro liberata Eccleſia Catholica, jamque Regii capitis tamdiu dilatâ fœturâ beata, ad novas progignendorum deinceps Regum ſpes excitata eſt; tuncque primum Aviti Sancti Præſulis ore tenello arridens pia mater exclamavit, *conſtat vos eſſe, quo communis uno Solis jubare omnia perfruuntur*, &c. Cant. 6: 8.
Unicus ergo in Occidentali orbe, *matri ſuæ* ſanctorum univerſitati, natus Clodoveus, quem cum Concilii Aurelianenſis patres anno 511 *Catholicæ Eccleſiæ filium* nuncuparunt, ea tituli vis fuit ut *unigenitum* præter quem Rex alius nullus, Catholica fide ſuſcepta Eccleſiæ natus erat, & primogenitum qui ante cæteros, Catholicam doctrinam amplexuros, exortus fuerat, ex neceſſitate quamdiu is in vivis fuit, ſignificaret; anno enim 516, ab ejus morte 5, Sigiſmundus Burgundionum Rex in Celtica; anno 523 Hildericus Vandalus in Africa, anno circiter 562 Ariamirus Suevus in Hiſpania, anno 586 Recaredus Weſogothus in eadem regione, anno 598 Ethelbertus Cantii in Britannia Rex ad Catholica caſtra, rerum in Francia Clodovei filiis ac nepotibus potentibus, tranſiere; Italia ipſa everſo Oſtrogothorum Regno ad Catholicam profeſſionem anno 552 reverſa, Langobardis Arrianis anno 568 denuo ſuccubuerat; nec ante annum 590 Agilulfo Rege hæreſim abjurante, perfidorum jugum excuſſit. cum igitur per quindecennium à Catholiciſmo ſuſcepto, ſeu reliquo vitæ tempore ſolus in Occidente *Orthodoxus* & *Catholicus* Rex Clodoveus fuerit, eoque *unigenitus* & *primogenitus Catholicæ Eccleſiæ* dici debuerit, quid in exinde ad Clodovei *primogeniti* hæredes, regnique quod ſub ejus auſpiciis Remis ſe Catholicæ fidei mancipavit, & aliis per occidentem univerſis prævivit capita, πρωτοτοκίας inter Reges jus tranſiiſſe dixerimus, ut qui *primogeniti* loco ſunt,

 ſedem-

ſedemque Imperii à *primogenito* anno 508 Lutetiæ fixam tenent *primogenita*
præ aliis omnibus obtineant? Non igitur ſine cauſa in Regum ſuorum con-
ſecratione, quam ex Hincmarianæ relationis hypotheſi, cœleſti oleo peragi
Pſalm 89. à ſeculis aliquot crediderunt, Dei de Davide, Chriſti cui primi nomen
dederunt typo, verba Franci Occidentales recitare ſolent, *oleo ſancto meo*
verſ. 21. *unxi eum*, &c. *Ipſe invocabit me, Pater meus es tu, Deus meus & ſuſceptor*
27. *ſalutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum, excelſum præ Regibus terræ.*

28. Quæ Regis, regnantium aliorum comparatione, eadem Regni cui impe-
rat regnorum aliorum reſpectu prærogativa eſt: quoque modo Regum pri-
mus Clodoveus, ſuum ad poſteros primatum tranſmiſit, Regnum ejus quod
ſeculo ſexto ineunte, non quocunque modo cum aliis, ſed ſolum, eoque ante
alia omnia Catholicum fuit, & uſque nunc adverſariis ipſis fatentibus ma-
net, ante ſecula X I primum fuit, & primatum ſibi ſemper retinuit. *Quod*
enim *anno* 496 *ad fidem Catholicam converſum eſt, quod ſolum ab anno* 496
ad 516 *Catholicum fuit, cujus exemplo cætera ad Catholicam fidem pertracta*
ſunt, id & tempore & dignatione ex neceſſitate primum eſt. Regnum Franco-
rum anno 496 *ad fidem Catholicam converſum eſt, ſolum ab anno* 496 *ad* 516
Catholicum fuit; ejuſque exemplo cætera ad Catholicam fidem pertracta
ſunt; *prout ex ſequentibus Aviti ad Clodoveum verbis conſtat*; unum quod
vellemus augeri. Vt quia Deus gentem veſtram per vos ex toto ſuam fa-
ciet, ulterioribus quoque gentibus, quas in naturali adhuc ignorantia con-
ſtitutas nulla pravorum dogmatum germina corruperunt, de bono the-
ſauro veſtri cordis fidei ſemina porrigatis. Nec pudeat pigeatque etiam di-
rectis in rem legationibus adſtruere partes Dei, qui tantum veſtras erexit, &c.
Ergo *Regnum Francorum & tempore & dignatione ex neceſſitate primum eſt.*

Si vero *primum*, ante alia omnia *Catholicum*, & in *Catholiciſmo* conſtan-
tiſſimum fuit; quis ſanus *Chriſtianiſſimum* neget? *Catholicæ Eccleſiæ filius*
ex *Catholicæ religionis affectu*, quem ab ipſo converſionis momento *ſerva-*
verat, anno 511 audiit Clodoveus, idemque *ſacerdotalem mentem habuiſſe*
Tom. 1. legitur, *in Chriſto piiſſimus, religioſus Princeps, ſacratæ mentis, ſacratiſſimus*
ſcript. Franc. *Præſul*, ab Aureliano Arelatenſium Archiepiſcopo circa annum 547 Theo-
Pag. 857. debertus Clodovei nepos dictus eſt; *pro amore, quem Eccleſiæ ejus ſinceriter*
exhibuit, Childebertum Clodovei filium Deus *fecit multis regnantibus cla-*
riorem, prout ex epiſtola ad eum à Pelagio 1, anno 557 data, colligitur,
quæ Catholicum Principem pro *tranquillitate ſanctæ Eccleſiæ præcipuam ſolli-*
citudinem exhibuiſſe, certum aſſerit. Sigebertum Childeberti ex fratre ne-
potem anno 573 *Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ filium Catholicum Principem, ſin-*
ceritate præclarum, Synodus Pariſiis contracta vocavit: paribus elogiis Si-
geberti germanos Venantius ornavit, eoque univerſos priuſquam Arianis
partibus deſertis *Chriſtianiſſimi* titulum promeritus dici potuiſſet Recare-
dus, revera *Chriſtaniſſimos*, quod rem tituli iſtius inſignis ſuam jamdudum
feciſſent, ut ut unctione carerent, fuiſſe ac dici debuiſſe docuit. quid ad
nos de rebus, non de vocabulis, quæ nuda rerum ſigna ſunt, ſollicitos, ſi, quod
erant & credebantur dicti vel non reperiantur, vel poſt Recaredum anno
597 à propriis blandimentorum largis, *Chriſtianiſſimum* ſalutatum repe-
riantur? Sed Recaredum, inter Reges Barbaros, primum ſelecto hoc epi-
theto nobilitatum, eundem Francorum nulli coætaneo vel priori deſtina-
tum,

tum; nec aliunde quam ex interpolato S. Remigii teſtamento, quod diſquiſitor volebat erutum primum fuiſſe, falſum eſt; quandoquidem Childebertum juniorem non Franci ſubditi, ſed Græci titulorum exteris impertiendorum parciſſimi; imò Græcorum Imperator alienæ gloriæ ac laudis impatientiſſimus, *Chriſtianiſſimum* ante alios omnes barbaræ originis Reges ipſamq; Recaredi converſionem ſpontè appellavit: in illis enim *literis* quæ *de Imperatore Romanorum Mauritio* ad Dominum Childebertum Regem Ravenna à Romano Exarcho *directæ* exſtant, hæc legimus; *quantum tibi pro amore Orthodoxæ fidei, tantum pro ereptione quam geris eripiendi Chriſtiani ſanguinis, meritis tuis jure collatum eſt, ut de ſolio, unde alii ſummum decus percipiunt, veſtra gloria ipſi regno ornamenta, non ſolum de ineffabilibus diſpoſitionibus veſtris, ſed de filiis & nepotibus miniſtravit* &c. *Veniente Andrea viro magnifico, illa quæ nobis de Chriſtianitate veſtra opinio detulerat vera, ejus relatione cognoſcendo majora, velut præſentes & videntes quæ narrabat, amplius, quam pridem, venerando cœpimus exultare*, &c. *De devotione &* Chriſtianiſſima *voluntate veſtra, vel inſtantia, qua deſideratis Italiam liberari, clementiſſimo Principi meo Domino, & Sorori veſtræ Sereniſſimæ Auguſtæ ſpecialiter, ſicut Andreas ſupraſcriptus, vir magnificus nobis retulit, nunciavi.* Mauritii etiam Auguſti ad Childebertum eundem, paulò poſt data epiſtola, hoc fine clauditur; *Divinitas te ſervet per multos annos, Parens* Chriſtianiſſime *atque amantiſſime.* Ad demendam Chiffletiano ſupercilio nubem, vel hoc unum ſufficeret, quod Childebertus Græcorum præconiis celebratus, & *Chriſtianiſſimi* titulo ornatus, anno 596, Concilii Toletani convocationem proximè præcedente, deceſſit. ſed aliud eſt quod in diſquiſitoris caput torqueri ex illa ipſa epiſtola poſſit, quæ Ravenna miſſa eſt, & ſequentia, tempus quo data eſt, deſignantia continet; *Deus pro ſua pietate, veſtriſque orationibus, & Mutinenſem civitatem, nos pugnando ingredi fecit, pariter & Altinonam. & Mantuanam civitatem pugnando, & rumpendo muros, ut Francorum videret exercitus (Deo adjutore) ſumus ingreſſi:* &c. *Hoc habuimus in tractu, quia Autharit ſe in Ticino incluſerat, aliique Duces, omneſque ejus exercitus per diverſa ſe caſtella recluſerant,* &c. *veſtra glorioſa* Chriſtianitas *poterit informari,* &c. *Vniverſa nefandiſſimi Autharit Regis ad veſtram excellentiam habuerunt deferri*, &c. *Speramus, ut vel nunc, ſicut Regni veſtri* Chriſtianitas *habet cogitare, jubeatis de ereptione Chriſtiani ſanguinis*, &c. Cum enim Autharit Langobardorum Rex anno 582 regnum inierit, 588, Septembris 5 ante Concilii tertii Toletani, quod Recaredo jam converſo acclamavit, convocationem menſe 9 ineunte, deceſſerit; anno 585 Leuvigildi poſtremo, *Mauritius Imperator contra Langobardos Francos per conductelam moverit*, qui inconſulto Exarcho cum Autharit tranſegerunt, Mauritiumque datis ad Childebertum literis, deluſum ſe queri coëgerunt; Leuvigildo Ariano ſuperſtite; anno antequam Recaredus converteretur proxime præcedente; antequam à Concilio tertio Toletano laudibus cumularetur, *quarto*; antequam Toleti Epiſcoporum XIII concilium in quo Recaredus *Chriſtianiſſimus* primum audiit cogeretur duodecimo; Childebertus *Chriſtianiſſimi* titulo cohoneſtatus, velit nolit diſquiſitor, fuerit. Nec proclive minus fuerit reliquos à Gothis Recaredi nomini coaptatos titulos Merovingis Childeberti Majoribus, ante Recaredi Natalem oblatos demonſtrare; Siquidem in S. Iuniani

Diſquiſ. pag. 78.

Tom. 1. ſcript. Franc. pag. 870.

Ioan. Biclar.

niani

niani vitâ *Orthodoxus Rex* Childeberti avus Clotharius, in S. Aviti Miciacenſis vitâ, *Rex Sapiens* & *piiſſimus*; in S. Marculphi vitâ, glorioſus & Deo amabilis Childebertus Major, junioris propatruus audire meruit.

Cæterorum ex Merovingâ, Carolinâ, & Capetinâ gente, procedente tempore exortorum Regum elogia deflorare, infinitum & inutile eſſet; cum priſca monumenta verſantibus ſeſe paſſim ingerant, eaque Regum noſtrorum indoles fuiſſe videatur, ut meritorum conſcientia freti, laude digniſſimi eſſe quam dici maluerint, tantumque ab eorum, qui vanis rerum inhiare ſolent, typho abfuerint, ut ab omni titulorum perpetuæ eorum memoriæ, tam à ſuis quam ab exteris dicatorum affectatione abhorrerent. *Chriſtianiſſimi* cognomen nunquam ſumſerunt, ſed majoribus ab univerſo orbe ſummo conſenſu delatum, velut glorioſam avitæ hæreditatis appendicem, ad ſe devolvi paſſi ſunt, ſuper majorum titulos ſcandere certi; ſi cæterarum gentium Reges *Chriſtianiſſimos* ex officio ſe præſtare velint, *Chriſtianiſſimos* haberi & dici nec indignabuntur, nec fraternum decus injuriam ſuam reputabunt, quorum optimos fieri univerſos perpetuum votum eſt, & antehac fuit; ſed Chiffletios ullos lumbricorum inſtar è luto ſuo, hoc uno fine ut *poſitos à patribus terminos moveant*, & ad ſummum Regiæ dignitatis apicem decutiendi animo aſſurgant, emergere nunquam ferent, ſed inſanorum capitum plus quam giganteum molimen generoſo contemptu evertent. Eorum, qui ex unâ ampullâ Remigianâ, Regum noſtrorum primatum ac titulos manaſſe putant, ſubire nos, ſiquidem homines ſumus, miſeratio debet; cum ſui reique quam tractant obliti fuiſſe videantur: quid enim naturâ ſuâ tituli ſunt? an non rerum vocabulis deſignatarum indicia, quæ ſi vera ſunt, res ipſas quas deſignant, ex neceſſitate præſupponunt; ſi falſa, hoc ipſo quod rebus quas deſignant deſtituantur, in mera humani generis ludibria, eorumque quorum fronti appinguntur, probra vertuntur? ſi ἔτυμον conſulamus, is unus *Chriſtianiſſimus* dici meretur, qui revera eſt, nec tantum fide Chriſtiana incoctus, eam ſincerè profitetur, ſed inter profitentes eminet: ubicunque ergo Chriſtiana fides, ejuſque ſincera profeſſio reperitur; ibi Chriſtianiſmus eſt; quique Chriſtianum ſe ore & factis præ aliis præſtat, unctione quâcunque conſecrandus ſive ſit ſive non ſit, *Chriſtianiſſimus* eſt, remque tituli poſſidens, titulo rem deſignante defraudari à quoquam, qui eum noverit, nullo modo debet: quid enim iniquius experiamur, eorum qui quod eſſe norunt negare audent malignitate? Hinc luce meridianâ clarius eluceſcit, Clodoveum hoc ipſo quod *Chriſtianiſmum* tota mente imbibit, & actu profeſſus eſt, *Chriſtianiſſimum* fuiſſe & dici debuiſſe; unctionemque poſteà ſecutam cujuſcunque generis fuiſſe credatur, *Chriſtianiſmum* ei cum *Chriſtianiſſimi* titulo, cujus rem habebat, nequaquam contuliſſe, ſed utrumque ejus ante chriſmationem proprium effectum obſignaſſe & confirmaſſe. quod de poſteris ad regnum ex ampulla ſive Remigianâ, ſive aliâ, nunquam conſecratis; de Carolinis, non ex uno oleo, conſecratis; de Capetinis denique Remigiano oleo maximâ ex parte delibutis, ſentire neceſſe eſt; qui enim conſecrati ſunt, ideo conſecratione Deo dicari debuerunt, quia *Chriſtianiſſimi* erant, tantique nominis profeſſione editâ menſuram implebant; non ut efficerentur, remque cujus jam compotes erant adipiſcerentur. Cum igitur conſecrato *Chriſtianiſmus* non advenerit, ſed jam *Chriſtiano*,

ſtiano, imo *Chriſtianiſſimo* conſecratio ſemper acceſſerit, ut erroris quem imprudentes propugnant, ſenſu magis ac magis afficiantur, quibuſcum nobis res eſt; in quos ſcopulos impingant, paucis demonſtrare conabimur. *Sine quo & ante quod primi inter Reges*, Chriſtianiſſimi *aliiſque honorum titulis digniſſimi ut erant, habiti ſunt Francorum à Clodovei temporibus Reges, id eis nec primum inter Reges locum*, *nec* Chriſtianiſſimi *cognomen*, *nec alios honorum titulos contulit aut conferre potuit unquam*, *aut nunc poteſt*. *Sine unctione ex ampullâ Remigianâ*, *& ante eam primi inter Reges Chriſtianiſſimi*, *aliiſque honorum titulis*, *digniſſimi ut erant habiti ſunt Francorum à Clodovei temporibus Reges, prout ſupra demonſtratum eſt.* Ergò *unctio ex ampulla Remigiana Francorum Regibus nec primum inter Reges locum*, *nec Chriſtianiſſimi cognomen, nec alios honorum titulos contulit aut conferre potuit unquam*, *aut nunc poteſt*.

2. *Quod jam Chriſtianiſſimis advenit*, *eos quibus advenit Chriſtianiſſimos efficere neque potuit unquam, neque nunc poteſt. Vnctio ex ampullâ Remigianâ*, *Francorum Regibus jam Chriſtianiſſimis advenit*; unguntur enim, *quia Chriſtianiſſimi*, *eoque unctione digniſſimi*, *non autem Chriſtianiſſimi ſunt*, *aut unctione digniſſimi, quia uncti.* Ergò *unctio ex ampullâ Remigianâ*, *Francorum Reges quibus advenit, Chriſtianiſſimos efficere neque potuit unquam, neque nunc poteſt.*

3. *Quod ex ampullæ unctione profluit*, *id ante unctionem*, *nec eſt*, *nec eſſe poteſt*; cum effectum cauſa ſua prius eſſe contradictionem implicet. *Chriſtianiſſimi titulus*, *ſecundum Guilielmi Britonis*, *aliorumque ſupra recenſitorum errorem ex ampullæ unctione profluit.* Ergo *Chriſtianiſſimi titulus ſecundum Guilielmi Britonis*, *aliorumque ſupra recenſitorum errorem*, *ante unctionem, nec eſt*, *nec eſſe poteſt.* Si verò, *nec eſt*, *nec eſſe poteſt*, unctione dignis non confertur, ſed eâ *non dignis*, quod à ratione alieniſſimum eſt.

4. *Si ampullæ Remigianæ oleo delibutis*, *hoc ipſo quod eo inuncti fuerint*, *primus inter Reges locus cum Chriſtianiſsimi titulo*, *aliiſque prærogativis cedere debeat*, *Franciæ Regum proprius non erit*, *quem à ſæculis XI obtinent*, *quemque ipſis cum Guilhelmo Britone, alii ὁμόψηφοι vindicant primatus*; *ſed quorumcunque regni invaſorum prædæ objacebit*; *ſi* (*quod ante annos* 230 *Henrico V. Anglorum Regi evenit*) *Durocortorum Remorum*, *ampullamque Remigianam ſub poteſtatem quocunque modo redigant*; *nulliuſque erit*, *qui cujuſvis occaſione uſuri eſſe poterit.* At primatum *nullius aut cujuſvis occaſione uſuri eſſe poſſe*, *abſurdum eſt*, *& hypotheſi tam Guilhelmi Britonis quam aliorum adverſum.* Ergò *ampullæ Remigianæ oleo delibutis*, *hoc ipſo quod eo inuncti fuerint*, *primum inter Reges locum cum Chriſtianiſsimi titulo*, *aliiſque prærogativis cedere debere*, *abſurdum eſt.*

5. *Si rurſus ampullæ Remigianæ oleo delibutis*, *hoc ipſo quod eo inuncti fuerint*, *primus inter Reges locus cum Chriſtianiſsimi titulo*, *aliiſque prærogativis cedere debeat*, *ſub incerto pendebit ſemper Regum omnium ſtatus*; *cujus ex hypotheſi baſim incendii fortuiti flamma vorax abſumere*, *aut furum rapax manus ſubducere quovis momento valeat.* At *Regum omnium ſtatum ſub incerto pendere*, *ejuſque baſim incendio fortuito abſumi*, *aut furum ſacrilegio ſubduci quovis momento poſſe abſurdum eſt.* Ergò *ampullæ Remigianæ oleo delibutis*, *hoc ipſo quod eo inuncti fuerint*, *primus inter Reges locus cum Chriſtianiſsi-*

ſtianiſſimi titulo, aliiſque prærogativis cedere debere, ex æquo abſurdum eſt.

6. *Si denique quod nefario conſilio henoticæ factionis Boldurius, in Principem naturalem conjuratus, Hubertus Morus falsò, maledicè & ſecum pugnans ſcripſit, locum habere debeat*; certum eſt, Hugonem Capetum, ex quo ſe ortos iſti Borbonii gloriantur, juris nihil habuiſſe, ac proinde neque in poſteros jus ullum transferre potuiſſe, *&c.* Ipſi ſane nihil juris habent, cum Hugo Capetus, quod legitime non habuit, poſteris legitime relinquere non potuerit. *Ampullæ Remenſis oleo delibutis, hoc ipſo quod eo inuncti fuerint, primum inter Reges locum, cum Chriſtianiſſimi titulo, aliiſque prærogativis cedere debere, temerè ac falsò aliorum exemplo aſſeruerit; quandoquidem Capeto & poſteris ampullæ Remigianæ oleo delibutis nihil ea ex Mori ejuſdem hypotheſi contulit.* Sed tam prius Mori effatum, quam poſterius obelo jugulanda ſunt; quod enim ille de Capeto & Capetinis per calumniam effutivit, vindiciarum Hiſpanicarum cap. 4. evertentes ex profeſſo confutavimus. Eos autem qui Mori *de unctionibus ſacris* opus laude dignum putant, monitos velim ne homini ingrato, cui in Lotharingicam familiam Alſaticæ originis regni jura transfundere; Henrici Magni conſecrationem quæ tunc parabatur exſufflare; Clementis VIII Papæ pronam ad pacem mentem in contraria omnia abducere propoſitum erat, præter officium faveant; cumque ex falſis hiſce principiis, 1. Carolum Lotharii Regis germanum ab eodem regnoque univerſo ob perduellionem abdicatum, Regem legitimum, poſt Ludovici V mortem, fuiſſe. 2. Lotharingiæ ſuperioris Ducatum tenuiſſe. 3. Hæreditatem ejus univerſam ad Lotharingos hodiernos devolutam eſſe. 4. Lotharingos hodiernos regni Hieroſolymitani juſtos hæredes eſſe. 5. Godefridum Bullionium cum germanis Caroli Lotharingiæ inferioris Ducis nepotem fuiſſe. 6. Guilhelmum Ionevillæ Dynaſtam, qui in natura rerum nunquam fuit, Godefridi Bullionii fratrem fuiſſe. 7. A Guilhelmo iſto inter non entia reponendo, Lotharingos hodiernos originem ducere: æque falſa & genti regiæ adverſa conſectaria elicere conatum averſentur; Capetum legitimè ad regnum evectum, regni jura univerſa ad Borbonios nepotes transmiſiſſe recordati.

Lib. 3. de unctionibus cap. 9.

Cum ampullam Remigianam, nec ad Reges Clodovei poſteros, nec ad alios ullos eis ſuffectos inungendos, propriè miſſam fuiſſe; nec verum primæ, quæ Regibus noſtris obtigit, dignitatis fontem haberi debere, abunde demonſtratum ſit; iniquam Theodoro Gothofredo cordato dignitatis illius aſſertori, tanquam *aſtuto* & *parum ſincero* dicam hoc uno nomine ſcripſerit Chiffletius, quod primum Regibus noſtris, regnoque locum vindicaturus, eorum omnium teſtimonia ſuppreſſerit, qui primi loci meritum, ampullæ Remigianæ profluvium eſſe perperam crediderunt. Potuiſſet ſanè, ſi digladiari cum errantibus quibuſvis operæ pretium fuiſſet, in Guilhelmi Britonis, aliorumque improbabilia, & regiæ cauſæ noxia ſentientium manipulum obvium ferri, imbellemque turbam primo impetu profligare; ſed cauſam quam ſuſceperat, vera confirmando, agere, quam falſa & inutilia oppugnando morari, quod viri gravis & prudentis erat, maluit; vel hoc uno nomine laude digniſſimus, quod concivibus per devia abreptis parcens, meliora eos docuit.

Diſquiſit. Præfat.

Poſtquam liliorum noſtrorum indolem, à floris quem Botanici *filium ante patrem*

patrem vocare ſolent, natura longiſſimè abeſſe, eoſque qui ex ampullæ fonte Francicum Primatum, quantus quantus eſt, educere conati ſunt cum ima ſummis vertant, deſerendos eſſe patuit. ut alteri primatum regium ex ampulla arceſſentium manipulo rectà occurratur, quæſtionem hanc enodabimus, *an Francorum Reges primatum ſuum, & titulos ampullæ Remigianæ ex parte debeant.* Affirmavit ante annos ferè 400 Mattheus Pariſienſis, cujus Franciæ, Angliæ, Navarræ Regum convivium deſcribentis, hæc in Henrici III hiſtoria, verba ſunt; *Rex Francorum, qui terreſtrium Rex Regum eſt, tum propter ejus cæleſtem inunctionem, cum propter ſui potentiam & militiæ eminentiam, in medio ſedebat,* &c. *Archiepiſcopus Remenſis, qui Regem Francorum cæleſti conſecrat chriſmate (quapropter Rex Francorum, Regum cenſetur digniſſimus) eſt omnium Franciæ Parium primus & excellentiſsimus.* Quæſtio VII. Diſquiſ. pag. 53. Cœleſtem abuſivè vocat propter materiam.

Affirmaſſe ante annos plus minus 80 videri poſſit Michael Surianus, pro republica Venetâ, legatione in Gallia, & Hiſpania perfunctus; *non*, inquit, *videtur omittendum quod multi conſideratione dignum exiſtimant; nempe morem inungendi Reges, qui à Deo fuit inſtitutus tempore Regum Hebræorum, & quo tres aut quatuor Chriſtiani Reges utuntur, eſſe inſignis præeminentiæ notam, quæ initium habuit in Francia ante annos mille: ſervaturque Remis in hanc uſque diem ſacra ampulla, quæ miraculoſa ab omnibus cenſetur; cujus liquore Reges omnes ſucceſſivè inunguntur.* Diſquiſit. pag. 76. Ab anno 1129 ad 1594.

Affirmavit nudiuſtertius Iacobus Alexander Teneurius, & alii plures, quorum pace dictum ſit, eam quam propugnant ſententiam, iiſdem quibus præcedens urgebatur incommodis gravari: quod enim nullo modo cauſa eſt, aut eſſe poteſt, nec ex toto, nec ex parte fuerit, aut eſſe potuerit; quod primatum jam tenenti advenit, eoque tam naturâ quam tempore poſterius eſt, primatum jam conſtitutum conferre nullo modo poteſt: quod *præeminentiæ*, ut cum Michaele Suriano loquamur, *nota eſt*, præeminentiam actu præexiſtentem ſequitur, ut indicet, ac fortè obſignet, non præcedit, ut efficiat aut quomodocunque producat; ſed eam *à poſteriori* tantum, ut ſcholæ phraſi utamur, non *à priori* demonſtrat: hinc fit ut Michaelem Surianum à reliquis quibuſcum ſentire primâ fronte videbatur, ſecernere cogamur. Quo plures tam ex inunctis, quam aliis, ſine ullo primæ dignitatis detrimento caruere, id ipſis dignitatem illam parere, nequaquam potuit; abſurdum etiam eſt, rem omnium pretiociſſimam, primatum ſcilicet, caſui ita ſubjacuiſſe unquam, aut in præſens ſubjacere, ut incendiis, furtis, audaciorum libidini obnoxia, vel adeſſe indigno, vel abeſſe optimè merito poſſit: cum igitur qui conſecrandus eſt, ſive Remis, ſive alibi eum inungi placeat, quia dignus, primus & ex officio Chriſtianiſſimus eſt unctione conſecretur; non autem dignus, primus, Chriſtianiſſimus evadat, quia quomodocunque inunctus eſt: nihil vel Merovingis nullibi ad regnum inunctis, vel Carolinis plurimis, & Capetinis, Roberto II, Ludovico VI & Henrico IV extra Remos; & alio quam Remenſi oleo perfuſis, ad primatum regium defuerit; Henrico V. Anglo conſecratio ex ampullâ Remenſi primatum nullum contulerit; ampullam Remigianam primatus cauſam, nec totalem nec partialem eſſe poſſe clarum eſt: ex eoque quod eſſe non poſſit, jure optimo Theodorum Gothofredum ab omni ejus mentione abſtinuiſſe, diverſumque ſentientes procul faceſſere juſſiſſe, aperte conficitur. Sed fortè *aſtutè & parum ſincerè* Matthei Pariſienſis

ſienſis, *quem laudabat, de inunctione cœleſti* verba reſecuerit: imo nihil non ex fide, & viri gravis officio fecerit. qui enim cum Matthæo Pariſienſi & Michaele Suriano communia nonnulla habuit, ex iis quæ admittebat & ad propoſitum facere judicabat, ſententiam ſuam confirmare potuit, & revera jure ſuo uſus confirmavit; reliquis quæ improbabat & ἀπροσδιόνυσα meritò credebat, ne iis quibus teſtimonii jus aliquod reſervaverat injurius putaretur, prudenti conſilio omiſſis.

Qui verò Gothofredo, diverſarum poſt litem de primatu motam partium anteſignano, eoque nomine exoſo parceret diſquiſitor, qui Matthæo Pariſienſi ubique ſua ætate credita ab omni affectuum tyrannide libero animo narranti parcere nequaquam potuit? [Diſquiſit. pag. 53.] S. Ludovicum *Regum terreſtrium Regem* vocaviſſe miſello fraterculo ne impunè ſit, cum blaſphemiæ reum peragit. *unus*, inquit, *Deus immortalis Rex Regum eſt*, & *Dominus dominantium: una eſt Dei Majeſtas, quæ nullo nec rerum, nec temporis, nec potentiæ ambitu clauditur; quæ immenſitate ambitus non ſolum omnem hanc rerum univerſitatem, ſed & quidquid extra ipſam eſt, complectitur. Hujus terreſtres ac perituræ Majeſtates dicuntur eſſe imagines, ſed tenuiſſimæ. Ab uno cœleſti diademate, quod circumplexum eſt caput ſummi Regnatoris, omnis Regum manat & ſalus, & dignitas: inibi eſt vera gloria, ibi ſplendor æternus, ibi regnum perenne, ibi columen omnis felicitatis.*

Animosè ſanè & clamosè, nec ſine cauſa, ſi hæc Matthæi menti ſententia ſediſſet, divinæ majeſtatis propria in Francorum Regem transfuſa fuiſſe, vel transfundi quomodocunque potuiſſe; ſed virum religioſum à propoſito Chriſtiano alienum nihil animo verſaſſe, quicquid in contrarium calumniæ [Dan. 9. v. 23.] intolerandæ reus diſquiſitor garriat, certo certius eſt: ſi enim *vir deſideriorum* [Dan. 2. 47. 1 Pet. 1. Dan. 5. 37.] *Dei* (*quem Regum Dominum* & credebat & Regibus ipſis prædicandi auctor erat) *Spiritu actus* Daniel Babyloniorum Principem *Regum Regem*, ut *Regum nobiliſſimum*, & cæteris anteferendum fuiſſe indicaret, vocare ſine impietate potuit; quid criminis *Regum* Chriſtianorum *primum*, ut in gradu proprio conſiſtere oſtenderet, *Regum terrenorum Regem* nuncupare auſo, jure cavillandi libido imputaverit? [Vindic. Hiſp. cap. 14. lum. prærog.] ſi Francorum ullus *ſe ad regna univerſa colligenda*, natum, *cui Sol ſemper* ſive oriatur, ſive cadat lucere credatur, qui ſibi ob dominii terrarum orbem quantus quantus eſt complexi, immenſitatem *Catholici* ac *ter Maximi* titulos gloriabundus vindicet, *horoſcopio magnetico* ad dimetiendam univerſitati rerum circumfuſam ditionem opus habeat, & *diviſum ſe imperium cum Iove habere*, ebuccinari à paraſitis amet; ſi, inquam, Francorum ullus adeo intumeſcat aut intimuiſſe unquam fingatur, velut affectatæ divinitatis reo, inſaniſque poteſtatis ſeſe non capientis præconibus obſtrependi color aliquis fuerit: ſed ſe *Dei gratiâ Reges*, eoque ipſo *Dei* Opt. Max. *ſervos*, & fatentur & inſcribunt Reges noſtri; quorum à ſeculis aliquot pio juſſu, hæc, monetæ uſuali, epigraphe inſculpta legitur; *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat*; nec Henrici Magni avi, tantiſperdum Navarræ unius legitimus rex fuit, *gratiâ Dei ſum id quod ſum*, ex animo proteſtantis, eum qui nunc avitò regno feliciter imperat, Deo in perpetuum juvante, ſubibit oblivio.

Quandoquidem ex ampullâ Remigiana, petita à ſeculis aliquot unctio, Regibus noſtris nec *primum*, in collegio Regum, *locum*, qui ipſis regni jure

obvenit;

obvenit; nec *titulos* ex antiquitatis & præſtiti officii merito promanantes contulit unquam, aut in præſens confert; variiſque, quotquot contrà ſentiunt, incommodis obrui neceſſe eſt; fixum ratumque æternum eſto: 1. Ludovicum XIV, quia *primo* inter Chriſtianos *regno* præeſt, *Regum* hodiernorum *primatem* eſſe. 2. *Primogenitum eccleſiæ* ideò cenſeri, quia Clodoveo, qui primum regnum Catholicum fundavit, legitimè ſucceſſit, ejuſque jure univerſo, velut hæres ex aſſe nititur. 3. Vel hoc nomine qui *primogeniti* titulum ex unctione derivant, erroris coargui poſſe; quod ſi ex unctione quâ Franci ſoli conſecrantur, tituli eorum profluant, non *primogeniti* aliorum poſt genitorum comparatione, ſed *unigeniti* abſolutè nuncupandi fuerint; quod cæteris, ob Chriſtianam profeſſionem, eccleſiæ filiis injurium, quis vel patientiſſimus ſine ſtomacho audiat? 4. *Chriſtianiſsimi*, *fidei defenſoris*, & *hæreticorum hoſtis* titulos uni ſincerè ſuſceptæ Catholicæ religionis profeſſioni, ſive ſubſequatur, ſive non ſubſequatur unctio, in ſolidum deberi. 5. Inungi neminem, qui titulorum iſtorum re careat; cui confirmandæ & obſignandæ, Regumque conſecratorum, ceu Deo dicatorum capitum, ſecuritati aſſerendæ inſtituta primum unctio. 6. *Vnctionis* ſive *cæleſtis*, eoque *pretioſior*, ſive *terreſtris*, eoque *ignobilior* materia ſit, unum eundemque finem & effectum eſſe. Hoc igitur poſtremum quærendum ſupereſt; *an Regibus noſtris jure regni primis*, *religionis merito* Chriſtianiſſimis, *antiquitatis prærogativa* primogenitis, *ex unctione illa dignationis quippiam accedat.* Cum primum coronandorum Pontificiâ manu principum anno 525 exemplum Conſtantinopoli Ioannes I. Papa ediderit; primam inungendorum in Franciâ Regum auctoritatem, anno 749 deſinente Zacharias Papa dederit; quam praxi ſua Stephanus III anno 754; Adrianus I anno 781; Leo III anno 800 deſinente, aliique deinceps confirmarunt; & Franci, velut normam perpetuo ſecuti ſunt; uni Francorum genti novo invecto ritu providiſſe, ſolis Francorum Regibus id honorificentiæ, ut conſecratione, quam inſtituit, prævià ad avitum ſolium ducerentur, detuliſſe Eccleſia Romana viſa ſit; ejuſque conſilia & facta ut fruſtranea, ne ſi velint qui morigeros filios ejus ſimulant Hiſpani aſpernari audeant; vel ingratiis eorum ſequatur oportet, ut quod illa ad majorem dignationem facere judicavit, quoſque præcipuo, imò ſingulari cultu proſequi dignata eſt, judicio quod illa ante annos 900 tulit, reverenter obſecuti, ad præcipuum gentis quam cohoneſtandam putavit decus, honoriſque, ut ſic dicam, cumulum pertinere fateantur; quos illa conſtanter coluit, colendos cenſeant; quos denique cæteris prætulit, præferendos credant; ut quod olim de Clodoveo Regum ſeculi V facile primo, ante annos 1150 Avitus pronuntiaverat, in Clodovei poſteris ac hæredibus locum uſque nunc habere agnoſcant; *de toto priſcæ originis ſtemmate ſola nobilitate contenti, quicquid omnis poteſt faſtigium generoſitatis ornare, proſapiæ veſtræ à vobis voluiſtis exſurgere. Habetis bonorum auctores: voluiſtis eſſe meliorum: reſpondetis proavis quod regnatis in ſæculo: inſtituitis poſteros quod regnatis in cælo*, &c. Iis enim qui ob regni præcipui culmen, *primi* inter reges erant, ſequentia decora exinde acceſſère, ut ob religionem *Chriſtianiſsimi*; ob antiquiſſimi in Catholicis Regibus hæreditatem *primogeniti*; ob inunctionem ſacroſancti & inviolabiles redderentur, eaque univerſa & ſingula ſummum in quo conſiſtebant primæ inter Reges dignitatis apicem magis ac magis attollerent. Quæſt. VIII.

 In

In gente Carolinâ coronationes ad regna Franciæ utriuſque & Italiæ, ſelectamque Italiæ portionem quæ ab anno 800 Romanum imperium propriè dicta eſt, 44 circiter occurrunt; quarum tres Stephanus III anno 754; tres Hadrianus I. anno 781; unam Leo III anno 800; unam Stephanus V. anno 816; unam Paſchalis I. anno 822; unam Sergius II. anno 844; unam Leo IV anno 849; tres Ioannes VIII annis 875, 78, & 80; unam denique Formoſus anno 896 per ſe procuravit; in univerſum quindecim. Familiæ Capetinæ ad regnum Francorum, ab anno 888 ad 1610, triginta quatuor capita coronata ſunt; quorum unicum anno 1131 Innocentius II. manu propriâ conſecravit: ad imperium Conſtantinopolitanum quinque, quorum primum Honorius III anno 1217; poſtremum Alexander VI anno 1496 coronavit: ad regnum Siculum ex ramo primo Andegavenſi novem, quorum ſecundum Nicolaus IV. anno 1289; tertium Clemens V. anno 1309; ſeptimum Vrbanus VI. anno 1381 diademate per ſe redimivit: ex ſecundo quatuor, quorum primum & ſecundum Clemens VII annis 1382 & 87; tertium Martinus V. anno 1419, corona inſignivit: ad regnum Hungaricum quatuor; ad Polonicum tria coronata reperiuntur: ex Burgundico ad Portugalenſe novemdecim: ex diverſis familiis ad regnum Germanicum ab anno 911 ad hanc uſque diem quadraginta quinque: ex quibus poſt Guidonem à Stephano VI anno 890: Lambertum à Formoſo anno 892: Ludovicum *Orbum* à Stephano VII anno 898: & Beringarium I à Ioanne X anno 915 ad Imperium Romanum propriè dictum & reale, Otho I à Ioanne XII anno 962; Otho II à Ioanne XIII anno 967: Otho III à Gregorio V anno 996: Henricus II à Benedicto VIII anno 1014: Conradus *Salicus* à Ioanne XX anno 1027: Henricus III à Clemente VI anno 1046; Henricus IV à Guiberto Antipapa anno 1083: Henricus V à Paſchali II anno 1111: in univerſum octo ad nominale tantum, cujus res univerſa penes Romanam Eccleſiam eſſet: Lotharius ab Innocentio II anno 1133; Fridericus I ab Hadriano IV 1155: Henricus VI à Celeſtino III anno 1191: Otho IV ab Innocentio III anno 1209: Fridericus II ab Honorio III anno 1220; Fridericus III à Nicolao V anno 1452; Carolus V à Clemente VII anno 1530; in univerſum ſeptem coronati ſunt. In regno Weſogothico tria tantum coronationis poſt unctionem exempla habueramus; in Legionenſi quatuor tantum proferuntur, ex quibus non niſi ſaltuatim repetitum unctionis morem, annis 791, 864, 1037 & 1135 fuiſſe colligere eſt, quandoquidem inter primum & ſecundum, anni 73; inter ſecundum & tertium 174; inter tertium & quartum fere 100 numerantur; quibus exactis abſolutè deſiit. At in Franciæ Occidentalis regno anno 750 primum receptus, nunquam exinde intermiſſus eſt: ad Hiſpanicum Regnum ne unus à Romano Pontifice inunctus; unicus Petrus II Aragonius non auro ſed panis torta ab Innocentio III anno 1202 coronatus eſt. Exhibet Arnulfina una familia ad Francicum & alia regna, Principes viginti quinque; in Carolino ſcilicet ramo quindecim; in Capetino decem à Romanis Pontificibus vel unctos vel coronatos; quibus ſi ad imperium Romanum, tam *reale* quam *nominale* eadem manu conſecratos novemdecim adjungere libeat: quadraginta quatuor capitum numerus exurget; qui quantum inunctionis & coronationis inſtituto à ſe ad Principum decus

decus ac munimen, ante annos 900 ritui tribuerit, toties miniſtri ejuſdem facti Romani Pontifices: quantum Carolinis & Capetinis Principibus, ditionique eorum iidem detulerint: quanti inter Francos, tam Orientales quam Occidentales ſacræ ceremoniæ ſemel receptus uſus fuerit, quem nec deſuetudine antiquandum, nec judicii mutatione ullâ depretiandum putaverunt: ſed continuatis venerationis actibus, quantum in ſe fuit, confirmaverunt: nemini, qui oculis captus non ſit, obſcurum deinceps eſſe ſinet: ſed quicquid de Romanæ Eccleſiæ & Francorum, cui poſtea gentium aliarum conſenſus acceſſit, ſtatuendum videatur; unctionem, cujuſcunque generis eſſe poſſit, primatum non *dare* ſed *ſequi*; Chiffletiumque qui dare perperam credidit, oleum & operam abſolutè perdidiſſe, evidentiſſimum, ex ante demonſtratis, manebit.

Quam præfractè Pii IV auctoritati in hanc uſque diem obnitantur Hiſpani; quibus artibus eorum legatus Franciſcus Vargas Senatui Veneto imponere, & primum, Philippo II Regi, locum aſſerere conatus ſit; quem eventum Venetiis & in Polonia eorum δοξομανία experta ſit, jam vidimus: indigna paſſam ut evincat, Venetos primum aggreditur diſquiſitor, eorum *decretum in pravâ conſuetudine fundatum, eoque reſcindendum eſſe* audacter pronuntians. *Opponunt*, inquit, *Franci conſuetudinem, & dicunt anno* 1558 *à Senatu Veneto decretum, ut legatus Francus ex more præcederet Hiſpanum; adducuntque iſthæc Iacobi Menochii verba:* audio Sereniſſimum Dominium Venetorum aliquando declaraſſe, obſervandam fuiſſe conſuetudinem præeminentiæ ſedendi & ambulandi inter Regis Chriſtianiſſimi & Regis Catholici legatos: ac etiam inter legatos Ducum Ferrariæ & Florentiæ: quo ſane prudentiſſimo conſilio factum eſt, ut nemo eorum conqueri potuerit, cum id placuerit Dominio Sereniſſimo, quod olim illis placuit. *Profectò id placuiſſe Regibus Hiſpaniæ abſolutè nego.*

Senatus Veneti Decretum defenditur.

Pag. 72.

Pag. 75.

Gothofredus de prærogat. cap. 3. conſilio 126. nu. 5.

Quid ni graviſſimum prudentiſſimi Senatus *decretum* adverſariorum pervicaciæ jure *opponant Franci*, & Menochius prædicet? Philippo & Ferrarienſi, qui cauſa cadebant, diſplicuiſſe, neque negamus neque negavit Menochius, à quo quicquid Senatui *placuit*, Hiſpanis *olim* & Ferrarienſibus *placuiſſe* veriſſimè ſcriptum eſt: cui enim, ante Philippum II Hiſpano, & Alfonſum Ferrarienſi evenit, ut Franco & Florentino cedere indignum putaret? ſi quem noverat diſquiſitor, quâ vertigine correptus, nomini ejus lucem invidit? ſed tacito conſcientiæ morſu tortus, alacritatem ſimulat: & ad ſolitas præſtigias converſus, ut *Hiſpanis* Philippi majoribus, quod Senatui Veneto uſque nunc placitum eſt, *placuiſſe negare* videatur, ad Philippum unum, de quo nemo ambigebat, ſe ridicule confert, & cauſam propriam prodit: *profectò*, inquit, *placuiſſe Regibus Hiſpaniæ abſolutè nego.* Quo argumento? *Sic*, inquit, *Petrus Iuſtinianus Hiſtoriæ Venetæ ſcriptor*: atque alia Venetâ in urbe non minor controverſia inter Henrici Galliæ & Philippi Hiſpaniæ Regum Oratores oborta eſt: uterque enim Principum ſuorum potentiam dimetiens, primum & honoratiorem locum apud Principem Senatumque ſibi exhiberi poſtulabat: diuque id Patres decernere recuſarunt, cum ad Pontificem hæc ſpectaret cognitio, nilque ex antiquâ priorique conſuetudine, & quod omnium memoria ſemper obſervatum fuerat, à Senatu immutatum eſt: revocavitque Philippus Rex Oratorem ſuum ex Veneta urbe in Hiſpa-

Lib. 14.

Anno 1556 poſt Caroli V abdicationem.

Vſque ad annum 1558.

Hiſpaniam, *&c.* Vides lector vitilitigatorem qui *Hiſpaniæ Reges* Philippo antiquiores, adverſus Menochium prolaturus videbatur, *unico Catone* Philippo ſuo *contentum*, ſemet obtenſo, oculis tuis, ſipario clam ſubduxiſſe, univerſamque quam acturus credebatur cauſam, vadimonio deſerto deſtituiſſe: cum ſingula Iuſtiniani, quæ pro confeſſis habet, eum validiſſimè refellant. *oborta eſt*, inquit, tempore Pauli IV & Philippi II deſignato *controverſia*; ergò ante non erat, quæ tunc primum *oborta eſt*; nec de ea movenda quiſquam ante Philippum cogitaverat. quî verò *oborta eſt*? Philippus Franci, Francus ſuum non alienum *locum poſtulavit*: quî diremta? *nihil ex antiquâ priorique conſuetudine immutandum* Senatus decrevit; nullumque Hiſpanum qui ſe Franco præferret, antehac auditum aut viſum fuiſſe, palam conteſtatus eſt. quo eventu diremta? *revocavit* [repulſam paſſus] *Philippus Rex Oratorem ſuum ex Venetâ urbe in Hiſpaniam.* Se ergò, cauſa inferiorem viſum doluit, & uſque nunc dolent poſteri.

Quid ad nos, ſi cum Michaele Suriano Franci plurimi primam Regum ſuorum dignitatem ab unguine quod *cæleſte* credebant, præcipue repetivêre? hiſne ad plenam victoriam auxiliis, quæ ſponte quanta quanta ſunt, miſſa fecimus, indiguimus unquam, aut in præſens indigemus? faceſſant ergò procul, quibus neque ſtipati vincimus, neque deſtituti vincimur.

Pag. 76. Sed *ex conſuetudine* ab unctionis opinione *apud Venetos* [de Francis] *introducta, oriri non potuit niſi* erroris vetuſtas, *ut loquitur S. Cyprianus.* Quaſi ve-

Epiſt. 74. rò ab illa una cujuſcunque meriti ſit, opinione dimanaverit, quam longè aliis firmamentis niti, docuimus, ubique per Chriſtianum orbem, ab annis 1150 introducta conſuetudo. ut ex fonte falſo *erroris vetuſtatem* in eos apud quos fidem invenit, profluxiſſe demus; veroſne à Merovingis ante ſecula XI apertos, ex quibus auctoritas ejus univerſa ſcaturit, obſtrui ſinemus? Pergit

De Velandis virginibus cap. 1. ex Tertulliano adverſarius; *veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium regionum. Ex his enim ferè conſuetudo initium ab aliquâ ignorantiâ vel ſimplicitate ſortita, in uſum per ſucceſſionem corroboratur, & ita adverſus veritatem vindicatur.* Non negamus; ſed Regum noſtrorum jus, *conſuetudine* quam veri *ignorantia* aut *ſimplicitas* invexerit; non ipſa veri ab Hiſpanis, aliiſque Europæis à ſeculis undecim confeſſi evidentia niti, improbè confictum meritò contendimus; & refragari auſos, veterum quibus teſtimonii jus ante detulimus, auctoritate revincimus.

Concil. Sardic. Inſtat rurſus; *Magnus Oſius, Cordubenſis Epiſcopus, conſuetudinem ejuſmodi, quæ contra veritatem eſt, non modo vocat* malam conſuetudinem, *ſed* pernicioſiſſimam rerum corruptelam. Eſto; quis hæc ſanus ad priſcum Reges noſtros præ aliis colendi morem, in Hiſpanorum hodiernorum gratiam trahat; veroque obniti reputet, qui Clodoveum Reges omnes coætaneos ſupereminuiſſe, univerſum Weſogothorum Hiſpaniæ incubantium robur ad Francorum pedes anno 507 dejectum fuiſſe, Gothos & Langobardos Francis aliquanto poſt, tributum quotannis pendiſſe, ipſoſque Hiſpanorum Reges, Regum ſe noſtrorum proprios ante annos ferè 900 vocare non dubitaſſe, meminerit? non igitur *veritati contraria* eoque *mala*, & *corruptelis* accenſenda; ſed ex veri & officii conſcientia orta primas eis deferendi *conſuetudo* fuerit. Addit; *Eques Germanus, qui de ſplendore Romani Imperii contra Caſſanum ſcripſit, verè ſic loquitur:* quæcunque dignitas nullo juris titulo, quo legitimè aliquid

aliquid acquiritur, fundata eſt, ea non tam dignitas, quam arrogantia & ambitioſa uſurpatio dicenda eſt. *Equeſne* an *pedes Germanus* ille fuerit, noſtra non refert; verba ejus quorum veritas certiſſima eſt, Regum noſtrorum *dignitatem*, quam univerſæ Europæ, Hiſpanorumque perpetuus ad annum uſque 1556 conſenſus aſſeruit, percellere nequeunt; ſed *arrogantiam* Hiſpanicam, cujus prima germina Senatus Venetus decreti ſui falce feliciter demeſſuit, transverberant, *nulloque juris*, quod aliena invadere vetat, *titulo fundatam* exſufflant. De vocabulis quorum ſenſus clarus ſit, qui litigare indignum putaremus, ambigua & ad alienum ſenſuum detorta ne ferre cogamur, *imperium* de cujus *ſplendore* Eques Anticaſſanus ſcripſit, non propriè *Romanum*, cujus res univerſa ad Eccleſiam Romanam ante 500 annos tranſiit, ſed *Germanicum* dici debuiſſe monemus; cui quiſquis *Romani* titulum adſcripſerit, *nominale* tantum non *reale* animo conceperit.

Vbi confirmatam Senatus Veneti decreto *conſuetudinem ex unctione à Francis jactata ortam* fabulatus, eam velut *meram corruptelam* durius exagitavit, decretumque de ea conditum *reſcindendum* pronuntiavit, in hæc deſinit; Senatum *ſi non mea, certè Liboſi Epiſcopi moveant verba:* in Euangelio dixit Dominus, *ego ſum veritas*; non dixit, *ego ſum conſuetudo.* Itaque veritate manifeſtatâ, cedat conſuetudo veritati. *Plane reſpondeo, quis dubitet veritati manifeſtatæ debere conſuetudinem cedere?* Veritati contrarios mores ſemper averſati nullo, qui nos ad falſorum & corruptelarum odium excitet, monitore opus habemus; meliora & veriora undecumque ſe offerant, nec reſpuimus unquam, nec in futurum (Deo dante) reſpuemus; ſed quam nobis, aut Senatui Veneto ante occultam *manifeſtavit veritatem*, quem veritati inimicum morem in Venetâ republicâ prævaluiſſe, docuit diſquiſitor? paucorum qui *totam Franciæ dignitatem ac majeſtatem in ampullâ Remigiana conſiſtere*, & ex ea promanare vigilantes ſomniaverant, errorem fœdum univerſis noſtris per calumniam imputans, Chriſtiano orbi, ac imprimis Venetis fucum facere conatus eſt, eoque nomine obtenebrati per nefas veri pœnas bonis omnibus; Venetorum quos à recta ſententia abducendos ſperavit, pueris perpetuum ludibrium debet.

Concil. Carthag. Ioan. 14. Auguſt. de bapt. contra Donat. lib. III, cap. 7.

Qui Senatus Veneti graviſſimum æternâque memoriâ digniſſimum decretum in ſpongiam incumbere inverecundè juſſerat, Polonico Regno, quod noſtrum pro merito æſtimare ſciebat, nihilo æquior, gentem univerſam pro tribunali quod ſibimet erexit ad cauſam dicendam vocat; imo inauditam damnat; *alia*, inquit, *de legatis Regum prava eſt conſuetudo apud Polonos, ut quiſque prior Poloniæ fines ingreſſus ſit, prior ſit in ordine dicendi & ſedendi. Id quod in Comitiis Pruſſicis Stumbsdorffianis Georgius Duglaſſius, Regis Magnæ Britanniæ Legatus (qui Claudio de Meſmes Legato Regis Franciæ præcedentiam negabat) meritò improbavit, & Cancellariæ Polonicæ ſtylum acriter redarguit.* De *conſuetudine* illa duo meritò quæri poſſunt; 1. an ſit, de qua antehac nihil auditum eſt; quamque anno 1572 nondum invectam ex ætatis illius hiſtoria colligimus. 2. an *prava*, ſi nunc obtineat, dici mereatur; quæ rixarum de primatu inter æmulas gentes exoriri ſolitarum occaſionem amputat; qui enim maturius advenientibus, primum velut in diligentiæ præmium locum nullo dignioris diſcrimine habito aſſignant, nihil de hoſpitum, majore vel minore merito decernunt; qui verò præcurrentibus cedere præter

Polonorum conſuetudo. Pag. 77. Ex relat. M. S. anni 1635.

 votum

votum coguntur, nihil dignitati ſuæ detractum certi, uni tarditati ſuæ imputare debent, ſi quid infra dignitatem experiantur: nobis qui curioſi in aliena republica Chiffletii exemplo eſſe nolumus, inefficax ejus argumentum eſſe videtur; *Legatus Britannicus Cancellariæ Polonicæ ſtylum acriter redarguit*; ergò *redargui* ſtylus ille meruit: quandoquidem tam potuit qui cenſorem alieni regiminis egit peccare, quam ii quos cenſoria virgula perculit ab officio deflectere; neque improbanda magis aut incommoda poſt Britanni appulſum, conſuetudo Polonica fuit quam ante fuerat. Sed cur incommoda viſa eſt? *præcedentiam* Francico *negabat*. Bona verba: cur ergo eam *negaturus*, illi ipſi cui *negaturus* erat, quemque primas occupaturum noverat, non prævertit? æquumne fuiſſet, ut qui occaſione uti noluerat, alienæ libertati vim inferret: eamque ad quam miſſus erat gentem arbitrio proprio & priſcis moribus regi vetaret? *præcedentiam negaſſe* improbabile videri jure poſſit: quo enim obtentu illius miniſter negaſſet, cujus atavus, Matthæo Pariſienſi teſte, Francico qui eum Lutetiæ ut collegam & ſororium decebat exceperat, tanquam dignitate minor more majorum aſſedit, & poſteris ne criſtas altius attollerent, auctor fuit? *negaſſe* tamen demus: cum gens Anglica Francicæ ſemper detulerit, prout ex publicis monumentis conſtat, quo alio quæſito colore *negaverit*, quam [a] ante annos 300 Eduardus III, qui regni Francici titulos ad ſe devolutos inique poſt hominum præſtitum contendit; aut [b] antè annos 230 Henricus V, qui expunctos [c] à proavo manu propria, quos injuria ſumpſerat, titulos poſt annos 20 reſumpſit, uſurpatique regni poſſeſſione dejectus, vanum, cuique reale nihil ſubeſſet, nomen ad eos qui poſteà in Britanniâ regnarunt, malè tranſmiſit? jure ergò non Britannici, quod actu poſſidebat delegans, ſed Francici regni cujus titulos inanes geſtabat, adverſus Francicum miniſtrum Duglaſſius inſurrexerit, eoque ipſo Chiffletiana adverſus Francicam majeſtatem machinamenta everterit, quod Franco reali, non Anglum Anglici regni ſolo jure fretum, ſed Francum nominalem Britannicorum regnorum viribus ſubnixum, perperam irritoque conatu oppoſuerit, in Polonos juſtos rerum æſtimatores incidens, qui Majorum exemplo, Francici regni Legatis conſuetum honorem detulerunt, eique inhiantibus, quantum neceſſe fuit obſtiterunt.

a Anno 1337.

b Anno 1420 Maji 1.

c Anno 1360, Maji 7.

Legato Francico qui primum locum ſemper tenuerat, calamum manu propria Poloniæ Rex porrexit, ut ſecundus ab ipſo pactis ſubſcriberet, quod & præſtitit præſente & ringente Duglaſſio.

Huc uſque confutandis adverſus Francicum primatum magno molimine à diſquiſitore congeſtis incubuimus; minutiora deinceps, & à propoſito aliena, ne cauſæ noſtræ quomodocunque officere videantur, ad juſtas accuratioris examinis lances revocabimus. 1. Anonymi imperiti, qui poſt annum 720 *geſta Francorum* nugis puerilibus conſpurcavit, ridiculum, de Trojanâ Francorum origine, commentum, quod rudibus & fabularum avidis antehac placuit, ſæculi noſtri eruditioris Francis malè imputat, gentemque univerſam cum Trojanis & Romanis Palladii & Ancilis, quæ cœlo lapſa volebant, cuſtodibus pari fide componit. 2. Vulgi, cui Stephanus Forcatulus I C. Toloſas non ſine nominis labe abblanditus eſt, de ſcuto liliato ad Clodoveum in *Gaudii valle* cœlitus miſſo, anilem fabulam injurioſè recoquit; cum tamen exſufflatam ante annos 100 à Ioanne Tilio Curiæ Pariſiacæ Notario, Ioanne ejuſdem germano Meldenſium Epiſcopo, Bernhardo Girardo Hallianio Hiſtoriographo, Claudio Faucheto Curiæ monetalis præſide, Scipione Dupleix hiſtoriarum Scriptore, Guilhelmo Marloto S. Nicaſii Remenſis

De Trojanâ origine.

Diſquiſit. pag. 2.

De ſcuto liliato.

Diſquiſit. pag. 3.

Magno Priore, qui ſcuti trium buffonum figuris ſignati figmentum ex impuris Hunibaldi ſuppoſititii lacunis hauſtum monet, fuiſſe non neſciat; imò nullum in tota tomorum quinq; ab Andrea & Franciſco Cheſneis editorum compage, mille annorum hiſtoriam complexa, miraculi indicium exſtare fateatur: alia nos inſuper notabimus quæ moti cerebri deliramentum manifeſtæ abſurditatis convincant. 1. Quod *Gaudii vallis* cœnobium ſub Præmonſtratenſis ordinis regula anno 1120, à Clodovei morte 609 inſtituti, à Bartholomæo de Roya Philippi II Magno Camerario anno 1221 in Petronillæ de Monteforti uxoris Alode fundatum & *Gaudii vallis*, non ob cœlitus demiſſum ſcutum aliquod, ſed ob felicem in media *lacrymarum valle* ſpirituali gaudio perfuſorum fratrum ſtatum dictum ſit. 2. Quod nullum regum noſtrorum ante Ludovici VII anno 1137 patri ſuffecti tempora, ſigillum liliatum exſtet. 3. Quod Ludovicus VII ejuſque exemplo Philippus II & Ludovicus IX, lilium unicum geſtaverint. 4. Quod liliorum indefinitum numerum non Odo anno 898 ineunte denatus, ſcuto ſuo primus impreſſit, ut Ioanni Tilio Meldorum Epiſcopo perſuaſum fuerat; ſed Ludovicus VIII anno 1223 ad regnum evectus; cujus exemplum Reges alii plures ſucceſſivè ſecuti ſunt. 5. Quod Robertus Drocarum Comes, Petrus Curtiniaci Dynaſta, Ludovici VII germani, Hugo Magnus Veromanduorum Comes eorum propatruus, & Robertus Burgundionum Dux Hugonis patruus ſcuto liliato non uſi ſint; quia nullum ante viderant; primuſque alluſione ad nomen proprium facta Ludovicus VII, qui *Loïs* vulgo vocabatur, lilium, quod ex Francici idiomatis uſu *lis* dicitur, pro inſigni eodem jure ſumpſerit, quo Hiſpani Legionenſis regni ab indigenis *Leon* nuncupati, *Leonem*, Callæci *Calicem*, Caſtellenſes *Caſtellum*, Granatenſes malum punicum ſeu *granatam* ſibi vindicarunt. 6. Quod ante annum 1146 quo cruce cum Conrado III ſignatus eſt Ludovicus VII, ſive liliati, ſive teſſerâ aliâ inſignis ſcuti, nullus in regiâ familiâ uſus fuiſſe videatur. 7. Quod in Gaudii valle aſſervatum ſcutum ſub Philippo III qui lilia ad ternarium numerum reducendi primus exemplum dedit; vel ſub Caroli VI qui reduxit, eodem ſymbolo uſis poſteris, pictum ex neceſſitate fuerit. Pag. 2.

Scuto liliato ſuſtentando appictos à Francis Angelos, quod Angelico miniſterio ad Clodoveum perlatum crederent, fruſtra perſuadere nititur: quandoquidem ſigilla Regum ante Ludovicum VII nulla exſtant, quibus ſcutum ſive liliatum, ſive teſſerâ aliâ inſignitum, inſculptum ſit; reique in natura nondum exiſtentis ſuſtentacula quærere & efformare abſurdum eſt; quod enim abſolutè non eſt, ſuſtentari nullo modo poteſt: ſed ubi ſcutorum in ſigillis uſus aliquis eſſe cœpit, de Telamonibus qui cogitarent ſtatim ſuborti ſunt: eorum verò qui ſcuto Angelos cuſtodes adjunxerunt, hæc propriè mens fuiſſe videtur, ut ſe ſuaque omnia Angelico patrocinio commiſſa inſinuarent, plenamque fidem facerent, ſibi, quod Scriptura expreſsè docet, perſuaſiſſimum eſſe, *Angelum Domini in piorum circuitu caſtrametari*; imò Dominum Angelis ſuis *de ſuſtollendis piis, ne forte pes eorum in ſcopulum impingat*, *mandatum dediſſe*: hac mente Roceii Comites Petrapontani qui ſcuto ſuo ſanctos Mauritium & Georgium ad heroicæ fortitudinis ſymbolum ſuſtentando elegerat, & Montiſmoranciaci Dynaſtæ qui anteà ſuum canibus hinc inde ad fidelitatis indicium munierant, Angelos cuſtodes poſteà appoſuerunt; quos etiam Carolus VI de Clodoveo ne cogitans, cæteris ſuſtentaculis poſt

De Scuti ſuſtentaculis. Pſal. 34. Pſalm. 91.

 annum

annum 1380 prætulit: Carolus VII qui cervos alatos ad celeritatis ſignum initio poſuerat, paternum tandem exemplum ſecutus eſt; filioque Ludovico XI Ordinis S. Michaelis inſtitutori, & Carolo VIII nepoti ſequendi auctor fuit: Ludovicus XII Caroli patruelis, hyſtrices Ludovici Aurelianorum Ducis avi teſſeram, quâ ſe ad inculpatam defenſionem, & hoſtium propulſationem natum profitebatur, toto vitæ tempore ſervavit: Franciſcus, & quotquot ei ordine ſuffecti ſunt Reges, Angelicos Atlantes à Carolo VI, aliiſque ante notatis Carolo VI prioribus, ad cœleſtis auxilii fiduciam teſtandam adſcitos maluere; quo facto, nec miſſum divinitus Clodoveo ſcutum liliatum; nec ſibi ſolis deputatam, quæ piis omnibus promiſſa eſt, Angelicam cuſtodiam; ſed ſe cum cæteris fidelibus ſub Angelico præſidio vitam agere confirmarunt, & uſque nunc confirmant.

Diſquiſit. pag. 2. De auriflammâ. Stephani Forcatuli de *auriflammâ* ſeu *S. Dionyſii vexillo* verba à Scipione Dupleix, & Guilhelmo Marloto, prout ipſemet notat, confutata ad invidiam recoquit; & lectorem ad *nova* quæ ipſe accendere viſus eſt *lumina* quaſi eo recurrere neceſſe eſſet amandat; inter *pignora de cœlo miſſa, Imperii Gallici ſempiterna, vexillum ſplendidum, purpuram ætheream confitens,* numeraverat Forcatulus; quem ipſa *auriflammæ* vox erroris monere potuiſſet, cum *aurum flammeum* & *rubricans* à *purpurâ* quacunque longe abſit, verius in *novis luminibus* Chiffletius *ab igne auri, & Sandarachæ, cui flammeus color à Plinio tribuitur,* nomen auriflammam traxiſſe ſcripſit; ſed hac in parte fallitur, quod *aurea prætextam fimbria* putavit; quandoquidem *vexillum ſimplex, Cendalo ſimplice textum, ſplendoris rubei,* ſericâ fimbriâ non aureâ prætextum fuit, prout ex veteri Flandriæ Chronico conſtat; cujus hæc de prælio Caſſellenſi anno 1328 Auguſti 22 commiſſo verba ſunt; *Meſſire Miles de Noyers, eſtoit monté ſur un grand deſtrier couvert de haubergerie, & tenoit en ſa main une lance, à quoy l'Oriflamme eſtoit attaché, d'un vermeil ſamit, à guiſe de Confanon, à trois queuës, & avoit entour houpes de verte ſoye:* id eſt, *Dominus Milo de Nuceriis, procero dextrario catafracto vehebatur, lanceamque manu geſtabat qui auriflamma è rubeo ſamido, Gonfanonis inſtar, in tres pinnas deſinens, & ſerici viridis floccis circumdata affixa erat.*

Lum. pag. 232. Vexilli hujus originem cœleſtem reputantes Guilhelmus Gujartus ante annos 300 velut ex profeſſo confutavit, à Dagoberto Rege qui S. Dionyſii Monaſterium circa annum 636 fundavit paratum referens; ſic enim ille in Romanſo regiorum ſtemmatum: *li Roy Dagobert la fi faire,* id eſt, *Dagobertus Rex confici juſſit;* ſed quod addit, *devant luy porter la faiſoit toutefois qu'aller li plaiſoit bien attachee en une lance,* id eſt, *coram ſe id lanceæ validè affixum deferri jubebat, quotieſcunque procedere decreverat;* duplici nomine ſuſpectum fit; nam I. Dagobertus per ſe adverſus hoſtes nunquam duxit; cum non duxerit; vexillo ſacro nunquam ad exercitus munimen indiguerit; 2. Poſt fundatam S. Dionyſii Baſilicam, paratamque auriflammam vix ad ſeptennium vitam produxit Dagobertus; quo regnante, imo toto Merovingorum poſteriorum tempore, tanta *Cappæ* Martinianæ dignatio fuiſſe videtur, ut præcipuo in bellicis expeditionibus loco eſſet; ab ea ſacrarium regium *Capellæ*; ſacrarii cuſtos *Capellani* nomen ſortiretur: Cæſarauguſtanos Childeberti exercitu vallatos, *in tantâ humilitate ad Deum converſos fuiſſe, ut induti ciliciis, abſtinentes à cibis & poculis, cum tunica beati*

Cappâ Martinianâ.

Gregor. Tur. lib. 3, cap. 29.

 Vincen-

Vincentii Martyris, muros civitatis pſallendo circuirent; traditam ab ipſis in libertatis pretium tunicam ſacram, conditamque à Childeberto domum reverſo in Pariſienſi ſuburbio B. Vincentii memoriæ Baſilicam, noverant Franci; qui procedente tempore, ſed poſt Gregorii Turonenſis, qui de Martinianâ *Cappâ, Cappella* & *Cappellanis* nihil habet, dormitionem, ſimile de *Cappâ* illâ quippiam ſtatuiſſe dicuntur; quoque modo Cæſarauguſtani rebus in arctis B. Martyris tunicam deportaverant; quotieſcumque poſcere neceſſitas viſa eſt, ad regni bello impliciti tutamen, B. Martini pallium è Sacrario depromptum, ſublime ante exercitum deferrent. Hinc Walafridus Strabo divitis Augiæ ab anno 842 ad 849 Abbas *de rebus eccleſiaſticis* cap. 31, *dicti ſunt primitus Capellani à Cappa Beati Martini, quam Reges Francorum, ob adjutorium victoriæ, in præliis ſolebant ſecum habere: quam ferentes & cuſtodientes, cum cæteris Sanctorum reliquiis Clerici, Capellani cœperunt vocari.* Anonymus S. Galli Monachus qui *de Eccleſiaſtica* Caroli Magni cura ad Carolum Craſſum Magni pronepotem inter annos 880 à Walafridi obitu 31, & 888 ſcripſit cap. 4. *de pauperibus ſupradictis quendam optimum dictatorem & ſcriptorem in Capellam ſuam aſſumpſit, quo nomine Francorum Reges propter Cappam ſancti Martini, quam ſecum ob ſui tuitionem & hoſtium oppreſſionem jugiter ad bella portabant*, ſancta ſua *appellare ſolebant.* Honorius Auguſtodunenſis eccleſiæ presbyter poſt annum 1200 in *ſpeculo Eccleſiæ*, ſermone de ſancto Martino, & libri *gemma animæ* inſcripti capite 128: Guilhelmus denique Durantes Mimatenſis eccleſiæ Epiſcopus anno 1286 denatus, *rationalis divinorum officiorum* lib. 2. cap. 10. Walafridum, alioſque priores imitatus eſt, inter quos Honorius nullo exemplo munitus, Martinianam Cappam ad vexilli modum ante reges prælium commiſſuros portari quondam ſolitam refert; cæteri non de haſtili ſuſpenſam, aut ætate ſua in exercitu quomodocunque geſtatam, ſed in regio comitatu olim *portatam*, & ob ejus cuſtodiam regio ſacrario præfectos *Capellanos* primum dictos certius narrant; cum Fulradus S. Dionyſii Abbas ab Eginhardo ad annum 753 *Archicappellani* titulo inſignitus reperiatur; quem circa annum 774 Angilrammus Metenſis, ab anno 794 ad 807 Hildeboldus Colonienſis, exinde Hilduinus S. Dionyſii Abbas Walafridi coætaneus, aliique ſucceſſive geſtarunt; verum à ſeculis aliquot regiæ *Capellæ* in quâ *Cappa* repoſita fuit præſules antiquato *Archicappellani* nomine, magnos Eleemoſynarios vocamus.

Caroli *Calvi* regno ad finem inclinante, cum Ingelgerius Andegavorum Comes Autiſſiodoro Turones B. Martini corpus revehi curaſſet, ei & ſucceſſoribus in præmium navatæ feliciter operæ *præbendam Eccleſiæ ſancti Martini, nec non & terrarum ſuarum cuſtodiam* Canonici Turonenſes *contulerunt*; inde verò provenit, ut in bellicis expeditionibus B. Martini vexillo uteretur; prout ex his ritualis Turonenſis verbis colligere eſt, Ipſe *habet vexillum B. Martini, quoties vadit in bello, præterquam contra Regem Franciæ, quod homines caſtri novi ſequuntur, Domino de Pruliaco illud ferente*: acceſſit anno 978 nova dignitas, nam Lotharius *Calvi* abnepos, Gaufrido Griſagonellæ Ingelgerii pronepoti ſua in Andegavis & Cenomanis univerſa commiſit, & aliquanto poſt *ob inſignia ſummi & ſingularis meriti in præliis ſigniferi, & in coronatione Regis, dapiferi*, in poſteros tranſmittendum munus delegavit: ſed qui regni ſignifer factus fuerat in propria cauſa non regium, ſed

Chron. Turon. hiſtor. Andegav. Conſul.

Hæc Hugo de Clerus ad Robertum Regem perperam trahit; cum Gaufridus anno 987 Iulii 22 deceſſerit; Ianuarii ſequentis primo, regnum Robertus inierit.

Martinianum vexillum Majorum more prætulit, *anno* 1043 *Henrici Regis* 12 *Comes Andegavenſium Gaufridus Martellus nomine*, *Nerræ* filius & Griſagonellæ nepos, *vicit in bello Theobaldum Comitem Blezenſem*, *& eum cepit* &c. *nam Comes Andegavenſis vexillum beati Martini in illo bello*, *ſicut conſuetudo eſt, habebat.* hic nonnulli *S. Martini vexillum* de *Cappâ* ejus quam Honorius vexilli loco lanceæ aliquando appenſam ſcripſerat, interpretantur; ſed cum Walafridus eam ante annum 849 Reges *ſecum portare* deiiiſſe aſſerat, S. Martini vexillum, ab Andegavorum Comitibus Ingelgeri poſteris adverſus hoſtes ducentibus, eorumque ſignifero Pruliacenſi geſtari ſolitum, de communi Eccleſiæ Turonicæ labaro intelligere longe convenientius eſt.

Quomodocunque autem de *ſacro* illo *vexillo* ſentire libeat, *auriflammæ* ſeu Labari Dionyſiani, nullum in Regum expeditionibus niſi poſtquam Martinianum præferri deſiit uſum fuiſſe clarum eſt. Robertum Regem anno Regni poſt Hugonis patris deceſſum primo, vexillum Dionyſianum in expeditionibus hoſtibus objeciſſe ex chartæ ante annos 28 à F. Iacobo Doublet editæ ſubjectis verbis Chiffletius colligit; *cupimus SS. Martyrum Dionyſii*, *Ruſtici & Eleutherii*, *quibus olim omnem ſpei noſtræ fiduciam commiſimus*, *patrocinia promereri*; *quatenus hoſtibus noſtris & victrices dextras inferre*, *ac cum triumpho victoriæ, invicta* (*annuente Deo*) *exinde de eorum ſubjectione vexilla referre*, &c. *Reginaldus Notarius vice Abbonis Epiſcopi ſummiq; Cancellarii recognovit & ſubſcripſit. Data octavo Kalendas Februarii Indictione* XI, *anno primo regnante Roberto Rege glorioſo. Actum Monaſterio S. Dionyſii I. D. N. F. A.* Sed adulterinum & inutile diploma nobis hic ab eo qui *Nova lumina* & *Faculas* inſperatas lectori promittebat obtrudi hiſtoriæ noſtræ peritus nemo dubitabit: cum enim ab anno 990 ad vitæ finem bello nullo infeſtatus Hugo *Capetus*, pacatum imperium Roberto filio reliquerit; qui turbis nullis implicitus ante annum 999 & 1002 regni quintum vixit, anno vero 998 hoſtes adverſus quos duceret non habuit, eoſdem illo ipſo anno, qui regni primus, oppugnaturus ridiculè fingitur. 2. Qui Lotharii regnum non tenuit, regno illo comprehenſum nihil Dionyſiano Monaſterio donare potuit; non tamen dubitavit, chartæ ſub ejus nomine ſcriptæ auctor, eum in Alſatia ſita donantem ſubornare, *Lebraham*, inquit, *Abbatiam & Blitheri villam, ac Cochelingas*, *cum integritate largimur*: *& de duabus villis medietatem eis, videlicet ex Condato & Gernuſta* &c. 3. Qui Robertum Regem ea quibus carebat, quæque extra ſubjectæ ditionis fines poſita, & hoc ipſo aliena, nemini *largiri* poterat, Dionyſianis *largitum* mentitus eſt; illa ipſa quæ à Fulrado abbate ante annos 250 ipſis donata fuerant, quæque actu poſſidebant, Roberti Regis *largitione* qua nequaquam indigebant ad eos tranſiiſſe ſtultiſſimè commentus eſt. quod ut manifeſtius evadat, en Caroli Magni Fulradi donationem confirmantis verba; *cognoſcat utilitas ſeu ſagacitas omnium fidelium noſtrorum* &c. *quia fidelis & venerabilis Abbas noſter Fulradus* &c. *acceſſit ad clementiam noſtram deprecans & petens, ut præceptum auctoritatis & confirmationis noſtræ ei tale fieri & adfirmari ex omnibus rebus ſuis dignaremur*, *qualiter prædicta ſancta Baſilica ſupradictorum Martyrum Dionyſii & ſociorum ejus perenni tempore in noſtra & ſua eleemoſyna perpetuâ obſervatione ipſas res tenere & poſſidere debeant, ſicut in præceptis & chartis ipſius Fulradi plenius deſcriptum habetur*: *videlicet in Pago Alſacince Cellam ſancti Alexandri*, *ubi ipſe corpore requieſcit*, *cum*

Lum. ſal. pag. 132.

Anno 999 adverſus Odonem Campanum; 1002 adverſus Othonem Guilhelmum Burgundum arma corripuit.

Antiquit. Dionyſ. pag. 717.

Lebraha pag. 779. pag. 781.

cum omnibus appenditiis & pertinentia ſua, &c. *cum Blithario villa, ſuper fluvium Saroa*, &c. *Datum* 16 *Kalend. Octobris anno* 22 *&* 18 *regnante Domino noſtro Carolo glorioſiſſimo Rege. Actum Duria Palatio regio publice, in Dei nomine feliciter, Amen.* 4. Anno 998 Ianuarii 25 Hugonem Roberti primogenitum utero materno nondum eductum, quaſi jam natus fuiſſet, Dionyſianorum precibus inconſideratè commendat; *Sancta*, inquit, *congregatio pro nobis & filio noſtro Hugone, & omni noſtra progenie, & pro omni imperio noſtro, Domini miſericordiam & ipſam Sanctorum valeant attentius exorare*, &c. Atqui Bertam Odonis Comitis relictam, propinquam & commatrem anno 996 duxit, toto paterni regni tempore domi retinuit, prout ex his vetuſti hiſtoriæ Francicæ fragmenti verbis conſtat; *agnoſcens Papa Gregorius* [à Roberto commatrem ductam] *totam Franciam anathemate percuſſit. Porro Rex amore ejuſdem mulieris plus juſto detentus, nequaquam eam dimittere voluit, donec Omnipotens per ſe corrigere eundem Regem ſtuduit. Dum enim de eodem Rege eadem mulier concepiſſet, credens ſe parituram filium, peperit monſtrum. Quæ res Regem perterruit, & librum repudii eidem mulieri dare compulit. Quo facto, abſolvi cum toto ſuo meruit regno.* Ioanni xvi, anno 996 Iunii 12 Feria 1 ſuffectus Gregorius v, aliquanto poſt Bertam Roberto ſociatam audivit; ei niſi ab eadem diverteret minatus eſt: ad minas obſurdeſcentem anathemate anno 996 deſinente, vel 997 ineunte perculit: anathematis vinculis innodata Berta uterum geſtavit, nec ante anni finem, & Capeti Soceri anno 997 Octobris 24 denati dormitionem, monſtroſum partum enixa eſt: cum *anſerini colli* in recens edito fœtu deformitas pœnalis videretur, patrem ad puerperæ repudium compulit; jam Gregorio v reconciliatus, Conſtantiam Guilhelmo Arelatenſi natam duxit, quæ Hugonem anno 998 deſinente, vel potius 99 ineunte, Roberti patris ſecundo, peperit: quod ex Glabro ætatis ejuſdem ſcriptore confirmari poteſt. Si enim Hugo anno 1026, Septembris 10, feria 7 defunctus, qui *annis florebat mundo juvenilibus, ter denis minus excreverat duobus*, ante Calendas Septembris anni 998 naſci nequaquam potuit, falsòque ante *octavum Calendas Februarias* præcedentes natum, chartæ Roberto Patri ſuppoſitæ ſcriptor voluit. 5. Non minus temerè quam imperitè à *Reginaldo Notario vice Abbonis Epiſcopi ac Summi Cancellarii* chartam *recognitam & ſubſcriptam* finxit: quandoquidem Reginaldus nec *Notarius* dictus eſt, ſed *Cancellarius:* nec Abbonis, qui inter Francicos Epiſcopos Roberto 11 regnante nullus fuit, ſed Adalberonis & Gerberti Archiepiſcoporum Remenſium, ac exinde Rogeri Bellovacenſium Præſulis, vices obiit. 6. Robertum 1 Capeti avum in mente habuiſſe chartæ confictor videtur: is enim *anno* Domini 923 *regni primo indictione* XI *octavo Calendas Februarias*, Hugonem Magnum jam maritum ſanctorum Martyrum patrocinio ſecum committere, felicem belli adverſus Carolum Simplicem ſuſcepti exitum optare, & in regno Lotharingico, quod ſibi vindicabat, ſitorum poſſeſſionem Dionyſianis adjudicare, & Abbone Sueſſionenſi poſt Herivei Archiepiſcopi deceſſum Cancellario uti potuit: ſed tunc de Reginaldo Abbonis vicario nova exurget quæſtio: alius enim à Pariſienſi Burchardo Meloduni Comite, & Eliſabetha nato ex neceſſitate fuerit.

Tom. 4. pag. 85. Hiſtor. Franc.

Lib. 3, cap. 9.

Vtcunque autem de Chartæ auctore & fide ſentire libeat, eam ad *auriflammam*,

flammam, aliaque vexilla ſacra Chiffletii exemplo trahere, nulla nos neceſſitas cogit. quid enim ſeu verus ſeu perſonatus chartæ ſcriptor rogat? *hoſtibus victrices dextras inferre, ac cum triumpho victoriæ invicta de eorum* [hoſtium ſcilicet] *ſubjectione vexilla referre.* atqui hæc univerſa tam ei qui communia vexilla adverſus hoſtes erexerit, quam qui ſacra prætulerit, ex æquo conveniunt; uterque enim voti compos, ſive communia domum reportans, ſive ſacra Dionyſianis reſtituens, *vexilla invicta retulerit.*

Seposita fidei nullius ac planè ἀπροσδιονύσῳ charta, à quo, quâque occaſione in regiis expeditionibus, Labarum Dionyſianum geſtari cœperit inquirendum venit. Quemadmodum Andegavorum Comitibus ob ſingularia de Turonica eccleſia merita, à Martiniano collegio cum *theſaurarii præbenda*, vexilliferi munus in perpetuum delatum fuerat; ad Vellocaſſium Comites Capetinorum Regum propinquos, & Baſilicæ Dionyſianæ clientes primarios, *auriflammæ* ſeu labari ſacri, quandocunque poſcere eccleſiæ neceſſitas videretur, geſtandi poteſtas hæreditaria tranſierat; quam Valerannus Edelgardis Flandricæ maritus, ad Gualtherum *Album* filium Adelhaidis Silvanectenſis maritum tranſmiſit; huic Drogo Vellocaſſium & Radulphus Criſpei Comites nati ſunt; debuiſſetque Radulfus germani ſine liberis defuncti hæreditatem adire;* ſed univerſam invaſit, è propinquo imminens Normannorum Dux Robertus, cujus ex Guilhelmo filio naturali nepotes ejuſdem poſſeſſione in Philippi Regis ac poſterorum gratiam ceſſerunt; eaque exinde ad Tellai Pagi Normanniæ Ducatui annexi diſtinctionem, *Vellocaſſini Francici* vulgo *le Veul que ſin*, ſeu *Vexin François* nomen ſortita eſt: Ludovicus ergò VI regiunculæ hujus poſt patrem potens, regulorum qui eam ante tenuerant morem ſequi officii ſui eſſe duxit. cum enim *Imperator Henricus collecto longo animi rancore contra* ipſum, *eo quod in regno ejus Remis in*
Suger. cap. 25. *Concilio Calixti Papæ anathemate innodatus fuerat, exercitumque quantumcumque potuit Lotharingorum, Alemannorum, Baioariorum, Suevorum, & Saxonum, licet eis infeſtaretur, collegiſſet, alioque tendere ſimulans conſilio Regis Anglici Henrici, cujus filiam Reginam duxerat, qui etiam Regi guerram inferebat, Remis civitatem inopinate aggredi machinaretur, proponens aut eam ſubitò deſtruere, aut tantâ dehoneſtatione & oppreſſione civitatem obſidere, quanta Papa in eum agens ſedit ſeſſione.* Id verò *Regi intimorum relatione innotuiſſet*, &c. *vexillum ab altari* S. Dionyſii *ſuſcipiens, quod de Comitatu Vilcaſſini, quo ad eccleſiam fœdatus eſt, ſpectat, votive tanquam à Domino ſuo ſuſcipiens, pauca manu contra hoſtes ut ſibi provideret evolavit*; quid ſui concilii eſſet chartæ tunc editæ ſubjectis verbis conteſtatus: *præſenti itaque venerabili Abbate*
Lum. lib. 3, cap. 13. *præfatæ eccleſiæ Suggerio* (*quem fidelem & familiarem in noſtris conſiliis habebamus*) *in præſentia Optimatum noſtrorum, vexillum de Altario beatorum Martyrum* (*ad quos Comitatus Vilcaſſini, quem nos ab ipſis in fœdum habemus,*
Vellocaſſini Pagi Comitum. *ſpectare dignoſcitur*) *morem antiquum Anteceſſorum noſtrorum ſervantes, & imitantes, ſigniferi jure, ſicut Comites Vilcaſſini ſoliti erant, ſuſcepimus,* &c. *Actum Pariſius publice, anno incarnati Verbi* 1124, *regni noſtri* 16. *Adelaidis* 10, &c. Sic Ludovicus non qua Rex, ſed qua Vellocaſſium Comes S. Dionyſii vexillifer, *auriflammam* Regum omnium primus ſuſcepit; ſed paulò poſt cum Vellocaſſium Comitatu vexilliferi munus ad Henricum Regis patruelem, & priſcorum Comitum nepotem tranſiit; is enim Hugone Magno Philippi

lippi Regis germano, & Adelhaide Veromanduenſi natus, Heriberto IV, & Adelhaide Criſpiacenſi, Radulfi II & Adelhaidis de Barro ad Albam filia, & Radulfi I qui Drogonis germanus fuit nepte avis gloriabatur: ex Henrico ante annum 1130 à Thoma de Marna cæſo, nulla progenies proceſſit; rediitque confeſtim ad Regem quod paulò ante contulerat beneficium. falluntur enim qui Hugonem Francici Stabuli Comitem, Henrico natum fuiſſe, longamque Quiteriaci Dynaſtarum qui uſque nunc ſuperſunt ſeriem exorſum putant; quandoquidem à Walone Vicecomite de Calvomonte, Wifredo, Walone altero anno 1098 in obſidione Antiochenâ perempto, Hugone Stabuli ab anno 1111 ad 1125 &c. Comite, Ingelranno ante annum 1119 denato, Guilhelmo quem Ordericus Ludovici VI generum fuiſſe notat, & Matthæo ac Philippo Guilhelmi filiis, genus ſuum repetunt; & Vellocaſſenſium, Ambianenſium, Pontiſarenſium, Paciacenſium, Petrafontanorum, Nibelungi Comitis poſterorum propinqui fuiſſe videntur; quibus Calvimontis Vicecomitatus eadem lege ac ordine ante annum 1000 commiſſus fuerit; qua poſt annum 1240 Roberti Drocenſis, Roberto III Drocarum Comite nati poſteri, ſub Comitibus propinquis Drocarum Vicecomitatum tenuerunt: Calvimontenſes certè præcipuæ dignationis fuiſſe, vel inde conſtare poteſt, quod chartis S. Petri in valle Carnotenſis Diœceſis ante Pontiſaræ Dynaſtas, Vicecomites de Calvomonte Quiteriacorum & Trienſium Majores, ſubſcripti nonnunquam reperiantur.

Vellocaſſenſium Comitatum cum vexilliferi munere ad ſe circa annum 1130 revolutum, Ludovicus VI ſeptimo filio cum regno reliquit; qui anno 1147 *in hebdomadâ ſecundâ poſt feſtum Pentecoſtes, prius ordinatis rebus ad iter peregrinationis tantæ neceſſitatis, venit Rex ad Eccleſiam beati Dionyſii à Martyribus licentiam accepturus: & ibi poſt celebrationem Miſſarum baculum peregrinationis & vexillum beati Dionyſii, quod* oriflambe *Gallice dicitur, valde reverenter accepit.* de facto dubium nullo jure fuerit, ſed de facti modo tantum; quod enim vitæ ſcriptor Anonymus addendum putavit, *veniſſe* ſcilicet *Regem, vexillum ut moris erat antiquorum Regum, quando debent ad bella procedere, vel votum peregrinationis adimplere*, accepiſſe, nulla priorum auctoritate fultum eſt; quandoquidem ante Ludovicum VII Regum noſtrorum nemo *peregrinationis votum* emiſit; unicum patrem habuit, cujus *ad bellum* anno 1124 *proceſſuri*, exemplum ſequeretur; nec *more antiquo* agere dici potuit, qui unicum & nuperum facti ſui ducem habuit. Paulò poſtquam cum Turcis ad Meandrum conflixêre Franci, *Gaufridus de Ranconio, unus de nobilioribus Baronibus provinciæ Pictavienſis, Regis Baneriam, quam præcedebat vexillum beati Dionyſii, quod Gallice dicitur* Oriflambe, *geſſiſſe* dicitur; ſed auriflammam, *prout moris erat* Baneriam Regiam *præceſſiſſe* gratis fingitur, quandoquidem unicum in illam uſque diem geſtatæ, in expeditionibus regiis exemplum ſuppetebat.

Vita Ludovici ſeptimi cap. 4.

Cap. 12.

In Pago Ecoliſmenſi. Vexillum liliatum quod tunc primum geſtari cœpit.

Anno 1162 Vellocaſſium Comitatum dotis nomine Margaretæ filiæ, Henrico Iuniori Anglorum Regi pactæ, Ludovicus VII aſſignaverat; ejuſdemque poſſeſſionem Henricus Senior filio ſuperſtes mordicus retinere conatus fuerat. quam ei eam extorſit Philippus Auguſtus, qui anno 1190 *in feſto S. Ioannis Baptiſtæ, ad Eccleſiam beatiſſimi Martyris Dionyſii cum maximo comitatu venit, causâ licentiam accipiendi. Conſueviſſe antiquitus Reges Francorum,*

narrat Rigordus, *quod quandocumque contra hoſtes arma movebant, vexillum deſuper altare beati Dionyſii pro tutela ſeu cuſtodia ſecum portabant, & in prima acie pugnatorum ponebant; quod videntes adverſarii & cognoſcentes, territi multoties terga dederunt.* Sed bina tantum eaque non antiqua, patris ſcilicet ante annos 43, & avi ante 66 exempla quæ ſequeretur, habuit Auguſtus noſter; nec ex ullis hiſtoriæ Francicæ monumentis, vel geſtatam à priſcis Regibus auriflammam, vel ejus viſu conſternatos unquam hoſtes quantumvis lyncæis oculis uſus quiſquam eruerit. Quicquid ſit poſt preces, ſumptumque cum *ſporta peregrinationis baculum, ſtandalia duo decenter inſignita, pro memoria SS. Martyrum, & tutela, contra inimicos crucis Chriſti pugnaturus, deſuper corpora Sanctorum propriis* Rex *manibus accepit. Standalia* illa ab *extendendo* dicta, de vexillis ſacris, Dionyſiano nimirum & Martyris alterius ipſi ignoti interpretatur Chiffletius. ſed ex ipſa regii apparatus apud Guilhelmum Britonem deſcriptione, ex vexillis alterum ſacrum Dionyſii & Sociorum Martyrum commune; alterum regium quod tamen in religioſi affectus ſignum, Deo oblatum, & Sanctorum corporibus appoſitum fuerat, cenſeri debuiſſe conſtat. Anno 1214 Iulii 27 geſtatam iterum coram Rege in Bovinenſi prælio auriflammam refert Rigordus; *Revocatur*, inquit, *vexillum beati Dionyſii, quod omnes præcedere in bello debebat.* & Guilhelmus Brito; Regi *ſatis eſt tenues criſpare per auras vexillum ſimplex, cendato ſimplice textum, ſplendoris rubei, Letania qualiter uti eccleſiana ſolet certis ex more diebus. Quod cum flamma habeat vulgariter aurea nomen, omnibus in bellis habet omnia ſigna præire*, &c. *ante tamen Regem ſignum regale tenebat Montiniacenſis vir fortis corpore Galo*; ut in prima exercitus fronte auriflammam, proximè ante Regem vexillum liliatum geſtatum fuiſſe conſtat.

Cœptum à Ludovico VI, Ludovico VII filio, & Philippo II nepote morem, Reges alii exinde ſecuti ſunt. Sub Philippo Pulchro qui Majorum exemplo Labarum Dionyſianum ſæpius in bellis eduxerat; triſte quippiam evenit, quod Iacobus Meyerus juratus Francici nominis hoſtis in Flandrorum ſuorum merita pœna affectorum gratiam invidiosè exaggerat; antiquus auctor à Nicolao Vignierio laudatus, ad annum 1304 quo prælium in Monte pabulari cum Flandris feliciter commiſſum eſt, hæc de infauſto vexilliferi exitu ſcripſerat; *Dominus Anſelmus de Caproſio* * *miles probatus & maturus, ſtrenuus & fidelis, qui ferebat tunc, & alias pluries tulerat de præcepto Regis, ob fidelitatem & integritatem eximiam, vexillum ſancti Dionyſii, quod vulgariter dicitur Oriflamma, ſitis vehementis æſtu occubuit.* vetus chronicon Flandricum hæc etiam addit; *le lendemain de la bataille, on trouva l'Oriflamme giſant emmy les champs, & toute nuit y avoit geu*; id eſt, *poſtridie auriflamma medio campo jacens inventa eſt, quæ ibidem tota nocte jacuerat. diſciſſam & laniatam* Meyerus: humo à Flandris fugam meditantibus levatam & ſurreptam Guilhelmus Guiartus aſſerit in hæc verba; *l'Oriflamme contrefaite, chai à terre, & la ſaiſirent Flamens, qui apres s'enfuyrent*, id eſt, *auriflamma ad imitationem alterius effícta in terram cecidit, eamque prehenderunt Flandri, qui exinde ſeſe in fugam dederunt.* non igitur cum tota nocte jacuiſſet, poſtridie; ſed ante pugnæ exitum in hoſtium manus venit: eam autem *ſimulatam*, ſeu *ad veræ imitationem effíctam* Guiartus vocat; non quod ex Dionyſiano ſacrario deprompta, & ſolemni ſupplicatione conſecrata

* *Chevreuſe.*

non fuerit : ſed quod antiqui Labari Dionyſiani ἔκτυπον, cujus materia, forma, uſus, conſecratio & conſecrationis ritus conſimiles eſſent, cenſeri deberet. cum enim adverſus hoſtes vexillo ſacro prævio ducebant Reges, Labaro proprio non deſtituebatur Eccleſia; ſed ſibi ſemper ſervabat, quod ad Litanias proceſſura præferret, ſive antiquum quo ab initio uſa fuerat, ſive novum quod ad prioris imitationem efformaverat; hoc verò Anſelmo de Caproſio concreditum fuiſſe voluit Guiartus, cujus hæc verba ſunt; *li Sire de Chevreuſe porta l'Oriflamme vermeille, par droicte ſemblance pareille, à celle, ſe le voir eſgarde, que l'Abbé de ſainct Denys garde*, &c. *Anſeau le Sieur de Chevreuſe, fut ſi comme nous appriſmes, eſteint en ſes armes meiſmes, du trop grand chaleur & retraitte, & l'oriflamme contrefaite chai à terre*, &c. Id eſt, *Dominus de Caproſio auriflammam vermiculatam geſtabat, illi ſi attendere videamur juſta ſimilitudine parem, quam ſancti Dionyſii Abbas ſervat*, &c. *Anſelmus Dominus de Caproſio ſicut didicimus mediis in armis æſtu nimio & receſſu exſtinctus eſt, ſimulataque auriflamma in terram cecidit*, &c.

Illam ipſam quam anno 1304 ad proprios uſus ſibi retinuerant Cœnobitæ; vel certè novum ejuſdem exemplum anno 1315 Henricus d'Erquery in expeditione Flandrica; anno 1328 in Caſſellenſi; anno 1346 in Cariſiacenſi Milo de Nuceriis; anno 1356 in Pictavienſi Gaufridus de Carniaco; circa annum 1374 Arnoldus de Andrehen ex Franciæ Mareſcallo vexillifer; anno 1381 & 82 Petrus de Villaribus; anno 1383 Guido de Tremollia; anno 1388 Guilhelmus de Bordis; anno 1412 Petrus Hutinus dictus de Oſmonte; anno 1414 Guilhelmus Martellus geſtaverunt; quod nec unicam ac ſingularem, nec anno 1304 abolitam fuiſſe indicio certiſſimo eſſe poteſt. Robertus Guaguinus qui circa annum 1512 nullum ejus uſum videbat, *abutentibus auriflammæ ſigno adverſus Chriſticolas Regibus, illud evanuiſſe* putavit: ſed ejus errorem inventorii anno 1534 publica auctoritate ſcripti, & à F. Iacobo Doublet laudati, expreſſa verba revincunt: hæc nimirum, *eſtendard d'un cendal fort eſpais, fendu par le milieu en façon d'un Gonfanon, fort caducque, enveloppé autour d'un baſton, couvert d'un cuivre doré, & un fer longuet, aigu au bout*, id eſt, *vexillum ex cendalo denſiori Gonfanonis inſtar bifidum, caducum valde, baculo ære aurato cooperto, cujus ſummo cuſpis oblonga, acuminata eminet circumvolutum*. hoc ſe propriis oculis poſt annum 1594 luſtraſſe cum Iacobus Doublet referat, in præſentem uſque diem quantumvis obſoletum videatur ſupereſſe. non tamen formæ unius ſemper fuiſſe colligimus; quandoquidem quod anno 1328 in prælio Caſſellenſi geſtatum eſt, trifidum fuit: quod nunc in S. Dionyſii theſauro reconditum eſt, bifidum apparet. Vtcumque ſit, quemadmodum Caroli Magni tempore Martinianæ *Cappæ* ac exinde *vexilli* Andegavorum Comitibus per 200 & quod excurrit annos commendati prima dignitas fuit: quæ paulatim Andegavis ad Hieroſolymitanum & Anglicanum regnum graſſantibus decreſcens, deliquium quoddam nunc patitur: *auriflammæ* ſeu *Labari Dionyſiani* Vellocaſſium Comitibus, quorum cum munere ditio univerſa ad Francorum Reges tranſiit concrediti, gloria & celebritas per annorum 300 decurſum inviolata, ſimulac Andegavorum nepotes Angli Francica omnia affectarunt, ſub Carolo VII repente emarcuit: nec exinde reflorere ad momentum potuit: ſed à Ludovici VI tempo-

 ribus

ribus cum eo Regum devotio inclinare videretur, ſummum Regum vexillum, inſigne regium quod auriflamma vocatur, paſſim audiit; tantumque ei communis opinio tribuit, ut ejus uſum fabulatores à Caroli Magni ſeculo repeterent. Sic enim poëmatis de Witikendo barbarè in *Guiteclin* transformato auctor incertus; *mainte enſeigne y baloie de ſoye tainte en grene l'oriflambe Karlin eſt devant primieraine*, &c. *Les enſeignes de ſoye vont avant baloians, l'oriflambe Karlin ou premier chef devant*; id eſt, *vexilla multa ſerica cocco intincta ventilant, primaria præcedit auriflamma Carolina*, &c. *Præcedunt inſignia ſerica vento agitata, ſed in prima fronte anteit auriflamma Carolina*; quaſi hæc Guilhelmi Britonis verba, *omnibus in bellis habet omnia ſigna praire*, vulgi ſermone exprimere in animo habuerit.

Froiſſard. volum. 1. cap. 164. Monſtrelet. volum. 1. cap. 79.

Præter ſacra è Baſilicis Martiniana & Dionyſiana diverſis temporibus deprompta Labara, alia Regum vexilla fuêre, & uſque nunc ſunt, cæruleum nimirum liliis aureis inſperſum, quod in expeditione Hieroſolymitana anni 1147 Gaufridus de Ranconio geſtare cœpit; in Bovinenſi prœlio anno 1214 Walo de Montiniaco prioris exemplo geſtavit, prout Rigordus, Guilhelmus Brito, Guilhelmus Guiartus & Vincentius Bellovacenſis ætatis ejuſdem ſcriptores ſummo conſenſu docent. album alterum argenteâ cruce erectâ inſigne, quod à Caroli V potiſſimum temporibus adverſus Anglos coccineam crucem erectam & S. Georgii dictam præferentes, in uſum receptum, ad hanc uſque diem decuſſatæ coccineæ Burgundicæ gentis cruci, quam S. Andreæ vocant, & propriam ſibi vendicant Burgundorum nepotes Hiſpani, opponitur, & *Corneta alba* vulgò dicitur; ejus qui Regis ad menſam accumbentis cibos incidere ſolet, proprium Rege præſente geſtamen in armis. Hoc ſignum Carolum VI anno 1411 ſecutum, Ioannes Iuvenalis Vrſinus, & Faecialis Biturix dictus, cujus opus Alano Carterio perperam adſcriptum eſt, in hiſtoria produnt; nec alius exinde mos inductus eſt; ſed quotieſcunque juſtus exercitus conſcribitur, imò quandocunque plures diverſis in partibus coguntur, Corneta alba regii vexilli loco eſt; nec aliud præſente quam abſente Rege, ſignum geſtari mos eſt: inde fit, ut pro exercituum, ſub ſignis ad regni defenſionem conſiſtentium numero, plures vel pauciores Cornetæ albæ uno eodemque tempore attollantur; quarum par per omnia dignatio, cum ſingulæ ſingulis exercitibus regiis tribuantur, & majeſtatis cui univerſæ copiæ militant, indicium ſint. Multa de *Cornetæ* etymo, crucium in ſignis diverſitate, vexilli albi origine, Francicis, Hiſpanicis Caſtellenſium & Aragonum *bandis*, Aragonico hydriæ torque inutilia corradit Chiffletius, quæ nos ſuo loco, cum nec admiſſa juvent, nec exſufflata obſint, relinquere decrevimus. nonnulla tamen ſunt quæ correctione indigeant; nam 1. quod bandas ſeu faſcias albas à ſiniſtro humero in dextrum latus protenſas à partis Aurelianenſis ſub Carolo VI primario Duce Bernhardo Armeniaci & Fidentiaci Comite primum arceſſit, ex hiſtoriæ noſtræ ignorantia profluxit, cum tæniarum ſeu faſciarum albarum longe antiquiorem uſum fuiſſe Guilhelmus Guyartus doceat; cujus hæc in anni 1304 poëmate verba ſunt; *eut entr'eux touts ſur leurs atours, & les grans gens, & les menues eſcherpetes blanches couſuës*, &c. *Pour le bannier qui en l'oſt crie, que tout home de ſa patrie, face tant commant qu'il la tranche, qu'il ſoit ſignié d'eſcherpe blanche, pour eſtre au ferir coneus*; id eſt, *majores univerſi cum gente minuta ſuper ornamentis faſciolas*

Eſcuyer trenchant.

Lum. pag. 236, 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43.

Lum. pag. 239.

las albas aſſutas geſtarunt, &c. *Ob præconem qui in caſtris proclamat, ut ſinguli patriæ regionis viri, faſcia alba quam ſibi quomodocunque ſecent inſigniti inter feriendum dignoſcantur.* Quod igitur anno 1413 novum & indignum multis viſum eſt, non id propriè fuit quod Rex cum Delphino tæniâ albâ, quam alii ante geſtaverant, uteretur; ſed quod relicto ſolitæ crucis inſigni, viri ſubditi teſſeram ignominioſam præferret; prout Enguerranus Monſtreletus voluminis 1, cap. 119 aſſeverat, hæc ex profeſſo ſcribens; *en laquelle armée on feit porter aux perſonnes du Roy & du Duc d'Aquitaine la bende & enſeigne du Comte d'Armignac, en delaiſſant ſa noble & gentille enſeigne, que luy, & ſes predeceſſeurs Rois de France avoient tousjours portée en armes: c'eſt à ſçavoir, la droicte croix blanche: dont moult de notables Barons, Chevaliers, & autres loyaux anciens ſerviteurs d'iceluy, & auſſi du Duc d'Aquitaine, furent aſſez mal contens, diſant que pas n'appartenoit à la tres excellente & haute Majeſté Royale, de porter l'enſeigne de ſi povre Seigneur comme eſtoit le Comte d'Armignac, veu encore que c'eſtoit en ſon Royaume, & pour ſa querelle, & avec ce, icelle bende, dont on faiſoit à preſent ſi grande joye, avoit eſté ballée au temps paſſé aux predeceſſeurs de iceluy Comte, à la porter à tousjours luy & ſes ſucceſſeurs & hoirs, par la condemnation d'un Pape, en ſigne d'amendiſe d'un forfait que les devant dits d'Armignac avoient commis contre l'Egliſe au temps deſſuſdit*; id eſt, *in quo exercitu effectum eſt, ut Rex & Delphinus Arminiaci Comitis tæniam & inſigne geſtarent; proprio nobili ac decoro ſigno relicto quod in armis ipſe & majores Francorum Reges ſemper geſtaverant, cruce nimirum alba erecta; quo nomine inſignes plurimi Barones, milites aliique antiqui fideles ejus, & Aquitaniæ Ducis miniſtri ſatis indoluerunt: cum dicerent non convenire, excellentiſſimæ & celſæ majeſtati regiæ, ut in regno & cauſa propriis adeò egeni dynaſtæ qualis Armeniaci Comes videbatur, teſſeram geſtaret; idque inſuper adderent, tæniam illam quæ tunc tanti fiebat, olim dicti Comitis Majoribus, Papæ judicio in ſceleris adverſus Eccleſiam tunc admiſſi pœnam ipſi & hæredibus in perpetuum geſtandam traditam fuiſſe.*

2. Quod Bernhardum Fidenciaci Comitem, *Volcam* & *Aremicum* vocat, Lum. pag. tam inſulſum quam falſum eſt; quemadmodum *Aulerci* olim trifariam divide- 139. bantur in *Eburovices, Diablintes* & *Cenomanos* à veteribus Celtis diſtributi; & geminæ fuerant *Biturigum* in *Cubos* & *Viviſcos* diſtinctorum tribus; *Volcarum* duo populi fuerant, alii enim in Narbonenſis ſeu *Braccatæ* Galliæ parte Orientali & Rhodano proxima, *Arecomici*; alii in Occidentali Garumnæ finitima *Tectoſages* dicebantur; *Aremici* Cæſari, Straboni, Plinio, Ptolomeo nulli prorſus fuerunt; etiamſi in natura rerum, cum Gallias Romani ſubegêre, fuiſſent, tam eorum quam Volcarum nomen ante Conſtantini Magni tempora obſoletum, fruſtra quis anno 1413 in Gallia noſtra quæſiiſſet. *Volcarum* tamen appellationem inter Gallos perennaſſe, & *Arecomicos Volcas* in *Aremicos* verti potuiſſe fingamus; quis Volcis illis Narbonenſis provinciæ indigenis, Aquitanum inter Garumnam Narbonenſis Galliæ limitem Occiduum, & Pyrenæum in Novempopulania natum accenſeat. Nihil ergo ſive in Bernhardo, cujus tæniam prætulêre Franci; ſive in ditione Bernhardo quomodocunque ſubdita, vel *Aremicum* quod extra *avia* Chiffletiana nemo offendet: vel Arecomicum, vel cujuſcunque generis Volcicum, vel denique Celticum fuit; ſed Aquitanica, imò Vaſconica omnia fuerunt: cum Comitatus

tatus ejus quantus quantus eſt in Eluſatenſi, Auſcienſi & Lactoratenſi Pago uſque nunc jaceat; & *Arminiacum*, non autem *Aremicum*, dicatur.

Lum. pag. 238, 39. 3. Quod *Cruciatam* primam ad annum 1096 refert, temerè more ſolito facit; quandoquidem eam anno 1095 circa *octavam S. Martini* Vrbanus II ſanxit. 4. Ex eo quod *crucem rubram* Ioanni Regi Vrbanus V Papa tradidit, Francos vexillo albo nondum uſos, quod Monſtreletus ante annos 200 refellebat, malè colligit: cum alius Eccleſiæ Romanæ, coccineo; alius Regis ac regni *albo* colore gaudentis, mos eſſe potuerit; tamque liberum Regi poſt aſſutam à Papa anno 1362 crucem rubeam conſuetum vexillum geſtare, quam anno 1190 Richardo Anglo & Theoderico Flandro fuerat, *coccineam* Romanæ Eccleſiæ crucem in *albam* & *praſinam* mutare. 5. Æquè abſurdè ex Caroli V & VI factis, nullum ante eos Cornetæ & faſciæ albæ uſum fuiſſe, concludit; cum in contrarias Guilhelmi Guiarti & Engerranni Monſtreleti auctoritates impingat.

Sed quorſum de auriflammâ, vexillo albo, utriuſque diſcrimine, tæniis, tam multa? quid Cornetæ albæ Henrici IV Caſtellenſis, Henrici Aragonii infantis icones deliniare, & numiſmatum Ioannis II Caſtellenſis & Caroli VII Franci ἔκτυπα dare ſuaſit? quid vel hoſtibus accreſcet, vel noſtris decreſcet, ſi vexilla eorum & mores variaverint? reportatæ anno 1642 Maii 26 de Francis in limite Picardico victoriæ memoriam refricare, eaque occaſione Ludovico XIII *nec aram, nec fidem, nec ullam firmam pactionem fuiſſe*, pudore omni deterſo mentiri jucundum fuit: verſos tamen Franciſci de Mello funeribus triumphos negare eorundem ebuccinator ne, ſi velit, poſſit; cum illo ipſo tempore, quo noſtros viribus impares oppreſſos gloriatur, ſtrages Hiſpanorum multiplices in Ruſcinonenſi Comitatu à noſtris ſub Regis ipſius oculis editas: Caucoliberim, Helenen, Perpinianum ſubactas: annoque vertente non longè à Franciciæ cladis loco, triumphatum illum ipſum qui ſocios devicerat, qui nondum ære lavantur non neſciant. primarium profligati exercitus vexillum, poſt triſtem ſigniferi caſum prædæ fuiſſe non inficiamur, qui in Variana clade direptas ac defoſſas à Cheruſcis in Barbarico ſolo Romanas aquilas; everſum à Langobardis Friderici I, à Francis Othonis IV carocium; perlata Lutetiam & in Dominico appenſa victricia Hiſpanorum ſigna novimus; decem tormentis & impedimentis ad Scaldim exuti, decuplo plura apud Perpinianum eodem ferè tempore Hiſpanis extorſimus, quos anno ſequente præcedentis victoriæ opinione tumidos internecione delevimus; tormentis, gaza & caſtrenſi ſupellectile univerſa nudavimus; quis tormentorum inſcriptiones ad vanitatem exſcribere, captorumque vexillorum formas timido popello deliniare & oſtentare Chiffletii exemplo vetuiſſet? plurima è Baſilicæ Pariſienſis ſummo fornice pendentia, indigenis & exteris ſpectaculo ſunt, creviſſetque in immenſum numerus, ſi Hiſpanicæ gentis vexilliferi Francicos imitati, certæ ſed glorioſæ occumbere morti, quam turpiſſe fugæ, pedibus alas ſed addente timore, committere maluiſſent.

Lum. pag. 231.

Diſquiſit. pag. 9. Manuſcriptis vitæ Remigianæ codicibus, quos Ioannis Bolandi polyhiſtoris ſedulitas contulerat adjutus; teſtamenti à B. Remigio ſcripti, illo quod ante annos 700 Flodoardus exſcripſerat, longe ſincerius exemplum profert: & Hincmari quem velut erroris fontem infamat, fidem præter votum aſſerit: ſi enim fucum lectoribus facere conſtituerat Hincmarus, quî factum ut

poſt

poſthabito quod Flodoardus Hiſtoriæ ſuæ inſeruit exemplo; purius aliud,ſed ſententiæ quam defendebat minus conſonum ſequeretur? codicillos teſtamento ſuperadditos fuiſſe non negaverimus; ſed quæ ex Milonis Elnonenſis ante annos 770 denati ſermone de ſancto Principio allegat, Remigio convenire nequaquam poſſe, eoque *νοθείας* ſuſpecta eſſe contendimus: ſi enim quod ex Walafrido antiquiore notavimus, à S. Martini *Cappa* in ſacrario Regum noſtrorum repoſita *Cappellæ* vox promanavit; *in Cappellula S. Teclæ extra muros urbis Sueſſionicæ ſita, beati Principii*, antequam vel de converſione ſua, vel de ſacrario ullo inſtruendo Clodoveus cogitaſſet ad ſuperos tranſlati, *corpus* à ſe *reconditum* dicere Remigius non potuit, ſed ei ſua verba temere & inconſiderate affinxit Milo, qui in codicillo *oratorii* aut *memoriæ* vocabulum forſan nactus, Cappellulæ vocem Remigiano ſeculo ignotam, ex uſu noni deſinentis communiori imperite ſubſtituit. Pag.14. Ad 17 Septembris.

Inter corruptelas quibus Remigianum teſtamentum à paracharactis adulteratum, aſſutiſque alienis ſupra modum auctum, hæc præter battologias, & inanes fimbrias ſuas dilatantis Ampullas, diſquiſitori merito diſplicebant, quod *genus* Clodovei *Regium in Majeſtatis Regiæ culmen perpetuo duraturum*, à Remigio *electum*, & *per ſacri chriſmatis unctionem in Regem ordinatum*, tam inepte quam improbe dicebatur. cum enim, Avito teſte, Clodoveus *à proavis habuerit, quod regnaret in ſeculo*; relictum à parente Regnum ſanguinis jure, ſortiti ſint Clodovei filii ac nepotes; iiſque qui ad Regnum naſcebantur *electione* aut *chriſmatis unctione* nulla ut ad ſolium avitum levarentur opus fuit; de *electione* & *unctione* quæ Clodoveanæ genti transmiſſum *à proavis* Regnum conferret, cogitare Remigius nullo modo potuit; nec tam abſurdus ac ſtipes vir ſanctus fuit, ut *genus Regium in Regem ordinatum* ſcriberet; iiſque de quorum futuro ſub Dei unius manu poſito ſtatu nihil noverat, *Majeſtatis perpetuo duraturum culmen* falſo promitteret: ſed Caroli Martelli, quod maternum genus à Clodoveo abavus reperteret, quodque ipſe ob tyrannide preſſam Eccleſiam æternis pœnis addicendus eſſet, corruptum Remigii teſtamentum tam temere comminiſcitur diſquiſitor, quam inſcite *à ſex viris conſularibus ſubſcriptum* illud *teſtamentum* dixerat: appoſitas ad ſingula teſtium quos Remigius advocaverat, nomina has notas V C. quæ *virum clariſſimum* indicabant fuiſſe, omneſque ac ſingulos *Conſulares* ex clariſſimis, imo nonnunquam ex *ſpectabilibus* & *illuſtribus* ortos non negamus; ſed *clariſſimos* omnes, quos ætate illa plurimos in Gallia fuiſſe conſtat, *Conſulares* tantum poſt Imperii & antiqui ordinis caſum dici nequaquam probamus.

Occaſione alia Caroli Martelli natalem à labe, parentem à crimine maligne impacto purgavimus; cum enim ex ſuperducta, ſed ſolemni more deſponſata, quæque legitima ſuperducentis uxor habita eſt, illo tempore ortum fuiſſe docuimus, quo divortiorum licentia major, imo fere paſſiva videri poterat; cum anno demum 745 à Martelli morte, quarto in Concilio Sueſſionenſi *conſtitutum* ſit, *ut Laicus homo nec ſuam parentem, nec marito vivente ſuam mulierem alius accipiat, nec mulier vivente ſuo viro alium accipiat.* Eos etiam qui Alpaidem Martelli matrem S. Lamberti anathemate fulminatam, ejuſdemque impulſu S. Lambertum à Dodone confoſſum poſt annos 300 nequiter confinxerunt, impudentiſſimi mendacii pœnas dare Cap.9.

coëgi-

De Caroli Martelli poſt mortem ſtatu. coëgimus; illos nunc qui glorioſiſſimæ memoriæ Principem Orco ob ſcelera demiſſum mentiti ſunt, pro merito excipere animus eſt.

Disquiſit. pag 15. *Si*, inquit Diſquiſitor, *conjecturis agere licet, exiſtimo à Remenſi quopiam alumno confictum per initia ſeculi octavi, ut Carolo Martello Eccleſiarum tunc deprædatori metum incuteret.* quo vel ſceleris artifice, vel tempore falſi crimen admiſſum ſit, parum noſtra refert; Carolum *Eccleſiarum deprædatorem* fuiſſe, eique ſupra communem ſortem poſito à blaterone quolibet Lib.2, c.12. *metum incuti* potuiſſe, negamus: at, Flodoardo teſte, *cæteris audacior factus, non ſolum Remenſem Epiſcopatum, ſed etiam alios Regni Francorum, Laicis hominibus & Comitibus dederat.* virum gravem, & de patria hiſtoria optime meritum, in errorem abreptum, & ad falſa ſcribenda compulſum fuiſſe, deploramus: unde enim *Comitibus datos* à Martello *Regni Epiſcopatus* conſtat? id ad ravim uſque vociferari cuilibet, probare nemini promptum fuerit: duos tantum in hanc uſque diem à Martello durius habitos Præſules ab illis ipſis audiimus, quibus id unum conſilium fuit, ut poſteritatis odio perpetuo objiceretur. Rigoberti vitam longe poſt dormitionem ejus, ſub Hincmaro qui reliquias tranſtulit, ſcripſit Anonymus; cujus hæc A.D. 714. de Carolo Martello verba ſunt; *poſt obitum Pippini inter Carolum ejus filium, atque Ragenfredum, non levis ſimultas de obtinendo principatu, exorta eſt. Accidit tum, ut Carolus Rhemorum urbem præteriens, totam, ut ajunt, circumiret, donec ad eam pervenit portam, in qua ſanctus Rigobertus congruis exſtructis ædibus degebat: quem ſane hujuſmodi compellavit vocibus:* Domine Rigoberte jube portam civitatis aperiri, ut liceat mihi ire precatum ad ſanctam Mariam. *Sed cum ſanctus Epiſcopus nullum ei vociferanti redderet reſponſum, quippe orationi intentus, cui perpetuo vacabat, fertur tertio eiſdem uſus vocibus: ita ut tandem vir Dei ejus valido clamore compulſus, ſic ei reſponderit:* Porta hæc tibi non aperietur, donec certo conſtet, utri veſtrum ceſſura ſit victoria. Tu enim & Ragenfredus inter vos de dignitate contenditis, nec adhuc ſcire licet, quem ſit res exitum habitura. Quod ſi Dominus te voluerit victorem evadere, revertenti tibi libens portam reſerabo, fidelemque me exhibebo. *His auditis, Carolus furibundus juramento affirmavit, ſi victor rediret, non* A.D. 717, Martii 21, feria 1, ante palmas. *impune id laturum Epiſcopum*, &c. *Carolus* 12 *Calendas Aprilis qui tunc Dominicus erat dies, ſummo mane conflixit cum Chilperico Rege, & Ragenfredo, quem Chilpericus Majorem domus creaverat, & pro voto victoria potitus, mox ut reverſus eſt, è ſede ſua exturbavit Pontificem Rigobertum, ut erat illi antea comminatus*, &c.

Neutri parti addictum fuiſſe Rigobertum, Carolum de *vaſtanda Eccleſia* impia conſilia agitaſſe, alias antea vaſtaſſe fingit Anonymus; ſed ex ipſo Hadriani Papæ ad Tilpinum Rigoberto poſt Abelem ſuffectum, reſponſo conſtat, eum *ſæviente diſcordia inter Francos, à ſede dejectum; ſolummodo quod antea non conſenſit in partem illius, qui poſtea partem de illo Regno in ſua poteſtate accepit, in qua parte eſt Remenſis civitas.*

Extorris ergo ob Majeſtatis crimen factus Rigobertus, *in Vaſconiam ſeceſſit*; unde à Milone *tonſura clerico* & Abbate, cui Remenſis Epiſcopatus curam Carolus demandaverat revocatus, *in Gerniaca corte* vitæ reliquum tranſegit, religioſa loca adire nequaquam prohibitus; Remos quandocunque libuit ſe contulit, ſed ſine ulla, ob ſuſpiciones præcedentes, poteſtate, *anno-*

que

que 725, indictione octava, pridie Nonas Ianuarias, placido tandem fine quievit.

Qui Eucherii Aurelianenſis vitam, ex *germanarum* ejus *relatione* à ſe ſub Pippino, adeoque poſt annum 750 ſcriptam videri voluit, hæc nominatim de eo refert; *Suavaricus ejus patruus, qui Aurelianenſis Eccleſiæ populum pontificali honore fultus regebat, ex hac luce migravit. Tum vero omnis ejus loci plebs pariter congregata, Domino annuente, ad Carolum, inclytum Francorum Principem, legatos cum muneribus, & humili prece mittit: qui cum velocitate ejus præſentiæ oblati, pedibuſque illius advoluti, non ſine lachrymis ita eum alloquuntur:* Domine & Princeps inclyte, quæſumus ut iis, quæ plebs Aurelianenſis tibi ſuggeri voluit, auditum clementer accommodes. Dominus & paſtor noſter, venerabilis Suavaricus, vocante Domino, de hoc mundo migraſſe cognoſcitur. Obſecramus igitur pietatis tuæ clementiam, ut nepotem ejus Eucherium famulis tuis plebi Aurelianorum pontificem jubeas conſtitui. *Ille vero poſtulationem eorum benigne ſuſcipiens, diſponente Domino, ratum habuit, quod ab eo humiliter poſcebant,* &c. Hæc ante annum 718 contingere vix potuerunt; ſiquidem anno 714, Decembris 16 Pippinus Caroli parens è vivis exceſſit; 715 ſub Plectrudis novercæ cuſtodia Carolus manſit; 716 infeliciter cum Ratbodo conflixit; 717 Martii 21 Chilpericum & Ragenfredum ad Vinciacum fudit; Pariſios, Aurelianos, Andegavos ſui juris fecit.

Pergit de Eucherio Anonymus; *cum opinio ejus paſſim vulgaretur, inimicus humani generis invidens gloriæ ejus atque ſanctitati, corrupit quoſdam malignitatis ſuæ veneno, permovitque eos, ut invidia excæcati, ſuggererent Carolo Principi, ut virum beatum cum omnibus illi ſanguinis propinquitate conjunctis, in exilium relegaret, illorumque honores, partim ſuis uſibus adjiceret, partim in ſuos ſatellites conferret. At Carolus ea ſuggerentibus ita reſpondit:* Noſtis gentem hanc ferociſſimam & bellicoſam, multiſque opibus inſtructam: itaque quæ conſulitis, non ſine hæſitatione poſſum exequi, *&c.* Erant igitur ob ferociam & opes Carolo timendi, & Aurelianenſibus ei fidis ſuſpecti Eucherii propinqui. Quis autem criminationis eventus? *gens,* inquit Anonymus, *nefanda Iſmaëlitarum ad depopulandam provinciam Aquitaniam ingreſſa, cunctam vaſtans ſupellectilem, oppida & caſtella nititur expugnare. Audiens vero hoc Carolus Princeps, collectis Burgundionum Francorumque populis, obviam illis cum copioſo pergit exercitu, cæſiſque illis, cum ingenti præda domum reverſus eſt. Cumque Aureliam perveniſſet,* Ligeris *alveum tranſiens, prandiaque parata relinquens, Pariſios proficiſcebatur, juſſitque beatum Eucherium ſe ſequi,* &c. Cum immanem Saracenorum rabiem anno 725 Iulii 22 feliciter domuerit Martellus, æſtate exeunte, octavoque circiter, à Rigoberti dormitione, menſe, deportari juſſus fuerit Eucherius; quo ordine videamus; *anno,* inquit Anonymus, *ſexto pontificatus ſui Aurelia egreſſus, & Lutetiam quoque ex Principis voluntate prætergreſſus, Vernum fiſcum publicæ ditionis ilico advolavit: moxque celebri ſermone vulgatum eſt auribus Principis, adeſſe ſanctum ſacerdotem: quem ille à ſuis militibus juſſit comprehendi, & cum propinquis reliquis Coloniam in exilium deportari. Ille vero ut virtutum ſibi augmenta cumularet, reddebat gratias, ſacroſanctæ ſubditus Trinitati.* Vbi autem *Coloniam pervenit glorioſus Chriſti ſacerdos, tanta ibi & ſacerdotum & cleri & populi benignitate frue-*

Sic anno 720 ſedere cœperit.

ſruebatur, ut cunctis illorum opibus, quicquid inde illi facere libuiſſet, haud aliter atque propriis uti illi liceret. Quod cum ita fieret, Carolum Principem latere non potuit. Itaque metu perterritus, ne forte illorum ſubſidiis & auxiliis adjutus, munitiora Regni loca ſeu caſtella occuparet, clam tutiori loco in Haſbania Roberto Duci tradidit cuſtodiendum, &c. *Petiit à prædicto Duce, ut ſibi in Eccleſia beati Trudonis confeſſoris pro ipſo & fidelibus ejus copiam deprecandi tribueret: quo impetrato, ſacerdos Dei inclytus die noctuque Dominum precabatur,* &c. *Sanctus autem Eucherius ſexto exilii ſui anno, ipſo glorioſo tranſitus ſui tempore, divini luminis perfuſus claritate,* &c. *victor intravit in cælum.* Non ergo de nihilo fuit, quod Carolus pro republica ſolicitus, ab Eucherio & propinquis, Regni ſtatum evertere idoneis metuebat. cum autem octavo plus minus à Rigoberti tranſitu menſe in exilium actus, ſexto ejus anno, ſeu 731, Februarii 20 deceſſerit Eucherius, Carolum poſt Rigoberti obitum annis ſedecim, menſibus novem, diebus octodecim, poſt Eucherii tranſitum annis decem, menſibus octo, diebus duobus ſuperſtitem manſiſſe, neceſſe eſt; cum anno 741 *veniens Cariſiaco villa Palatii ſuper Iſſaram fluvium, valida febre correptus tranſierit undecimo Calend. Novembris.*

Fredegar.

Nihilominus quæ ſplendida bilis dictabat, Anonymus, Eucherii vitæ non ſcriptor, qui Pippino regnante vixiſſe dicitur, ſed interpolator in eum jam dudum denatum evomuit; illa ipſa quæ anno 858 à Caroli ejuſdem deceſſu 119 incunte, Novembri menſe capitulis è Cariſiaco palatio ad Ludovicum Germaniæ Regem miſſis, præſulum Remenſium & Rotomagenſium Synodus inſeruerat, ac paulo poſt Hincmarus Remenſis non ſemel; vitæ Rigoberti ſcriptor Anonymus, Flodoardus, aliique recentiores repoſuere, recoquens; *vir Dei* [Eucherius] *in oratione poſitus, ad alterum ſeculum eſt raptus, & inter cætera quæ Domino ipſi oſtendente conſpexit, vidit* hunc Carolum *in inferno inferiori torqueri*, eique *interroganti ab angelo ductore ejus reſponſum eſt, quia ſanctorum* Iudicio, *qui in* ſupremo mundi die *cum Domino judicabunt, quorumque res abſtulit &* exercitui ſuo diſtribuit, *ante illud Iudicium anima & corpore ſempiternis pœnis eſt deputatus, ſimulque cum ſuis peccatis recepit pœnas propter peccata omnium, qui res facultateſque ſuas* ob honorem & amorem Dei *ad ſanctorum loca in* luminaria divini cultus fovenda, *inque* alimoniam *ſervorum Chriſti ac pauperum pro animarum ſuarum* ſalute contulerant. Porro vir Dei ad *ſe* rediens, *ſanctum Bonifacium & Fulradum monaſterii ſancti Dionyſii abbatem, ſummumque Regis Pippini Cappellanum ad ſe vocavit, eiſque* hæc revelans, hoc ſigni *dedit, ut ad ſepulcrum* Caroli Principis *irent, & ſi corpus ejus* illuc *non* invenirent, *ea quæ dicebat, vera eſſe crederent. Illi vero pergentes ad monaſterium, ubi Caroli* cadaver *humatum fuerat, tumulumque illius aperientes, ſubito* draconem exire inde viderunt, *totumque ſepulcrum* intus *inventum eſt*, velut incendio atrum.

Synodus *cui. Indicatione. ſuturo judicio. In honore & amore Domini. Luminaribus. Alimoniis. Redemptione. Tradiderant. Qui in ſe reverſus. Talia dicens in ſignum. Illius. Ibidem reperiſſent. Ipſi.* prædict. mon. *Corpus* ipſius. *ſepulcrum. Viſus eſt exiſſe draco. Interius,* denigratum. *Ac ſi fuiſſet exuſtum.*

Hucuſque fabula, quæ Eucherium ante decennium vita functum, de æterna Caroli, quem vivum reliquerat, damnatione, certiorem factum, non rudi tantum popello, ſed ipſis etiam præſulibus perſuaſit. Nihil in ea adverſus rerum ac temporum rationem militare ſtatuamus; quis anilium commentorum monſtris confutam, prima ſtatim fronte non deprehendat? 1. Eucherius *in oratione poſitus ad alterum ſeculum raptus* dicitur; an reipſa è loco in locum migrans, an vero δοκήσει? motum realem exigit *angeli ductoris* ſuborna-

ornatio ; ſed hic multiplex vindice dignus nodus exſtat, cum quærere promptum ſit, an divinæ ſapientiæ conveniat, ut cœlites pioſque in ſtadio ſudantes ad pœnarum loca explorandi cauſa tranſmittat ; quaſi hac una occultorum notitia quam ſolus carnis oculus experimento proprio capiat imbuendi ſint. realem Eucherii *raptum* ſequentia fabulatoris ex profeſſo negant ; *vir Dei ad ſe rediens* ; qui enim, ut ad ſe poſtmodum rediret, à ſemet diſceſſiſſe videbatur, non niſi mente raptus fuerit, nec angelico ullo ductu ad mentalem motum indiguerit ; cum non indiguerit, quid ni extra ſe ut aſyſtata de Eucherio loqueretur *raptum* fabulatorem dixerimus?

2. Carolum acuta febri abſumptum, anno 741 Octobris 22 animam efflaſſe, tumuloque illatum ejus cadaver fuiſſe annales noſtri produnt : ſi corpore & anima in tartarum demergendus erat, quid animam ream à corpore, in quo continuo poſt torquenda fuiſſe fingitur, divellere neceſſe erat? quo conſilio exanimatum, ut momento poſt funus excitaretur infelicis Principis corpus, eductumque ad paucos dies ut rurſus induceretur maledictum ſpiritum fuiſſe dixerimus ? quanto ſatius fuiſſet ima tellure dehiſcente vivum, Dathanis alicujus inſtar, ad ſuperſtitum terrorem abſorptum opinari? Bonifacii Epiſt. ad Zachariam. P.P.

3. Quo, Martellus, tempore deceſſit, in Germania Transrhenana ante Concilium Leptinenſe degebat, novis Epiſcopatibus Wirtzburgi, Buraburgi, Erphesfurti fundandis intentus Bonifacius ; nec extra monaſterii ſui ſepta Fulradus S. Dionyſii in agro Pariſiaco ſub Sigoberto Abbate Martelli ad Gregorium III legato recluſus vagabatur ; qui ergo factum, ut tanta locorum intercapedine diviſos, quaſi ſub manum eſſent, Trudonopoli deliteſcens Eucherius *advocaret*, neglectiſque quibuſcum aſſiduus erat fratribus, ſeligeret, quorum auribus horrendum de infernali viſione carmen inſuſurraret?

4. Ad Martelli tumulum ab Eucherio Bonifacium & Fulradum, in quos ipſi Imperii nihil erat, miſſos, abſurde & incondite confictum eſt ; quid enim inops, throno Epiſcopali ante decennium deturbatus ſub Roberti Haſbanii cuſtodia afflictam vitam trahens, juris ac poteſtatis habere potuit, cujus obtentu Bonifacium Romanæ Eccleſiæ legatum, & Fulradum ex fabulatoris ſententia ſacrario Regio præfectum, mandata præ aliis univerſis ſuſcipere cogeret? ſi qua eum publicæ ædificationis cura tangebat, cur pauciſſimos ſumptarum de ſceleſto capite pœnarum conſcios eſſe voluit? ſi Principum ſuorum ſaluti conſultum volebat, cur Carolomannum & Pippinum Martelli filios & poteſtatis hæredes paterno affectu monere dedignatus, alios ſupplicii quod parens luebat teſtes rogavit?

5. Argumento quo Martellum corpore & anima damnatum confirmavit, infirmius nihil eſſe potuit, *ejus cadaver ſepulcro non clauditur.* Ergo *ad inferos divina voluntate deportatum eſt.* Quid ni enim clandeſtinis hoſtium molitionibus ſubjacere, abſcondi, ſurripi, abſumi facile potuerit?

6. Simulac à Bonifacio & Fulrado tumulus ejus apertus eſt, *draconem exire inde viderunt* ; an verum quem Gallia nec gignit, nec niſi forte aliunde comportatum vidit unquam? an inane tantum ſpectrum? quod mendacii parens ad falſam de defuncto opinionem ingenerandam incautis præter ſpem oſtentavit? quanto veriſimilius eſt, quæcumque de dracone ſeu vero, ſeu ſimulato à ſeculis octo narrantur, ab impoſtore ad ſimplicium terriculamentum conficta fuiſſe?

7. *Totum ſepulcrum intus inventum eſt velut incendio atrum*; quid tum? annon tam facile humano artificio, quam diabolico machinamento incendium illud, vel fallax ejus ſpecies procurari potuit? quæ narrationis tam de viſione Eucherio oblata, quam de mandatis à Bonifacio & Fulrado ſuſceptis, luſtratoque ab iiſdem Martelli ſepulcro fides? Anonymus cujus nec genus, nec locus, nec vitæ conditio noſcitur, in tenebris eam ſine teſte & fronte profudit: Illud certe ſupinam ejus negligentiam prodit, quod Fulradum *Pippini Regis ſummum Cappellanum*, & *S. Dionyſii Abbatem* tunc fuiſſe vult, cum Eucherius Martelli nuper defuncti damnationem vidiſſe fingitur; anno enim 750, à Martelli obitu nono, ab Eucherii dormitione 19, Pippinus regnare, *ſummumque Cappellanum* habere cœpit; quo vero tempore Martellus deceſſit, non Fulradus, ſed Sigobertus Martelli ejuſdem ad Gregorium III cum Grimone Corbeienſi legatus S. Dionyſii monaſterium regebat, prout nos in Chronico Fredegarius ſcholaſticus docet. ſed ſoricem indicio ſuo nequaquam perire fingamus, plura aliunde convellendæ ejus de Martello calumniæ idonea non deerunt.

Illi ipſi, qui Martelli corpus Baſilicæ ſuæ ante annos 900 intulerunt, & monumentum quod reliquiis ejus aſſervandis excitatum eſt, uſque nunc oſtentant, optime de conventu ſuo merendo vitam clauſiſſe prædicant, & indubitato teſtimonio confirmant, Clypiaci poſſeſſione aucti, quam in eorum Majores *ob amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel remiſſionem peccatorum ſuorum, ut veniam de delictis conſequi mereretur in futurem* transfudit, transfuſamque tradita charta Carolus profeſſus eſt, cujus hæc poſtrema verba ſunt; *actum Cariſiaco villa in palatio quod fuit menſis Septembris die* 17, *annum quintum poſt defunctum Theodericum Regem. Signum inluſtro viro Carlo Majorim domus.* Cum igitur anno 737 vivere Theodericus deſierit, 741 qui vitæ poſtremus fuit Clipiacum villam S. Dionyſii Cœnobitis donaverit Martellus; cujus ſi vel corpus *in infernum inferius* detruſum credebant, vel monumentum inane & infernali incendio denigratum non ſine horrore videbant qui illud erexerant, ſtultiſſimi & impiiſſimi hominum fuerint, maledictam damnati capitis memoriam in loco ſacro ipſorum fidei ac religioni concredito ſtare exinde paſſi. Sed quod illæſum & inviolatum ad hanc uſque diem media in Baſilica fortiſſimi heroïs ſepulcrum cum elogio Regio exſtat, pervicaciſſimi quotquot rancidam & improbabilem de eo calumniam recoquendam putant ſtuporis convincit, & in futurum convincet.

Antiquit. Dionyſ. l. 3. cap. 4.

Eos etiam æterno pudore ſuffundet conſtans totius Romanæ Eccleſiæ de eodem judicium: quem enim ob Rigoberti & Eucherii caſum à ſeculis aliquot ceu piaculum exhorrent fabularum avidi, anno 722 & 739 qui à Rigoberti morte decimus quintus, ab Eucherii tranſitu octavus fuit, *Chriſtianiſſimum*, ſacrumque injuſtam vim vel paſtorum vel metuentium aſylum crediderunt Romani. Gregorius II anno 722, à Rigoberti exauctoratione quinto, his Carolum verbis compellat; *comperientes te, in Chriſto dilectiſſime, religioſæ mentis affectum gerere in multis opportunitatibus, debito ſalutis præmiſſo, notum facimus Deo dilectæ tuæ dignitati*, &c. Ad Dominum Rigobertus & Eucherius jamdudum tranſierant, cum ſe totum in Caroli ſinum Gregorius III refudit; eumque in temporalibus Dominum Leonis Iſaurici & Con-

ſtantini

ſtantini Copronymi loco optavit; *coartati*, inquit, *dolore in gemitu & luctu conſiſtimus, dum cernimus id quod modicum remanſerat præterito anno pro ſubſidio & alimento pauperum Chriſti*, &c. *gladio & igne cuncta conſumi*, &c. *Nulla nobis abs te, excellentiſſime fili, refugium facientibus pervenit hactenus conſolatio*, &c. *Vt rei veritas vobis penitus declaretur, Chriſtianiſſime fili jubeas poſt ipſorum Regum ad propria reverſionem tuum fideliſſimum Miſſum, qui non præmiis corrumpatur, huc dirigere*, &c. *Hortamur tuam bonitatem coram Domino, & ejus terribili judicio, Chriſtianiſſime fili, ut propter Deum & animæ tuæ ſalutem ſubvenias Eccleſiæ Sancti Petri, & ejus peculiari populo, eoſdemque Reges ſub nimia celeritate refutes, & à nobis repellas, & jubeas eos ad propria reverti.* Non deſpicias deprecationem meam, neque claudas aures à poſtulatione mea: *Sic non tibi Princeps Apoſtolorum claudat cœleſtia Regna. Conjuro te per Deum vivum & verum, & per ipſas ſacratiſſimas claves confeſſionis beati Petri, quas vobis ad Regnum direximus, ut non præponas amicitiam Regum Langobardorum amori Principis Apoſtolorum: Sed velocius ſub nimia feſtinatione ſentiamus poſt Deum tuam conſolationem ad noſtram defenſionem; ut in omnibus gentibus declaretur veſtra fides & bonum nomen: quatenus & nos cum Propheta mereamur dicere:* Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob, &c. *Petimus bonitatem tuam, coram Deo teſte & Iudice, ut nimis feſtinanter lenias dolores, & lætabunda nobis celeriter mittas nuntia, ut læto affecti animo die nocteque pro te tuiſque fidelibus coram ſacris ſanctorum Principum Apoſtolorum Petri & Pauli confeſſionibus Domino fundamus preces.*

Id eſt ad Imperium urbis Leonis & Conſtantini loco capeſſendum.

Cum longioris moræ tædia impatiens Romanorum deſiderium non ferret, quas ante fuderat preces ingeminavit Gregorius; *ob nimium*, inquit, *dolorem cordis, & lacrymas iterata vice tuæ excellentiæ neceſſarium duximus ſcribendum, confidentes te eſſe amatorem filium B. Petri Principis Apoſtolorum & noſtrum; & quod pro ejus reverentia noſtris obedias mandatis ad defendendam Dei Eccleſiam, & peculiarem populum, qui jam perſecutionem & oppreſſionem gentis Langobardorum ſufferre non poſſumus. Omnia enim luminaria ad honorem ipſius Principis Apoſtolorum, & quæ à veſtris parentibus, vel à vobis oblata ſunt, ipſi abſtulerunt. Et quoniam ad te poſt Deum confugium facimus, propterea ipſi Langobardi in opprobrium habent & opprimunt*, &c. *Tu fili, habeas cum ipſo Principe Apoſtolorum, hic & in futura vita coram omnipotente Deo noſtro, ſicut pro ejus Eccleſia & noſtra defenſione diſpoſueris & decertaveris ſub omni velocitate: ut cognoſcant omnes gentes tuam fidem & puritatem, atque amorem quem habes erga Principem Apoſtolorum B. Petrum & nos, ejuſque peculiarem populum, zelando & defendendo. Et hoc enim tibi poteris immortalem & æternam vitam acquirere.* Quid ad elidendas calumniæ ipſius fauces, obſtruendaque allatrantium obtrectatorum ora Romanæ Eccleſiæ dum ſibimet conſultum cupit, ſpontanea confeſſione validius eſſe poſſit? Carolum Martellum *omnibus* ante ſe Regibus *audaciorem, mala pro bonis reddere* ſolitum, Eccleſiarum tyrannum, ſacrarum poſſeſſionum ſacrilegum direptorem, corpore & anima damnatum, ingrata poſteritas credi voluit; at eum *in Chriſto dilectiſſimum, religioſæ mentis affectum gerentem, Deo dilectum*, Romanorum afflictorum *refugium, Chriſtianiſſimum filium, poſt Deum conſolationem*, ob *fidem* & *bonum nomen* prædicandum, *amatorem B. Petri*,

Eccleſiæ *defenſorem*; ob *res Deo* tam in Francia, quam in Italia *oblatas* laude digniſſimum; *poſt Deum confugium, immortalem & æternam vitam acquiſiturum*, Gregorii II & III crediderunt; eidemque paulo antequam è vivis excederet, *confeſſionis B. Petri claves ad Regnum* ſeu dominium temporale obtulerunt; eosne tam ſtipites fuiſſe dixerimus ut Alaſtorem pro Averrunco & ſoſpitatore reputarent, damnatique capitis Imperium unice expeterent?

Fredegarius Scholaſticus Caroli Martelli extrema narraturus, quæ de Romanæ Eccleſiæ ad eum perfugio, oblatoque urbis Imperio Gregorianæ epiſtolæ notaverant, fuſius perſequitur; *reverſus*, inquit, *in regionem Francorum, ægrotare cœpit in villa Verinbrea ſuper Iſſara fluvio. Eo etenim tempore bis à Roma ſede S. Petri Apoſtoli beatus Papa Gregorius claves venerandi ſepulcri, cum vinculis ſancti Petri, & muneribus magnis & infinitis legatione, (quod antea nullis auditis aut viſis temporibus fuit) memorato Principi deſtinavit. Eo pacto patrato, ut ad partes Imperatoris recederet, & Romanum Conſulatum præfato Principi Carolo ſanciret. Ipſe itaque Princeps mirifico ac magnifico honore ipſam legationem recepit, munera pretioſa contulit, atque magna præmia cum ſuis ſodalibus miſſis, Grimonem Abbatem Corbenſis Monaſterii, & Sigobertum recluſum Baſilicæ ſancti Dionyſii Martyris, Romam ad limina ſancti Petri & ſancti Pauli deſtinavit. Igitur memoratus Princeps, conſilio Optimatum ſuorum expetito, filiis ſuis Regna dividit. Itaque primogenito ſuo, Carolomanno nomine, Auſter, & Suaviam, quæ nunc Alemannia dicitur, atque Thoringiam tradidit. Alteri vero ſecundo filio juniori Pippino nomine, Burgundiam & Neuſter & Provinciam permiſit. Eo anno Pippinus Dux commoto exercitu cum avunculo ſuo Hildebrando Duce & multitudine Primatum & agminum ſatellitum plurimorum ad Burgundiam dirigunt, fines regionum præoccupant. Interim quod dici dolor & mæror ſollicitat ruinam, in ſole, luna & ſtellis, nova ſigna apparuere, ſeu & Paſchalis ordo ſacratiſſimus turbatus fuit. Carolus nempe Princeps Pariſius Baſilicam S. Dionyſii Martyris multis muneribus ditavit: veniensque Cariſiaco villa Palatii ſuper Iſſaram fluvium, valida febre correptus obiit in pace, cunctis in gyro Regnis acquiſitis. Rexit autem utraque Regna annos 25, tranſiit itaque 11 Calend. Novembris, ſepultuſque eſt Pariſius in Baſilica ſancti Dionyſii Martyris.* Si Martellum inſolito cultu proſecuti à Conſtantinopolitano Imperio deſciſcere & Francicum ſubire parati Romani, propenſi affectus teſtandi cauſa *S. Petri claves* eidem obtulerunt; ſi deſtinatis Romam legatis, diviſa inter filios poteſtate, ditato S. Dionyſii Monaſterio ægritudini ſuccubuit Martellus; ſi natura languenti compati viſa humano generi mœrorem ac juſtitium indixit, ſi denique *in pace* Domini *obiens*, non modicum ſui deſiderium reliquit; nec Francico nec externo Clero exoſus ſceleribus obligatam animam impiavit, & orco quod maledici volebant addixit.

Cap. 109. & 110. Verberi.

Id eſt, ut Leone Iſaurico & Conſtantino Copronymo relictis ad Martellum urbis dominium transferret. Cui exinde Fulradus ſucceſſit.

Clypiacum villam juris proprii donavit.

Quarto Cal. Decembres proxime ſequentes Gregorius III deceſſit.

Caroli nomen ex Arnulfina gente primus Martellus ſortitus erat, ſi divexati Cleri, & dilapidati patrimonii ſacri reus, cœli ac terræ odium meruerat; idque poſteros Eucherii viſione monitos latere divina providentia noluit; eum ceu gentis univerſæ labem æterna oblivione delendam execrari, & Caroli nomen ejus cauſa averſari debuerant nepotes: at contra factum; nec imitandus tantum, ſed admirandus, immortalem ſibi gloriam peperit, cujus deſiderio accenſa poſteritas heroici ſpiritus atavum vel de nomine referre honorificum duxit.

Caro-

Carolus Martellus Anno 741, Octobr. 22 denatus.

Pipinus Rex.

Carolus Magnus Anno 742 natus, & Carolus ex avi Anno præcedente defuncti nomine dictus.

Carolus Rex ante patrem denatus.	Ludovicus Pius Imperator.

Lotharius Imperator.	Pipinus Aquitan. Rex.	Ludovicus German. Rex.	Carolus Calvus Imperator.	
Carolus Provinciæ Rex.	Carolus Mogunt.	Carolus Craſſus Imperator.	Ludovicus BalbusRex.	Carolus Aquitan. Rex.

Carolus Simplex Rex.

Ludovicus Vltramarinus Rex.

Carolus Lotharingiæ Inferioris Dux.

Carolus.

Cum igitur Caroli nomen certatim affectarint Martello oriundi; hoc ipſo ſe atavi nec damnatum caput, nec infame nomen, nec execrandam memoriam credidiſſe teſtati ſunt, fidemque omnem quantum in ipſis fuit in contrariam ſententiam ex Eucherianæ relationis opinione abreptis abrogarunt.

Adſcriptorum B. Dionyſio Areopagitæ, quem cum Pariſienſis Eccleſiæ fundatore Græci confundebant, librorum admiratione, reſumptique anno 834 in Baſilica Dionyſiana cinguli memoria permotus Ludovicus Pius; totum ſe Majorum ac imprimis proavi Martelli familiari exemplo, B. Martyris cultum ſpirare proteſtabatur: hæc anno circiter 836, à Martelli morte 95, ad Hilduinum Abbatem ſcribens; *progenitores noſtri mellifluum nomen Domini Dionyſii* (*ſic enim verbis ac ſcriptis ſuis appellare eum conſuevere*) *non incongrue pia dilectione & dilectiſſima pietate amplexi ſunt. Quia proavus noſter Carolus, Princeps Francorum inclytus, per orationes ipſius excellentiſſimi Martyris indeptum ſe fuiſſe gratulatus eſt apicem principatus, eidemque, decurſo mortalitatis tempore, quod carius potuit habere depoſitum, corpus ſcilicet proprium, in magni die judicii ſuſcitandum, & animam Deo præſentandam, fideliter commendavit, ac pro hoc maxime devotionem atque fiduciam cordis ſui erga peculiarem patronum potenter oſtendit.* Sive dantis, ſive accipientis, ſive temporis, ſive rerum quas epiſtola memorat, ratio ineatur; affictum Eucherio commentum concidat oportet: eam Martelli pronepos dedit, cujus maxime intererat, nihil non compertum de ſui generis auctore profari; quemque in tanto faſtigio impoſturam vel facere vel pati indigniſſimum fuiſſet. Accepit Hilduinus poſt Conſtraninum, Maginarium, Fardulfum, Fulrado illi à quo Martelli damnatio deprehenſa fingitur ſuffectus; *venerabilis cuſtos ac cultor S. Dionyſii*, *vir Dei* danti qui eum ſui *in ſacris orationibus jugiter memorem* eſſe jubebat; quem Fulradi geſta & dicta latere nequaquam poterant; ſub cujus oculis Martelli tam ſepulcrum quam cadaver, & cadaveris ſtatus indeſinenter fuit; cujus denique diſciplinæ ad annum uſque 845, à data epiſtola nonum, Hincmarus ille traditus fuit, qui poſt annos 13 Fulradum de æterna Martelli damnatione certiora doctum videri voluit. De ea poſt annum, à Martelli qualicunque morte, 94, quo *vires* conficta de ejus cataſtrophe fabula *eundo acquirere* debuerat, ſcribenda ne cogitavit Ludovicus Pius; prout ex his ejuſdem verbis apertiſſime colligitur; *ſed & nos multis ac frequentibus largi-*

largitionibus beneficia ejus [Dionyſii ſcilicet] *ſumus experti: præcipuè tamen in humanæ varietatis eventu, quo Dei, ut ſemper fatendum eſt, juſto judicio in virga eruditionis ſuæ viſitati, & baculo ſpecioſæ miſericordiæ ejus ante præſcriptum altare, per merita & ſolatium domini ac piiſſimi patris noſtri Dionyſii, virtute divina erecti & reſtituti ſumus, cingulumque militare judicio atque auctoritate Epiſcopali reſumpſimus, & uſque ad præſens ipſius gratioſo adjutorio ſuſtentamur.* Anno enim 834 Lotharius *relicto patre in Monaſterio ſancti Dionyſii, ipſe Burgundiam petiit, Viennam uſque pervenit*, &c. *At vero ii, qui cum Imperatore remanſerant, eum ad recipiendas imperatorias infulas hortabantur. Sed Imperator, quamquam modo quo prædictum eſt Eccleſiæ eliminatus communione, nequaquam tamen præproperæ voluit acquieſcere ſententiæ: ſed Dominica, quæ in craſtinum advenit,* [Martii 8] *in Eccleſia ſancti Dionyſii, Epiſcopali miniſterio voluit reconciliari: & per manus Epiſcoporum armis accingi conſenſit.* Altero vero anno vertente, epiſtolam ad Hilduinum dedit; cujus quot de Martello proavo verba ſunt, tot fabulæ de ejus in inferno inferiori tormentis maligne confictæ confutationes exſtant. *Pro hoc ſolo* quod *res Eccleſiarum ſeparaſſet*, ac ſuis *diviſiſſet æternaliter perditum, in inferno inferiori tortum*; *ſanctorum quorum res abſtulerat ante judicium* poſtremum *judicatione corpore & anima ſempiternis pœnis deputatum*; eoque ante ultimam univerſorum reſurrectionem excitatum; *corpus* ejus à Bonifacio & Fulrado in ſepulcro *non repertum*; corporis loco *draconem exire viſum*; *totum* denique *ſepulcrum interius denigratum, ac ſi exuſtum fuiſſet, inventum,* mentiti poſtea ſunt Carolini nominis hoſtes: at Ludovicus Pius illum ipſum Hilduinum, in cujus poteſtate & tumulus & corpus erant, alloquens, contraria omnia narrat; *Principemque inclytum* non infamiæ elogio inuſtum, *per orationes Martyris ſe principatus apicem indeptum, gratulatum fuiſſe*; *corpus eidem proprium in magni die judicii*, non ante, *ſuſcitandum*, & *animam Domino* ad ſalutem *præſentandam*, eoque à damnatione *tutam*, fideliter, adeo ut fruſtratum ſe non expertus ſit, *commendaſſe*; *pro hoc maxime devotionem atque fiduciam cordis ſui erga* ſanctum *potenter*, non inaniter, *oſtendiſſe*, aſſeverat.

Vita Ludovici.

Cum igitur Carolum ad annum uſque 836, à morte 95, damnatum nemo dixerit, ſalvum pronepos crediderit, nulloque reclamante contenderit, quicquid de eo commenti ſunt tenebriones inter annum 836 quo Ludovicus ſcribebat, & 858 quo capitula ſua adverſus Ludovicum Germaniæ Regem Pii filium, & Caroli abnepotem Cariſiaci Remenſis & Rotomagenſis provinciarum præſules ediderunt, confictum fuiſſe jure merito cordati omnes ſenſerint. Eorum nunc ſomniis Rigoberti vita poſt reliquiarum ab Hincmaro Iunii 14 factam tranſlationem, & Eucherii elogium, quod Pippino regnante ſcriptum dicitur, conſpurcata ſunt; poſſentque Synodi Cariſiacenſis verba hinc excerpta prima fronte videri, ſed contrarium Synodi ejuſdem ſequentia ſuadent; *nos autem illos vidimus, qui uſque ad noſtram ætatem duraverunt, qui huic rei interfuerunt, & nobis viva voce veraciter ſunt teſtati quæ audierunt atque viderunt.* Vniverſa hæc dicere quam probare facilius erat, cum enim à Martelli morte ad Synodum Cariſiacenſem anni 117 effluxerint, vix fieri potuerit, ut anno 858 florentibus, commercii quicquam cum iis quibus ob morum gravitatem, maturamque ætatem, anno 741 teſtimoniorum

Intercedunt anni 22, quorum labente curriculo fabula confingi potuit.

jus deferri legitime poterat: eos enim cervis vivaciores, ut tamdiu durârent eſſe oportuiſſet. Sed Neſtoreos illis annos datos largiamur, quod vel cujus meriti illi fuerunt, quibus quod Hilduino Hincmari magiſtro, & Cœnobii Dionyſiani rectori anno 836 adhuc ignotum erat, non ex ulla anteriorum quoruncunque relatione, ſed ex oculorum propriorum teſtimonio innotuiſſe dicitur? Eorum fruſtra nomina quæſieris qui ſerpentino ſibilo male credulas aures demulcere conati, inauditis antea & incredibilibus monſtris eas primum impleverunt. Sed quod Synodi Cariſiacenſis patres illis ipſis verbis, quæ Rigoberti & Eucherii elogiis inſerta ſunt uſi, eorum qui elogia illa ſcripſerunt auctoritate prætermiſſa, audita non lecta ſe de Martello referre profitentur; nihil eos ex elogiis illis quæ forte non exſtabant, mutuatos eſſe, ſed elogiis iiſdem Cariſiacenſium capitulorum aſſutam poſtea laciniam fuiſſe, nec Cariſiacenſes alio ex fonte quam rumuſculis mendacibus ſua de Martello hauſiſſe convincit.

Inde etiam illos incomperta ſcripſiſſe apparet, quod nihilo veriora de Pippino quam parente ſubjecerunt; *quod*, inquiunt, *cognoſcens filius ejus Pippinus, Synodum apud Liptinas congregari fecit, cui præfuit cum S. Bonifacio legatus Apoſtolicæ ſedis, Georgius nomine. Nam & Synodum ipſam habemus, & quantumcumque de rebus Eccleſiaſticis, quas pater ſuus abſtulerat, potuit Eccleſiis reddere procuravit. Et quoniam omnes res Eccleſiis, à quibus ablatæ erant, reſtituere propter concertationem, quam cum Waifario Aquitanorum Principe habebat, non prævaluit; precarias fieri ab Epiſcopis exinde petiit, & nonas ac decimas ad reſtaurationes tectorum, & de unaquaque caſata* 12 *denarios ad Eccleſiam unde res erant beneficiatæ, ſicut in libro capitulorum Regum habetur, dari conſtituit, uſque dum ipſæ res ad Eccleſiam revenirent.* Lib. 5, cap. 3.

Hucuſque Concilii Cariſiacenſis locus, in quo plura nobis obſervanda ſunt; 1. viſionem quæ Eucherio oblata dicitur, ſemeſtri illo, quod à Martelli morte, ſeu 11 Calend. Novemb. anni 741, ad Concilium Germanicum ſeu 11 Calend. Majas anni 742 defluxit, labente contigiſſe non ſine colore ſtatuit: eam enim in ſequentes annos differre ab omni veri ſpecie longius abfuiſſet.

2. Concilii Leptinenſis convocationem Pippino, extra cujus ditionem Leptinæ erant, male aſſignat. Quandoquidem Bonifacius epiſtola 1, ad Zachariam Papam Carolomanni unius juſſu, & ex ſolo ejus Regno congregatum refert; *Carlomannus*, inquit, *Dux Francorum me accerſitum ad ſe rogavit in parte Regni Francorum, quæ in ſua eſt poteſtate, Synodum incipere congregare*, &c. Carolomannus ipſe in præfatione Concilio Leptinenſi præfixa; *in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ego Carlomannus Dux & Princeps Francorum, anno ab incarnatione Domini* 742, 11 *videlicet Calendas Maji, cum conſilio ſervorum Dei, & optimatum meorum, Epiſcopos qui in Regno meo ſunt, cum presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Chriſti congregavi*, &c. Sed forte Carolomannus participato, cum Pippino fratre, conſilio, Synodum indixerit, quam Zacharias Papa epiſtola ad Francos anno 743 data, germano utrique tribuit; *Synodum aggregatam mediantibus filiis* ſuis *Pippino & Carlomanno Principibus*, ſcribens.

3. *Synodum* apud Leptinas, quod *Pippinus* à Bonifacio & Fulrado de Caroli parentis damnatione audita & viſa *cognoviſſet, aggregatam* perperam

 aſſe-

aſſerit, cum Zacharias Papa *juxta commonitionem* ſuam contractam notet.

4. Ex Præſulum Cariſiacenſium mente Martelli filios de æterna patris perditione moniturus, & ad Synodi convocationem impulſurus ſponte Bonifacius adierit, qui tamen contrarium in epiſtola ad Papam ex profeſſo tradit; *notum*, inquit, *ſit paternitati veſtræ, quod Carlomannus Dux Francorum me accerſitum ad ſe rogavit in parte Regni Francorum, quæ in ſua eſt poteſtate, Synodum incipere congregare: & promiſit ſe de Eccleſiaſtica religione*, &c. *aliquid corrigere & emendare*, &c.

5. Synodo Leptinenſi *præfuiſſe cum Bonifacio legatum ſedis Apoſtolicæ, Georgium*, Cariſiacenſis conventus Patres volunt; at contra Carlomannus ipſe; *Epiſcopos pro timore Dei congregavi: id eſt Bonifacium Archiepiſcopum, & Burchardum, & Regenfridum, Wintanum, & Witbaldum, & Dadanum, & Eddanum, ac reliquos Epiſcopos*, &c. Nulla vel Georgii legati, vel Romanæ legationis, vel Pippini fratris mentione facta.

6. Hoc, Synodum Leptinenſem, fine ut Martelli acta emendarentur congregatam Cariſiacenſis conventus finxit,at contra Carolomannus in Synodo Germanica anni præcedentis, *Synodum congregavi, ut mihi conſilium dediſſent, quomodo lex Dei, & Eccleſiaſtica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum diſſipata corruit, & qualiter populus Chriſtianus ad ſalutem animæ pervenire poſſit*, &c. Bonifacius epiſtola ad Zachariam Papam de Carolomanno; *promiſit ſe de Eccleſiaſtica religione, quæ jam longo tempore, id eſt non minus quam per* 60 *vel* 70 *annos calcata & diſſipata fuit, aliquid corrigere & emendare velle.* Synodus Sueſſionenſis anno 744 ab incarnatione Domini, ſeu 745 à Calendis Ianuariis, Martii 2, capite 1, *Conſtituimus*, &c. *quomodo lex Dei, & Eccleſiaſtica regula recuperetur, quæ in diebus priorum Principum diſſipata corruit*, &c. Non igitur gravius Martellus quam Pippinus ejus parens, aut Anſegiſus avus, aut Grimoaldus proavunculus, cum Erchinoaldo, Ebroino, Leudeſio, Martino aliiſque domus Majoribus deliquerat, aut ſub eo primum, vel ab eo, ſed ante ejus natale corrumpi Eccleſiarum ſtatus cœperat, de quo corrigendo Carolomannus & Pippinus poſt parentis obitum à Papa & Bonifacio ejus legato moniti cogitarunt.

7. Quibus nihil ad manum fuit, ex quo Eccleſiam ullam, vel teruncii jacturam, Martello procurante, feciſſe, eoque nomine queſtam eſſe conſtaret; mirum qua fiducia ante annos 117 ſepultum, *rerum Eccleſiaſticarum ablatarum* coram abnepote poſtulare, *æternaliter perditum*, & quaſcunque *pœnas* commeriti erant quotquot res ablatas donaverant, *recipere* coactum pronunciare auſi ſint.

8. Etiamſi Cariſiacenſis conventus patres *Synodum* ſe Leptinenſem *habere* proteſtati, Pippinum *quantumcumque de rebus Eccleſiaſticis quas pater ſuus abſtulerat,potuit Eccleſiis reddere procuraſſe. Quoniam omnes res Eccleſiis ablatas, reſtituere non prævaluit, precarias fieri ab Epiſcopis exinde petiiſſe, nonas ac decimas ad reſtaurationes tectorum*, &c. *dari conſtituiſſe* dixerint; Concilii Leptinenſis in quo de Carolo, de *rebus* ab eo *ablatis*, & à Pippino filio *reſtitutis*, de non reſtitutarum *petita ab Epiſcopis precaria*, de *nonarum & decimarum* erogatione ne μῦ quidem reperitur, auctoritate niti nequaquam potuerunt: quod ne quis in dubium revocandum putet, en ipſa Concilii Leptinenſis longe aliud ſonantia verba, Canone ſecundo; *ſtatuimus*

cum

cum conſilio ſervorum Dei & populi Chriſtiani, propter imminentia bella, & perſecutiones cæterarum gentium, quæ in circuitu noſtro ſunt, ut ſub precario & cenſu aliquam partem Eccleſialis pecuniæ in adjutorium exercitus noſtri, cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus, ea conditione ut annis ſingulis de unaquaque caſata ſolidus, id eſt duodecim denarii, ad Eccleſiam vel monaſterium reddantur: eo modo ut ſi moriatur ille, cui pecunia commodata fuit, Eccleſia cum propria pecunia reveſtita ſit. Et iterum, ſi neceſſitas cogat, aut Princeps jubeat, precarium renovetur, & reſcribatur novum. Et omnino obſervetur, ut Eccleſiæ vel monaſteria penuriam, paupertatemque non patiantur, quorum pecunia in precario præſtita ſit: & ſi paupertas cogat, Eccleſiæ vel domui Dei integra reddatur poſſeſſio. Nec diſſimilia fuerunt, quæ Synodus Sueſſionenſis poſt biennium decrevit, capite tertio; *idcirco conſtituimus*, &c. *ut ordo Monachorum, vel ancillarum Dei ſecundum regulam ſanctam ſtabilis permaneat: & de rebus Eccleſiaſticis ſubtractis Monachis vel ancillis Dei conſolentur, uſque dum illorum neceſſitati ſatisfaciant, & quod ſuperaverit, cenſus levetur.* Ex quibus adverſus Cariſiacenſium patrum opinionem in Regni Pippino commiſſi portione, Abelis Remenſis & Ardoberti Senonenſis arbitrio reſtitui in integrum juſſa monaſteria, nec dilatas in tempus aliud religioſorum, qui nonnulla rerum ſuarum poſſeſſione exciderant, ſpes fuiſſe in parte Carolomanno ſubdita eaſdem more priſco differri placuiſſe apparet. nihil ergo tunc ſequius de Carolo ejuſque actis vel palam pronunciatum, vel quomodocunque inſinuatum eſt. ſi enim *Eccleſiarum pecunias*, neceſſitate poſt ejus obitum faciente, Carolomanno & fidelibus ejus Laicis retinere fas fuit, cur non ante, dum ineluctabilis neceſſitas incumberet Leptinenſi Synodo judice fuerit? quod in filio, commodiora tempora nacto, ferri potuit, cur in patre graviora paſſo non potuerit? ſi Carolomanni ſaluti *rerum Eccleſiaſticarum* qualiſcunque uſus non obfuit, cur Carolo parenti obfuerit, addictuſque cum impiis cenſebitur, qui à piis non aliena admiſit? eodem ergo jure tam pater quam filius freti, non ſibi aut Laicis, ſed reipublicæ in qua Eccleſia conſiſtit, & ſine qua ſalva eſſe nequit, *Eccleſiaſtica* ad tempus *retinuerint*, precario tradito, cenſus annui erogatione promiſſa, & redintegrationis ſi res poſcere videretur ſpe facta, Clero ac Monachis idoneè caverint: non falſo *nonarum & decimarum* ſolutionem, *in libro Capitulorum*, imperatam Cariſiacenſes patres contenderunt, ſed pace eorum dictum ſit, Leptinenſis Concilii decreto inconſulte tribuerunt, quod ei Capitulorum non minus interpolator quam collector Anſegiſus Lobienſis Abbas periculo ſuo licentius inſeruit.

9. Quod Pippinum *propter concertationem cum Waiſario Aquitanorum Principe, res omnes Eccleſiis ablatas reſtituere non prævaluiſſe* volunt, ex mera filium cum patre, turbato rerum ac temporum ordine confundentium hallucinatione provenit: anno enim 726, à devictis in Turonibus Saracenis proximo, dum Burgundiam luſtraret Martellus, *Eudo Dux mortuus eſt:* Fredegar. ejuſque *regionem* paulo poſt Martellus idem *ſubjugavit*, anno 731 *vaſtavit* cap. 109. *duas vices ultra Ligere.* 735 *invaſit Waſconiam.* 736 *dimicabat contra filios* Annal. vet. *Eudonis*, Hunoaldum ſcilicet & Remiſtanum. *Rebellantibus, poſt ejus deceſſum*, & Synodum à Carolomanno in Germania congregatam, *Vaſconibus* Fredegar. *in regione Aquitaniæ, cum Chunoaldo Duce, filio Eudone quondam, Carloman-*

nus atque Pippinus, Principes germani, congregato exercitu Ligeris alveum Aurelianis urbe tranſeunt, Romanos proterunt, uſque Beturigas urbem accedunt, ſuburbana ipſius igne comburunt. Chunoaldum Ducem perſequentes fugant, cuncta vaſtantes. Lucca caſtrum diruunt, atque funditus ſubvertunt; cuſtodes illius caſtri capiunt, & inibi victores exiſtunt. Prædam ſibi dividentes, habitatores eiſdem locis ſecum captivos duxerunt. Inde reverſi circa tempus autumni, eodem anno iterum exercitum ordinaverunt ultra Rhenum contra Alamannos, &c. Anno 743 quo Concilium Leptinenſe congregatum eſt, *Pippinus quievit, & Carolomannus in Saxonia cum exercitu.* Anno 745 *provocati coturno Vaſconum, iterum ad Ligerim fluvium pariter adunati venerunt*, Carolomannus & Pippinus. *Quod videntes Vaſcones, præoccupaverunt pacem petentes, & voluntatem Pippini in omnibus exſequentes, muneratum eum à finibus ſuis ut rediret, precibus obtinuerunt.* An tunc Hunoaldus fato functus fuerit, nemo facile aſſeverabit: ſed ultra annum 747 vitam ejus protrahi nequaquam potuiſſe, ex ſequentibus liquet: anno 748 *Griſo ad Waifarium*, [Hunoaldi filium] *Ducem Aquitaniæ profugit.* Nec multo poſt, anno nimirum 753, dum Italiam peteret, à Maurienna Comite interfectus eſt. Waifarium ad quem is perfugerat anno 760 aggreſſus Pippinus, eundem paulatim edomuit; Mancionem ejus conſobrinum res in Gallia Narbonenſi turbantem anno 762 per Galemanium alioſque fideles è medio ſuſtulit; & Remiſtanum ejuſdem patruum ad deditionem compulit: fidem vero anno 767 fallentem, 768 patibulo ſuſpendi juſſit, ac paulo poſt Waifarium necavit.

Annal.

Eginhard.

Cum igitur Cariſiaci congregatorum præſulum de Eucherio & Fulrado narratio, quam in farragines ſuas incerti vitæ Rigoberti & Eucherii ſcriptores poſtea tranſtulerunt, aperte falſis & improbabilibus tota conſuta ſit: ne incautis deinceps fucum faciat, eos aſſerti à nobis veri ſumma propoſita undique munire conabimur. Anno 717 Martii 22 feria 1, ad Vinciacum Martellus pugnavit, & Rigobertum in Chilperici & Ragenfridi partes inclinantem Epiſcopio Remenſi paulo poſt exegit, qui anno 725 Ianuarii 4, indictione 8, ad meliorem vitam tranſlatus eſt: Iulii ſequentis 22 Saraceni in Turonibus profligati ſunt, ante anni exitum Eucherius tanquam rerum novarum cupidus, Epiſcopali throno Aurelianenſium detractus eſt: anno 731, exilii ſexto, Februarii 20, Trudonopoli Eucherius idem vitam finivit: 739 & 740, ad Martellum confugium fecit, eumque ad urbis Imperium invitavit Gregorius III, Grimonem Corbeiæ & Sigobertum S. Dionyſii Abbates fœdus ſancituros, anno 741 Romam delegavit Martellus, qui apud Vermeriam infirmitate tentatus, regnum filiis diviſit, inde Cariſiacum tranſlatus, Clypiacum S. Dionyſii monaſterio Septembris 17, feria 1, donavit, ibidemque poſt dies 35, Octobris nimirum 22, feria 1, *in pace* dormivit: eum poſt dies 38 Gregorius III Papa, Novembris 28, feria 3 denatus, ſecutus eſt. Anno 742 Aprilis 21, feria 7, Concilium in Germania Carolomannus congregavit, primogenitum Pippinus in patris memoriam Carolum vocavit. Anno 743 Martii 1, feria 5, Concilium apud Leptinas Carolomanni unius juſſu convenit. Sic enim ille cap. 4. *decrevimus quoque quod & pater meus ante præcipiebat*, &c. Anno denique 745 Martii 2, feria 3, Pippinus Synodum Sueſſionenſem convocavit.

Quandoquidem nihilo deterior ſub Martello, quam antea ſub Pippino parente,

rente, aut poſtea ſub Carolomanno & Pippino filiis, Carolo nepote & Ludovico pronepote Eccleſiæ conditio fuit; nihilque habuere Martelli coætanei, quod in eo juſtius quam in Majoribus aut poſteris plecterent; fruſtra *confictum à Remenſi aliquo per ſeculi octavi initia, ut Martello metum incuteret*, quod poſtea Flodoardus exſcripſit Remigii teſtamentum, hariolatur Diſquiſitor: cui in mentem venire debuerat fabam hanc quanta quanta eſt in miſeri Childerici, quem anno 750, à Martelli morte nono, Pippinus Martelli ejuſdem ſecundogenitus deturbavit, infelix caput cuſam, & Pippinianæ electionis & conſecrationis occaſione paria Clodoveo ac Merovingis Clodoveo eodem natis impudenter affictа fuiſſe: qui enim Pippinum & in Pippino genus ejus electione ad ſolium provectum, & unctione Regia in perpetuum conſecratum videbat, ne novi quippiam, quo vetus Regni mos violatus cenſeri deberet invectum fateri cogeretur, electos & unctos in Clodoveo Merovingos fingere, Remigium ſemet utriuſque ritus auctorem ridicule prædicantem ſubornare, eique mendacia hæc verba adſcribere non dubitavit; *genus Regium, quod in Regiæ Majeſtatis culmen perpetuo duraturum elegi*, &c. *per ſacri Chriſmatis unctionem ordinavi in Regem.* Hoc ipſo quod *una cum conſilio & conſenſu omnium Francorum miſſa relatione, à ſede Apoſtolica auctoritate percepta, Pippinus electione totius Franciæ in ſedem Regni, cum conſecratione Epiſcoporum, & ſubjectione Principum, ſublimabatur in Regno*; tam ſuo quam Zachariæ Papæ, cujus reſcriptum anno præcedente acceperat, nomine, Pippinum & Pippinianum *genus* ad Regnum *electum & ordinatum*, gloriari ab anno 750 jure poterat Bonifacius Moguntinus; ſimilia de Clodoveo & Merovingis à ſe nec *electis*, nec *ad Regnum*, quod jure natalium ſortiebantur, *ordinatis*, profari nunquam Remigius potuit. Diſquiſit. pag. 15.

Pippinum, quem Regio culmine digniſſimum fuiſſe negare nemo poterat, per calcatum Principem immerentem ad illud perrexiſſe, fateri vel impudentiſſimos puduiſſet. ne igitur aliena invadentis iniqua promotio, ad pedes dejecti miſeranda conditio videretur, antiquum Regum jus ab una electione & conſecratione Epiſcopali, qua Francorum omnium primus Pippinus nitebatur, arceſſere; Childericum delicti nullius reum, cujus adhuc adoleſcentuli demerita ætatis imbecillitas facile excuſaſſet, quemque Majorum ab annis 100 exemplo, procul negotiis inertem & per tacitum ſub tyrannico Majorum domus magiſterio fluentem vitam tranſegiſſe conſtabat, ſua patrumque crimina luiſſe, & Remigianum, in officii oblitos Reges, maledictum incurriſſe, fingere placuit: ne inſons haberi poſſet, in ejus velut capri emiſſarii devotum caput, eorum qui ad clavum loco Regum ſedentes poteſtate abuſi erant ſcelera congeſta ſunt: ac ne quis Præſulibus vitio verteret, quod de Republica ſtatuere auſi, ſeculi ſe negotiis per nefas implicarent, falcemque ſuam in alienam meſſem conjicerent, Eccleſiarum cervicem indigno jugo preſſam, reſque earum direptas, Remigium ne injuſtæ vi ſubjacerent unquam pro virili caviſſe; in earum perniciem quomodocunque graſſantibus dira minatum fuiſſe; Epiſcopos Childerici abdicatores laudatis Remigii veſtigiis inſtitiſſe, cauſari commodiſſimum viſum eſt, ut Childerici *principatum accipiente* Pippino, Remigio affictum decretum executioni mandari crederetur, gentiſque Merovingæ ſeriis lacrymis lugenda cataſtrophe divino judicio à Remigio ante annos 220 prænunciata, non ſine

 colore

colore imputaretur. Per Blithildem eique adſcriptum parentem, Clotharium primum, Martellum ejuſdem, ut vulgo creditur, abnepotem, *genus Regium* contigiſſe, ejuſque qui Francorum non *Rex* ſed *Princeps* audiebat, dignitatem à teſtamenti Remigiani interpolatore proprie deſignatam fuiſſe, Diſquiſitor autumat, quia Davidis verba pro arbitrio reſecta *Epiſcopatus* voce detorquens, non *Regnum* ſed *Principatum ejus accipiat alter*, ſcripſerit. ſed univerſa hæc ne pili æſtimanda ſunt, quandoquidem Blithildis Clothario I natæ prima ſub Carolo Calvo, Martelli abnepote ad Regnum anno 840, à Martelli obitu 98 deſinente, evecto, mentio occurrit, nihilque in hanc uſque diem antiquius exſtat, ex quo *Regium* Martelli Majoribus *genus* à quoquam affictum colligi poſſit; Caroli coætaneus Fredegarius qui eum *Principem* fere ſemper vocat, Regio jure uſum non negat, imo *Regna filiis ſuis* qui ſe *Regnorum* compotes anno 742, 43 & 45 dixerunt, *diviſiſſe* expreſſe notat, eoque emphaſim nullam in *Principatus* voce, quam Remigiani teſtamenti interpolator *Regni* vocabulo prætulit, conſtituendam eſſe evincit; cum ei qui Regna poſſedit, & ſuis diviſit, tam *Regnum* quam *principatus* tribui potuerit: huc etiam facit quod in Epitaphio Martelli ſepulcro inſculpto, nec *Dux*, nec *Princeps*, nec *Major*, ſed *Rex* abſolute nuncupatur: quocirca teſtamenti Remigiani corruptor, hanc unam dum Davidicis verbis abutitur, *Regni* ne nominandi cauſam habuit, quod vox *Regnum* à dictione *Epiſcopatus* quam à cauſa Regia abſonam judicabat tantum abeſſet ut vix duos apices ejus retineret, in voce vero tetraſyllaba *Principatus* quam quinque ſyllabarum priori à propoſito alienæ, *Epiſcopatui* nimirum ſubſtituebat; hæc tribus tantum literis reſectis, aliiſque tribus repoſitis tota inveniretur; nec ex falſis quæ ſibi præſtituit Principiis, niſi falſa & inconvenientia de Martello, & Carolovinga gente conſectaria exprimere Diſquiſitor potuit.

Gregorii II vita *Regem* vocat.

Delevit *e*, *ſ*, *o*; eorumque loco repoſuit *r*, *n*, *i*.

Diſquiſit. pag. 48.

Rigordus de Philippi Auguſti & uxoris coronatione agens, quod caſu eveniſſe videbatur, ut ſcilicet *quidam miles de Officialibus Regis tenens virgam in manu ſua, cum ad ſedandum tumultum populi virgam huc & illuc in incertum jaceret, tres lampades, ſuper capita ipſorum ante majus altare pendentes, ſubito uno ictu frangeret, & oleum illarum ſuper capita Regis & Reginæ emitteret*, in omen vertendum duxerat; *emiſſionem* illam non ſine numine, imo à Numine virgam militarem ad improviſum eventum dirigente, *in ſignum plenitudinis donorum Spiritus ſancti, cælitus miſſum, miraculoſe ad dilatandam famam nominis* Regii, *& gloriam in omnem terram circumquaque diffundendam*, procuratam opinatus; poteratque conjecturam quam perpetuus Dei Regi benedicentis favor confirmaſſe videbatur, Iuliani Toletani judicio non abſimili tueri, qui in Wambæ Weſogothorum Regis conſecratione, *evaporationem fumo ſimilem, & apis è Regii capitis loco proſilire viſæ volatum*, miraculo *cujuſdam felicitatis ſecuturæ ſpeciem portendenti*, ante annos 500 imputaverat; cum Gothicæ originis hominibus tam de Francis poſt annum 1223, quam de Weſogothis poſt 670 præclare ſentire liceret, in eum tamen infeſtus involat Diſquiſitor, nec judicio ſuo frui ſinit, Alberici eidem ſupparis cenſura oblique perſtrictum cauſatus; quaſi vero pœnas fraterculus ille luere nunc debeat, ſi aliorum exemplo opinationi innoxiæ nonnihil indulſiſſe videatur, aut in ſententiam tranſire cogantur, qui eum quod

Hiſtor. Expedit. Wambæ.

quo-

quomodocunque credebat ediſſerentem audierint: *oleum* ſacris lampadibus, & in Eccleſiæ uſum infuſum à *communi* alias diſcreviſſet vitiligator. ſed mere *commune* & *caſu fuſum* fuiſſe demus, quid ni caſu à ſe permiſſo, Deus ad ſignum aliquod abuti, abuſum revera credere ſine crimine Rigordus, quantumvis Chiffletio ingratus potuerit? qui ævi non noſtri ſcriptorem ſibi dum Francica tractat plus æquo tribuere viſum, ferre non poteſt, quam à Francis aliiſque quibus quicquid collibitum eſt, affingere amat, veniam mercatur? Legatum Francicum à Piccolomineo in Norimbergenſi ſuburbano epulum parante invitatum, cum Suecis Hiſpano cedere paratis de primo loco rixatum, repulſæ metu à publico abſtinere coactum ſtrenue mentitus, de convivii pompa & inſtruentis mente ſuaviter garrit, ridicule de eo quæcunque animo vel oſcitando verſavit ſomnians, ac ubi convivatorem cum Archiſtratego Paulo Æmilio ſuperſtitioſe compoſuit, ab eo Claudii & Neronis pudendis exemplis freto *patentem locum* electum perinde refert, ac ſi generoſo & forti viro non Abrahamum Angelos ſub dio excipientem, Samuelem Iſraëlis univerſi judicem, *excelſum ad veſcendum* cum populo & Saule Rege deſignato *aſcendentem*, Euandrum *ante urbem* ſacra Herculi non ſine publico convivio facientem, ſed fatuum & monſtrum imitari glorioſius fuiſſet. *Sub quercu* menſam Abrahamus Angelis hoſpitibus appoſuerat, *habitare* extra domos *in umbraculis, fructus arboris decoræ, ramos palmarum, & arboris denſarum frondium, & ſalices torrentis* ad tabernaculorum uſum *ſumere* coram Domino epulaturi, *feſtumque ſeptimo* cujuſque anni *menſe* celebraturi Iſraëlitæ juſſi fuerant; in luco ſacrum Herculi epulum Euander paraverat, in hanc uſque diem fronde ſub arborea hilaria ſua agere de veterum moribus ſecuri ruſtici ubique gentium conſuevere: nec forte quid ante à Romanis aliiſque factitatum fuiſſet, ſed quid commodius eſſet Piccolomineus cogitavit, qui Iulio menſe hoc unum ſpectavit ut convivis ſuis ab æſtus moleſtia tutis, & frondium virore exhilaratis aura liberiore veſci quomodocunque daret: cum tamen Romanum morem ſequi voluiſſe ex eo Diſquiſitor conjicit quod Livio teſte, lib. 39 *poſt ludos* in Licinii Pont. Max. funere anno urbis 571 ineunte editos *epulum, populo exhibitum, in quo cum toto foro ſtrata triclinia eſſent, tempeſtas cum multis procellis exorta coëgit pleroſque tabernacula ſtatuere in foro.* Sed hîc mori nihil datum, improviſæ neceſſitati ſedentibus Romanis, quod ſemel caſu ab iis factum legitur, conſuetudini imputari nequaquam debuit, nulla frondentium ramorum umbracula excitata dicuntur, dici hyberno tempore non potuerunt; ſed *tabernacula* ex materia quæ *tempeſtatis* ingruentis vim arcere poſſet, in foro non in ſuburbano loco *ſtatuta.* nihil itaque habuit quod ex Romanorum præſcripto, repercutiendo Solis ardori intentus Piccolomineus ageret, fuitque loci Liviani longe aliud, alioque fine quam quod Piccolomineus militare convivium deſtinato conſilio ad caſtrametationis modum inſtruens præſtitit, Romæ forte-fortuna factum narrantis impertinens allegatio.

Diſquiſit. Pag 84. de Norimbergenſis convivii apparatu.

Gen.18: 2.

1 Sam. 9. v.13. v.19.

Æneid.8.

Levit.23. v. 40, 41, 42.

In primario Piccolominei *tentorio menſam hemicycli forma poſitam, qualem Celtis familiarem fuiſſe* Poſidonius *in Athenæo* notat; Romanis Boſius *in Roma ſubterranea*, & Dithmarus in Othone III, nec ampullam Remenſem, nec Regium primatum, nec Regni dignitatem tangit. Æque à ſcopo eodem aberrant, quod Plutarchus *in Sympoſiacis* convivatorem circumſpectum

Lib.4, c.14.

ctum locum ſecundum merita invitatis tribuentem requirat, quod *medium*
locum honoratiorem Perſæ, Plutarcho eodem teſte, *problem.* 3. Dido, Virgi-
lio auctore, *Æneid.* 1, Iaſon apud Valerium Flaccum, *Argon.* 2, Romani Re-
ges, Plutarcho referente, *problem.* eodem; Attila priſco *in eclogis* obſervante
honoratiorem habuerit: quod his [ut gratis fingitur] *& ſimilibus*, S. Ludo-
vici nimirum quem Mattheus Pariſienſis medium inter Henricum III An-
glum & Theobaldum II Navarrum accubuiſſe ſcribit, *inſtructus* Picco-
lomineus fuerit, ut Carolum Guſtavum Palatinum Suecici Regni Architha-
laſſum, &c. medium ſtatueret: quod Attila ad dextram ſedentibus plus de-
tulit; ejuſque ſeu vero ſeu veriſimili exemplo, (cui Iacobi Ephraimo nepoti
dextram imponentis, Salomonis matrem ad dextram locantis, Pauli *dex-*
tram Majeſtatis Domino Ieſu aſſignantis, Chriſtique ipſius æterna gloria co-
ronandis piis dextrum locum reſervantis adjungi potuiſſet auctoritas) Fran-
cos & Suecos Palatini dextrum latus claudere Piccolomineus juſſerit; quod
cum ſecundum ab honoratiori convivator, Plutarcho teſte, occupare ſolitus
ſit, Piccolomineus antiquo mori obſecutus fuerit; quod *contra morem* Tri-
malcion, Petronio *in Satyr.* annotante primum invaſerit; quod Seneca *de*
ira cap. 36. judice *demens* ſit, qui ob honoratiorem ſibi denegatum locum
animo dejiciatur; quod in ſtibadio quo Piccolomineus uſus non eſt, primus
in ſiniſtro cornu & ſupremo locus fuiſſe à Diſquiſitore credatur, quem Majo-
Sidon. Apollin. lib. 1, epiſt. 11. rianus Arelate anno 461, Maximus Treveris S. Martinum anno 386 excipiens
ſibi retinuiſſe dicitur, quamtumvis Chiffletio contraria ſenſiſſe Sidonius
videatur, qui Severinum Conſulem *primum jacuiſſe cornu ſiniſtro*, &c. Gra-
tianenſem, ei ordine ſextum *Severinum honore poſtiviſſe*, *favore præceſſiſſe*,
ultimum ſe in ſtibadii circulo *qua purpurati*, id eſt Majoriani Aug. *lævum*
latus in dextro margine porrigebatur, *jacuiſſe* refert; Majorianum medio inter
utrumque cornu ſpatio ſediſſe referat, de Maximi vero loco, menſæ cui aſſi-
debat forma, convivarum ad ejus vel dextram vel lævam poſitione nihil pror-
Severus lib. 1. de vita Martini. ſus Severus Sulpitius habeat, ſed hæc tantum, *Euodum præfectum & Conſu-*
lem, Comites duos ſumma poteſtate præditos, *fratrem Regis & patruum*, *inter*
quos *medius Martini presbyter accubuerat*, *invitatos* fuiſſe, *ipſum* Martinum
ſellula juxta Regem poſita conſediſſe ſcribat. Si Rigordum ob liberius ſcriptam
conjecturam vapulare juſtum eſt, quanto juſtius de Maximo & Majoriano
in dextro & infimo cornu ſedentibus Martini *ſellula ruſticana extra ſtibadium*,
Lib. 4. Martini presbytero poſt Regis propinquos recumbente falſa commentus
Diſquiſitor vapulabit? Quod Phariſæos *primos in menſis diſcubitus* appetiiſſe,
Serm. 93. Iuvenco *accubitu primo ſuperbos* fuiſſe; Chryſologo Simonem *Phariſæum*
veſte clarum, *in ipſis oculis Chriſti tumuiſſe*, notat; nec Phariſæos convivas
quos invitabant infra ſe, quod Diſquiſitor volebat, collocaſſe, nec Simonem
in domo propria, locum ſibi honoratiorem abſolute vindicaſſe, ſed Phari-
ſæos quotieſcunque invitabantur de primo loco occupando inter ſe certare
ſolitos fuiſſe, & Simonem de Chriſto quem ad epulum vocaverat, & magi-
ſtrum agnoſcere ſe ſimulabat, indigna (dum peccatricem ipſi ignotam,
De ſcrofularum curatione. eumque non Prophetam putaret) crediſiſſe; quod in tranſcurſu monuiſſe
ſatis eſt.

In Ludov. IX. Poſt Rigordum invidioſe ſugillatum, Scipionis Dupleix *nullum adhuc do-*
cumentum, *nullum* ſe curatarum à Regibus ſcrofularum, *in duabus primis*
eorum

eorum *familiis* veſtigium vidiſſe ſcribentis ingenua confeſſione animoſior factus, quod de *Laniceto ſtrumoſo contactu Clodovei* I *Regis perſanato* Stephanus Forcatulus anno 1579 periculo ſuo narraverat, *meram eſſe fictionem* contendit; nec tantum contendit, ſed in communem de Regibus noſtris opinionem invectus, & Roberti Cardinalis Bellarmini librum *de regimine Principum* D. Thomæ abjudicantis auctoritate fretus, eandem triumphatam putat. ſed ut Forcatuli fabula exploſa in Scipionis noſtri ſententiam tranſeamus, Capetinis Regibus datam curandarum ſtrumarum gratiam ante annos 500 creditum fuiſſe negare non poterit, qui Guibertum S. Mariæ de Novigento Laudunenſis diœceſis Abbatem, hæc à ſe viſa de Ludovico Craſſo & Philippo parente, circa annum 1135 ad Odonem S. Symphoriani Bellovacenſis diœceſis Abbatem, ac exinde Bellovacenſium Epiſcopum referentem audierit; *Dominum noſtrum Ludovicum Regem conſuetudinario uti videmus prodigio. hos plane, qui ſcrophas circa jugulum aut uſpiam in corpore patiuntur, ad tactum ejus, ſuperaddito crucis ſigno, vidi catervatim, me ei cohærente, & etiam prohibente, concurrere. Quos tamen ille ingenita liberalitate ſcæva ad ſe manu obuncans, humillime conſignabat. Cujus gloriam miraculi cum Philippus pater ejus alacriter exerceret, neſcio quibus incidentibus culpis amiſit.* Qui *libri de regimine Principum* paria de Francorum Regibus notantis *verba extollunt*, Hubertus Morus, Guilhelmus Marlotus, Vindex Gallicus, utut in auctoris nomine fallantur, ignobile cujuſque ipſos merito pudere debeat teſtimonium non proferunt; quandoquidem *ad Regem Cypri de regimine Principum*, Philippi Pulchri Regis juſſu ſcripſit Ægidius Columnius Romanus, Thomæ *Doctoris Angelici* dicti diſcipulus; *doctor fundatiſſimus* ſuo tempore nuncupatus, Auguſtinianorum generalis, anno 1291, Ianuarii 6 creatus, ac exinde Bituricenſium, ab anno 1296 jam affecto ad 1316, Decembris 22, quo mortalitatem explevit Archiepiſcopus, Adolfi Naſſovii, Alberti I Auſtriaci, Henrici VII Lucemburgici & Ludovici IV Germaniæ Imperatorum coætaneus. Quid ad nos ſi henoticarum partium mercede conductum mancipium Hubertus Morus *in* Henrico III *virtutem curandi ſcrophas defeciſſe*, furiata mente ſcribat? an quicquid perduelli ſplendida bilis adverſus Regem legitimum dictavit, fidem apud ſanos & cordatos invenerit? *Hominem ſibi dilectiſſimum & familiariſſimum, ſtrumarum morbo graviter laborantem, ſæpius licet repetito contactu, ſanare tamen nunquam potuiſſe* Henricus III dicitur. eſto; an protinus *ſcrophas curandi donum abſolute perdidiſſe*, colligere licuerit? Quiſquamne Paulum quia Timotheum unice dilectum diſcipulum non curavit, thaumaturgum eſſe deſiiſſe jure cenſuerit? Si ſibi ſtrumoſi nihil in Regibus noſtris opis eſſe ſentiunt, qua mente ſuos ad nos certatim à tot ſeculis tranſmittit Hiſpania, qui Regium comitatum nulla medelæ ſpe allecti pervicaciter obſideant, & tuberoſi juguli deformitatem velut ad publicum & perpetuum morbidæ gentis dedecus oſtentent? Quis eam ſi in ſuis fallitur, aut falli timet, vel propriis experimentis tamdiu obniti cogit, vel ex Baronii Cardinalis præſcripto *Spiritus probare*, *auctoritatemque Eccleſiæ ad dignoſcenda miracula* expoſcere vetat, aut vetuit unquam?

Disquiſit. pag. 58. Lib. I de Gallorum Imperio.

De ſanctorum pignoribus.

Disquiſit. pag. 57. 58.

Anno 1173. num. 4.

Illuſtre utpote Regi inſcriptum, & Regio juſſu à viro, ſive genus, ſive dotes, ſive dignitatem ſpectes, celeberrimo Ægidio Columna ante annos 350 elucubratum opus faſtidioſo palato aſpernatus Diſquiſitor, nulli qui ante annos 200

Pag. 57. & 58.

 vixerit

vixerit notam quam Bellarminus Cardinalis libri de extrema unctione cap. 4. *Auguſtini non videri* pronuntiavit; & Lovanienſes Theologi in appendicem ut Auguſtino indignam rejecerunt, & *loqnutulei nec docti*, *nec diſerti* fuiſſe judicavit Eraſmus; *de viſitatione infirmorum* farraginem pag. 70 male ſanus, ut ſimiles labra lactucas habeant, appetit; magnoque Auguſtino tribuere nequaquam dubitat.

Pagina 74 Francos ob impoſitam more majorum Ludovici XIII capiti *ſuperne circulis clauſam coronam* invidioſe criminatur; ſed nullo prorſus fructu, cum enim *coronarum clauſarum* & inventum recens, & uſus liber ab initio fuerit: quotquot eas in Germania à ſeculis aliquot geſtarunt, potiore quam Franci Occidentales jure non ſint, Caroli VIII qui primus corona ejuſmodi à Papa inſignitus eſt, ſibique ac hæredibus Conſtantinopolitani imperii jura comparavit, πρoνόμια univerſa ad ſucceſſores ſanguinis lege tranſierint; ejus exemplum quandocunque collibitum eſt Ludovicus XII ſecutus ſit, prout ante annos aliquot Auberius notavit, nihil *præter jus & rationem* Franciſcus I, Ludovici gener, & ex aſſe hæres *uſurpaſſe* cenſeri debet, nec alienum quid ſibi, ſuoque Regi anno 1610 vindicarunt, avito jure uſi Franci.

Quandoquidem Clodoveum gentilitate relicta Catholicam fidem & ſacra miſteria ſuſcepiſſe, ſuſcipiendi authorem ſuis fuiſſe, in divinorum ſacramentorum adminiſtratione *non merita perſonarum*, *ſed officia ſacerdotum conſideranda* eſſe conſtat, de Baptiſmi Clodoveani miniſtro quomodocunque diſputare ſupervacuum videri poſſit: ne tamen vano infelicis diſputatoris commento ſilentium noſtrum favere videatur, ad illud merito plauſu excipiendum lectorem veri ſtudioſum invitare nequaquam gravabimur. (Ambroſ. de iis qui myſt. init. cap. 5.) Georgius Florentius Gregorius circa annum 540, à Clodovei baptiſmate 44, natus, Nicetii Lugdunenſis propinquus, Trevirenſi qui Chrotildis à Clodoveo relictæ familiaris fuerat notus; Remos aliquando profectus, ab Ægidio Remenſium Archiepiſcopo Turonenſium præſul ordinatus, priſcorum canonum ſcrutator & Remigianæ memoriæ cultor non indiligens, antequam Guntramnus Clodovei nepos vivere deſiiſſet, anno 592 ad meliorem vitam tranſlatus; hæc ſibi univerſiſque Francis compertiſſima de Clodoveo & Remigio ſcripſerat: (Lib. 2, c. 31.) *nunciantur hæc*, [Francos ſcilicet ad Chriſtianiſmum inclinare] *antiſtiti* (Remigio) *qui gaudio magno repletus*, *juſſit lavacrum præparari*, &c. *Rex prior poſcit ſe à Pontifice baptizari. Procedit novus Conſtantinus ad lavacrum*, *deleturus lepræ veteris morbum*, &c. Cui ingreſſo *ad baptiſmum*, *Sanctus Dei ſic infit ore facundo*: mitis depone colla Sicamber, &c. *Erat enim ſanctus Remigius Epiſcopus egregiæ ſcientiæ*, &c. *Sed & ſanctitate ita prælatus, ut Silveſtri virtutibus æquaretur*, &c. *Igitur Rex omnipotentem Deum in Trinitate confeſſus*, *baptizatus eſt*, &c. A Remigio ſcilicet, quem Chrotildis ante *accerſiverat*; à quo Clodoveus, *novus Conſtantinus baptizari ſe prior popoſcerat*; quem Gregorius, actorum Silveſtri, à Synodo Romana ſub Gelaſio notatorum ſubleſtam fidem ſecutus, Silveſtrum alterum credebat; qui *lavacrum* in Eccleſia Remenſi *præparari juſſerat*; baptiſmum poſcenti reſponderat, ſeque unum Durocortori Remorum legitimum ſacrorum præſidem noverat. Eadem Nicetius Trevirenſis epiſtola ad Chlodoſuindam Langobardorum Reginam, quæ *Remigium*

migium & Medardum videre potuerat, data confirmat; ſequentia de Clodoveo Durocortori Remorum baptizato referens; *audiſti ab avia tua domina bonæ memoriæ Rodhildi, qualiter in Francia venerit, quomodo dominum Clodoveum ad legem Catholicam adduxerit*, &c. *Cum iſta, quæ dixi, probata, cognovit, humilis ad domini Martini limina cecidit, & baptizari ſe ſine mora permiſit.* Si Remis Remigii propria ſede in S. Martini Baſilica baptiſmum ſuſcepit; ab uno Remigio, præter quem jure ſuo nemo ſacris ibidem operari poterat, legitime ſuſceperit, fueritque Remigius Clodoveani baptiſmi miniſter præcipuus. Anonymus qui *geſta Francorum* circa annum 730 edidit, & Gregoriana plurima in farraginem ſuam tranſtulit, de Clodoveo Remigii prædicatione converſo; *Rex prior petiit ſanctum Remedium, ut ſe baptizaret. Venit novus Conſtantinus ad baptiſmum*, &c. Teſtamenti Remigiani circa annum 750 interpolator: *genus Regium quod in Regiæ Majeſtatis culmen perpetuo duraturum elegi, baptizavi*, &c. Fredegarius Scholaſticus inter annum 750 & 768, *cum Remis fuiſſet reverſus, clam à S. Remedio Remenſis urbis Epiſcopo, adtrahente etiam Chrotechilde Regina, baptiſmi gratia cum* [a] *ſex millibus Francorum in* [b] *Paſcha Domini conſecratus eſt. Cum* [c] *à ſancto Remedio in Albis Euangelii lectio Chlodoveo adnuntiaretur, qualiter Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad paſſionem venerat, dixit*, &c. S. Arnulphi Remorum Comitis vita, Clodoveum *cum omni Francorum exercitu ſanctus Remigius baptizavit*, &c. Geſta Dagoberti; *quartus ab Chlodoveo (qui primus Regum Francorum ad cultum Dei docente beato Remigio Remenſi Epiſcopo converſus eſt) Chlotarius, filius Chilperici, Regnum ſortitus eſt.* Alcuinus circa annum 800 in vita S. Vedaſti; *Rex ſanctiſſimum Pontificem Remigium videre properavit, ut illius ſacratiſſimo miniſterio, Spiritu ſancto operante, in remiſſionem peccatorum, & ſpem vitæ æternæ, Catholici baptiſmatis vivo ablueretur fonte*, &c. Rorico Monachus Chronici libro 2. *Rex omnipotentem Dominum in Trinitate confeſſus, baptizatus eſt à ſancto Remigio*, &c. Chronicon vetus in annum 811 deſinens; *Chlodoveus, ex Regibus Francorum primus Chriſtianus, fuit baptizatus à ſancto Remedio Epiſcopo Remenſi*, &c. Hincmarus Remenſis, Ado Viennenſis, Martyrologia, Regino, Flodoardus, Aſſo Dervenſis, Aimoinus, Hermannus Contractus, Baldericus Noviomenſis, Herigerus Lobienſis, Sigebertus, Ivo Carnotenſis, Sugerius Abbas, Chronicon Mauriniacenſe, Otho Friſingenſis, Godefridus Viterbienſis, Abbas Vrſpergenſis, Guilhelmus Brito, Albericus, Matthæus Pariſienſis, aliique recentiores agminatim priorum veſtigia premunt.

Cap. 21.

[a] à Gregorio tria millia.
[b] In Natali.
[c] Nota fabulam Fredegarii.

Vni Diſquiſitori *aviis peragrandis locis* jamdudum intento, contra torrentem niti, & ſeculorum fere 12 conſenſui; traditione continua firmato, quomodocunque irrumpere placuit: quo quæſito colore? Solemnis Epiſcopi Carnotenſis vita ab incerto ſcripta, hæc de Clodoveo refert; *miſit Legatos ad beatum Solemnem, ut eum baptiſmi unda perfunderet, in qua vita ejus à crimine expiaretur: qui adjuncto ſibi S. Remigio, Remenſium urbis Epiſcopo, divina ferventem virtute Regem cum ſumma alacritate baptizaverint.*

Diſquiſit. Pag. 104.

At hic plura deſiderare cogimur. quis enim vitæ illius author? cujus nomen, ætas, meritum uſque nunc ignota ſunt, qui Nicetio Trevirenſi, Gregorio Turonenſi, aliiſque veteribus, velut ἀντίῤῥοπος ex adverſo collocari dignus videatur? quæ narrat minus propriis phraſibus exprimuntur; nam. 1. quod

legatos à Clodoveo *ad Solemnem* qui inter ſubditos erat, *miſſos* refert, nec ſeculi Clodoveani, nec noſtri moribus convenit, cum *legatos*, vel ex ſeculi ſexti idiomate *legatarios*, non ad ſuos, ſed ad exteros & compares Principes dirigere ſoleant: *nuntius* aliquis (qualis ad Burgundos extra Francicæ ditionis fines poſitos, Avito teſte deſtinatus fuerat) ad Solemnem evocandum miſſus forſan fuerit; plures qui ei ſive una ſive ſucceſſive *tractoriam* vel juſſionem Regiam deferrent, directos fuiſſe improbabile eſt; ſiquidem nec iteratis mandatis ad pronam ejus mentem excitandam opus fuit, nec moras importune nectere, ſpemque Regiam odioſe differre, ad ea quæ longe ante voti fuerant invitatus potuit: qui igitur ne *nuntios* excepit, *legatos* proprie dictos nequaquam exceperit. 2. Quod adjunctum à Solemni Remigium, quaſi prior aut dignitate potior à Clodoveo vocatus fuerit, vitæ ſcriptori addere viſum eſt, falſum & abſurdum cenſeri debet, cum Grego-
Lib. 2, c. 30. & 31. rio Turonenſi teſte, *tunc* cum Clodoveus *narravit Reginæ qualiter per invocationem nominis Chriſti victoriam meruit obtinere*, Illa *accerſiri clam ſanctum Remigium juſſerit, deprecans ut Regi verbum ſalutis inſinuaret. Quem* is *accerſitum, ſecretius cœpit inſtigare, ut Deum verum factorem cæli & terræ crederet.* Hic ergo Clodoveanæ converſionis ordo fuit; cœlitus adjutum ſe uxori retulit, quæ Remigium, ut ab eo primis Chriſtianiſmi rudimentis imbueretur, *clam accerſivit*; is Clodoveum *accerſitum*, jamque *colla deponere* meditantem, *ſecretius* erudiit; eruditus, ac forſan ab inſtitutore monitus, Solemnem, alioſque præſules baptiſmatis ſacro interfuturos *adunavit:* quos ſibi verius Remigius *adjunxiſſe*, quam ſe ab ullo eorum *adjunctum* dicere ex hypotheſi potuit. unde Remigium à Chrotilde ante alios omnes inſcio adhuc marito ad ejus converſionem procurandam *clam* vocatum; reliquos, atque in his Solemnem, à Clodoveo poſt converſionem à Remigio procuratam, ut baptizaretur *palam* congregatos fuiſſe liquet. ſic enim de Solemni expreſſiſſimis verbis vita; *miſit ad beatum Solemnem, ut eum baptiſmi unda perfunderet.* 3. Etiamſi *ad Solemnem* unum, vel *nuntios*, vel *legatos miſiſſet* Clodoveus, ei primas nequaquam delatas quiſquam jure colligeret, cum Remigius coram poſitus legatione nulla opus habuerit, Solemnis ut Remos, propriam Remigii ſedem ſe conferret, è Carnutibus per miſſum vel miſſos quoſcunque evocandus fuerit. 4. Hoc ipſo quod Solemnis, qui Agrœcio Senonum præſuli, & Lugdunenſis quartæ Metropolitano ſuberat, domo imo provincia excitus, ad Belgicæ ſecundæ Archiepiſcopum dignitate longe minor profectus eſt; eum *ſibi adjungere* nullo jure potuit, ſed eum in propria ſede conſiſtentem hoſpes & advena colere, eique, ut ſacrorum inter Belgas præſidi, tanquam ſubadjuva adeſſe debuit. 5. Quod vitæ ſcriptor Solemnem à Clodoveo, *ut eum baptiſmi unda perfunderet*, vocatum narrat, eum non modo poſt priſcum tingendos immergendi morem abolitum, in lucem hominum prodiiſſe, ſed Clodoveani baptiſmi ritum ignoraviſſe convincit. cum enim Avitus *adunatorum Pontificum manus membra Regia undis vitalibus confoviſſe*; Remigius ſe Clodoveum *de fonte*, quem ex hypotheſi ingreſſus erat, *ſuſcepiſſe*; Gregorius Turonenſis Clodoveum *ad lavacrum proceſſiſſe*, & *ad baptiſmum ingreſſum* fuiſſe notent; non *unda* in caput ſtillante, prout nunc fit, *perfuſum*, ſed piſcinæ ſacræ ter ex veteri more *immerſum* declarant. 6. Quod Remigius & Solemnis, *Regem*

cum

cum ſumma alacritate baptizaſſe ab Anonymo vitæ Solemnis ſcriptore dicuntur, ex Aviti epiſtola lucem mutuari facile poteſt; quæ *adunatorum numerum Pontificum*, *manus ſancti ambitione ſervitii membra Regia undis vitalibus confoviſſe*, *ſe Dei ſervis timendum gentibus caput inflexiſſe*, docet; non unius Remigii, ſed *adunatorum Pontificum manus* Regio capiti inflectendo, *membriſque undis vitalibus*, dum merguntur, *confovendis*, admotas fuiſſe inſinuans; unus tamen Remigius Clodoveum Satanæ abrenunciantem, & Chriſtum confitentem interrogans, & verba ſolemnia pronuncians, ejúſdem baptiſtes proprie fuerit, & ſacrorum quorumcunque in Remenſi Eccleſia legitimus præſes, à quo cæteri Regio juſſu *adunati Pontifices* ad miniſterii participationem vocari potuerint. 7. Si Clodoveus à Solemni *baptiſmi unda perfuſus* fuiſſet, nec Remigio eum ab alio perfundendum interrogare licuiſſet; nec *baptizatus* à Remigio & Solemni dici debuiſſet, nec pluribus baptiſmale miniſterium commune fieri potuiſſet, ſed uni *perfundenti* proprium ex hypotheſi manſiſſet; nec Remigii in ſede propria poteſtas, ſine ejuſdem injuria, canonum violatione, totiuſque Cleri Gallicani probro ad peregrinum & advenam tranſiiſſet: qui anno à Clodovei baptiſmate 82, Presbytero *ex alio Pago delatos* baptizare auſo impune eſſe noluerunt, qui Solemni extra Parœciam & Provinciam conſtituto, eoque poteſtate carenti, aliena invadere, diſciplinæ ſacræ fibulam laxare, Regiſque in Chriſto renaſcentis primordia Eccleſiaſtici ordinis everſione impiare permiſiſſent? uni igitur Remigio Clodoveani baptiſmi Pontificium reſervari debuit, & re ipſa reſervatum fuit. Concil. Autiſſiodor. Can. 18.

Vnde ſua de Solemni vir clariſſimus Andreas Sauſſaius deprompſerit, divinare noſtrum non eſt, ſed Gregorii Turonenſis nulli non obvia auctoritas eo nos trahit, ut *Francorum converſionem adorſum*; Clodoveum *à nefando idolorum cultu*, *conteſſeratione* cum Remigio Remenſi, Melanio Redonenſi, & Vedaſto Presbytero *inita abduxiſſe*, & *Chriſto conſecraſſe* negare debeamus: cum hæc univerſa Remigio ſoli adſcribat, nec alium tanti facti ducem agnoſcere ſinat. Eam tamen clariſſimis teſtamenti Remigiani verbis abuſus, convellere nititur Diſquiſitor; *nemo*, inquit, *eum* quem de fonte ſuſcepit, *baptizavit. Remigius Clodoveum* de fonte ſuſcepit: *ſic enim de eo in teſtamento loquitur*; aliud argenteum vas, quod mihi Dominus inluſtris memoriæ Ludovicus, *quem de ſacro baptiſmatis fonte ſuſcepi*, donare dignatus eſt, ut de eo facerem quod ipſe voluiſſem, tibi hæredi meæ Eccleſiæ ſupra memoratæ jubeo turriculum & imaginatum calicem fabricari. Ergo *Remigius Clodoveum non baptizavit.* Majorem falſi coarguent quotquot Gregorio Turonenſi Clodoveani baptiſmi hiſtoriam ſcribenti auſcultaverint. 2. Quotquot *præcipuum* baptizati ex antiqua diſciplina *ſuſceptorem*, baptiſtam ipſum fuiſſe meminerint; *Ethnicum* enim ex infidelitatis tenebris ad Catecheſeos lumen; *competentem* ex Catecheſi ad baptiſmum; *tinctum* ex ſacro baptiſmatis fonte ad confirmationem; *confirmatum* ex unctione ad communionem; *abſtentum* ex lapſu ad pœnitentiam; *pœnitentem* ex exomologeſi ad reconciliationem, curamque perpetuam *ſuſcipiebat* Epiſcopus: quique à Baptiſta ſacro fonti immerſus fuerat, ab eodem ut emergeret erigebatur, & *ad ſacerdotem aſcendebat* poſt myſticum lavacrum denuo ſuſcipiendus, & chriſmatione confirmandus. 3. Quotquot Maximum Tauri- Martyr. Gallic. ad Sept. 25. Pag. 102. Ambroſ. de myſt. cap. 6.

 nenſem

Homilia 8 de Epiphania. nenſem ſuſceptum à Baptiſta Chriſtum anno plus minus 420, ante Clodovei converſionem 76, prædicantem audierint; *poſt hæc*, inquit, *beatus Ioannes ſuſcepit devotus quem timidus prohibebat.* 4. Quotquot plures à baptizantibus ipſis *de fonte ſuſceptos* legerint, vita Eucherii Aurelianenſis, *nato puero, atque ſecundum tempus congruenter excreſcente, propter honorem divinæ revelationis, quam ab Angelo acceperat, Epiſcopo Ansberto, qui id temporis in Auguſtodunenſi urbe ſanctitatis officio fungebatur, regenerandum Domino ſacris cum fontibus obtulit. Atque ille cum gratulatione eum accipiens* regeneravit, *&* propriis manibus de ſacra unda ſuſcepit, *ſeptiformi ſpiritu imbuit, atque cum honore, ut dignum fuit, maximo remeare permiſit ad parentes.* Vita Rigoberti Remenſis de Carolo Martello; *colebat haud vulgariter Pippinus, cujus ſupra meminimus, miſitque ad eum Carolum filium ſuum, ut ab illo baptizaretur*, &c. Abluit autem illum *vir ſanctus* undis ſalutaribus, & è ſacro fonte illum ſuſcepit, *ut ejus pater petierat.* Annales veteres in annos 808 & 813 deſinentes ad 782, & vita Caroli à Monacho Egoliſmenſi ſcripta, *celebravit Paſcha in Roma, & ibi* baptizatus eſt *filius ejus Pippinus* ab Adriano Papa, *qui & ipſe eum* de ſacro fonte *ſuſcepit.* Euangeliorum codex Toloſæ in S. Saturnini Tablino aſſervatus;

(Ad Februarii 20. — Circa annum 690. — Ad Ianuarii 4. Circa annum 690. — Tom. 2. ſcript. Franc. Pag. 22. 32. & 73.)

Principis hic [Adrianus] *Caroli claris natalibus auctam*
Carlinam ſobolem, mutato nomine Pippin,
Fonte renaſcentem, & ſacro baptiſmate lotum,
Extulit oblatum ſacratis Compater undis.

Annales veteres rurſus ad annum 782, de Carolo Magno Roma reverſo, vita Caroli à Monacho Egoliſmenſi ſcripta, Eginhardus, &c. *Mediolanii civitate pervenit, & ibi baptizata eſt filia ejus Ghiſla ab Archiepiſcopo nomine Thoma, qui & ipſe eam de ſacro fonte ſuſcepit.* Si Ansberto Auguſtodunenſi Eucherium, Rigoberto Remenſi Carolum Martellum, Adriano Papæ Pippinum, Thomæ Mediolanenſi Giſlam *baptizare*, & *de fonte ſuſcipere* licuit, quid ni Remigius Clodoveum tingere, tinctum *de fonte ſuſcipere*, poſt baptiſtæ munus ſuſceptoris præcipui partes implere potuerit?

(Pag. 15, 32, 53, 73, 241.)

Quod baptizatos à baptizante ſuſceptos ſibi *inauditum* eſſe, monet Diſquiſitor, imperitiæ in claro lumine ceſpitantis illuſtre indicium eſt: quam multa enim vulgo nota δοκησισόφοις vana ſcientiæ opinione tumidos fugiunt, quibus tam certa negare, quaſi non ſint, quam falſa aſſeverare, quaſi revera ſint ex æquo convenit? in *ſuſcipiendi* vocabulo ejuſdemque communiſſimo & ad multos diverſimode pertinenti uſu aberrans, eum ad *patrinos* ſolos, ſeu *patres luſtricos*, qui pro baptizandis fidejubent, *ſponſoreſque* ac *ſuſceptores* paſſim vocantur, perperam contrahit, nec videt baptiſtæ præ aliis univerſis fidelibus aptari poſſe. 2. *Ab omni hominum memoria in Eccleſia Dei alium fuiſſe baptizantem, & alium ſuſceptorem, ſeu ſponſorem* ſuaviter ſomniat, quantumvis de *ſponſoribus* in Iuſtini Martyris *apologia*, Tertulliano *de baptiſmo*, Cyrilli Hieroſolymitani *Catecheſibus*, Ambroſio *de iis qui myſteriis initiantur*, Authore librorum *de ſacramentis* apud Ambroſium, ſermonibus de myſteriis Auguſtino adſcriptis, & à Sirmondo editis, Dionyſii qui Areopagita dicitur *Hierarchia Eccleſiaſtica*, conſtitutionibus Clementi affictis, Græcorum, Italorum, Gallorum, Hiſpanorum, Afrorum Synodis ante annum 650 coactis, nihil occurrat, pluraque baptizatorum à baptizantibus

(Diſquiſit. pag. 103. — Pag. 101.)

ſuſcepto-

ſuſceptorum exempla non adeo antiqua exſtent, quæ nec ſemper nec *ab omni memoria*, quia poſt octo ſeculorum decurſum *aliam baptizantis, aliam ſuſceptoris perſonam fuiſſe*, utramque nonnunquam coincidiſſe abunde confirmant. 3. Ex eo quod præter *Levitas miniſtrantes* baptizando *occurrere*, eumque ſacerdoti offerre ſolitos, alii ex fidelibus à competente pro arbitrio advocati ſint piæ profeſſionis teſtes, ſine ſponſoribus à baptizante & miniſtris diverſis tinctum neminem unquam fuiſſe male colligit. utut enim ſexaginta quatuor converſorum, pauloque poſt Tiburtii *ſuſceptor*, ſeu *ſuſceptionis pater* circa annum 290 Sebaſtianus, Elpidiphori circa annum 470, Victore non Vticenſi ſed Vitenſi teſte, Muritta Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus, Cæſaræ vel potius Siræ Perſarum Reginæ Coſrhoi nuptæ [anno 589 Mauritii 8 & Recaredi 4, Mauritius] *Auguſtus* in Pauli Diaconi lib.4 de geſtis Langobardorum, capite non 17, ſed 52 de fonte levans ſuſceptor fuiſſe legatur, aliorum dum baptizantur à ſponſoribus *ſuſceptorum* innumera fere exempla ſint; Gethemque Herulorum, Gordam Hunnorum Reges anno 533 Iuſtinianus, alii alios exinde *ſuſceperint*, lege nulla ne quis vel baptizandus ſine *ſponſore* aut *ſponſoribus* ad lavacrum procederet, vel baptizaturus pro tingendo fidejuberet, cautum per annos 700 reperitur; ſed unicuique quod ex uſu eſſe videretur conſectari licuit, donec mos paulatim invaleſcens, tacito orbis univerſi conſenſu firmatus, in legem quæ uſque nunc obtinet quodammodo verſus eſt. 4. Tingendos à *ſuſceptoribus candidatos ad Sacerdotem duci* conſueviſſe, priſcæ diſciplinæ oblitus, fingit. nemo enim Catechumenus in albis ad fontem procedebat; ſed qui conſueto amiculo poſito piſcinam ſacram nudus ingreſſus fuerat, ex ejus alveo prodiens, candidam innocentiæ & innovationis indicium ſumebat, nec alium Clodoveani baptiſmatis ordinem comminiſci ſinit Avitus, qui *Pontifices adunatos membra Regia undis vitalibus confoviſſe, ſub caſſide crines nutritos ſalutari galea ſacræ unctionis induiſſe*; *immaculatos artus ſimili candore* ornaſſe refert. 5. Tertulliani de Catechumenis *baptiſmum ingreſſuris* locum, *ingreſſuros baptiſmum, orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet*; ad ſuſceptores quorum in toto Tertulliani opere, neque vola, neque veſtigium eſt, inconſiderate transfert; *ut*, inquit, *infantes cum naſcuntur, ſuſcipi dicuntur à parentibus, ſic & baptizati etiam dicuntur à patrinis ſuſcipi, quia vitalis aquæ virtute ſunt renati. Id quod in adultis etiam uſitatum colligitur ex laudato Florente Tertulliano, cujus hæc ſunt* verba: ingreſſuros baptiſmum, &c. Sed cum ſuſceptores *baptiſmum* jamdudum *ingreſſos* fuiſſe, Tertullianum de ſolis *ingreſſuris* verba feciſſe conſtet, ea ad ſuſceptores, de quibus nec egit, nec agere inſtituit, ſobrius nemo traxerit. 6. Dagoberti 1, à Baudemundo recitata verba, ne cum ea, quam defendendam ſuſcepit hypotheſi è diametro pugnare videantur, excogitato commento in alienum ſenſum detorquet. hæc Regis ad S. Amandum Trajectenſem oratio; *dedit mihi Dominus filium*, &c. *precorque ut eum ſacro digneris abluere baptiſmate, atque in filium tibi ſpiritalem ſuſcipere*; ut *una* eademque *baptiſtæ* & *patrini perſona* eſſet exigebat: nec alium ei ſenſum ſubeſſe credebant Dado & Eligius ab Amando regio nomine poſtulantes, *ut precibus Regis daret aſſenſum, atque filium ipſius ſacro dignaretur diluere fonte*; [en proprium *Baptiſtæ* officium], *& ut eum enutrire atque lege imbuere divina quan-*

Ambroſ. de myſt. & ſacram.

De perſec. Vand. lib.3.

Hæc ſub Conſtante Pogonati patre cum Perſæ à Saracenis anno 640 devicti, Rege proprio carerent contigiſſe delirat Paulus Diaconus. Hiſt. Miſcel. lib.16.

De bapt. cap.20.

Diſquiſit. pag.103.

quantocyus aſſentiret; en rurſus proprium *patrini* munus. Quid conſecutum? *facturum ſe eſſe promiſit*, &c. *Statimque eum regenerans ſacro baptiſmate, impoſitoque nomine Sigeberto, Regem atque omnem ejus exercitum tunc ſanctus Amandus magno replevit gaudio.* Non ergo *alia* Baptiſtæ, *alia* patrini ex Regis regiorum legatorum & Baudemundi mente *perſona* fuit. Quod ne fateri cogatur Diſquiſitor, ad Aimoini ſomnium confugit; *de Sigeberto illo*, inquit, *ſic diſerte Aimoinus:* ſtatim igitur ſanctus Antiſtes Amandus eum regeneravit, quem Aribertus Rex de ſacro fonte levavit, &c. Fredegarius Aimoino longe prior, ejuſque hac in parte fons; Pippinus *cum Sigeberto filio Dagoberti ad Haribertum Regem acceſſit. Charibertus Aurelianis veniens, Sigebertum de ſancto lavacro excepit.* Alius Aimoini fons, incertus Dagoberti geſtorum ſcriptor, ad annum Dagoberti VIII, cum Chriſti 635 concurrentem, diſſona ex Baudemundo & Fredegario conferruminans; *cum*, inquit, *Auſtriam Regio cultu circumiret* [Dagobertus] mœſtuſque eſſet nimium eo quod filium, qui poſt eum regnaret, minime habere potuiſſet: *Quandam puellam nomine Ragnetrudem ſtratu ſuo aſcivit, de qua eo anno* largiente Domino *habuit filium*, multis precibus atque eleemoſynarum largitionibus adquiſitum. Haribertus itaque Rex frater ejus Aurelianis veniens, filium ejus de ſancto lavacro excepit. Namque dum eundem puerum venerabilis vir Amandus Trajectenſium urbis Epiſcopus benediceret, eumque Catechumenum faceret, finitaque oratione nemo de *exercitu tantæ* multitudinis reſpondiſſet, Amen, aperuit Dominus os pueri, qui non amplius quam 40 dies à nativitate habebat, atque audientibus cunctis, reſpondit, Amen. Statimque eum regenerans ſanctus Pontifex ſacro baptiſmate, impoſitoque nomine Sigeberto, *Reges & utrumque exercitum* magno replevit Dominus gaudio, *atque admiratione, hujuſmodi ſigno. Igitur Ega quidam de primoribus*, &c. Si Fredegarii aliorumque recentiorum teſtimoniis deferendum putaremus, plures una ſuſceptores ex poſteriorum ſeculorum uſu pro Sigeberto fidejuſſiſſe, ejuſdemque patruum Charibertum, *luſtricum* cum Amando *patrem* fuiſſe, Fredegarium cum Baudemundo conciliaturi, crederemus: ſed Baudemundus, de cujus unius mente laborat Diſquiſitor, cæteros omnes falſi coarguit, quæcunque de *Chariberto, Pippino,* Regum *exercitibus* & *Aurelianis* pro libidine confinxerunt exſufflans. cum enim Dagobertus, (ut ex Boni Presbyteri Amando, anno 661 Februarii 6 ad meliorem vitam tranſlato, familiaris relatione circa annum 680 Baudemundus didicerat) ubi *ei nunciatum eſt, quod Dominus dare dignatus eſſet*, de Amando extra Regni fines agente revocando mandatum dederit; *ad* Dagobertum *qui illis diebus in villa, cui vocabulum Clypiaco eſt*, [& Aurelianis leucis triginta ſex diſtat] *morabatur*, Amandus redux *pervenerit*; ibidem Regis, Dadonis, Eligii *precibus fatigatus*, manus dederit; *ſtatimque* Rex *puerum* coram poſitum, nec *plus à nativitate, quam dies circiter quadraginta habentem*, ad baptiſmum *afferri præceperit*; cum recens ex utero fuſum, nec Pippinus in poteſtate habuit, ut quocunque vellet deferret; nec Aurelianos deportatus eſt, qui Clypiaci & natus erat, & in cunis jacebat, nec quadraginta dierum ſpatio poſt Amandi revocationem Charibertus de nepotuli natali certior factus, ad iter cum exercitu ſe accingere, & Aurelianos centum leucarum itinere confecto appellere potuit; neque Chariberto, qui Aure-

Lib.4, cap. 20.

Chron. cap. 61. & 62.

Ex Fredegario, cap. 59.

Ex Baudemundo.

Ex Fredegario.

Ex Baudemundo,

Baud. Circumſtante multitudine.

Baud. Regem atque omnem ejus exercitum.

Addit. Rurſus ex Fredegario.

Aurelianis hæſiſſe dicitur, tam longæ manus fuerunt, ut Clypiaci tingendum *ſuſcipere* valerent. quocirca nec Sigeberti *patrinus* fuit, nec ejus baptiſmatis ſacro interfuit, nec *alia*, quam *baptizantis* tunc *ſuſceptoris perſona* fuit, nec fidem ullam meretur audax Diſquiſitoris hariolatio, nec ad rem laudatus ab eo Gregorii Turonenſis de Chilperico Rege locus facit; *Chilpericus Rex pridie quam Paſcha celebraretur, Pariſius abiit,* &c. *Dies Paſcha cum multa jocunditate tenuit, filiumque ſuum baptiſmo tradidit. Quem Ragnemodus ipſius urbis ſacerdos de lavacro ſancto ſuſcepit, ipſumque Theodoricum vocitari præcepit.* Potuit enim Ragnemodus, cui uni ſacrorum in Regia urbe data poteſtas erat, baptizatum à ſe, die ſolemni puerum *ſuſcipere*, & pro eo conſueta ſpondere: non potuit Veranus Cabilonenſis extra diœceſim Regnique Burgundici fines conſtitutus Divoduri Mediomatricum, ſede Villici Epiſcopi propria, ſacra facere. quapropter ubi Gregorius Turonenſis hæc ad annum 587 de Theodorici Childeberto nati baptiſmo agens, ſcribit, *Childeberto Regi alius filius natus eſt, quem Veranus Cabilonenſis Epiſcopus ſuſcipiens à lavacro, Theodorici nomen poſuit,* Veranum ſolam ſuſceptoris perſonam ſuſtinuiſſe inſinuat. Diſquiſit. pag.103. lib.6, cap.27. Anno Dom. 583, Aprilis 17. Lib.9, c 4.

Quod Ludovicium Arnulphi Regis filium *Imperatorem* Diſquiſitor vocat, injuria, ut alienorum titulorum largus, facit; anno enim 893 Guido & Lambertus *Imperatores* audiebant, & Romæ potentes erant, non Ludovici pater Arnulphus, ſub cujus manu, ſola Germaniæ & Lotharingiæ Regna fuerunt: ſi anno 896 Romæ in Paſchate Arnulphus à Formoſo Papa coronatus, & *Imperator Auguſtus* ſalutatus eſt, Imperatorium titulum cum reali poteſtate Lambertus ſibi retinuit, Arnulpho, qui vix Romæ per quindecim dies moratus eſt, nudum nomen ceſſit; Lamberto anno 898 confoſſo Ludovicus Boſonis & Ermingardis filius *orbus* dictus ſucceſſit, qui Ludovico Arnulphi filio ad longos annos ſuperſtes manſit; eodemque anno 911 defuncto, Beringarius *orbi* æmulus ab anno 915 ad 923 Romæ imperavit. Romani ergo Imperii ſub Carolo Magno fundati, nihil prorſus vel tenuit, vel ſibi debitum credidit Arnulpho progenitus Ludovicus, qui parenti anno 899 ſuffectus, anno 900 Zuentibaldo fratri naturali Lotharingiæ Regi ſucceſſit. Sed Luidulfi annalium Fuldenſium conſarcinatoris, locum à Diſquiſitore excerptum attendamus: anno 893 *arrepto Rex itinere,* &c. *magna cum difficultate itineris in Baioaria ad Regiam Curtem Otingam reverſus eſt. De qua ei non multum poſt filius naſcebatur, quem Hado Moguntiacenſis Archiepiſcopus, & Adalpero Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopus; ſacro fonte baptiſmatis chriſmantes, nomine avi ſui Ludovicum appellaverunt.* Adalbero in diœceſi propria miniſterio ſacro legitime perfunctus, Hadoni provinciæ totius Eccleſiaſticæ Metropolitano, & in ea ſummo ſacrorum præſidi ſubſervit, religioſæ functionis particeps factus. potuit autem uterque pro infante, quem communi opera tinxerant, ſacroque unguine linierant, fidejubere, piumque ſuſceptionis munus ex æquo implere. Nec ulla Chiffletiani adverſus Hincmarum argumenti de Remigio, aliiſque neceſſitas fuit; *ſuſcepit de fonte*; *ergo non baptizavit.* Et contra, *baptizavit*; ergo *de fonte non ſuſcepit*; quandoquidem *tingendi* & *ſuſcipiendi* functiones in unam eandemque perſonam cadere nihil vetuit. Nec verbis illis de Clodoveo, quem de ſacro baptiſmatis fonte ſuſcepi, à ſe baptizatum negavit, aut negare in teſtamento voluit Remigius. Diſquiſit. pag.104. Carolomannus avus, Ludovicus proavus fuit.

Diſquiſit. pag. 112.

Ne expetiti poſt peractam fabulam actori clamoſo plauſus deſint, virum doctiſſimum Gothefridum Vendelinum, Canonicum & Officialem Tornacenſem, hinc Tenneurii noſtri juſta commendatione, inde Vopiſci Fortunati Plempii immodicis, quas ſine rubore audire non ſuſtineat, laudibus celebratum, gloriæ animal ſubornat; eumque velut è ſinu teſtem producit; qui ſe mancipii in modum addictum, partibus non veritati ſerviiſſe, facto ipſo declaret: nec hoc uno falſorum præcone, quem ſub manu habuit, & ad nutum ſtantem excitavit, contentus, ex intima Gallia evocat; cujus vertigine quadam correpti, in patriam propriamque gentem æterna oblivione ſepeliendum peccatum odiosè ebuccinat; blandienti infeſtus, & infamis amicum præter officium profeſſi proditor. In Regem, regnum univerſum, regni ſtudioſos quoſcunque & San-Marthanum nomen nihil non Chiffletium ab anno 1644 moliri; parentis optimi, & patrui eo digniſſimi famam malignè vellicatam, & ſcripta vel deſtinato conſilio ſuppreſſa, vel miſerum in modum diſcerpta, & inſidioſis interpretamentis à perſonato amico deformata novetat; quique *Hiſtoriographi regii* titulo inſignis, juſtas pro veritate, patria, familia propria vindicias parare debuerat; velut peſtilenti aura derepentè afflatus, & extra ſe raptus; quæ domi à ſolidè doctis & caris promereri poterat, à ſciolo malè affecto, & nuſquam non per *avia* deerrante ſperare cœpit, à fumorum venditore lumina, quæ nunquam habuit emendicans. Quo eventu? ut plenius & inſtructius quod editurus erat *de Proregibus & Præfectis per Europam*, opus prodiret; Chiffletii opem familiari epiſtola anno 1650, Febru. 17 Lutetiæ data rogans, cum *nubila univerſa hiſtorica Solis* (*omnia lucis capacia permeantis*, *cuique ſola opaca impervia ſint*,) *inſtar diſcuſſiſſe*; exundanti *fonte* ſuo Europam feliciter irrigaſſe; ſibi tanquam *aquilæ pullo ad* beatum illum *Solem*, *oculorum acie volatu voto ferri*; *& ſcaturiginem* ejus inexhauſtam *adire*, conſilium eſſe temerè & ex errore craſſiſſimo pronuntiavit: quod reſponſum tulerit, ſcire noſtra non refert; ſed revelata minus cautè palpantis pudenda, publicatumque quod celari oportuerat nefas, infelix P. G. San-Marthanus à triennio experitur; hæc hoſti publico proſtituti illuſtris nominis merces; amicè & ſecretò compellantem infidus & rimarum plenus familiaris prodidit, vanitatiſque intolerandæ victimam injurie transfoſſam & in apertam lucem protractam cadere juſſit: evigila, imò reviviſce San-Marthane, quoque indigniora ab eo cui nimium detuleras paſſus es, eò ardentior in ſecreti tui publicatorem involа; paternum decus exemplo noſtro fortiter tuêre; ejuſque quem falsò *Solem* nuncupaſti, nullibi non exſtantes maculas, vero Soli, quò neminem deinceps lateant, obverte: hoc in volumine plures errorum ejus chiliadas offendes, quæ priſtinam tuam de eo opinionem abundè refellant; in quibus magis ac magis coarguendis ingenium nobiſcum ultra exerceas, ſiquidem internos oculos, generis tui memor, aperire non dedigneris, nunquam, Deo juvante, deerit, nec eam quam incogitantia tua contraxiſti culpam eluere magnæ molis erit, ſi quem tibi minus notum, adulatione tua inſolentiorem effeciſti, pro merito excipias; tamque hyperbolicò & antiphraſtico elogio tuo indignum, quam tibi tuiſque iniquum fuiſſe doceas; rumpe moras omnes, & ex animo malè conſcio trepidanti fervidus inſta.

Diſquiſit. pag. 114.

TEN-

TENNEVRIVS EXPENSVS.

IAcobus Alexander Tenneurius, tam doctrina quam fide in Regem & patriam præſtans, Chiffletianas *vindicias, lumina, lampadas* forti animo aggreſſus; gratum veritatis ſtudioſis, illuſtre virtuti ſuæ monumentum, ceu trophæum de hoſte, excitaverat; ne victum ſe humo alliſus novus Antæus fateri cogatur, inſultabundi in modum obtritum caput attollit, ſcripto edentulo, quod Franciſco de Moura, Caſtri Roderici Marchioni, Philippo IV à cubiculis, ejuſque ad Ferdinandum III Legato, anno 1651 pridie Calendas Novembres obtulit, Tenneurianæ cætera illæſæ lucubrationis ſummas oras arrodere conatur; quodque titillante Hiſpanorum auriſcalpio, & vano propriæ laudis præcone dignum quis reputet. Chriſtophorum Franciſci avum ob pellectum in errorem Henrici Regis, Philippum II Iſabellæ germanæ filium, Catharinæ Eduardo germano natæ, ejuſque potiore jure fretæ judicium, ſubactumque Caſtellæ Portugalenſe regnum; Emmanuelem Franciſci ejuſdem patrem ob propenſum in literatos animum; ſemetipſum ob ſuſceptum, inſtigante Emmanuele, cauſæ Hiſpanicæ patrocinium, & colloquiorum ab eodem quod eruditionis reconditioris ſpeciem obtenderent, delenificum faſcinum commendat. Virum per Dei gratiam ſoſpitem, ſuis præſtandis parem, cuique pauciſſima confutatione digna expenſor repoſuerit, tueri neceſſe non eſt; pro ſe quandocunque tempus & voluntas feret; acturo gratulabimur, & adverſarium temere obſtrepere auſum ad incitas redacturo applaudemus. Verum enimverò quia nonnulla noſtra in edito adverſus eum libello oppugnantur; ne deſerti vadimonii reatum incurramus, eadem quantum optimæ cauſæ meritum poſſit, vindicabimus, multimodamque oppugnantis iniquitatem obiter, cum bono Deo, notabimus. Epiſt. dedic.

1. Eò Tenneurium veritatis amor perpulerat, ut erratis noſtrorum retegendis ſedulò incumbens, certa & comperta à falſis & incertis diſcerneret: quod univerſorum veritatis diſcipulorum favore excipi debuerat, nauſeabundo quiſquiliarum æſtimatori ſtomachum perinde movet, ac ſi qui ex Apoſtoli præſcripto *trapezita bonus* factus, *omnia probat*, ut *bonum teneat*; malè de hiſtoria meritus, ejuſdem *corruptor, ſuorum hoſtis*, qui ſcriptorum *fibras ita perſcrutetur, ut laceret*, cenſeri debeat; eoque nomine vapulet, quod *ipſiſmet Francis auctoribus* à vero deviis *adverſetur*, *ut falſitatis audacter inſimulet, traducatque erroris*. At hoc ipſum quiſquis audet, & adverſus meritos præſtat; amicum Socratem, amicum Platonem, ſed magis amicam veritatem eſſe facto ipſo docens, ſummam laudem meretur: qui vero in magiſtrorum falſa vel abſurda jurans, inſannire cum ratione, quam veris ſponte cedere mavult, *tribus Anticyris dignum caput*, eò relegandus venit. 1 Theſſal. 5. Diſquiſit. pag. 115.

2. Linguæ ſanctæ ſtudioſus Tenneurius, Hebraicum lemma operis ſui fronti appinxerat; vanitati & oſtentationi bonus expenſor imputat; quique nihil non ad pompam transfert, Thraſonico typho correptus, illam ipſam quam dedidicit modeſtiam ſervare alios jubet.

3. A Tenneurio *ſcapham ſcapham nominare* ſueto, liberius & verius quam vellet notatus, cum injuriarum præter meritum poſtulat; quaſi verò viro ulli gravi vitio verti debeat, ſi lingua & calamo licentius abutentes immodeſtiæ ſuæ pœnas dare, eaque quæ quantumvis meriti ſint, audire nolint, audire vel ingratiis ipſorum cogat. Non ergò culpandus Tenneurius, quod Diſquiſit. pag. 106.

 adver-

adverſarii peccatis propria nomina indiderit; ſed intolerandus expenſor, cujus veſania tanta eſt, ut nec delictorum pudore ſuffundatur, nec ea pro jure ſuo carpentium libertatem ferat; tumque Chriſtianiſmi genium, & Catonis magni nullis fortem injuriis lædi poſſe proteſtantis, præclarum exemplum ſecutus, *tertius è cœlo* delapſus *Cato* videri vult, quicquid ſive merito ſivè immerito diſplicet, procacis verbere linguæ, ſtylique ne Regibus parcentis, ad noxam parato ſemper acumine feriendum, pungendum, & Phariſaiſmi à Chriſto ipſomet damnati inſimulandum putet.

Diſquiſit. pga. 106.

Diſquiſit. pag. 116.

Chiffletio ingrata, ſed vi veritatis expreſſa ſcribere coactus Tenneurius, *venia* Auguſtini verbis petita, *quantam* adverſarius *reſpondendi neceſſitatem impoſuiſſet*, Chriſtianè monuerat; quodque ſuo ſemet pede metientem decebat, *oneri* ſe cauſæ regiæ *imparem, nec Chiffletio ſupparem* profeſſus erat; aſpera excuſantem conviciis Catonianæ fortitudinis æmulus, petulanter proſcindit; ſibi minus tribuentem, quaſi calcandus jaceret, dedignabundus ex alto deſpuit: *alicujus*, inquit, *gloriæ non fuerit ſuperare jacentem, & velle triumphum de eo ducere, qui ſe ante conflictum imparem confitetur.* Atqui ſe ſolis ſuis viribus ferendo *oneri imparem*, & adverſario minime *ſupparem* confeſſus, nec *jacet*, nec ſe jam *victum*, aut deinceps *vincendum* credidit; ſed *de reportanda* veritatis cui ſoli innitebatur, invicta vi eo planè modo *ſecurus fuit*, quo olim David inermis juvenculus & pumilionis inſtar, giganteæ molis, plenæ ætatis bellique artibus innutritum virum in Domini nomine aggreſſus, ſpem de victoria certam ut concepit, ſic eam non ſine circumſtantis multitudinis ſtupore glorioſe reportavit. Qui ſibi nihil adſcribere auſus, uni cauſæ quam propugnat bonitati fidit; dubio nunquam eventu certamen inibit, ſed panſis pennis advolantem à Domino victoriam tutus expectabit.

Pag. 106.

Tenneu. Expen. pag. 1. &c.

Diſquiſit. pag. 116.

Cum operam qualemcunque ſuam Philippi IV miniſtris obtuliſſet Chiffletius, eorumque favore ſublevatus animum ad ſcribendum appuliſſet, ut *auctoritate regia* vindicias ſuas aliaque poſt edita *in lucem emitteret*, facilè obtinuit, *privato* nunc *conſilio* ſe in arenam, cum Francis pugnaturum, deſcendiſſe negans, Tenneurio quod *nullius auctoritate incitatus* ſcripſerit, ridiculè exprobrat; quaſi vero à Tertulliano edoctus, *contra publicos hoſtes hominem quemlibet eſſe poſſe*, incitamentis ullis, ſive publicis ſive privatis opus habuerit, qui ſe ſuaque univerſa Regi reique publicæ in ſolidum debere novit, aut ejus, qui juſſus arma corripuit, major; illius, qui ſponte vitam patriæ impendit, minor gloria eſſe poſſit. Intaminatis igitur, ut ut ringantur Chiffletii, fulgebit honoribus, pro Rege & regno armatus Tenneurius, tantoque acceptior bonis omnibus ejus auſus fuerit, quantò juſtior audendi cauſa fuiſſe videtur.

Pag. 2.

Sancitæ nuper in conventu Monaſterienſi *pacis infractorem*, eoque nomine Majeſtatis reum, & capitali ſupplicio dignum Tenneurium odioſè proclamans, eundem coram Senatus Pariſienſis concilio ex Hiſpanicæ cauſæ patrono in delatorem, imò lictorem verſus, ſiſtit; quoque infelicius aquam ſibi hærere ſentit, eò protervius in coarguentem bacchatur; quæcunque ob malam fidem & præſtigias jure objecta ſunt, totidem Majeſtatis crimina, & reipublicæ illatam injuriam tam arroganter quam malignè interpretatus. Etiamſi quid in publica commoda, dum cauſam ſuſceptam agit, imprudens peccaſſet Tenneurius; indignum vindice literato, quique ſtylo reum ſe confecturum

fectum ſperavit, facinus fuerit, ſi confutatoris perſona poſita, homicidium partis adverſæ meditans, à verbis ad verbera, à concertatione politica ad quæſtionem criminalem, ejuſque quem reum quomodocunque peregit carnificinam ſibi tranſeundum putet; nec errantis convictionem, ſed mortem quærat, hoc uno argumenti genere quod *in ſerio concludat*, delectatus. Sed Tenneurium de Cæſare Germanico, Germaniaque univerſa quicquam demeruiſſe, tam falſum eſt quam impudenter confictum; ille unus publicæ pacis infractor haberi poteſt, qui conventorum aliquid vel refixit, vel refigendum pronuntiavit, palam adverſus bona fide paciſcentes proteſtari, eoſque maledicti aggredi auſus; quo nomine Chiffletius cum aliis Hiſpanicæ factionis hyperaſpiſtis pœnas Imperatori & Imperio Germanico debet; non Tenneurius, non Francorum, aut Francicarum partium ullus; nemo enim in hanc uſque diem repertus eſt, qui vel minimum pactorum apiculum expunctum aut luxatum velit, & paciſcentium nomini, auctoritati, juri ullatenus deroget: ſi qua vetera pacem, quæ longè poſt ſancita eſt, nullo modo ſpectantia tangunt, quorum memoria nonnullis ingrata ſit; ea nec volentes, nec ad ſuperſtitum infamiam, ſed ad injuriarum propriarum depulſionem, adverſariorum importunitate adacti refricant; nec Majorum delicta aut probra quæcunque poſteris imputant, quorum ſtatum, decus, commoda, rationes univerſas nec movent, nec moveri ab aliis cupiunt. Eos tamen, nec laceſſitos, nec aliunde compulſos, invidioſa quædam ad animum revocare fingamus; quis adeo cum Chiffletio deſipuerit, ut pacem hac una lege ſtare poſſe credat, ſi priſca, quotquot ſuperſunt monumenta, aboleantur; nefaſque ſit ea bona fide verſantibus, inde quicquam expromere, quod ex guſtu præſentium minus eſſe videatur? neminem certè probum adeò dementis ſtatu pacis ſtudium dejiciet, ut vel falſa de Majoribus ab officio deviis, nepotibus gratificaturus adverſus hiſtoriæ fidem narret; vel admiſſa jamdudum literis conſignata, ne cujuſquam gratia excidat, abſolutè infitietur. Crimina nunc Tenneurio noſtro impacta, ſpongia admota diluamus.

Vide libellum, cui titulus *Alſatia vindicata*.

1. *Stirpem Auſtriacam admodum tenuem, nec valde antiquam, atque omnium Regiarum moderniſſimam appellat.* De *tenuitate* Tolemæo Lucenſi, annalibus Dominicanorum Colmarienſium, Alberto Argentinenſi, Pio II Pontifici, qui in minoribus poſitus Friderico III Auſtriacæ gentis capiti à conſiliis & ſecretis fuerat, credidit; nec aliter aut gravius in Auſtriacos Principes, pacemque Germanicam, quam Chiffletius ipſemet in gentem Capetinam pace eadem comprehenſam, deliquit, ubi *tenuiſſimam* (Witikindi Odonem Capeti propatruum. *unico ſervulo* contentum fuiſſe ſcribentis, auctoritate permotus) contendit: familia Auſtriaca anno 1273 ad regium culmen evecta; Capetinæ quæ anno 888 in Francia, anno circiter 1130 in Portugalia regnare cœpit, reſpectu *moderna* imò *moderniſſima* dici verè potuit; non tamen *regiarum omnium moderniſſima*; quandoquidem longè poſt annum 1273 Stuartis Scoticum, Oldenburgicis Danicum, Waſiis Suecicum & Polonicum, regna contributa ſunt; iique omnes Auſtriacorum comparatione *moderni* ſi dicantur, apici ſuo nihil detractum putabunt. *Antiquitatem* Auſtriacis aſſignare Tenneurius, in Alberti Argentinenſis, Ioannis Trithemii, Iacobi Menlii, Wolfgangi Lazii, aliorumque recentiorum de nobiliſſimæ gentis origine fabulas incidens, veritus eſt: ſed quicquid de *novitate*

Pag. 2.

 & te-

& *tenuitate* ejuſdem prima ſcripſit, ex errore profluxiſſe demus; qua, error ille, ex parte Germanicæ pacis ſepta infringit? an Ferdinandum III regio cultu ſpoliat, potentiſſimumque eſſe negat? mirum ſi vel Sereniſſimæ Suecorum Reginæ Majeſtati quicquam ex eo decedere credatur, quod ejus proavo Regalis titulus poſt annum 1521 obvenit; vel Capetinæ genti ex eo quod Witikindus Odoni paulò ante regnum *ſervulum unicum* aſſignavit; vel denique pax Monaſterienſis nutare, violataque credi debeat, ſi de paciſcentium Regum Majoribus, eós initio *admodum tenues*, in regum collegio *modernos* & *non antiquos*, quod contumelioſum videri poſſit, fuiſſe quiſquam ſcribere audeat. Nemini ergò ſobrio theſis hæc Chiffletiana imponat; *quiſquis Principes Auſtriacos* initio tenues, non antiquos & moderniſſimos *fuiſſe aſſerit*; *pacis Monaſterienſis* infractor *eſt*, *& contumeliæ in Majeſtatem Auſtriacam reus.* Si cui imponat, Chiffletium ipſum longè contumelioſiora de Capetinâ gente aſſerentem, infractæ pacis & violatæ Capetinæ Majeſtatis reum pronuntiabit. Atque hæc de primo Tenneurii crimine.

2. *Scribit ab Rudolpho parente Albertum I. Cæſarem faſtoſo Archiducatus titulo decoratum*; *quem ejus poſteri*, *unà cum Auſtriaco nomine*, *mordicus tenuerunt.* Hæc *ſcribendo Archiducali titulo* antiquitatem nimiam Auſtriacis plus æquo largiens tribuit; cum eum Philippo nepoti, anno demum 1488, à Rudolphi obitu 197, Fridericus III contulerit: non ergò Auſtriaco culmini obtrectans, pacem publicam violavit. Si *faſtoſum* Archiducalem *titulum* vocavit; Ioanne Mariana Hiſpano, imò regio in Hiſpania conſilio, quo recenſente Marianæ hiſtoria edita eſt, magiſtris uſus, eò non ſine ratione devenit. Sic enim Mariana Hiſt. lib. 25, cap. 12, *expetenti Maximiliano in conjugium Iſabellam Regum filiam Maria priori uxore defunctâ, denegatum, ſpe facta Philippo ejus filio, atque hæredi futuro, unam ex Iſabellæ ſororibus ætate idonea collocandi. quem Auſtriæ Archiducis per eos dies nomine, Auguſti indulgentia, nepotem auxerat novo exemplo: (nam majores Auſtriæ Duces vocabantur) noviſque honoribus augere deſtinabat, Hiſpanicaque affinitati idoneum præſtare.* Nec abs re, *novum exemplum* Friderici nepoti faventis *indulgentia* inductum ſcripſit; quandoquidem Auſtriam antiquum Bavariæ, cujus Marca erat membrum, circa annum 1156 ex Bavariæ Ducatu, ut novum deinceps conſtitueret, deciſam, eoque dignatione minorem fuiſſe, ex Germanicâ hiſtoria conſtat. cum igitur Bavarici Ducatus ab antiquo fuerit, eidem ex quo ab eo divulſa dignitate crevit, & Ducalis facta eſt, pauciora vexilla contributa ſint; primas Bavariæ ad annum uſque 1488 ſemper detulerit; ab anno 1488 realis poteſtatis, ut ſupra Bavariam matricem ſuam caput efferret, nihil conſecuta ſit, uni Principis poſſidentis *faſtui Archiducalem titulum* debuerit, quem poſteà Francorum aliorumque Europæorum conſenſus legitimum reddidit; adeo ut de eo impugnando nemo cogitet, Tenneuriuſque ipſe qui *faſtoſum* vocavit, uſui communi obſequens, eundem cum aliis univerſis agnoſcat. Eum nunc *faſtoſum* Hiſpanorum ipſorummet exemplo nuncupando deliquiſſe ſtatuamus; quantò gravius in Francicam Majeſtatem, pacemque Germanicam conſuetos ei titulos tribuentem expenſor deliquerit; qui Francorum Regibus tanti menſuram nominis implentibus, delatum ante annos ferè 1100 à Mauritio Auguſto *Chriſtianiſſimi* titulum in Vindiciis, Luminibus, Diſquiſitione palam impugnare, orbiſque univerſi judicio reclamare

3. *Improbè affirmat, veram domus Auſtriacæ lineam eſſe Thierſteinenſem, non Habsburgicam; ſolamque Thierſteinicam familiam maſculine ad Auſtriacos pertinere. Quod mendacium quindecies ad minimum multiplici malignitate repetiit, & fruſtra objecit; quodque noxæ culmen eſt, ut Auguſtiſſimæ gentis honores magis ac magis impugnet, & in ipſum lineæ Germanicæ caput, Imperatorem ſtylum exacuat, familiam Thierſteinenſem (quæ merè Germanica eſt) exiguam nuncupat, ac Thierſteinii Comites tenuiſſimos, à quibus totam Sereniſſimæ Domus antiquitatem & nobilitatem trahi flagitioſa fraude comminiſcitur.* Pag. 2. 3. Nihil ſive fraude, ſive flagitio, ſive maligno in gentem Auſtriacam odio hac in parte à Tenneurio admiſſum; ne Chiffletius ipſe ſi ad momentum cum ſana mente in gratiam redeat, negaverit: cum enim illi ipſi genealogiæ quam Murenſium originum codex manuſcriptus & editio ejus in Germania jamdudum procurata præferunt, fidem adhibuerit Tenneurius; potuit vel centies quod verius credebat ſine cujuſquam injuria ingeminare; nec jure nunc Auſtriaci querantur, ſi (quod Murenſibus eorum alumnis à ſeculis aliquot perſuaſum fuit) eorum genus à Rudolpho Thierſteinio Ittæ Habsburgicæ marito non impari repetatur, vetuſque Habsburgicæ genti addictorum judicium facilius Francus aliquis quam nuperorum ſequatur: ut ut enim quippiam in eo deſiderandum veniat, illiſque ipſis actis quibus præfixum eſt, non examuſſim reſpondeat, non niſi attentiore animo eadem perluſtrantibus error apparebit; ſed prima cuique fronte domeſticum, ac velut ex Habsburgicorum ipſorum ſinu prolatum teſtimonium videbitur; cui præponderare ampliores, ſed nævo non carentes, à diverſis editæ genealogiæ nequaquam debeant. Quod Thierſteinii Auſtriacorum hodiernorum comparatione *exigui* ac *tenuiſſimi* dicantur; antiquæ eorum nobilitati non magis officit, quam priſca Habsburgicorum in Bohemicâ aulâ miniſtrantium, præſulibuſque Argentoratenſi & Baſilienſi ante 400 annos militantium tenuitas, atavorum ad Majoratum palatii ante 1000 annos evectorum, claritudinem obnubilare apta fuit unquam, aut hodierno nepotum oſtro pretium nunc adimere apta eſt. De tenuitate illa, & eorum qui eam pertulerunt origine, Monaſterii cum pax redintegrata eſt, paciſcentium nemo vel cogitavit, vel cogitandum putavit; abſit ergo ut ex ejus vel aſſertione vel negatione bonâ fide pactorum robur ullo modo pendeat: pendere tamen Expenſoris cauſa fingamus; ſi Tenneurius Auſtriacos Rudolphi Thierſteinii & Ittæ Habsburgicæ ex veteris genealogiæ Murenſis fide nepotes aſſeverare auſus, hoc ipſo violatæ eorum Majeſtatis & infractæ pacis publicæ reatum incurrit; quantò magis Capetinæ genti læſæ Majeſtatis, ruptæque pacis pœnas debebit Chiffletius, qui Childebrandum Ducem Caroli Martelli germanum, ſtirpem ejus communem fuiſſe negans, eidem Conradum, neſcio quem, Suevo-Saxonem, & Adelhaidem ex impuro Hugonis nothi & à juventute Presbyteri contubernio ortam, atavos, ignotaque veteribus capita ex errore aſſignare non dubitavit?

4. *Auguſtiſſimi Cæſaris majores fama inclytos* rapinarum *inſimulat*; cujus quidem rapacitatis genus & indoles, *inquit*, mirum quam in poſteros, ſive maſculini ii ſint, ſive fœminei, plene tranſierit. *Quibus ſcommatis & ſpiculis num ſui minus compos, reuſque Majeſtatis, Sereniſſimam ipſam Francorum Reginam, Annam Auſtriacam impetierit, vos judices appello rei Francicæ columina, Pariſio-*

Pariſiorum Præſides, *Senatores*, &c. *Inſimulandi* authores habuit S. Audoënum Rotomagenſium ante annos 1000 Præſulem, in vita S. Eligii; Anonymum vitæ S. Otiliæ ſcriptorem; Dominicanorum Colmarienſium annales; Albertum Argentinenſem; recentiores alios plurimos; ipſumque Belli Germanici nuper ſopiti tricennale incendium. ſi delicta majorum immerita poſteritas luere ex truculenta adverſarii mente debeat; ne ſanctiſſima virgo Maria infamiæ ſe exemerit, Iuda inceſti, Davide adulterii & homicidii, Salomone, Roboamo, Ioramo, Achazo, Manaſſe &c. idololatriæ reis atavis edita. ſed quiſque ſuos non alienos patitur manes; neque miſerationum Patri Opt. Max. *ex vepreto botros, ex acanthis ficus* educere, ut ubi *peccatum abundavit*, ibi exinde *ſuperabundare gratia* ad ſempiternam ejus gloriam videatur, inſolemne eſt. Si Tenneurius, quia Auſtriacorum nævos ad poſteritatis monumentum, & cauſæ quam agebat præſidium, retexit, ad ſupplicium, quaſi Majeſtatis reus *paciſque infractor* à Pariſienſi Senatu rapiendus eſt; quot quantaque Chiffletius ſupplicia expendere ab ipſo Chriſtiani orbis Concilio, tanquam poteſtatum Monaſterii paciſcentium impudens *criminator*, eoque *pacis* feliciter redintegratæ *infractor* jubebitur; qui fœda calumniarum rancidarum illuvie Martellum & Capetum à ſeculis permultis regnantia in cœlo capita, communeſque tam Francorum quam Auſtriacorum fontes perfundere conatus; illum concubina infami, S. Lamberti ſede polluta natum, Eccleſiarum & Cleri tyrannicum prædonem corpore & anima ob ſcelera damnatum; hunc Mariæ Burgundicæ & Infantis Hiſpanicæ atavum, nefarium Francici regni uſurpatorem tam improbè quam obſtinatè mentitus: poſteros ejuſdem univerſos alieni per nefas invaſi injuſtos poſſeſſores, & Clodovei nullas vicinos adoriendi, laceſſendi, ſpoliandi occaſiones prætermittere ſoliti, ſtrenuos uſque nunc imitatores eſſe contendit?

5. *Propterea quod Auguſtiſſimæ gentis partes fortiter tutatus ſim*, *ait*, *Auſtriacæ domus Zelum me comedere*, *inſano me erga Reges meos abripi Zelo*; *meque Auſtriacorum temerarium præconem eſſe*, &c. Atqui non quod *partes* Auſtriacas *fortiter tutatus* ſit; ſed quod Francicas calumniarum cuneo ſtipatus oppugnaverit; indigniſque artibus tam ſuis gloriam, ac poteſtatis incrementum procuraturus, quam noſtris dedecus ac noxam ſi ſemet deſererent illaturus, graſſatus videatur, Tenneurii reprehenſionem incurrit: nec ſi durius ab eodem exceptus Dei atque hominum fidem appellare, *infractamq; pacem* proclamare audeat, fidem apud cordatos inveniet: qui hoc potiſſimum nomine, quod *pacem iniquam* imò *nullam* pronuntiare, Cæſari in pacta cum Francis inita conſentienti maledicè obſtrepere non dubitaverit, vapulare juſſum meminerint. quis enim non inſanus profeſſo pacis eamque pangere auſorum hoſti adeò propitius & dedolanti iniquus eſſe velit, ut meritas pœnas ab eo repoſcentem pacis hoſtem reputet, & maledici capitis infortunium publicam injuriam credat? Mutato igitur nomine de ſe, quæcunque de Tenneurio aſpera & inhumana carnificis inſtar, truculentus Chiffletius protulit, ſcripta à ſemet, ſi ſapiat, putet: *durus homo, aſper, maledicus*, *ſacri capitis Cæſarei in inclytis ejus avis* [Martello, Capeto, &c.] *audax & confidens aggreſſor*, *adeoque infractor pacis*, *hoſtis publicæ quietis*; *quique animadverſionem meretur*, *niſi velint ejus fautores* (*ſi qui ſint*) *diſſimulantiæ quæ excuſationem non admittit*, *pactorum violatores cenſeri*, *ea laudando*, Pag. 4.

quæ

quæ in Auguſtiſſimam gentem probra, ut infenſiſſimus hoſtis, fœdè conjecit.

Qui Sanderi & Coënſii de rebus inexploratis judicium ferentium blandimenta verius quam *cenſuras* venditaverat, falſiſque à Vendelino & San-Marthano laudibus ſupra modum inflatus eatum præco fieri ridiculè voluerat, à P. Hieronymo Vignerio inter *Illuſtres* repoſitum ſe gloriatus, ejuſdem Regis regnique cauſam nunquam deſerturi, auctoritate adverſarium oppugnare conatus, ex epiſtola Lutetia anno 1645, Auguſti 19 data, novum ſibi teli genus expromit: ad virum clariſſimum Renatum Moræum, medicæ facultatis Regium antecesſorem ſcribens Robertus Fervaquius Archiducalis aulæ medicus, totum ſe Chiffletio ſuo addixerat: erranti ex affectu plus æquo fidens Moræus, jamdudum intemperiis agitatum inſana ſpe quaſi certò triumphaturum magis ac magis implet: *fruſtrà*, inquit, *es in extollendo libro Domini Chiffletii; majora de illo dictis credo, ejus meriti conſcius*, &c. *erit exinde quo ſe oblectet Dominus Chiffletius, ſuarum partium habiturus viros honoratos, judicio pollentes, atque infenſos argutiis forenſibus*, &c. Sed cum inſignis argutiarum artifex Chiffletius, vel captiva loca quæ in authoribus ſuis non militent, congeſſerit; vel falſa pro veris amplexorum infida teſtimonia lectoribus obtruſerit; eum ubique terrarum cordati merito ſibilo excipient, Moræique ipſius judicium ante cognitionem præceps coarguent, ſimul ac juſta partis utriuſque collatione facta indagando vero ſeriò incubuerint. Diſquiſit. pag. 115. Pag. 5.

Tria hæc ab antiquo Salici juris inviolabilia decreta fuêre; 1. Ut defuncti Principis, filio vel agnato proximo regnum ſanguinis lege deferretur. 2. Ut regiæ puellæ à regni paterni ſucceſſione procul arcerentur. 3. Ut electioni nullus niſi interciſa regnantium ſerie locus eſſet: tantam tamen gentis noſtræ felicitatem, ut nemo unquam à legum patriarum ſive errore abreptus, ſive neceſſitate compulſus, cultu ac obſequio unquam deſciſceret, fuiſſe quis infirmitatis humanæ conſcius crediderit? ut in regnis aliis, ſic in noſtro plura præter officium à multis admiſſa ſunt, quorum infelix ferè ſemper auſus fuit, inconvulſa inter delinquendum manente ſemper officiorum lege; ut quod juris periti pronuntiare ſolent, *exceptio regulam* non ſuſtuliſſe, ſed *firmaſſe* videatur. Commune gentis placitum, quo fœminæ regni incapaces habitæ ſemper fuerunt, *Salicæ legis* nomen à 300 annis ſortitum, in *vindiciis* & *luminibus* evertere expenſor fruſtrà conatus eſt: primum nunc juris noſtri caput prolato Sigeberti II exemplo convellere nititur, quod ut obtineat, Dagoberti qui anno regni 16 currente, Chriſti 644 ineunte defunctus eſt, obitum in annum 645 transfert. 2. Sigebertum, qui revera ſecundus fuit, ſuique nominis poſtremus, tertium perperam nuncupat, ejuſque anno 654, Februarii 1. denati, funus anno 656 aſſignat. 3. Clotharii III necem in annum 664 abſurde confert; eum enim annis 14 regnaſſe, plures Eccleſiarum chartæ, Wandregiſilii vita, aliaque veterum monumenta evincunt, quin imo maritum è vivis exceſſiſſe, vel hinc colligere quilibet poteſt, quod cum poſt Childerici cædem Didò Cabilonenſis, Bobo Valentinæ Eccleſiæ Epiſcopus, aliique ex primoribus Auſtraſiis plures, *quendam parvulum, quem Clotharii fuiſſe*, vel *confinxerant*, vel credebant *filium*, Regem ſalutaſſent, *multum collegêre hoſtilitèr populum, eò quod veriſimile cunctis eſſe videretur.* 4. Duos tantum Clodovei II filios, Clotharium III & Tenneur. Pag. 25. Leodegarii vita.

 Childe-

Childericum II numerat, Theoderico, cui medius inter fratres locus dari debuerat, prætermiſſo. ſic enim de eo vita S. Leodegarii à coætaneo ſcripta; *donec cauſa ſuſpenditur, Rex Clotharius à Domino vocatus de hac luce migravit. Sed cum Ebroinus ejus fratrem germanum nomine Theodericum convocatis Optimatibus ſolemniter, ut mos eſt, debuiſſet ſublimare in regnum, ſuperbiæ ſpiritu tumidus eos noluit deinde convocare: Ideò magis cœperunt metuere, eò quod Regem, quem ad gloriam patriæ publicè debuerat ſublimare, dum poſt ſe retineret eum pro nomine, cui malum cupierat audenter valeret inferre. Cumque multitudo nobilium, qui ad Regis novi properabant occurſum, mandante Ebroino itineris accepiſſent repudium, inito in commune conſilio, relictô eô omnes expetunt Childericum juniorem ejus fratrem, qui in Auſtraſia acceperat regnum,* &c. *Cum Childericus germanum, ſupra quem petitus venerat, ſibimet præſentari juſſiſſet, ut colloqui ei deberet: tunc quidam, qui in regno videbantur eſſe primarii, & Childerico cupiebant avidè placere, crinem ſui domini temeritatis auſu juſſerunt amputari, ſicque fratri ſuo eum ſtuduerunt præſentare. Sed cum ab eo interrogaretur, quid de ſe agere vellet, ille verò hoc ſolum, eo quod injuſtè fuerit de loco regni dejectus, judicium ſe à Deo celer expectare eſt profeſſus. Tunc ad Monaſterium Sancti Martyris Dionyſii reſidere eſt juſſus, ibique expectare, donec crinem quem amputaverunt enutriret, & Deus cœli, quem ſe judicem habiturum eſt profeſſus, feliciter poſtmodum ipſum permiſit regnare,* &c.

5. Childericum ſine liberis obiiſſe, vigilans ſomniat, cum tamen eum ex Bilihilde uxore, quæ prægnans confoſſa eſt, præter filiam cum eo & uxore Rotomagi in S. Petri Baſilica ſepultam, Danielem ſuſceperit, qui poſteà à Ragenfridi parte ad regnum evectus, & Chilpericus dictus, à Carolo Martello ſolio detractus eſt: is enim ſe in chartis Childerici filium: Clodoveum II & Baldechildem uxorem *avos*; Clotharium III *patruum* vocat.

6. Childerici vix ante annum 658 nati, anno 667, qui vitæ nonus tantum fuiſſet, regnum cum vita claudit: utut cum cum Clothario germano ſuffectus eſt, patremfamilias fuiſſe ex Leodegarii vita conſtet: in qua hæc de eo ad verbum legimus: *Childericum cœpit arguere*, &c. *Simul fertur dixiſſe, quod Regina, quam habebat conjugem, filia ſui eſſet avunculi*, &c.

7. Dagobertum parvulum quem Grimoaldus continuò poſt Sigiberti Regis mortem tonderi, & in Scotiam deportari juſſerat, regio, quem nunquam geſtavit, titulo, temere inſignit. Clodoveum II anno regni paterni 12, cum Chriſti 639 concurrente, natum: 644, qui vitæ ſextus erat, ineunte, (cum anno ejus tertio Pridie Idus Majas in Dominica Litaniæ, indictione quarta, eoque anno Chriſti 646 Audoenus & Eligius in Epiſcopos ordinati legantur) patri ſuffectum: 660, regni 17, ætatis 22 defunctum fuiſſe: Clotharium III anno circiter 655, vitæ Clodovei ejuſdem 17, ortum, poſt quinquennium regnum paternum ſortitum, idque poſtquam adolevit per ſe aliquamdiu tenuiſſe: Bathildem ſeu Baldechildem parentem, ſub cujus tutela infantiles annos exegerat, eo jam *adulto* Kalam conceſſiſſe: quo tempore Clotharius vivere deſiit. Theodoricum germanum *erga Francorum primores tyrannidem exercere* [quod puſionis non fuiſſet] *conatum, ab iiſque captum, & injuriis affectum, vi in Monaſterium detruſum* fuiſſe: Childericum jam adultum regno per ſe regendo aptum, imò prole auctum, cujus anno regni tertio interempti prægnans uxor Bilhildis confoſſa, priuſque filium ac

Cap. 3.

Vita Amati.

filiam ſuperſtites enixa ſit, Clothario fratri ſuffectum fuiſſe; Sigebertum bien-nii metachroniſmo paſſim laborantem, vitiatiſque Anonymi *de geſtis Francorum* & Fredegarii codicibus uſum, ducem ſequi inconſultum fuiſſe; in Chifletio denique, (cui utpote Medicinæ Doctori naturæ vis ignota eſſe nequaquam debuerat) quod Childerici anno ad ſummum 658 nati, triumque ante mortem liberorum parentis, regnum anno 667, qui vitæ nonus tantum fuiſſet, concludat, errorem nulla prorſus veniâ dignum eſſe lector prudens notabit. Vt autem ſe veri lumen facilius oculis ejus ingerat, en certiorem Dagobertinæ familiæ ſtatum.

Dagobertus anno D. 644 Ianuarii 19 denatus.

Clodoveus II ex Nanthilde Regina anno regni paterni XII, Christi 639 natus; Bathildis maritus, anno 660 denatus.			Sigebertus ex Ragnetrude concubina anno regni paterni octavo, Chriſti 635 natus; Fridbergæ maritus, 654, vitæ 19, Februarii 1 denatus.
Clotarius III anno 674 denatus.	Theodoricus Chratildis maritus, Childerico ſuffectus.	Childericus Bilhildis maritus, Clothario ſuffectus, anno 676 cæſus.	Dagobertus à Grimoaldo, cujus fidei commiſſus erat antequam regno aptus eſſet, tonſus & in Scotiam deportatus Rothomagi in S. Petri Baſilica jacet.
Clodoveus Parvulus Theodorico Patruo oppoſitus.	Clodoveus & Childebertus Reges poſt patrem.	Daniel poſteà Chilpericus dictus, anno 727 Novioduni denatus.	

Plura hic à Regni noſtri moribus abhorrentia, ſeculi ſeptimi periodo decurrente admiſſa obſervare licet: nam 1. Sigeberto notho regnandi jus delatum; quod ab anno 900 fieri nunquam placuit. 2. Sigebertus regnum proprium (quod ad agnatos ſi ἄπαις decederet naturæ jure devolvi debuerat) alieno donaſſe dicitur. 3. Grimoaldus legitimo Sigeberti hærede ad privati modum redacto, Childebertum filium per nefas ſolio ejus intulit. 4. Nec ante nec poſt Clodovei II, qui Childebertum exauctoravit, mortem, Dagoberti Sigeberto nati, ratio ulla habita eſt. 5. Clodoveus, quem *parvulum* Clotharius III reliquiſſe credebatur, parenti non ſucceſſit. 6. Childericus Theoderico germano naturæ lege violata prælatus eſt. 7. Childerici hæreditatem non Chilpericus filius, ſed Theodoricus defuncti germanus natu major adiit. Vt verò innumera plura, adverſus legitimam regni ſucceſſionem admiſſa fuiſſe demus; nec *Salicum jus per ſecula novem dormiiſſe*, nec hanc Salici juris partem, quæ feminas regni incapaces pronuntiat, à Francis, vel ad momentum refixam fuiſſe, nec *ad exteros* ullos jure unquam *regnum transferri* potuiſſe; nec ubi transferri viſum eſt, *reclamante nemine tranſlatum* evicerit Expenſor; qui Clodoveum II à Grimoaldo Pag. 26. & Childeberto invaſi, ſub donationis obtentu, regni pœnas repopoſciſſe gnarus, utrumque quod *fidem Dagoberto Regi datam fefelliſſet damnatum* ridicule comminiſcitur; cum trimulo vel ad ſummum quadrimo pactorum nullorum per ætatis infirmitatem capaci, tam *dari* quam *data falli* à quoquam *fides* nequiverit; Dagobertus qui continuò poſt Sigeberti parentis dormitionem tonſus, exinde nunquam ad regiam revocatus eſt; Rex neque revera fuerit, nec ab ullo, ſi Expenſorem excipias, poſt mortem audierit: hinc autem Grimoaldum non violatæ ei fidei, ſed uſurpati quomodocunque regni pœnas dediſſe conſtet, quod avito regno ab eo ſpoliatus, in integrum à patruo & patruelibus reſtitutus non eſt.

Sequitur hîc tabula Genealogica quæ à capite habet, *Innocentium Pontificem*, &c.

 Inno-

Delineato Adelæ Campanicæ ſtemmate, una eademque opera Adelhaidis, Beatricis, Hadwidis, Adelhaidis alterius, & Conſtantiæ, quas communes cum Capetinis Regibus atavias habuit, Carolinum ad oculum genus demonſtravimus; Innocentii Papæ de Philippo Auguſto effatum, ab omni erroris ſuſpicione liberavimus, reductamque trecentis ante Philippi Auguſti natale annis, ad Capetinam familiam, Carolinam progeniem evicimus. Innocentio Papa longè antiquior Adelboldus, Trajectenſium ante annos 600
Lum. pag. 251. Epiſcopus, in opere ab expenſore ipſomet laudato, paternum Henrici I Imperatoris, cujus proamita Capeti parens fuit, genus ad Carolum Magnum referens, adverſarium contra garrire auſum, favere linguis juſſerat; *hæredi-*
In vita Henrici II. *tarium*, inquit, [ſolium] *diximus, quia, ut ab his qui genealogias computare no-*
* Lege deſcendens ſeptimam. *verant audivimus, à Carolo Magno ex parte patris * decimam ſeptimam, ex parte matris decimam ſextam lineam propagationis tenebat.* Re enim vera *ſeptimus à Carolo Magno* fuit, prout ex ſequenti enumeratione manifeſtum fiet; 1. Ludovicus Pius; 2. Ludovicus Germaniæ Rex; 3. Hadwidis Othonis Saxoniæ Ducis uxor; 4. Henricus Rex, *Auceps* dictus; 5. Henricus I. Bajoariæ Dux, Hadwidis quæ Capetum peperit, germanus; 6. Henricus II Giſlæ maritus; 7 Henricus Imperator: Si vero *ſeptimus à Carolo fuit*, *ſeptimo*, velit nolit Chiffletius, Robertus II Rex; *ſexto* Capetus Roberti pa-
Tabula IV, VII & VIII. ter; quinto à Carolo gradu Hadwidis, Henrici I Ducis qui Imperatoris avus fuit, germana, conſtiterit Annæ Ruſſicæ quæ Philippum I Regem, Bertæ Hollandicæ quæ Ludovicum VI, Adelhaidis quæ Ludovicum VII peperit, Carolinum genus ad voluminis hujus calcem indicavimus. Sed quia de Adelhaidis matre à Tenneurio prolatis aſſentiri Expenſor animo pervicaci renuit; coætaneorum comperta ſcribentium auctoritate constrictum, ad exoſi veri confeſſionem cogere juvat.

Pag. 37. *Stemmata*, inquit, *quæ profert ad evincendum contrarium, planè ſunt incerta; illudque imprimis Ludovici* VII *Regis, quod tantoperè extollit.* Cui verò? *aviam*, inquit, *ejus maternam, quam recentiores Franci ſine fundamento volunt*
In arbore Sabaudica, gradu 118. *Guilielmo* II *Burgundiæ Comite natam, Pingonius tradit fuiſſe filiam Comitis Venuſini, ſeu Vencienſis.* Pingonius qui Adelhaidis Reginæ parentem *Laurentiam de Venaiſi* vocat, ei matronæ Amedeo II quem cum primo confundit nomen indidiſſe videtur; facillimè enim quæ ſocrus erant in nurum transfundere, & in gentis propria deſignatione aberrare, patrem & filium in unum conflare auſus, potuit; quod fortaſſe prolatis Sabaudicæ familiæ domeſticis monumentis plenius demonſtrabit laborioſiſſimæ diligentiæ vir Samuel Guichenonius: id certè clarius eſt quam ut negari poſſit, nullum cis Alpes, ſed in Apulia *Venuſinum Comitatum* fuiſſe unquam aut nunc eſſe; vocabulum *Venaiſi* quo Pingonius uſus eſt, neque *Venuſinam* Italicam vulgò *Venoſa*; neque *Vedantiorum civitatem* Gallicam, idiomate populari *Vence* dictam, expri-
Veniſi. mere; ſed *Veniſiacum* in quarta Lugdunenſi, vel Carpentoractenſe territorium, quod plurimi *Venaſcinum Comitatum* pro *Vendauſcenſi* à *Vendauſca* ſeu Carpentoracte nuncupant, referre; horum nihil Adelhaidis Reginæ matri ex hypotheſi convenire; Expenſoremque noſtrum hoc ipſo quod duci cæcu-
In Chron. Burgund. anno 1048. tienti & ceſpitanti ſemet commiſit ἀναπολόγητον eſſe. Sed pergit; *Nicolaus Vignerius, Marchionis Seguſiani filiam & hæredem, quæ Amedeo filio Marchionatum Seguſianum adduxit,* Adelhaidis matrem fuiſſe ſcribit. At hic rur-

ſus

ſus quæ proaviæ erant, matri perperàm adſcripſit, prout infrà demonſtraturi ſumus.

Ne igitur anguillæ in modum è manibus ſe gliſcendo & in ſinus complicando vitilitigator proripiat; quod ſponte nobis largitur, ſumpto: Adelhaidem ſcilicet *Humberti Comitis de Maurienna*, ut Aimoini continuator & ſancti Dionyſii Chronica monent: vel *Principis Intermontium*, ut Ordericus loquitur, filiam fuiſſe: nodum magis ac magis ſtringemus: ac 1. Willam Guilhelmo Burgundiæ Comite & Gertrude Limburgica natam, Calixti II Papæ & Clementiæ Flandrorum Comitis germanam, Rainerio Montisferrati Marchioni nuptam, Guilhelmum & Ioannam liberos ei peperiſſe, ex Petro Damiani Cardinale notamus, qui epiſtolam ad eam ſub hoc titulo dedit, *ad Guillam Comitiſſam Rainerii Marchionis uxorem.* 2. Guilhelmum Marchionem Rainerio & Willa prognatum, à nonnullis *Ludovici* VII *Regis avunculum*, eoque Adelhaidis quæ ipſum utero fudit, & Amedei germani *fratrem* vocari. Sic enim de eo Otho Friſingenſis coætaneus & omni exceptione major teſtis, de geſtis Friderici I lib. 1, cap. 44. Conradum III *Francorum Rex Ludovicus, non multo poſt cum ſuis ſubſecutus eſt, ducens ſecum* &c. *de Italia Amedeum Taurinenſem, fratremque ejus Guilhelmum Marchionem de Monteferrato avunculos ſuos* &c. 3. Ioannam Reynerii ſobolem, Guilielmi Marchionis germanam, Adelhaidis Reginæ Humberto natæ *ſororem uterinam* fuiſſe. Ordericus Vitalis Vticenſis Monaſterii Monachus, cujus hiſtoria in annum 1141 deſinit, libro 12, *cum Guilhelmus Exul*, XXVI *eſſet annorum, & nemo potuiſſet ei, de paterna hæreditate recuperanda, ſuffragari contra patruum ſuum, Adelis Regina, uterinam ſororem ſuam dedit illi in conjugem, Rainerii ſcilicet Marchionis ſobolem: Ludovicus autem Rex dedit ei Conteſſium & Calvimontem, atque Medantum, totumque Vilcaſſinum.* 4. Calixti II. Papæ Willæ germani *Adelhaidem Reginam neptim* fuiſſe. Sugerius S. Dionyſii Abbas Reginæ ipſi intimus, de vita Ludovici mariti, capite 24; *virorum venerabilis Guido Viennenſis Archiepiſcopus, Imperialis & Regiæ Celſitudinis derivativa conſanguinitate generoſus*, &c. *ab ea, quæ aderat, Romana Eccleſia in Summum Pontificem electus*, &c. *amore & ſervitio Domini Ludovici Regis, & nobilis Adelhaidis Reginæ neptis, aptius Eccleſiaſticis providebat negotiis.* 5. Poſt Caroli Comitis mortem, neglectis ejus ſororibus & conſobrinis, Flandricum beneficium hoc uno obtentu Guilhelmo Normanno, quod Adelhaidis Reginæ propinquus & ſororius eſſet, à Rege conceſſum fuiſſe.

Lib. XI.

Lib. 7. epiſt. 18.

A. D. 1147.

I. *Regis cum Flandris cognatio.*

- Robertus Rex Conſtantiæ maritus.
  - Henricus I Rex Annæ maritus.
    - Philippus I Rex Annæ maritus.
      - Ludovicus VI Adelhaidis maritus.
  - Adelhais Balduini Inſulani uxor.
    - Balduinus Richildis maritus.
      - Balduinus I Hannon.
        - Balduinus II.
          - Balduinus III.
    - Robertus Friſio Gertrudis maritus poſterior.
      - Robertus Hieroſolymitanus Clementiæ maritus.
        - Balduinus ſecuris.
      - Adela Canuti Danorum Regis uxor.
        - Carolus poſt Balduinum Comes & Sorores duæ.
      - Gertrudis Theoderici II Lothar. Ducis uxor.
        - Simon Dux.
        - Theodericus Comes poſt Guilielmum.
    - Mathildis Guilielmi I Regis uxor.
      - Robertus Dux, Sibyllæ de Converſano maritus.
        - Guilielmus poſt Carolum Comes, Ioannæ maritus.
      - Henricus I. Rex Mathildis maritus.
        - Mathildis Imperatrix.

II. *Regis cum Flandris cognatio.*

- Gertrudis Florentii Friſionum Ducis ac exinde Roberti Friſionis uxor.
  - *1. nupt.* Theodoricus Comes.
    - Florentius.
  - Berta Philippi I uxor 1.
    - Ludovicus VI.
  - Robertus Hieroſolymitanus, Clementiæ mar.
    - Balduinus ſecuris.
  - Adela Canuti Danorum Regis uxor.
    - Carolus.
  - Gertrudis Theoderici II Lotharingiæ Ducis uxor.
    - Simon Dux.
    - Theodericus Comes.
    - Gertrudis Amedei III uxor.

Reginæ cum Guilielmo cognatio & affinitas.

- Richardus II Dux, Iudithæ maritus.
  - Robertus Dux.
    - Guilielmus I. Rex, Mathildis maritus.
      - Robertus Dux Sibyllæ maritus
        - Guilielmus Comes Ioannæ maritus.
  - Adelicia Rainaldi I. uxor.
    - Guilielmus II, Gertrudis maritus.
      - Willa Rainerii Marchionis ac exinde Humberti Com. uxor.
        - *1. nupt.* Ioanna Guilielmi Comitis uxor.
        - *2. nupt.* Adelhais Ludovici VI. uxor.
      - Clementia Roberti Hieroſolymitani uxor.
        - Balduinus ſecuris.

Balduini Inſulani hæreditas ad Balduini primogeniti poſteros, iiſque bello deturbatis ad Roberti Friſionis liberos, antequam Mathilde prognatorum ratio ulla haberetur, tranſire debuerat; Robertus Friſio Berthæ Reginæ vitricus, eoque nati Robertus Hieroſolymitanus cum Adela & Gertrude ſororibus, Berthæ ejuſdem *uterini fratres* erant, & Ludovici VI Bertha nati *avunculus* ille, prout eum Sugerius capite 2 & 18 vocat; *matertera* hæ fuerant; Balduinus Roberti, Carolus cum ſororibus Adelæ, Simon & Theodoricus Gertrudis liberi, Ludovici ejuſdem conſobrini erant, & Guilhelmo propiores; Guilhelmus tamen, quia Ioannam Reginæ ſororem uterinam, & Balduini conſobrinam duxerat, Caroli ſororibus & Gertrudis materteræ liberis prælatus eſt, pluriſque à Rege affinitas quam cognatio æſtimata eſt. 7. Humbertum Adelhaidis Reginæ patrem, non minus quam Willam uxorem, maternum à Carolo Magno genus repetiiſſe, prout ex ſubjecta tabula manifeſtum fiet.

Adelhaidis

Adelhaidis quæ Ludovicum VII *peperit ſtemma Carolinum.*

Carolus Magnus Hildegardis maritus.

- Pippinus Rex Italiæ Bertæ maritus.
  - Bernardus Italiæ Rex.
    - Pippinus Comes.
      - Heribertus I.
        - Heribertus II Hildebrantæ mar.
          - Robertus Trecenſium Comes Adelæ Verræ mar.
            - Adela Gaufridi Griſagonellæ uxor.
      - Pippinus Sylvanectenſis.
        - Sprota Guillielmi I. Norman. Ducis uxor.
          - Ricardus I Gunnoridis marit.
            - Ricardus II Indithæ Conano natæ maritus.
              - Adelicia Rainaldi I uxor.
- Ludovicus Pius Ermingardis ac exinde Iudithæ maritus.
  - Lotharius Imperator Hermingardis maritus.
    - Hermengardis Giſleberti Comitis uxor.
      - Ricuinus N. Ingelramno & Fridrach natæ mar.
        - Ricuinus Mathildis Everhardo natæ mar.
          - Godefridus Cunegundæ mar.
            - Sigefridus Hedwigæ mar.
              - Fridericus I Ermentrudis mar.
                - Theodericus Limburgi Comes.
                  - Gertrudis Guillielmi Burgund. Comit. uxor.
  - Ludovicus rex Germaniæ Emmæ maritus.
    - Hadwidis Ottonis Ducis uxor.
      - Henricus rex Auceps dictus Mathildis maritus.
        - Gerberga Ludovici IV regis uxor.
  - Adelhais Conradi ac exinde Roberti Fortis uxor.
    - *1. nupt.* Conradus Hermentrudis maritus.
      - Rudolphus I Rex Willæ marit.
        - Willa Hugonis Marchionis ux.
          - Willa Beringarii II Regis uxor.
      - Adelhais Richardi Ducis uxor.
        - Ermengardis Giſleberti Ducis uxor.
          - Adela Werra Roberti Comitis uxor.
    - Petronilla Terculfi uxor.
      - Ingelgerius Adalindis maritus.
        - Fulco Rufus Roſcillæ maritus.
          - Fulco Bonus Gerbergæ maritus.
            - Gaufridus Griſagonella Adelæ maritus poſterior.
              - Ermengardis Conani Britonis uxor.
                - Iuditha Richardi II Ducis uxor.
    - *2. nupt.* Hildebranta Heriberti II uxor.
  - Giſla Everhardi Forolulii Ducis uxor.
    - Beringarius I Imperator Bertilæ maritus.
      - Giſla Adalberti Eporediæ Marchionis uxor.
        - Beringarius II Rex Willæ maritus.
          - Adalbertus Rex Gerbergæ mar.
            - Odo Guillelmus Hermentrudis maritus.
              - Rainaldus I. Adeliciæ maritus.
                - Guillelmus II Gertrudis maritus.
                  - Calixtus II Papa.
                  - Willa Rainerii Marchionis ac exinde Humberti Comitis uxor.
                    - *1. nupt.* Ioanna Guillielmi Flandriæ Comitis uxor.
                    - Guilhelmus Marchio Ludovici VII Regis *Avunculus* dictus.
                    - *2. nupt.* Adelhais Ludovici VI ux.
                      - Ludovicus VII.
                    - Amedeus III *Ludovici Regis avunculus*, Gertrudis Alſaticæ maritus.
                  - Clementia Roberti Hieroſol. uxor.
                    - Balduinus ſecuris.
          - Dodo Eporediæ Marchio.
            - Arduinus rex Italiæ Bertæ marit.
              - Berta Magimfredi Segus March. uxor.
                - Adelhais Amedei I. uxor.
                  - Amedeus II.
                    - Humbertus Willæ maritus poſterior.
                      - Adelhais Ludovici VI uxor.
  - Carolus Calvus Imperator Hermentrudis mar.
    - Ludovicus Balbus Adelhaidis mar.
      - Carolus Simplex Orgivæ maritus.
        - Ludovicus IV Gerbergæ maritus.
          - Albrada Rainaldi Comitis uxor.
            - Hermentrudis Ottonis Guillielmi Comitis uxor.

Cum

Cum igitur (Petro Damiani atteſtante) Willam Rainerio Marchioni nupſiſſe; Orderico referente Ioannam *Rainerii ſobolem*, Adelhaidis Reginæ *ſororem uterinam* fuiſſe; Othone Friſingenſi authore, Guilhelmum Marchionem & Amedeum Comitem, Willæ ex diverſis patribus filios, Ludovici VII Adelhaide Regina prognati *avunculos* fuiſſe; Sugerio aſſeverante Adelhaidem Ludovici VII Regis parentem, Calixti II Willæ germani neptim fuiſſe, eoque tam de Adelhaidis ejuſdem matre, quam de patre nobis certò conſtet; Humberto denique Adelhaidis parenti per avias Giſlæ Ludovico Pio Imperatore prognatæ, & Everhardo Forojulii Duci nuptæ adneptes Eporediæ & Seguſionis Marchionatus, quos uſque nunc poſteri ejus hæreditario jure poſſident, obveniſſe res ipſa clamet; Chiffletium Adelhaidis *Stemma* maternum *incertum* pronuntiare auſum, velit nolit, temerè & inconſultè (quod ſtultis incomperta & ignota tam facilè aſſeverantibus quam negantibus, uſu venit) à ſe ignorata oppugnaſſe; vel mala fide, (quod perditis nebulonibus convenit) per ſe nota, nullique contradictioni obnoxia negaviſſe neceſſe eſt. Vtrum malit, quandoquidem noſtra non refert, viderit. Quid ad nos, *ſi ante bellum hoc literarium non aliter ſenſêre Franci, non aliter exteri, quam in Ludovico* VIII *Rege per Iſabellam Hannoniam matrem, regnum Franciæ reductum fuiſſe ad progeniem Caroli Magni. Idque Nangiacus, Æmilius, Dinterus, Guaguinus, Belleforeſtius, San-Marthani, Theodorus Gothofredus, Tenneurius* ipſe Ioannis Pariſienſis errorem refellens aſſeruiſſe videantur; an, quia de legitimis Francicæ cauſæ præſidiis, ipſoque Innocentii III monito non cogitarunt; quæ ante annos 450 nulli dubia erant, aut eſſe nunc jure poſſunt, fide indigna reputabimus; ut quod ſemel alio intentorum oculorum aciem fugit, fugere in æternum debeat? Sed *ante bellum hoc literarium* Adelhaidem Reginam Ludovici VII parentem, Willæ Burgundicæ filiam & Caroli Magni neptim, noſtros neſciviſſe falſum eſt; quandoquidem Andreas Cheſneus in hiſtoriis, Burgundica, Mommoranciaca & Drocenſi, eumque in prima Francicæ hiſtoriæ editione ſecuti San-marthani contrarium ex profeſſo docuerunt; nec nobis, ſi Willam, maternamque Ludovici III originem miſſam facere libeat, de Philippi Auguſti ſtemmate Carolino, ab Innocentio III, ante annos 450 aſſerto, dubitare licuerit; in cujus matrem Adelam Campanicam, Pippini Italiæ Regis & Ludovici Pii Imperatoris Carolo Magno natorum, ſanguinem non uno modo fluxiſſe, ne Chiffletius ipſe quantumvis odio cæcus, negaverit. Nos, qui ad fœminam nullam regnum Francicum devolvi legitimè poſſe, à fœmina regnandi apud nos jura nunquam dimanaſſe, Capetinæ gentis Regibus, (ut ut Carolinorum Principum propinqui paterni, Caroli Magni per filias nepotes, & Carolinæ originis merito nobiliſſimi ſint) quod à Carolo Magno genus quomodocunque repetant, ſed quod Capetus eorum atavus unanimi Francorum tunc liberorum decreto electus, novæ ſucceſſionis caput factus ſit, ſceptrum non delatum, ſcimus; Carolinum eorum ſtemma non urgemus, ut regnent; ſed ut jam ſuo jure regnantibus Carolina nobilitas velut ad cumulum accedat: quod ſæpius adverſus æmulos noſtros jam notatum, ne quem incautum fallant, denuò inculcamus.

Pag. 37.

Radebotoni Altemburgi Comiti Ittam Theodorici Ducis germanam nupſiſſe, Cœnobii nos Murenſis acta docuerant: quotus ille Theodoricus fuerit,

rit quærentibus, ne ad primum Capeti germana editum ſe conferant, quanta vi poteſt, occurrit, & ad ſecundum Alſatici generis Principem, Namurcicâ matre natum, non ſine naturæ totius ludibrio, monſtroſiſque genealogorum aliquot imperitorum conceptibus deflectit Expenſor: cujus ut inſaniam facilius revincamus, monemus 1. de Ittæ genere, hæc tantum in Murenſibus actis haberi: *Radeboto, cum ſibi congruum viſum eſt ut uxorem duceret, accepit de partibus Lotharingorum uxorem nomine Ittam, ſororem Theodorici Ducis.* 2. Nihil in actis illis de Theodorici Ducis vel patre, vel filius addi. 3. Actorum illorum ſcriptorem, Theodoricum I, Radebotonis coætaneum in mente habuiſſe. 4. De Theodorico II, anno à Radebotonis morte 30 nondum nato, cogitare nullo modo potuiſſe. 5. Habsburgicæ familiæ genealogos, quorum verba Expenſor deſcripſit, actorum Murenſium loco jam laudato abuſos, ad Theodoricum II quæ primi unius erant, inepte traxiſſe. 6. Hac eos inconſultâ fiducia, poſtquam Theodorici Ducis Ittæ germani memoriam recoluerunt, temere falſoque addidiſſe, *genuit Gerhardum Ducem*: etſi enim Gerhardum aliquem à Theodorico II genitum ſponte fateamur; *Ducem* fuiſſe, aut dici jure potuiſſe, pernegamus. 7. Ex uno eodemque Gerhardo Eginesheinii Comite ante annum 1130, quo Vdalricus patri ſuffectus Comitatum jam regebat, denato, duos ab iiſdem ridiculè efformatos, quorum alter anno Chriſti 1115, Theodorici patris poſtremo obierit: alter eidem ſubrogatus, ante annum 1130 è vivis abierit: ſed cum entia ſine neceſſitate multiplicanda non ſint, ſubornatam à ſomniatoribus non ſine ſimili tituli Ducalis auctario, perſonato Gerhardo, tantiſperdum legitimis coætaneorum teſtimoniis deſtituitur, fruſtraque ſe Alſaticis proceribus inſerit, procul faceſſere juſſo, portentoſas tam ſubornare auſorum quam Chiffletii eorum exemplo delirantis hallucinationes refellemus: noſtramque de Ermingardis, cui neptis Itta temerè affingitur, natalibus mentem renudabimus, verioribus ac certioribus ſemper cedere parati.

Veteres S. Arnulphi genealogias, & Balduini de Avennis auctoritatem ſecuti, ex Caroli Ducis priore cum Bona Ardennenſi conjugio, Ermingardim Alberti I Namurcenſis uxorem, ante Gerbergam Lamberto Lovanienſi nuptam, adverſus Chiffletium Brabantinorum aliquot putidis mendaciis ſuffarcinatorum admiratorem antehac defenderamus, nihil, quod Gerbergam primogenitam fuiſſe ex neceſſitate concluderet, nacti; *diem* nunc *diei* doctrinæ *verba eructare*, novaq; luce affulgere experimur, à priſtina ſententia longius, dum Hadwidis Ermingarde natæ, & poſterorum annos attentius conſideramus, recedere coacti: qui enim Ermingardi ætatis prærogativam non ſine auctoritatis ſpecie aſſignaveramus; eam ex Agnete Veromandica vel paulò ante, vel paulò poſt patris mortem, natam, his argumentis permoti, colligimus. 1. Charta fundationis Boſonisvillæ de Gerhardo Comite Giſlæ marito, anno 1046 defuncto, Gerhardo Duce Ermingardis genero, anno 1070 denato, ejuſque in Ducatu ſucceſſore Theodorico filio: hæc notatu digniſſima refert; *tali moderatione curam diſponens ejuſdem familiæ, duodecimo anno poſt mortem patris defunctus, uxorque ſua Giſelia in choro ſancti Petri eſt ſepulta. Succedentibus ſibi filiis, Deoderico videlicet Comite & Gerhardo Duce. Iſti namque parentum ſuorum liberalitatem ſequuti, fratres & familiam eis datam benevolentiâ cuſtodire omni conati ſunt. Sed immaturè am-*

bo vitam morte mutavêre. Et dominium Bouſovillæ ſuſcepit Dux Theodoricus, puer parvulus Gerhardi Ducis filius, qui dum in Curia Adalberonis Metenſis Epiſcopi nutriretur, rogavit Præſul puerum, ut ſibi commutaret Bouſovillæ Cœnobium pro caſtro Commerciaco. Quod & fecit. &c. Si anno 1070, à Gerhardi & Giſlæ parentum deceſſu 24, *immaturè vitam morte* Gerhardus Dux *commutavit*, antequam ſenuiſſet vivendi finem faciens, vix ante annum 1028 natus, nec annos vitæ 42 exceſſit; nec ex communi matrimoniorum lege provectioris ætatis Hadwidis uxor fuit. Si rurſus Gerhardi Ducis primogenitus ab eo *puer parvulus, in Curia Adalberonis Metenſis Epiſcopi nutriendus* relictus eſt; impuber, cum pater deceſſit, ex neceſſitate fuit, nec ante annum 1058, matris 30, naſci potuit. Si denique *Boſonisvillam pro caſtro Commerciaco puer commutavit*, ante anni 1072 Idus Novembris, quæ Adalberonis Epiſcopi vitam clauſerunt, pubertatem non attigit. Ex his autem univerſis de Ermingardis aviæ, Hadwidis matris & Ittæ quæ ſoror fuiſſe fingitur, ætate, quid certò ſtatuendum ſit, eruere quilibet rationis compos potuerit. Carolum Lotharingiæ inferioris Ducem, & Hadwidis maternum avum anno 953 natum, 974 prioribus nuptiis illigatum, proxime ſequenti Gerbergam primogenitam, aliquantò poſt Ermingardim natu minorem ſuſcepiſſe vult Chiffletius; anno demum 980 materno utero fuſam demus, cui veriſimile fiet, eam jam effœtam anno ætatis 48, Hadwidem peperiſſe? longè graviori incommodo urgebuntur quotquot ei prærogativam natalium adſcribere auſi, Hadwidis ortum in annum ejus 53 diſtulerint.

Lum. pag. 207.

2. Ittam quam Hadwidis filiam fuiſſe, pervicaciter contendit Chiffletius, anno 1009 Radebotoni Altemburgico nuptam; & 1026, 10 Calendas Auguſti defunctam, ex probatis monumentis, in Habsburgicis ſuis Franciſcus Guillimanus docet; Hadwidem verò Gerhardi Ducis relictam, Roberto Abbati qui Moliſmenſe Monaſterium anno 1073, à Gerardi obitu tertio, fundaverat; aliquantò poſt, anno nimirum 1075, vel 80 nonnulla donaſſe, eoque in illud tempus ſuperſtitem fuiſſe, hæc ejus in charta à P. Hieronymo Vignerio edita indicant: *Quapropter ego Hadwidis Ductrix, decretis ſanctorum Patrum informata,* &c. *Eccleſiam ſancti Petri cum appendiciis ſuis tam præſentibus quam futuris, committimus Domino Abbati Roberto Moliſmenſi, ſucceſſoribuſque ejus, quatenus eorum cura atque regimine ordinatio loci agatur*, &c. Ittam, ſive cum Hadwide, ſive cum Theodorico II Duce, ſive cum Ermingarde componere libeat, ἄτοπα occurrent, in quæ velit nolit, impingat, Alſaticæ eam genti inſerere auſus Expenſor; cui enim probabile fiat, Hadwidem quæ anno 1058 Theodoricum II peperit, & ad annum uſque 1080 ſuperfuit, anno 1009, ante Theodorici II natalem 50, viro maturam filiam habuiſſe, poſt cujus elatum funus annos 54 vixerit? Ittam anno ætatis 15 Radebotoni marito traditam ſi ſtatuamus, in annum Domini 994 nativitas ejus incidet: rurſuſque Hadwidi matri, ut anno 994 parere poſſet, anni ad minimum 14 aſſignandi erunt: ſic anno 981 nata, 994 fœta: poſt annos à partu 64, à nativitate 79, fœcunda manſerit. An per naturæ leges? judicent medicorum filii, ipſeque præ aliis *Archiatrorum Hiſpanicorum Comes* Chiffletius. Si Theoderici II germana Itta fuiſſe credatur, annis ad minimum 64, ſorore eadem matre edita, natu minor frater exurget; qui cum anno Domini 1115 devixerit, ad annum, à ſororis morte, 89; à ſororii dormitione, 90,

Gen. Loth. Prob. pag. 105.

ne 90 vitam produxerit, anno poſt eorum exequias 29 in lucem editus. Quis talia fando, adeo ſibi temperet, ut frontem in minium vertere non cogatur? Si annorum Ermingardis natale & Ittæ nuptias diſpatantium numerus ineatur, cum illa ex Chiffletii ipſius hypotheſi, ante annum 976 concepta non fuerit; hæc, Guillimanno atteſtante, anno 1009 nupſerit; intercedent anni 33, inter aviam, filiam, neptim ex æquo partiendi; ut hæc anno ætatis XI in viri domum ducta ſit, illæ anno vitæ XI pepeiiſſe nondum puberes dicantur. uſque adeone *Hiſpanorum protomedicis* deſipere gratum eſt, ut continuata compugnantium quæ confinxerunt monſtrorum ſerie, illis ipſis puellis quas ante pubertatis annos, & poſt ſenectam parere jubent, prout alternavit voluntas, hinc indolem adeo præcocem ut fungorum inſtar noctis unius ſpatio naſcantur & matureſcant, inde ſegnem adeo fœcunditatem, ut ad elephantorum modum non niſi ſero uterum geſtent, tribuere non vereantur?

3. Ittæ, anno 1026 Iulii 23 defunctæ, maritum Radebotonem A.D. 1027, Martii 24, feria 6 paſſionis Dom. denatum, & Wernharium Argentinenſis Eccleſiæ Epiſcopum, Radebotonis ejuſdem germanum, 1028 Octobris 28 vivere deſiiſſe ex vetuſtis monumentis probat Guillimannus. Si Itta Gerhardi Ducis, & Hadwidis Namurcicæ, anno circiter 1028 natorum, filia fuiſſe credatur, inaudita antehac monſtra emergent, quæ abſurdam opinionem amplexos ad incitas redigant; gener enim è vivis exceſſerit, antequam ſocer & ſocrus naſcerentur; ipſaque quam domum duxit uxor, ætate parentem utrumque longè ſuperaverit, ante eorum natalem vita functa. Etiamſi tot portentorum, vel parens vel certè patronus Chiffletius, Æſculapio major medicam immedicabilibus opem largius promittat, ferendæ reipſa impar, nec eam quam tuetur opinionem ab incommodis liberabit, nec ſemet ipſum ab inſania valetudinis alienæ infelix procurator vindicabit; nec veræ de Ittæ Majoribus quam propugnamus ſententiæ robur maleficio ullo detrahit.

Indubitata familiarum Saxonicæ, Carolinæ, Capetinæ & Alſaticæ Cognatio.

Henricus Rex Auceps dictus, Mathildis maritus, Anno 936 denatus.				Hugo Hildegardis maritus.	
Gerberga Ludovici IV Regis anno 954 denati uxor.	Haduidis Hugonis Magni anno 956 denati uxor.			Eberhardus.	Guotrannus anno 946 denatus.
Carolus Lotharingiæ inferioris Dux, Bonæ ac exinde Agnetis mar. anno 991 denatus.	Hugo Capetus Rex anno 997 denatus.	Beatrix Friderici I Ducis uxor poſt annum 1005 denata.		Gerardus.	Lancelinus anno 991 denatus.
Ermengardis Alberti I Namurcici uxor, circa annum 989 nata.	Robertus Rex anno 1031 denatus.	Theodericus I Richildis mar. an. 1024 denatus.	Itta an. 1009 nupta, 1026 Iulii 23 denata.	Albertus Inditæ maritus, anno 1034 denatus.	Radbotho anno 927 April. 1. denatus.
Hadwidis Gerardi Ducis anno 1070 denati uxor, circa annum 1080 defuncta.	Henricus I rex anno 1060 denatus.	Fridericus II Mathildis mar. anno 1033 den.	Wernherus Regulindæ mar. an. 1096 Nov. 11 den.	Gerardus Giſlæ maritus, anno 1046 denatus.	
Theodericus II Dux anno 1070 parvulus; anno 1115 denatus.	Philippus I Rex anno 1108 den.	Sophia Ludovici uxor.	Otto Hillæ mar. anno 1113 cæſus.	Gerardus Dux, Hadwidis maritus, anno 1070 den.	
				Theodericus II anno 1115 den.	

 Tan.

Tantiſperdum, quid in ſuperiore tabula cenſura dignum putet quæſierit adverſarius, monſtroſum aut temporum rationi adverſum (cum per ſingulos linearum parallelarum gradus invicem in ea ſibi univerſa conſonent, juſtaque proportione reſpondeant) nihil exhibere à ſtudio partium alienus lector notabit. Beatrix enim Friderico I Duci ante pubertatem anno 954 deſponſata, Ittam anno vitæ 35, vel 40 parere, eamque Radebotoni tradere ſexagenaria facilè potuerit: cum eam Richerius Senoniæ Monachus poſt annum 1005 ſuperſtitem fuiſſe ſcribat. nihil etiam incommodi, quiſquis Ittam anno vitæ 30, Radebotoni nupſiſſe dixerit, incurret; Mariam Angliæ Reginam, Margaretam Sabaudiæ Ducem, & Iſabellam Archiducem patrum memoria connubio ſerius junctas reputans. Theodorici I *Stemma Barrenſe*, ſecundi *Alſaticum* eſſe, fruſtrà monet Expenſor: nemo enim negat, aut ſua referre putat. ſed non ſine mendo in charta Rainberti Virdunenſis Epiſcopi, de Altari in lamella, anno 1032, VIII Idus Septembres data, indictionis XV nota apponitur: quandoquidem à Calendis Septembribus indictio I. inierat. Malè rurſus à gentis Habsburgicæ Genealogis Theoderici qui *Gerardum genuit*, ſoror Itta Radebotonis uxor ex alia familia oriunda,& 30 annis antequam Theodericus Gerardi pater naſceretur, mortua fuiſſe dicitur: falſo inſuper Gerardus Theoderici II filius, *Dux* ab iiſdem inſcribitur,& à Gerardo Udalrici patre diſtinguitur; imperitè ad chartæ à Pibone Tullenſi Epiſcopo, anno 1101, 5 Idus Octobris de S. Nicolai Altari & Waringiſivilla, ſcriptæ finem, indictio VIII pro X, quæ anno illo à Calendis Septembris inierat, appingitur. Mendoſam Habsburgicæ gentis Genealogiam, poſt annum 1273 ſcriptam inconſultè ſecutus Expenſor, Vernheri Argentinenſis Epiſcopi, qui anno 1027, indictione X, Conrado imperante, Murenſem Baſilicam dedicaverat, quemque Hermannus Contractus coætaneus anno 1028 Conſtantinopolim miſſum, & ibidem defunctum narrat, in annum 1029 obitum differt; imo ex eo quod Genealogus, poſtquam de Vernheri obitu egit, Radebotoni Ittam nupſiſſe refert; non niſi poſt Vernheri dormitionem, annique 1029, Octobris 28 Radebotoni ſociatam concludit; nec à Genealogo inverſum temporum ordinem fuiſſe advertit, quanrumvis à F. Guillimanno Habsburgicorum monumentorum inveſtigatore diligentiſſimo, certiora doctus, Ittæ matrimonium anno 1009 contractum: eandem anno 1026, Iulii 23 defunctam: Radebotonem anno 1027, Martii 24, in paraſceue denatum: Vernherum denique Radebotonis germanum, anno proximè ſequente, Octobris 28 diem obiiſſe diſcere potuerit. Ittam *loco Murenſi diu* (id eſt, ab anno 1009 quo in Radebotonis mariti domum ducta eſt, ad 1018 quo Vernherus de eo reparando cogitavit *uſam* notaverat actorum Murenſium ſcriptor: id ut in commodum ſuum trahat, ſubdit adverſarius; *notatur poſtmodum in actis Reginboldi Præpoſiti*, cum Monaſterium perfeciſſet, obitus Idibus Iulii, Henrici III Imperatoris temporibus, *qui cæpit imperare poſt Conradum Salicum anno* 1040. *Sic igitur Itta, quæ tunc vivebat, & Reginboldo ædificanti opitulata fuerat, poterat verè dici*, diu loco Murenſi uſa, *ante ſtructuræ perfectionem*. At hîc plura peccata admittit: ut ut enim Ittam *tunc*, cum Reginboldum adjuvit, *vixiſſe*, & Reginboldum ſub Henrico III, Iulii 15 vivere deſiiſſe, certum ſit: nec Itta, quo is tempore vitam finiit ſuperfuit, longè ante, anno nimirum Conradi ſecundo denata: nec continuò, poſtquam

Mu-

Marginal notes: Expen. pag. 34. (beside "moria connubio"); Pag. 30. (beside "referre putat"); Pag. 31. (beside "po, anno 1101"); Pag. 35. (beside "commodum ſuum trahat")

Murenſe Monaſterium perfecit, ſed poſt decennium diem ultimum clauſit Reginboldus; nec anno 1040 Imperium iniit Henricus; ſed cum per novennium *Murenſi loco* Itta *uſa* eſſet, per aliud novennium Reginboldum ædificantem *benè adjuvit*: anno 1026 fatis conceſſit; ea jam denata, anno 1027 Murenſis Baſilicæ dedicatio facta eſt; anno 1039, Iunii 4, feria 2 Pentecoſtes Conradus obdormiit: aliquanto poſt ſub Henrico III, qui anno demum 1046, Decemb. 25 *Imperator* audiit, diem ultimum clauſit Reginboldus.

Ex eo etiam, quod in Genealogiâ Habsburgicâ perversè notatum reperit, novum ſibi argumentum cudit: *ſimiliter*, inquit, *poſtquam notatum eſt*, Adelbertum Ittæ filium obiiſſe anno Domini 1075, ſepultumque in Monaſterio noſtro Murenſi: *additur conſequenter:* Cal. Auguſti obiit Itta Comitiſſa, uxor Comitis Radebotonis de Vindoniſſa. *Quo temporis ordine indicatur, Ittam Radebotoni haud nuptam ante annum* 1028, *vel* 29, *illamque longævam è vivis exceſſiſſe poſt filium Adelbertum anno* 1075. Hactenus ille rancidorum quos F. Guillimannus & I. Piſtorius Auſtriacarum rerum ſtudioſiſſimi jam dudum repudiarant, errorum recoctor: in cujus obſervatione tria cenſurâ digna occurrunt: 1. Quod Adalberti, ſi Piſtorium audiamus, anno 1056 mortui, necem in annum 1075 differt. 2. Quod Ittam Adalberti anno 1056 defuncti, parentem ante annos 30 denatam, filio, imò ſibimet per annos 49 ſuperſtitem fuiſſe fingit. 3. Quod Ittam eandem, quam 10 *Calendas Auguſti* Guillimannus & Piſtorius mortalitatem expleviſſe vetuſtorum monumentorum auctoritate freti aſſerunt, *Calendis Auguſti* deceſſiſſe fabulatur. Illi nunc non *longævitatem* qualemcunque, ſed Sibyllina majorem Expenſoris noſtri gratiam aucupaturi largiamur: quid voti compos conſequetur? hic dilati, non ſine 19 annorum jactura, matrimonii fructus erit, ut anno 1028, vel 29 ſolido, poſt mortem propriam biennio, Radebotoni jam mortuo illa ipſa Itta nubat, de cujus obitu diſputamus. anno enim, ut ante diximus, 1026, Iulio menſe, animam exhalavit: *anno vero* 1027, 9 *Calendas Aprilis* in paraſceue, quæ anni 1027 character infallibilis eſt, è vivis exceſſit Radeboto. ea denique quæ ante enumeravimus incommoda recurrent, ut illo ipſo tempore, quo Gerardus & Hadwidis Ittæ putativi parentes aurâ veſci cœperunt, ea longè ante utrumque nata, jamque plenis nubilis annis, in Radebotonis mariti domum deducta ſit; aut ſi de ejuſdem annis, parentum annos augere libeat, Hadwidi quæ eam peperiſſe dicitur, fœcunditas adeò inexhauſta tribuatur, ut ſexagenaria uterum geſtare, Theodericum Ducem, & Gerardum Vadoniſmontis Comitem enixura, potuiſſe credatur. *Illos Gordios nodos* (ut ipſi ſua verba reponamus) habebit, *quos magnis Alexandris proponat minutus Alexander: illæ erunt temporum anguſtiæ, quas juſtè ſic amplificavit, ut de Alſaticis Ittæ natalibus nulla amplius maneat difficultas.* Quorum enim evidens abſurditas eſt, veri ſpecie fallere ne ſtupidiſſimos poterunt.

Pag. 35, & 36.

Pag. 36.

Conſimilis incommodi metu perculſi quotquot S. Arnulphum, Regum tam Carolinorum quam Capetinorum atavum, Arnoaldo Aquitaniæ Duce, qui Boggis dictus ſit, & Oda natum putant; ab improbabili quam neglectâ temporis ratione fovent, opinione abduci ſe, velut injecta manu ſinent; ſi ſequentia ex S. Huberti vita deprompta, vel ad momentum perpendere dignentur; *tempore illo, quo Ebroini crudelitas regnum Francorum graviter opprimebat, erat quidam adoleſcens nobilis, Aquitanicus genere, ſub Theodorico*

Rege Comes Palatii, Hubertus nomine: &c. *Hic, quia prudentis erat ingenii, conſiderans Ebroinum ad omnem malitiam promptiſſimum, execratus omnes actus illius, Franciam Sequanorum deſeruit: & in Auſtriam ad Pippinum Ducem, cujus juſtitia & induſtria ac virtus bellica tyrannos omnes oppreſſerat, ſe contulit. Adhærebatque illi quaſi comes individua, amita ſua Oda, quæ extitit Boggis Aquitanorum Ducis recens defuncti relicta vidua*, &c. *Cum igitur in parochia Tungrenſi apud memoratum Principem Hubertus vir illuſtris aliquamdiu converſaretur, beati Lamberti Pontificis celebre nomen fama diſcurrente cognoſcens, cupienſque ipſum videre, deſcendit Trajectum.* Cum Theodericus Childerico germano anno 676 paulo ante S. Audoeni dormitionem ſuffectus fuerit, & Ebroinus ad triennium poſt S. Leodegarii anno 685, Octobris 2, interempti cædem ſuperſtes manſerit; inter annos 677 & 88 Boggiſi Ducis obitus, Odæque ab eo relictæ ex Francia Sequanica in Auſtraſiam ſeceſſio contigerit. Anno 711, prout Sigebertus notat, *Sancta Oda, uxor Boggis Ducis Aquitanorum, ſanctitate claret in Gallia, quæ Eccleſias Dei ſua ditavit munificentia, & moriens in Leodicenſi quievit parochia*. Vnde Ioannes Molanus in additionibus ad Vſuardi Martyrologium; *Octobris* 24, *in villa Amavia ſuper Fl. Moſæ, natalis S. Odæ viduæ amitæ ſcilicet S. Huberti. Hæc poſt mortem mariti ſui Boggis Catholici Principis dote contenta, Deo ſervire ſategit, & pauperibus. Hæc fundavit Eccleſiam Amavienſem, in qua quieſcit. Ab eo quoque multa habet Leodienſis Eccleſia, quæ eſt S. Lamberti, ſub quo præſule floruit. Tranſtulit autem ejus reliquias de tellure S. Floribertus filius S. Huberti, & in Epiſcopatu ſucceſſor, 7 Idus Iulii.*

Circa annum 686.

Hubertus A. D. 727. 3 Calendas Iunii, feria 6. Floribertus vero anno 746, Aprilis 26.

Charta ab Eva Comitiſſa anno 965, 17 Calend. Septemb. indictione 8, die S. Arnulphi natali data.

Vita Arnulphi.

Regnavit ab anno 596, ad 611.

Theodeberti ſcilicet; ſic enim vita Clodulfi *tanta vis in poſtulando erat, ut Theodebertus Rex, licet amiciſſimum haberet* &c.

Arnulphus ſanctiſſimus Major domus derepente Clericus factus Cathedra Pontificali ſit elevatus.

Anno Domini 622.

S. Arnulphus *in villa Laio* Calvimontenſis Pagi; & Metenſis diœceſis, *præſentis exordium ſuſcepit vitæ; cùm jam bene edoctus, ad robuſtam perveniſſet ætatem, Gundolpho ſubregulo, ſive Palatii rectori vel magiſtro, regioque conſiliario, in bonis actibus exercitandus oblatus eſt. Quem ille per multa deinceps experimenta probatum, Theodeberti Regis miniſteriis applicavit.* Nemo *illius in armis & bellicis rebus ſtrenuitatem ſatis enarrare* potuit, *ſæpe adverſarum gentium phalanges ſuo ferro abegit*, &c. *Factus eſt omnium ſummus*, &c. *ita ut ſex provinciæ, ſub illius adminiſtratione, ejus ſolius arbitrio regerentur*, &c. *Diverſis in palatio honoribus & miniſterio primus floruit*: &c. *Vrbe Metenſi præſule carente, una vox populorum Arnulphum, Regis domeſticum & conſiliarium, geminorum liberorum patrem, dignum eſſe Epiſcopatu acclamavit*, &c. *ita Pontificalem* geſtavit *infulam, ut quamvis nolens, cogeretur etiam curam & ſolicitudinem; qua tenentur Regis domeſtici, itemque palatii primatum ſive magiſterium retinere*, &c. *Multa Clotharius Rex virum ſanctum fide & amore proſecutus eſt, adeo ut etiam tum, cum jam Dagobertum filium ſuum ad principatus culmen evexiſſet, illi & regnum gubernandum, & ipſum Dagobertum erudiendum tradiderit*, &c. Synodo cum Sonnatio Remenſi circa annum 630 interfuit, anno plus minus 636 in Goerici gratiam abdicavit: è ſeceſſu 17 Calendas Septembres, Conſtantino Heraclii anno Domini 641 Majo menſe defuncti filio imperante, ad Dominum tranſiit; ejus verò reliquias Iulii ſequentis 18 tranſtulit Goericus.

Arnulphi & Odæ, ſive patriam, ſive ætatem, ſive acta ἐκ παραλλήλου ſtatuamus, tanta intercapedine diſparata offendemus, ut nuſquam ſe contingere res ipſa clamet. 1. Arnulphus *in villa Laio* natus, Belga Mediomatricus

tricus fuit; Oda Aquitaniæ natales ſuos cum viro totius regionis Duce de-
buit. 2. Arnulphus ante annum 612 ad Metenſis Eccleſiæ pontificium
poſt longam in ſeculo militiam vocatus, eoque quadragenario major, anno
641 ſeptuagenarius in Domino dormivit; Odam anno demum 711 defun-
ctam, poſt annum 680, ab Arnulphi deceſſu 39, viduam reliquit Boggiſus.
3. Arnulphus extra Auſtraſiæ fines nunquam, quod ſciamus, vixit; Oda non
niſi poſt mariti mortem, Auſtraſiam, ut in ea domicilium ſub Pippini qui ex
hypotheſi pronepos fuiſſet, patrocinio figeret, adiit. 4. Quiſquis Arnul-
phum Boggiſo & Oda eadem natum putat, Odæ natales in annum 555 con-
ferat oportet, ut anno ætatis 15, Chriſti 570 eum peperiſſe; circa 685, qui
vitæ ex hypotheſi 130 fuiſſet, virum amiſiſſe, & Hubertum germani filium in
Auſtraſiam ſecuta: anno denique 711, poſt Arnulphi deceſſum 70, vitæ
156 ad meliorem vitam translata dicatur. quis tam robuſto ſtomacho ſit, ut
tot crudis ac duris concoquendis ſe parem credens, Boggiſum qui Arnulphi
nepos eſſe potuiſſet, Arnulpho patrem tribuat; Odam ex hypotheſi ma-
trem, ſuſcipiendo longæ peregrinationis labori poſt annum vitæ 130 ido-
neam fingat; & ſeſqui ſeculo tranſacto denatam fabuletur? Ad novorum
luminum calcem ridiculo commento pondus pro ſolita fiducia additurum ſe
non deſperavit Chiffletius, qui incertæ ætatis Anonymi *de Majoribus Do-
mus*, ante annos 60 à Petro Pithœo editum libellum, &, aliam ejuſdem fur-
furis farraginem ex Sereniſſimi Britanniarum Regis Bibliotheca, ab Andrea
Cheſneo erutam, nobis tanquam legitima *ſeculi octavi teſtimonia* obtrudit,
figmenta figmentis cumulans. unde enim hæc quibus chartæ illuſit, *ab eo,*
quo *Pippinus ſolium conſcendit, tempore, ipſum, & omnes Reges ab eo progenitos,* Lum. pag.
ab Ansberto, Senatoriæ ſtirpis illuſtri viro, & Blithilde, filia Clotharii Regis, 427.
duxiſſe proſapiam, conſtanter aſſertum fuiſſe, demonſtraverit? *Electum à Fran-
cis in Regem Pippinum Brevem anno Chriſti* 751, *ſtatimque, tertio poſt anno,
Scriptores duos, ut illum à Merovingiis Regibus oriundum obtenderent, ejus ge-
nealogiam texuiſſe,* tam fidenter, quam falſo aſſerit: nam Pippini electionem
Fredegarius, qui Childebrandi Pippini patrui juſſu ſcripſit, & Eginhardus
Caroli Magni Pippino nati gener, in annum 750 conferunt; ejuſque tempo-
re ſcripti *de Majoribus Domus*, & Genealogiæ ex Bibliotheca Britannica
depromptæ authores nec vixerunt, nec vixiſſe, cum non minus in Pippiniana
quam priori Hiſtoria errent, ſine turpi hallucinatione credi poſſunt. utriuſque
enim hæc de Carolomanno & Pippino verba ſunt; *ad Fratrem* [Pippinum] Frat. jam
Legatus Stephani Papæ rediit, unde Italiam repetendo, apud Viennam Galliæ ur- Regem.
*bem obiit. His temporibus Hildricus in regno Francorum ſubſtituitur. De quo
Pippinus Dux legatos ad Zachariam Papam dirigit, interrogans eum ſi ita mane-
re deberent* [*Reges Francorum*] *cum pene nullius eſſent poteſtatis, ſolo regio no-* Franci
*mine contenti. Quibus Legatis Romanus Pontifex reſpondit, illum debere Regem
vocari, qui rempublicam regeret. Detonſo igitur Hildrico, & in Monaſterio* [*de-
truſo,*] *mox Franci Pippinum ſibi Regem conſtituunt. Hic enim rebellantes ſibi* retruſo.
*omnes ſubegerat, Griphonem videlicet fratrem ſuum, Taſſilonem quoque ex ſorore
nepotem: quorum alterum Auſtraſiorum, alterum Baioariorum Ducem inſtituit.
Denique Zacharia Pontifice defuncto, Stephanus ſuccedit, qui in Franciam ad
Pippinum, urgente neceſſitate, venit, eumque ac duos filios ejus Carolum & Ca-
rolomannum pariter ſuæ benedictionis oleo perunxit.* At hæc magna ex parte
falſa

falſa ſunt; nam 1. Carolomannus *Stephani Papæ Legatus* non fuit, ſed Abbatis Caſſinenſis adverſus Stephanum Papam; annales Francorum ad annum 753; *Stephanus Papa venit in Franciam, adjutorium & ſolatium quærendo pro injuſtitiis S. Petri. Similiter Carolomannus Monachus per juſſionem Abbatis ſui Franciam venit, quaſi ad conturbandum petitionem Apoſtolicam.* Eginhardus ad eundem annum, *Stephanus Papa venit ad Pippinum Regem in villa quæ vocatur Cariſiacus; ſuggerens ei ut ſe & Romanam Eccleſiam ab infeſtationibus Langobardorum defenderet. Venit & Karolomannus frater Regis jam Monachus factus, juſſu Abbatis ſui, ut apud fratrem precibus Romani Pontificis obſiſteret. Invitus tamen hoc feciſſe putatur, quia nec ille Abbatis ſui juſſa contemnere, nec Abbas illius præceptis Regis Langobardorum, qui ei hoc imperaverat, audebat reſiſtere.*. Vita Stephani III; *nefandiſſimus Aiſtulfus Carolomannum fratrem benigniſſimi Pippini Regis in Monaſterio beati Benedicti, in quo devote per evolutum temporis ſpatium monachicè degebat, diabolicis eum ſuaſionibus ſuadens, Franciæ provinciam ad objiciendum atque adverſandum cauſæ redemptionis Sanctæ Dei Eccleſiæ, & Reipublicæ Romanorum, direxit.* Annales Fuldenſes ad annum 754; *Carolomannus frater Pippini cum conſilio Haiſtulfi Regis Langobardorum in Franciam venit, ad perſuadendum fratri ne exercitum in Italiam duceret*, &c.

Contrarium aſſerit vita Stephani III.

2. *Italiam repetendo in Gallia* non *obiit*, quia, antequam fratrem exoraſſet, Viennæ ſubſiſtere juſſus eſt, quo in loco eum mors oppreſſit. Annales veteres ad annum 753; *Carolomannus rediit, qui & detentus eſt, & obiit.* Annales alii ad annum eundem; *Stephanus venit ab urbe Roma in Franciam, & Carolomannus poſt eum, & filii ejus tonſi ſunt.* Vita Stephani III; *dum illuc conjunxiſſet* [Carolomannus] *nitibatur omnino, & vehementius decertabat Sanctæ Dei Eccleſiæ cauſas ſubvertere, juxta quod à præfato nec dicendo Aiſtulfo tyranno fuerat directus. Sed propitiante Domino minime valuit ſui germani Chriſtianiſſimi Pippini Regis Francorum in hoc firmiſſimum cor inclinare. Potius autem comperta nequiſſimi Aiſtulfi verſutia, tota ſe virtute idem excellentiſſimus Pippinus Francorum Rex profeſſus eſt decertare pro cauſa ſanctæ Eccleſiæ, ſicut pridem jam fato beatiſſimo ſpoponderat Pontifici. Tunc pari conſilio idem ſanctiſſimus Papa, cum denominato Francorum Rege conſilio inito, juxta id quod præfatus Carolomannus Deo ſe devoverat Monachicam degere vitam, in Monaſterio eum illic in Francia collocaverunt. Ubi & poſt aliquantos dies divina vocatione de hac luce migravit.* Sic inſeliciter ſuſcepti mandati pœnas cum liberis inſontibus præter ſpem dedit Carolomannus; contigit autem obitus ejus anno 755, ad quem hæc Eginhardus; *Carolomannus Monachus frater Regis, qui cum Bertrada Regina in Vienna civitate remanſit, priuſquam Rex de Italia reverteretur, febre correptus diem obiit. Cujus corpus juſſu Regis ad Monaſterium S. Benedicti, in quo Monachicum habitum ſuſceperat, relatum eſt.*

3. *His* quibus Carolomannus deceſſit *temporibus. Hildricus* in regno Francorum *ſubſtitutus* non eſt, ſed ante annos XII, quandoquidem *Concilium Sueſſionenſe anno ab incarnatione* 744, *Martii* 2 congregatum, *Hildrici* Regis *anno* 2 convenit.

4. Ante annum ſextum Hildrici, Chriſti 749, *de eo* à Pippino *ad Zachariam Papam* legatio directa non eſt.

5. Ea de cauſa *Pippinum Franci ſibi Regem*, quod *Griphonem* germanum *& Taſſi-*

& Taſſilonem ſubegiſſet, nec *conſtituerunt*, nec *conſtituere* potuerunt; anno enim 753, Pippiniani regni 4 ineunte, Griphonis rebellio à Theudoeno Viennæ & Friderico Vltra-jurano Comitibus compreſſa eſt. 6. *Auſtraſiorum Dux* à Pippino Gripho nunquam *inſtitutus* eſt; ſed oblatum anno 748, XII Comitatuum regimen reſpuens, *ad Waifarium* Aquitanorum Ducem *profugit*: anno vero 753 *de Waſconia fugiens, occiſus* eſt. 7. *Taſſilo* Pippino avunculo nec *rebellavit* unquam, nec *rebellare* anno 750 vix octennis potuit; ejus enim parens *Chiltrudis* anno 741 deſinente, vel 42 ineunte, *faciente conſilio nefario novercæ ſuæ, fraudulenter per manus ſodalium ſuorum Renum tranſiit, & ad Odilonem Ducem Bagoariæ pervenit. Ille vero eam ad conjugium copulavit, contra voluntatem vel conſilium fratrum ſuorum.* 8. Taſſilonem Odilonis parentis in Bajoariæ Ducatu hæredem, *Ducem* non *inſtituit*, ſed anno 748 à Griphone ſpoliatum reſtituit. Eginhardus ad annum illum; *Gripho Saxonum fidei diffidens, Bajoariam petiit, & copiis, quæ ad eum de Francia confluebant, ipſum Ducatum in ſuam redegit poteſtatem: Taſſilonem & Hilthtrudim in deditionem accepit, Swithgerum ſibi in auxilium venientem ſuſcepit. Hæc cum ad Pippinum perlata fuiſſent, cum maximo exercitu in Bajoariam profectus eſt, fratremque ſuum Griphonem, cum omnibus qui cum eo vel ad ipſum eo venerant, cepit, Taſſilonem* [vix ſexennem] *in Ducatum reſtituit.* Fredegar. cap. 110.

9. Quod Genealogus Britannicus, & libelli *de Majoribus Domus* ſcriptor de Zachariæ Papæ obitu, Stephani III electione, ejuſdem ad Pippinum itinere, Pippinique ac filiorum conſecratione, ſubdunt; neglectum ab utroque temporum ordinem evincit. anno enim 750 Pippinus electus eſt; 752 Zacharias obiit; 753 Griphonis cæde, & Stephani III in Franciam adventu; 754 Pippini & filiorum conſecratione; 755 Carolomanni obitu nobilitatus eſt.

Cum igitur omnem ſibi peccata peccatis cumulando fidem Chiffletiani teſtes detraxerint; eos *anno* Pippiniani regni non dicam *tertio*, ſed alio quocunque vixiſſe & ſcripſiſſe ſentire abſurdiſſimum fuerit. eos tamen Sibyllæ folium recitare fingamus; quid ex eorum verbis in rem ſuam *novorum luminum* concinnator eruerit? *fuerunt Majores Domus, ex quibus generatio regalis proceſſit, primus quidem Anſbertus Senator, qui ex Blithilde filia ſecundi Clotharii genuit Arnoldum patrem ſancti Arnulphi*: hæc illi, proavum pronepote natu minorem comminiſci auſi; quorum inſania afflatus ne videatur vir bonus Chiffletius, non *Secundi Clotharii*, quod manu exarati, uno Compendienſi excepto, Codices, & edita ex iiſdem exemplaria exigebant, ſed *ſecunda Clotharii filia* hoc obtentu legit, quod *Clotharii* non *ſecundi*, ſed *primi* ſanctus Arnulphus pronepos eſſe potuiſſe videatur. Verum alio, vel invitum abduxerit, tota farraginis utriuſque quam laudat ſeries, cujus authori Clothario I filiam nullam tribuenti, quot in ſucceſſione Regum gradus occurrebant, tot in Majorum Domus ſerie initio à Clothario II, ceu communi utrorumque radice facto, pro libidine, non ſine ſtupenda temporum everſione, hunc in modum efformare propoſitum fuit.

Clotharius II Bertrudis maritus anno 627 denatus.

Dagobertus I Nanthildis maritus anno 644 denatus.	*Blithildis Ansberti Senatoris uxor.*
Clodoveus II Bathildis maritus anno 660 denatus.	*Arnoaldus Boggis Odæ maritus circa annum 686 denatus.*
Theodericus I Crathildis maritus anno 690 denatus.	S. Arnulphus Dodæ maritus anno 641 denatus.
Childebertus anno 711 denatus.	Anſgiſus Beggæ maritus anno 686 denatus.
Dagobertus II anno 716 denatus.	Pippinus Alpaidis maritus anno 714 denatus.
Theodericus II anno 737 denatus.	Carolus Martellus Rotrudis maritus anno 741 denatus.
Childericus anno 743 patri ſuffectus, 750 tonſus.	Pippinus Rex anno 750 electus.

Ansbertum etiam Clothario II generum tribuit S. Martini de Glauderiis Metenſis Diœceſis fabuloſa membrana, cujus hæc verba ſunt; *Theodebertus Rex Metenſis ſecundus, duorum avunculorum, videlicet Childeberti, qui & Sigebertus Pariſienſium, ac Clotharii Sueſſionum Regum potentiam veritus, Carolum Hasbanium Ducem Brabantiæ amicum, ad Iuſtinianum Imperatorem mittit oraturum, ut ſe ſuumque regnum ab inſultu Regum tueatur, loco mercedis, regni poteſtatem accepturus. Imperator ocyus nobilem Senatorem Ansbertum, alias Anſelbertum, cum præfato Carolo ad Reges deſtinat, mandans Theodebertum non infeſtatum iri. Huic Anſberto Echam donavit regionem maritimam, quam & Marchionatus titulo inveſtivit, eumque primum Marchionem delegavit, ut Regum molimina, ſi quæ attentarent contra Theodebertum, cominus reprimeret. Clotharius Rex gratiam Iuſtiniani ſibi conciliare cupiens, Ansberto filiam Blictildem dat uxorem, ex qua proles quatuor procreat, Arnoaldum qui & Buſigilbus ſive Bodogiſillus vocatur, Ferreolum, Modericum, & filiam nomine Cauſitiam. Primogenitus Arnoaldus patri in Marchionatu ſucceſſit. Hic ex Oda Sueva habuit ſanctum Arnulphum Pontificem Metenſem, quem Marchionem pro ſe inſtituit, & divortio (conthoralis aſſenſu interveniente) celebrato, cælibem eligens vitam, in Auſtraſia, quæ poſt Lotharingia dicta eſt, non longe ab Hilariaco viculo, in Monte Villæ Longæ, Cœnobium propriis ex prædiis, regio cultu conſtruxit, ditavit proventibus, & in divi Martini Antiſtitis honorem conſecrari procuravit, indiditque nomen, Glanderia, circa annos humanæ Nativitatis Chriſti 587, ubi ſanctiſſime vivens in pace tandem obdormivit, & eodem loco ſepultus, cum ſancto Vndone quieſcit.* Atqui ſingula iſta portentoſam monſtrorum congeriem meritò quis vocaverit; Theodebertus Childeberto Sigeberti anno 576 cæſi filio unico, anno 585 natus eſt; anni proximè præcedentis Iunio menſe Clotharium Chilperico Childeberti patruo pepererat Fredegundis; Sigebertus & Childebertus unà nunquam regnaverunt; Auſtraſiorum non Pariſiorum regnum ſucceſſivè tenuerunt; non unus idemque quod membranæ Glanderienſis ſcriptor fingebat, ſed diverſi à ſe invicem, alter avus, alter Theodeberti pater fuerunt; Iuſtinianus anno 566, antequam Theodebertus naſceretur 19 deceſſit; Theodebertus anno 596 regnum iniit; anno 612 à Theoderico germano, & Clothario patruele profligatus paulo poſt periit; Pippini Majoris anno 645 defuncti, pater Carolomannus, avus Carolus ille Hasbanius fuit, qui ad Iuſtinianum jam dudum defunctum, anno 587 à Theodeberto tunc bimulo adverſus Clotharii, tertium vitæ annum agentis, inſidias, miſſus fingitur; *Lotharingiæ* nomen ante Lotharii II anno 869 defuncti obitum nuſquam auditum eſt; *Auſtraſia* pro-

Apud Meuriſſium de Epiſc. Met. in Arnoaldo.

Regiones non inveſtiuntur, ſed homines.

Tarſitiam.

procedente tempore *Lotharingia* dicta non eſt, ſed pars ejus tantum Occidenti obverſa; *Marchionatus* nomen à *Marca* ſeu limite deductum, nec paſſivum fuit, nec pro Regum arbitrio loco cuilibet, ſed limitaneo ſoli aptari potuit; nec Iuſtinianus Teutonici ſermonis ignarus, de *Marchionatibus* uſpiam inſtituendis cogitavit. *regni poteſtatem* à Theodeberto Iuſtiniano oblatam, à Iuſtiniano deinceps, ut in Theodeberti ditione *Marchionatus* quomodocunque crearet, uſurpatam fuiſſe anile deliramentum eſt. *Brabantini Ducatus* nulla prorſus ante annum 1106, quo Godefridus Barbatus Lovanii in Brabantino Pago Comes, Lotharingiæ inferioris Ducatu ab Henrico V. donatus eſt, mentio fuit. ex S. Huberti vita Boggiſum non *oræ maritimæ* in Auſtraſiæ regno *Marchionem*, ſed *Aquitaniæ Ducem* in Aquitania ipſa denatum, Odamque ipſius uxorem, Aquitanici non Suevici generis, poſt ejus dormitionem, annumque Chriſti 685, à Theodeberti morte 73, ex Aquitania in Auſtraſiam tranſiiſſe conſtat. Ferreolus *anno Childeberti* 6, Chriſti 581 denatus, Clotharii anno 584 nati nepos ex filia eſſe nequaquam potuit. Arnulphus ne eo patre natus ſit, qui Arnoaldus & Boggiſus dictus, Ferreoli, Munderici & Tarſitiæ frater fuerit, Glanderienſe Monaſterium fundaverit, in eoque tumulum habuerit, Deus novit: nemo prudens temerè tot falſa effutire auſis fidem ſuam facilè accommodaverit. Sed cum Chiffletio libelli *de Majoribus Domus* antiquitatem juſto majorem prædicante pergamus: *quia*, inquit, *ſcriptor jam laudatus, de Majoribus Domus regiæ, deſinit in unctione Pippini Regis, quæ à Stephano* III *Summo Pontifice peracta eſt anno* 754, *colligi datur illum tunc temporis vixiſſe, & novam Regum familiam eo ſtemmate illuſtrare voluiſſe; ut de Pippini ortu à Clodoveo* I *Rege per Blitildem palàm conſtaret.* Quocunque fine farraginem ſuam *edidiſſe dicatur*, qui ei falſa multa, pueris ipſis ſub Pippino natis deprehenſu facilia, inſperſit, Pippino coævus & fide quam ſibi in Pippiniana hiſtoria ſæpius derogavit, haberi nequaquam debet; nec *ex eo* quod *in Pippini unctione deſiit*, Pippiniani ſeculi hominem fuiſſe *colligi datur*: cum enim in Pippino *Majorum Domus* munus abſolutè deſierit, quiſquis *Majorum* illorum ſeriem nobis delineandam ſuſcepit, aut in poſterum ſuſcipiet, ſive anno 754, quo Pippinus denuo unctus eſt, ſive 1647, quo Chiffletius *nova* ſua *lumina* accendit, vixerit, ſive denique poſt ætatem noſtram exoriturus ſit; nihil ad manum habebit, quod ſeriei ad Pippinum Majorum poſtremum perductæ attexat. Si Claudio Faucheto Pippinum, coætaneos & ſuppares maternam Carlovingæ gentis originem à Clodoveo, ne regnum ad alienigenas tranſlatum videretur, repetiiſſe perſuaſum fuit; non quid aliorum exemplo crediderit, ſed quo in eorum ſententiam jure tranſierit, à Chiffletio qui ejus auctoritate nititur perpendi debuit. quis enim viros graviſſimos, quandocunque periculi nihil eſſe videtur, vulgò receptis opinionibus longè plus quam neceſſitas exigat deferre neſcit? quæ indiſcuſſa initio placent, poſt examen ſæpenumero vileſcunt, iiſque ipſis ſordent, ac ſtomachum faciunt, qui ea ex priorum præjudicio magnifecerant. nec mirum ſi Fauchetus turbam potius quam judicium proprium ſecutus, falſa, ſed veri ſpecie fallentia, defenderit: *quandoque bonus dormitat Homerus.*

Gregor. Turon. lib. 6. cap. 7.

Lum. pag. 428.

Gall. antiq. volum. 2. lib. 1. fol. 409.

Ex Anonymo neſcio quo, hæc mentem ſuam explicaturus Marcus Antonius Dominici libello ſuo inſeruerat; *vetus author nondum editus, qui geſta Francorum epitomata ad Carolum Magnum uſque perduxit, Pippinum à Francis inau-*

Pag. 12.

cis inauguratum refert: ne conturbaretur ordo Regalis, quia erat de ſanguine Regali Francorum, *&c.* Quæ cum authoris nec meritum nec ætatem nobis aperiant; antequam in ejus verba quiſquam jurare Francus cogatur, meritò quæſierit, *quis genus, unde domo,* qua in Bibliotheca lateat, qua occaſione & cujus hortatu animum ad ſcribendum appulerit, qua methodo ac cura epitomen ſuam elucubraverit, quo denique fine ac conſilio ultra Caroli Magni tempora non provehatur. fieri enim facilè potuit, ut Terræ filius longè poſt Carolina tempora exortus, ex cœnoſis lacunis ſua hauſerit, limique plurimum ſecum traxerit: ei tamen, quantumvis ignoto teſtimonii jus, & antiquitatis, qua eum deſtitui non improbabile eſt, prærogativam deferre Chiffletius non dubitat; *alius* eſt, inquit, *tempore proximus.* Ne verò unde adverſario *proximum* fuiſſe conſtet rogare libeat, continuo poſt ſubdit, *quippe qui geſta Francorum epitomata ad Carolum Magnum perduxit.* Atqui hinc eum nemo ſub Carolo Magno vixiſſe; quam Roriconem Clodoveo ſuperſtite, Aimoinum ſub Merovingorum familia, Ioannem Marianam Ferdinando Catholico regnante ſcripſiſſe certius collegerit. ſi enim Roriconi ſub Carlovingis Regibus viventi geſta Francorum ultra Clodovei tempora non perducere liberum fuit; ſi Aimoinus Abboni Abbati ſuo anno 1004 confoſſo hiſtoriam Carolina tempora non pertingentem dicare potuit; ſi denique Marianæ poſt annum 1590 defuncto, rerum Hiſpanicarum ſeriem ad Ferdinandum uſque Catholicum pertexuiſſe licuit: cur Anonymo poſt Capeti regnum nato, geſtorum Francicorum epitomen in Caroli Magni primordio clauſiſſe nefas fuerit? ei igitur ex epitomes qualicunque concluſione, dignationis nihil accedet aut decedet. Vt ſemota Carolinæ, quam non habuit, antiquitatis opinione, ea ſola quæ de Pippino ſcripſit attendamus; ex Fulconis cauſam diverſiſſimam agentis verbis non explanabuntur, qui ubi *morem gentis Francorum* fuiſſe aſſeveravit, *ut decedente Rege, alium de Regia ſtirpe vel ſucceſſione eligerent*; hoc uno fine patrii moris memoriam refricavit, ut Carolum *Simplicem* juſtum Ludovici & Carolomanni germanorum hæredem, Carolo *Craſſo* & Arnulpho patruelibus, quibus regnum ſucceſſivè oblatum fuerat, legitimè ſubſtitutum fuiſſe evincat. quid enim in Pippini Childericum legitimum & innoxium Regem, univerſumque in eo Regium genus deturbantis, electione ſimile contigit? Fulco id unum ſollicitè cavit, ne regnum hæreditarium ei ad quem legitimæ ſucceſſionis lege devolvebatur extero quopiam prævalente præriperetur. Francorum Pippinum ſuccollantium hæc una cura fuit, ne qui regnum avitum jam per ſeptennium ſine cujuſquam noxa tenuerat, in poteſtate manens, ſua ſibi ſervaret. ex vetuſti igitur moris præſcripto egit Fulco; antiqui moris everſionem cum Pippini electores moliti ſint, ad morem illum nec reſpexit, nec reſpicere potuit, *de regali ordine*, cum Pippinus electus eſt, *non conturbato*, loquens Anonymus; ſed ordinis regalis minimè conturbandi denotatione, non hæreditariæ ſucceſſionis in regno jus, quo abſolutè carebat Pippinus, ſed ipſam regiminis Monarchici formam, quam Childerici abdicatione ſublatam noluerant, inſinuavit: re enim vera regnum non aboleverunt, qui regni jura in Pippini gratiam violare auſi, Merovingam gentem exciderunt. ne vero tranſlati in novum hominem imperii nefas confiteri cogeretur, jus à Francis ſceleri quæſitum finxit, Pippinum, *quia de ſanguine regali erat*, adverſus

Flodoard. lib. 4. cap. 5.

coæta-

coætaneorum univerſorum ſilentium, electum mentitus, eoque ſe longè poſt natum, contra quam Chiffletius volebat prodens.

Lineam muliebrem, more Francorum à Fulcone laudato *non excluſam* inculcat adverſarius; ſerione an joco? quis *mori gentis* imputet, quod nemo unquam ſervavit, nemo ſervandum decrevit, univerſa gens tam conſtanter averſata eſt, ut ne unicum mutatæ ſententiæ exemplum detur? *non excluſam* tamen feſtivo argumenti genere probare nititur; *alium*, inquit, *Pippini à Regibus ortum ſcriptores non indicarunt, niſi per Blithildem.* eſto; quiſquamne eorum qui Blithildem illam quomodocunque agnoverunt, regnum Childerico extortum, Pippino quod Blithildis nepos eſſet, contigiſſe vel ſenſit, vel ſcripſit? ſi jure natalium Childerici ſceptrum præhenſurus erat; quid Francos Zachariæ Pontificis ſententiam anxiè rogare, eademque audita regni hæredem non ſecus ac ſi alienigena fuiſſet, eligere cogebat? quicquid igitur ſibi juris vendicavit, libero idoneum provehentium arbitrio, non natalibus ſuis, in ſolidum debuit; nec ſi qua regia puella Blithilde editus eſt, ea jure potior, quam reliquæ Regum filiæ revera fuit, aut eſſe potuit. quæ enim regni per ſe incapax fuit, nihil in Pippinum quo capax fieret transfundendum habuit, aut alia conditione fuit, quam Theoderici I, Childeberti I, Cariberti, Guntramni & Theodeberti filiæ, ab omni regni ſpe, annis 555, 558, 570, 593, & 612 ex æquo depulſæ. Quotquot igitur Pippinum regia atavia prognatum voluerunt, regiam ei originem, non ut jure ab ea derivato niteretur, ſed ut nobilior haberetur, circa annum 840 poſteris blandituri affingere cœperunt. nec mora, diverſi in partes abierunt, cum alii Clotharium I, alii II Blithildi ſuæ patrem aſſignaverint. In primum oculos defixit Arnulphinæ vitæ ſcriptor recentior, cujus hoc apographum adverſarius edidit, *habuerunt* [Clotharii I filii] *duas ſorores, Clotildem & Blitildem. Albuin Rex Langobardorum Clotildem duxit uxorem: Ansbertus Aquitanorum nobiliſſimus Blitildem ſibi oppigneravit in matrimonium.* ſed nec de ætate ejus conſtat, qui tam multa vitæ S. Arnulphi à coætaneo editæ aſſuit; nec de ejus audaciore imperitia dubitare poſſumus, qui Chlodoſuindam Albuini uxorem, in Clotildem Nicetio Trevirenſi & Gregorio Turonenſi ignotam pro libidine transformavit, ſibi quæ libuit, & quot libuit nomina nobiliſſimæ genti inſerendi æquam poteſtatem fuiſſe declarans. faceſſat ergo cum ſuis quiſquiliis novitius antiquæ ſcriptionis, qui furfur ſuum miſcuit interpolator.

Lum. pag. 428.

Vitæ Arnulphi lib. 2, cap. 37.

Lib. 4, cap. 13.

In Rothaidis epitaphio à Paulo Warnefrido Caroli Magni juſſu, inter annum 783, quo Hildegardis Regina pridie Calendas Majas obiit, & 791, quo Angilramnus Metenſium Archiepiſcopus 8 Calendas Ianuarias mortalitati ſuccubuit, ſcripto; puellæ Regiæ verba hæc, *quæ genus excelſo nimium de germine duco*; eo trâhere conatur, ut Clothario I per Blithildem filiam oriunda credatur. ſed Paulum Diaconum de origine illa, longè poſt ejus mortem, Carolo Calvo regnante primum prodita, cogitare nequaquam potuiſſe, vel hinc liquet; quod Rothaidis Majores nullos S. Arnulpho priores enumerans, S. Arnulphum non ob generis claritatem, ſed ob ſingularia merita & ſanctitatem commendat. Paulo ergo *excelſum nimium germen* Caroli Magni & Pippini Regum, Caroli Martelli Pippini Heriſtalii & Anſegiſi Ducum, Palatii Regii Majorum, & Arnulphi Pontificis undecunque ille prodierit, genus eſt. Eodem ſenſu, Ragnebertum *ex præcelſo genere or-*

Lum. pag. 429.

 tum,

tum, Anonymus vitæ author aſſerit; quantumvis ei ataviam nullam Regibus editam tribuere potuerit.

Pag. 429. *Arnulphum* tamen *à Merovingis Regibus proſapiam duxiſſe*, idque Pauli ætate *notum fuiſſe*, ut evincat adverſarius, ſubdit; *illud non obſcure ſignificat Paulus idem Diaconus, ubi affirmat*, ſanctum Arnulphum fuiſſe virum per omnia lumine ſanctitatis & ſplendore generis clarum, qui ex nobiliſſimo fortiſſimoque Francorum ſtemmate ortus erat. *Nec aliter auctor vitæ S. Arnulphi, quam ſcripſit mandante S. Clodulpho ejus filio, ut in hujus actis legitur: ſic enim coætaneus ille & familiaris ſcriptor*; Beatus Arnulphus Epiſcopus, Francorum proſapia ortus, altus ſanè & nobilis parentibus, & rebus ſeculi opulentiſſimus fuit. *Quæ utriuſque verba de alia origine præterquam Regia intelligi non debent.* Cur vero? annon de Arnulpho Remorum Comite, ac forte Metenſis proavo, cui originem Regiam nemo hactenus affinxit, paria vitæ ſcriptor refert? *Beatiſſimus*, inquit, *Arnulphus nobiliſſimis Francorum parentibus ortus eſt & genitus.* De ſancto Medardo alius; *pater ejus nomine Nectardus de forti Francorum genere, non fuit infimus libertate.* De Ragneberto aliiſque Francorum Proceribus, Ebroini tyrannide vexatis, jam laudatus Anonymus; *huic* [Ebroino ſcilicet] *ſtudium erat, ut quoſcunque ex Francorum genere* alta ortos progenie, *nobilitate vidiſſet in ſeculi utilitate proficere, ipſos vel interfectos, aut effugatos, ſublatos de medio*, &c. De Adalbaldo Duce vita ſanctæ Rictrudis, *amatur, atque appetitur à Franco quodam Adalbaldo, præclaris & juſtis orto natalibus.* De ſancto Geremaro Flaviacenſi vita ejuſdem; *genitor ejus nomine Rigobertus, & genitrix illius nomine Aga ex gente Francorum nobili orta.* De ſancto Nivardo Remenſi, vita ſancti Bercharii; *Nivardus nobilitatis honore clariſſimus*, &c. *inter Francorum Proceres primus in Aula Regis.* Arnulphus ergo Metenſis coætaneo ſcriptori & Paulo Diacono *ex Francorum ſtemmate*, eoque *alto & nobiliſſimo ortus* dicitur: non quia Regum nepos, prout poſtea creditum eſt; ſed quia natione *Francus*, non *Alamannus*, aut *Aquitanus*, aut denique *Romanus*, id eſt *Gallicæ originis* fuit: quod eorum ſententiam funditus evertit, qui Ansberti *Aquitani*, & Ferreolorum *Gallicæ originis* Principum nepotem fuiſſe volunt: *altum* autem, *& ſplendore generis clarum*, Paulus aliuſque antiquior fuiſſe notant; quia non ex plebejo, ſed *magnatum* ſanguine cretus erat; quod Wandregiſili Waltchiſo filio ejus tertiogenito nati vita confirmat, *ex nobilibus*, inquit, *atque religioſis parentibus ortus* &c. *genitor ejus Waltchiſus nomine, ex nobiliſſima proſapia ortus, conſobrinus fuit Pippini excellentiſſimi Principis Francorum.* Si Arnulphi cujus nepotem Wandregiſilum fuiſſe conſtat, nobilitas Regia erat; quî eam præteriit vitæ ſcriptor, ex eo tantum, quod *Pippini Francorum Principis excellentiſſimi conſobrinus*, vel potius *patruelis* eſſet, ex nobiliſſima proſapia ortum confirmans?

Lum. pag. 430. Vt in Arnulphi vita *Francorum ſtemma*, Regium genus ſignificare, quomodocunque obtineat Chiffletius, ſubjungit; *Eodem ſenſu Albertus* II *Namurcenſis Comes in libro veteri Euangeliorum S. Albani dicitur* matre genitus Francigenâ Ermengarde, nobiliſſimam Francorum progeniem trahente. *Apud Albericum de Edelberto Cantuariorum Rege legitur*; habebat uxorem

Anno 597. Chriſtianam nomine Bertam de genere Francorum: *filia erat Chariberti*

Anno 1024. *Pariſiorum Regis. Apud eundem Conradus* II *Salicus Imperator ſcribitur fuiſſe*

ex

ex parte matris de genere Francorum. *Item Petrus Hildeſunſus*, *& Fernandus Hiſpani fratres* ex matre de genere Francorum. *Apud Pium* II *Papam* *Ludovicus* XI *Franciæ Rex*, Francorum ſanguine natus. *Denique apud P. Æmylium Berengarius & Wido* per matres Francis cognatione juncti. *Quibus eloquendi modis Regale Francorum ſtemma, non privatæ cujuſpiam familiæ ſignificatur.* Anno 1063. lib. 9. Comm. lib. 3.

Sed hæc univerſa exempla, cum ſententiam noſtram confirment, difficultatem nullam patiuntur. Alberti II Namurcenſis paternum genus *Lotharingicum*; maternum totum *Francicum*, & ex alio regno repetitum fuit; quandoquidem parens ejus Ermingardis, Carolo Duce Ludovici IV Regis natu minimo filio apud Laudunum Clavatum in Francia Occidentali nato, & Agnete Heriberti, Veromandui Tricaſſium & Meldorum Comitis filia edita erat, eoque non *Lotharingis*, ut maritus, ſed *Francis* natales ſuos debebat. duplici igitur nomine, ob nationem ſcilicet, & familiam in natione Regiam, *Francigena* dici potuit; unico vero S. Arnulphus, ex cujus poſteris ad regnum evectis, Ermingardis orta eſt. Edelberto Cantuariorum Regi, gente Anglo-Saxoni, Berta ex aliis regno, gente, familia, orta nupſit; eique duplici de cauſa *Francorum genus* ab Alberico aſſignatur; quia non ſolum natione *Franca*, quod ipſi & Arnulpho commune erat; ſed regii inter Francos ſanguinis puella erat; qua ex parte, Arnulphum nobilitate longe ſuperavit, *Francicæ nobiliſſimæ*, non tamen *Regiæ* originis hominem. Cum Conradus Salicus paternum à Saxonibus genus repeteret, Ludolpho nimirum & Othone Saxoniæ Ducibus, Henrico *Aucupe* Othonis filio Germaniæ Rege, Othone I. Imperatore, Ludolpho Alamanniæ Duce Othonis filio, Othone Alamanniæ & Franconiæ Duce Ludolphi filio, & Henrico Franconiæ Duce Othonis primogenito editus; Adelam Gerardo Metenſium Comite natam matrem habuit; cui ab Erchinoaldo Franco, & domus in Francia Occidentali Majore paternum genus repetenti, commune cum S. Arnulpho fuit, quod ex *alto* & *nobili Francorum ſtemmate* ac *proſapia orta* eſſet; quantumvis nec illa, nec ante S. Arnulphus Regii Francorum ſanguinis, quod contra Chiffletium notandum venit, Principes fuiſſent. Cum igitur fide dignus nemo Adelam Conradi Salici matrem Regiæ familiæ inſeruerit, aut alio, quam nationis, jure *Francorum generi* adſcripſerit, ante Caroli Calvi regnum, de S. Arnulphi regio ortu, nihil prorſus auditum fuerit; adverſus Chiffletii *Francorum genus*, de Regali ſolo interpretantis hypotheſin, Alberici, de Adela & Conrado Salico, verba velut ex profeſſo militant. Quod de *Petro Hildeſunſo & Fernando Hiſpanis fratribus*, eorumq; *matre de genere Francorum* retulit Albericus, & ex eo Chiffletius, mera utriuſque Caſtellæ Reges cum Aragoniis confundentis hallucinatio eſt: Sancius Major ex Munia Dona uxore, Sancii Caſtellæ Comitis hærede, Garciam IV Navarræ, & Ferdinandum I Caſtellæ Reges: ex Caja concubina Ranimirum I Aragonum Regem ſuſcepit, cui ex Gisberga Ermeſinde Bigorritana natus Sancius; Feliciæ Hilduino Comite de Arceis & Ælide Comite de Roccio natæ maritus, Petri, Alphonſi, & Ranimiri ſucceſſivè Regum parens. Ælis Feliciæ Reginæ mater, Ebali I & Beatricis Hannonicæ Rainerio IV & Hadwide Capeto Rege natæ filia fuit: Ebalus verò Giſleberti filius, Rainaldi Remenſium Comitis & Albradæ Ludovico IV Rege natæ nepos. Felicia ergò Regina quadru-

quadruplici nomine *Franca* dici debuit, in regno *Francorum* & ex *Francis*, eodem, quo ante annos ferè 500, S. Arnulphus modo, nata; & Carolino per Albradam abaviam; Capetino per Hadwidem proaviam, Regio Francorum, (quod de S. Arnulpho nemo ante annum 840 credidit, aut ſcripſit) ſanguine imbuta: inter filios ejus *Petrus Hildeſunſus & Fernandus*, ante Albericum, ſive in Aragonia, ſive in Hiſpania abſolutè nullus fuit; imo nec Ferdinandus poſt Albericum in univerſa Aragonum ſerie, ante Ferdinandum Ioanne I Caſtellæ Rege & Leonora Aragonica natum occurrit: in Caſtellenſis, quod præ oculis Albericus habebat, regni ſucceſſione, Petrus nullus, eo qui *Crudelis* poſtea dictus, anno 1350, poſt Albericum 100, exortus eſt; Petrus Hildefunſus nulli, niſi forte Alberico notus fuit; ſed de his ad XI vindiciarum caput, Deo dante, fuſius agemus.

Iure Pius II Ludovicum XI Regem *Francorum ſanguine natum* pronuntiavit; quandoquidem poſt Ægidium anno Chriſti 464 denatum, Francis Occidentalibus nemo *non Francus* imperavit; fuitque Ludovicus XI non tantum natione *Francus*, ut olim S. Arnulphus, ſed Regum priorum nepos, quod de S. Arnulpho ſub Carolo Calvo credi cœpit. Beringarium & Widonem non tantum *Francorum cognatos*, ſed etiam *ex Francorum proſapia*, prout S. Arnulphus ante fuerat, *ortos*, eoque *Francos* vocare Paulus Æmilius potuerat, *Francorum* nomine nationem univerſam, cum vitæ S. Arnulphi ſcriptoribus intelligens. Berengarius enim Everardo Cizonii Cameracenſis Diœceſis Comite, ac exinde Foro-Iulienſium Duce, Guidone & Lamberto Marcæ Britannicæ Præfectis, avo & proavo natus eſt, & à Francici generis hominibus paternam originem repetiit: ſed *Francis per matres cognatione junctos*, dixit Æmilius: quia Francorum vocabulum non gentem univerſam, ut vitæ Arnulphinæ ſcriptores, ſed ſolam in Francia rerum potentem familiam denotavit; quæ tam Berengarii quam Guidonis matres Regum filias & propinquas edidit: Berengarius enim Giſla Ludovici Pii Imperatoris filia natus, per eam Regum *cognatus* fuit: Guidonis parens Lotharii I filia, avia ex Pippini Italiæ Regis filiabus una fuiſſe videtur: idemque Engeltrude Giſlæ filia, & Berengarii germana, poſt Buchaldi mariti prioris mortem ducta, qui jam Regum *cognatus* erat, *affinis* eorum factus eſt.

Francorum nunc vocabulo Reges ſolos à Namurcenſi Anonymo, Alberico, Pio II & Paulo Æmilio deſignatos fuiſſe demus: an eodem ſenſu vitæ Arnulphinæ ſcriptores, aliique à nobis prolati ex neceſſitate ſumpſerint, ut cum S. Arnulpho Medardus, Ragnebertus, Adalbaldus, Geremarus, Nivardus, Regibus editi cenſeantur: totque Regum filios nobis procudamus, quot *Francorum ex ſemine, genere, ſtemmate, proſapia*, quomodocunque *ortos* audierimus? Ne ipſe, ſi quid ſenſus communis maneat, Chiffletius velit. Cum igitur vocabulo, nunc laxioris, nunc ſtrictioris ſignificationis pro libidine abuſus, quod aliquando tam eſſe quam non eſſe poſſe, perinde ac ſi uno eodemque ſemper modo accipi debeat, urgere non dubitet: nugantibus verius, quam ratione uſis jure accenſebitur. Si Paulus Diaconus, cui ex Veteribus univerſis uni Clementis, Cœleſtis, aliorumque, quos Metenſem Eccleſiam fundaſſe & rexiſſe vult, nomina debemus: qui Agiulfum, *patre ex nobili Senatorum familia, orto, ex Clodoveo Regis Francorum filia procreatum*, & *poſt ipſum nepotem ipſius nomine Arnoaldum extitiſſe*, prodidit: cur

de

de Arnulfi,cujus in poſteros merita & miracula à prioribus præterita enumeravit,ſtemmare Regio,ſi quid noviſſet reticere,quam ad Caroli Magni,S. viri *trinepotis*, quo jubente ſcribebat, gloriam pandere, & perpetuæ memoriæ conſecrare maluiſſet? Si Anſchiſum *minorem* Arnulfi filium paternis de opum erogatione mandatis obſecutum in poſteros transfundendam benedictionem reportaviſſe; *Clodulfum beati patris Arnulfi genitalem filium, & Anſchiſi quoque, à quo ſemen propagatum regium, germanum* natu *majorem*, (quod pater jubebat, *facere ſe poſſe, omnimodis denegaſſe, ad Epiſcopale culmen* poſt Godonem *aſcendiſſe; de eo nihil ad ſe amplius, præter quod à tali radice exortus eſt, famam produxiſſe*; de Chrodegango *ex Pago Haſbanienſi oriundum, patre Sigrammo, matre Landrada Francorum ex genere primæ nobilitatis* [utpote Caroli Martelli filia] *progenitum, in* avi *Palatio enutritum, ejuſdem referendarium extitiſſe; Pippini Regis temporibus Pontificale decus promeruiſſe*; ad Stephanum Papam legatione functum, poſt præclara multa edita *Eccleſiam Metenſem, annis* 23, *menſibus* 5, *diebus* 5, *rexiſſe*, ac tandem *Pridie Nonas Martias in diebus Pippini Regis obiiſſe*, ſedulò narravit; quo judicio quæ de Arnulfo noverat ad præcipuum Carolinæ gentis totius decus facientia omiſiſſet? Quæ igitur de Arnulfi Majoribus Paulus Diaconus ex priore alio, minutias genealogicas parum curante deſumere non potuit, neceſſariò ignoravit, eademque nos divinare minime permiſit.

Ab anno 742, Octobris 2, feria 3, ad 765 ab incarnatione ſeu 766 à Cal. Ian. Martii 6.

Ex Chronico manuſcripto Franco-Saxonico, in Ieſuitarum Trevirenſium Collegio recondito, ſequentia cum deprompſiſſet Chiffletius: *Pippinus genuit Carolum, Carolus verò Pippinum Regem: Pippinus verò genuit glorioſum & nobiliſſimum Cæſarem Carolum. Anno* 815 *ab incarnatione Domini Magnus Karolus, & Auguſtorum optimus, Aquiſgrani* 5 *Calendas Februarii, hora diei tertia, de hoc ſeculo migravit, Amen. Regnavit annis* 48; *deceſſit annis* 72. Subnectit; *quia deſinit iſte Genealogus in Carolo Magno Imperatore quem magnis commendat elogiis, & obitus ejus circumſtantias adfert; non eſt dubium, quin hoc ſtemma ab eo ſit deſcriptum ſtatim ab Imperatoris exceſſu; hoc eſt circa annum* 815. Sed quod ſibi *dubium non eſſe* profitetur, non modo certi nihil habet, ſed cum falſa nonnulla inducat, certiſſimè falſum eſt. Nam 1. quiſquis hiſtoricum quippiam ſcribere aggreditur, terminos *à quo*, & *ad quem* ſibimet liberè præſtituit, ut undecunque voluerit exorſus, in id quod commodius videtur, utut ab illo quo ſcribit tempore longius remotum ſit, tandem deſinat. ſic Rorico Monachus quem poſt annum 800 adverſarius ipſemet collocat, Chronicon ſuum ultra annum 511 non perducit; Ioannes Serranus poſt annum 1600 ſcribens, Inventarium ſuum anno 1461 clauſit, Quis adeò ineptus ſit, ut Roriconem Clodovei; Serranum Ludovici XI ætate vixiſſe ex eo colligat, quod recentiora non attigerunt? 2. Ab imperito & infante longe poſt balbutire nato, delineatum in Trevirenſi codice Carolinum *ſtemma* fuiſſe, hinc evincitur; quod Ferreoli ſedem *Vceticam* in *Vncianam* monſtroſe transformat; pro Munderico *Modericum*, pro Ariſito *Hariſium*, pro Segoduno Ruthenorum *Rodanos*, pro Clodulfo *Flodulfum*, pro Anſigiſo *Anchiſum* ſubornat; novoque loquendi genere Carolum Magnum *Cæſarem nobiliſſimum*, & *Auguſtorum optimum* vocat. 3. Carolum Magnum *anno ab incarnatione* 815 deceſſiſſe, *annoſque* 48 *regnaviſſe*, ridicule mentitur; quandoquidem Caroli vita ab Anonymo coætaneo ſcripta, & à Monacho

Lum. pag. 430.

Pag. 431.

Diſquiſit. Pag. 25.

 S. Epar-

S. Eparchii Egoliſmenſis interpolata; vita ejuſdem ab Eginhardo genero edita; Poëta Saxonicus, qui vitam illam metro expreſſit, Eginhardi ejuſdem Annales cum Bertinianis Metenſibus, Fuldenſibus & Thegano: inſcriptio denique tumuli Carolini, quæ in hanc uſque diem Aquiſgrani viſitur: eum *anno ab incarnatione* 814, regni 47, *indictione* 7, 5 *Calendas Februarii: ſeptuagenarium deceſſiſſe* docent. Revera anno 742 natus; 768 Pippino patri *die Dominico* XIV *Calendas Octobris*, ſi Fredegarium coætaneum audiamus, vel VII *Idus Octobres*, ſi veteres Annales poſtea à variis editos ſequi malimus, *apud Noviomum* ſuffectus eſt: intercedunt autem inter Septembris 18 anni 768, & 28 Ianuarii anni 814, anni 45, menſes vel 4, cum diebus 9, ſecundum Fredegarium, vel tres cum diebus 19 ſecundum alios: unde fit ut Theganus eum anno regni 46 obiiſſe afferat: ſed anno regni 47 denatus à reliquis dicitur: quia anno 768 jam affecto regnum auſpicatus, 814 qui initio numerandi à 768 ducto, 47 erat, ante mortem delibavit. Cui credibile fiat, eum, qui tunc vixiſſet, tam turpiter falli potuiſſe, ut eorum quæ tranſigebat temporum ratione univerſa corrupta fidem ſibimet abrogare vellet? fuerit ergo Chiffletiorum omnium ingratiis longè recentior, & auctoritatis nullius Carolini ſtemmatis editor.

Thegani Chorepiſcopi Trevirenſis, qui anno Ludovici Pii 23, Chriſti 836, opuſculum ſuum ſcripſit, ut longe diſpar meritum, ſic à Chiffletiana diverſiſſima ſententia eſt: *anno*, inquit, *incarnationis* 813, *qui eſt annus Regni glorioſi & orthodoxi Imperatoris Caroli* 45, *illius Caroli qui de proſapia ſancti Arnulphi Pontificis Chriſti ortus eſt*, *ſicut paterno relatu didicimus*, *& multæ teſtantur hiſtoriæ*: *ſanctus Arnulphus cum eſſet in juventute Dux genuit Anſgiſum Ducem*, &c. Cum ipſi *terminus à quo* totius Carolinæ gentis *proſapiæ* decurreret, S. Arnulphus fuerit, aliudque nihil ex Majorum *relatu*, & editis ante *monumentis hiſtoricis didicerit*: S. Arnulphi Majores toti illi ætati ignotos fuiſſe, nec Ansberti & Blithildis fabulam uſque nunc decantatam, effingi & diſſeminari cœpiſſe, neceſſe eſt. Ne tamen ſe ad incitas redactum fateri cogeretur, ad ſolitas præſtigias perfugio facto, *quæ de Regali origine S. Arnulphi ad Epitaphium Rothaidis, filiæ Pippini Regis, annotavit*, videre nos jubet Chiffletius. atqui *annotata* illa, quanta quanta ſunt *gerras germanas* eſſe, ad oculum jam demonſtravimus.

De origine gentis Francorum Carolinæ carmen non *antiquiſſimum* abſolute, ſed paulo poſt Caroli Calvi primordia, annumque 840, eo fine ut Genealogiæ tunc primum proſa, à ſomniatore neſcio quo ſcriptæ, & ab incude adhuc calenti, ponderis aliquid adderet, Regemque adoleſcentem, utpote anno 823, Iunii Idibus natum, ſuavius demulceret, editum non negamus: hæc enim ſingula animo ſe verſaſſe, ſponte profitetur Author, *Cum tibi proſa tuam celebraret in ordine gentem, Verſibus hanc noſtra libuit ceciniſſe Camœna*, &c. *Incipe*, *Cæſareas verſemus ab ordine cunas: Ille jubet, parere decet te fiſtula noſtra: Quæ celebranda forent præmiſſis intulit ipſe: Quæ tibi ſunt comperta modo tu carmine pande.* Carolo igitur Calvo, & in ejus gratiam conſcripta Genealogia ipſi oblata eſt, cujus ſententiam Poëtæ verſibus exprimi juſſit, nec juſſit tantum, ſed quæ *celebranda* videbantur, *ipſe primus intulit*, & Poëtæ, cui ante incomperta erant, indicavit: unde ille tanquam novo lumine perfuſus, ſe tunc demum non ante, quod vox *modo* innuit, *comperta*

pandere profitetur. Incipit autem ab apertè falſis, *Senatum* à Romanis rerum dominis in Gallia ut regionis dominium teneret *conſtitutum* mentitur; ſic enim ille:

Gallia tunc tanto fremuit concuſſa fragore,
In medioque ſui tenuit tum fortè Senatum,
E Senibus natu ſapiens quem Roma coëgit: &c.

Romanoſque ſenes licet indignata recepit. Obitum Ludovici Pii Imperatoris rectè in *annum* 840, *Iunii* 20, feriam 1 confert, & *ſtatim ab obitu* ejus *carmen* Genealogicum *ſcriptum*, & Carolo Calvo oblatum, neque ſancto Columbano ante annos 220 denato, neque Herrico Autiſſiodorenſi anno 845 poſt carminis ejuſdem editionem nato, ſed veriſimilius Lothario Diacono adſcribi poſſe notat adverſarius; ſed Carolum *Francofurti ad Mœnum anno* 822 *natum*, perperam aſſerit; quandoquidem natalem ejus anno illi, quo Lotharius à Paſchali Papa coronatus eſt, Drogo Gundulfo Metenſi ſucceſſit, & prodigia multa Imperatoris animum perculerunt, id eſt 823 aſſignat vita Ludovici, ab Aſtronomo ejus domeſtico edita: etſi verò fabuloſam ſuæ gentis originem Carolo Calvo placere potuiſſe, credere nequeat Chiffletius; nihil ad nos, qui judicio hominis ferè ſemper *avia peragrantis*, vel nihil prorſus, vel minimum tribuendum eſſe infinitis experimentis edocti novimus: id ſanè lector prudens in poëmate Carolo Calvo dicato facilè obſervaverit, eò Authoris mentem inclinaviſſe, ut Ansbertum ſuum (quod cane pejus & angue adverſarius odit) Clothario II qui ab anno 613, ad 628 Franciam fortiter tenuit, & Saxones cum aliis Barbaris Transrhenanis in ordinem coëgit, generum traderet; non primo cui Monarchia vix ad triennium obtigit, alioſque nullos præter Chramnum filium & Conoborum Britonem hoſtes paſſus eſt; ſucceſſit enim Childeberto majori natu fratri anno 558; Chramnum anno 560 debellavit, ſequenti verò fatis conceſſit: at Clotharius, qui Ansberti ſocer fuiſſe dicitur, cum ei Blithildem filiam elocavit, ex Poëtæ mente,

Bellipotens tunc dura tui Clotharius arma,
Sceptraque victrici retinebat forte valenter,
Francia nomen habens proprio de nomine Franci,
Hujus erat plenis jam filia nubilis annis, &c.

Hinc factum, ut plures Carolinæ familiæ Genealogi *Clotharium* II expreſsè nominent, *primum* ante annum 1100 ne unus quidem.

S. Clodulfi Metenſium Epiſcopi in Tractatu de *Ansberti familia rediviva* vitam in ſententiæ cujus defenſionem ſuſceperat confirmationem prolaturus Lib. 1. cap. 8.
Marcus Antonius Dominici noſter, ab antiquo Authore qui ſub Pippino vixiſſet ſcriptam crediderat: ſed alio nos illa ipſa, quæ exſcripſit, verba, totaque ſermonis idea trahunt, vixque ante annos 300 ſcriptam evincunt, cum nuperorum indolem *intimandi* vocabulum practicum, & conſimilis furfuris epitheta, *decentiſſima generoſitas, conſocialis dignitas* &c. ſpirent. 2. Quod farraginis hujus conſarcinator ſe Eccleſiæ Metenſis in regno Lotharingico ſitæ alumnum fuiſſe profeſſus, Franciam Gallia minus patere voluit, hæc de Arnulfo & Anſegiſo iterato inculcans, *Franciam omnem, imo totam Galliam nobilitate* &c. *ſuperavit* &c. *quod totam Franciam, imo & totam Galliam ſibi, & filiis ſuis,* &c. *Deus collaturus eſſet, audire promeruit;* &c. cum

longè poſt Pippini mortem, & multiplicem Francici regni diviſionem ſcripſiſſe declarat; quandoquidem Pippino, Carolo filio & Ludovico nepote regnantibus, Germaniam cum Gallia, Francia complectebatur: nec ante annum 843, quo hæreditatem paternam Ludovici filii adierunt, & in partes ſecuerunt, Galliæ portio Francia credita eſt. tunc ergo de Clodulfi vita conſcribenda Anonymus Metenſis cogitavit, cum Germania, *Franciæ Orientalis* nomen poſuerat, & in Gallia præter Francicum Lotharingiæ & Burgundiæ Transjuranæ regna cum Arelatenſi exorta fuerant. 3. hoc ipſo, quod Paulo Diacono Clodulfum patri, quæ rogabat, *omnimodis denegaviſſe* ſcribenti contradicere auſus, eum *patri petenti ex facultatibus, quas ab ipſo acceperat, pauca contuliſſe* aſſerit, P. Diaconi narrationem quam de Aigulfo loquens expreſſe citat à ſe viſam & interpolatam fuiſſe docet. 4. De benedictionis quam Anſegiſus ſibi ſuiſque impetravit, eventu, quicquid in buccam venerat, effutiens, ſe, poſt gentis Carolinæ caſum, natum præter votum prodit: qui enim *totam Galliam* Angeliſo, *filiis, & filiorum filiis per multas generationum ſucceſſiones à Deo collatam fuiſſe*, ſcribere potuit, ut de Anſegiſo, cui *Gallia tota* nunquam obtigit, impudenter mentitus eſt, ſic de ſe, & ætate ſua, quaſi Pippini ſeculo vixerit, eoq; regnante S. Arnulfi *genus lucidiſſime patuerit*, improbè confinxit; cum enim Pippinus Rex tertius ab Anſegiſo in ſucceſſionis ordine fuerit; eo ſuperſtite nemo *multas* nepotum Anſegiſi *generationes* numerare potuit; qui numeravit, longè poſt ex neceſſitate vixit; ſeque Pippiniani ſeculi antiquitatem affectantem, fide indigniſſimum haberi juſſit.

Ex manuſcripto Codice, quem P. Hieronymus Vignerius communicaverat, erutam S. Arnulfi Genealogiam, quaſi ſub Pippino ſcripta fuerit, noſter idem magni feciſſe viſus erat; ea tamen attentius perluſtranti, monſtris tota ſcatere judicabitur; ejus hæc verba ſunt; *Ansbertus qui fuit ex genere Francorum vir nobilis, & multis divitiis pollens, habuit fratres, Deotarium, Firminum, Gamardum, Aigulfum Epiſcopum, & Ragnifridum. Deotarius conſtruxit vicum Ariſidium, ubi confeſſor Chriſti effectus requieſcit, Firminus Pontificatum tenuit, in Vcecia civitate, ubi & ipſe confeſſor Chriſti requieſcit. Aigulfus Metis civitate Epiſcopus ordinatus eſt. Gamardus, qui cognominatus eſt Babo, genuit Godinum, & Godinus genuit Gærricum, qui cognominatus eſt Abbo, & Ratbertum, & filias tres Dodanem, Dodalinanem, & Segolenam. Ragnifridus genuit Hummolum Patricium, & Senatorem. habuerunt autem, & ſorores duas Godam, & Mariam, quæ in virginitate perſeverantes migraverunt ad Dominum. Tempore vero bonæ memoriæ Aigulfi Domni Epiſcopi Teudebertus Rex præfatum vicum Ariſidium per ſuum præceptum partibus B. Stephani protomartyris Metenſis Eccleſiæ delegavit, & Domnus Arnoaldus nepos ipſius, poſtea itidem Pontifex accepit exinde confirmationem tempore Domni Lotharii Regis, ad partes nihilominus B. Stephani: Similiter Dagobertus, Sigebertus quoque eundem vicum B. Stephano ſua præceptione confirmaverunt. Prædictus vero præſul Aigulfus prius germanum ſuum Deotarium in eodem vico Ariſidio Epiſcopum conſtituit, & poſt Domnum Deotarium, nepos ipſius Domnus Modericus eſt ordinatus Epiſcopus per ordinationem Metenſis Epiſcopi.*

Vt verò ad ſuperiora redeamus, Ansbertus de quo prælibavimus vir Senatoriæ dignitatis, & ſpectandæ nobilitatis, accepit filiam Clotharii Regis Francorum, nomine Blithildem, genuitque ex ea filios tres, & unam filiam. Primogenitus ejus

Arnoal-

Arnoaldus, ſecundus Ferreolus, tertius Modericus, quarta puella Tharſitia: è quibus Ferreolus Epiſcopus in Vcecia ordinatus, ibique Martyrio coronatus, requieſcit in pace, ubi etiam multa per eum fiunt miracula; Modericus frater ejus ſimiliter in Ariſidio conſtitutus Epiſcopus, ibique Confeſſor Chriſti factus, requieſcit in pace: Tharſitia vero Chriſti in virginitate perſeverans, Redonis requieſcit, quæ etiam fertur mortua mortuum ſuſcitaſſe. Porro Arnoaldus genuit B. Arnulſum Epiſcopum: B. Arnulfus genuit Flodulfum, Waltchiſum, & Anchiſum. Flodulfus genuit Martinum, quem interfecit Ebroinus Ercriaco Palatio: poſteà verò divinâ favente gratia electus Epiſcopus & ordinatus eſt; Waltchiſus quoque genuit Wandregiſilum confeſſorem Chriſti: Anchiſus dux genuit de Begga ſorore S. Gertrudis Pippinum ſeniorem, & Ducem: Pippinus ſenior & Dux genuit Carolum ſeniorem & Ducem: idem Carolus ſenior & Dux genuit Pippinum, quem Stephanum Romanus Pontifex conſecravit, & unxit in Regem, qui hodie feliciter regnat in Gallia & Aquitania.

Clodovei Magni anno 511 ad Novembris finem defuncti, ex filia nepotem ad quem Gregorius Magnus *anno* 601, *indictione* IV, *menſe Iulio* epiſtolam daret, ſuperſtitem manſiſſe, & à Deutherio vel Deothario aliquo Ariſitum ædificiis inſtructum, & Metenſi Eccleſiæ donatum fuiſſe, abſolute impoſſibile non eſt; inter Clodovei, qui anno vitæ 46 deceſſit, nepotes Firminum Vceticenſem, qui *anno* 541, *indictione* IV, eoque ante Septembrem Concilio IV Aurelianenſi interfuit, recenſeri incommodius videtur, cujus & nomen Latinum, & Epiſcopale munus eò nos trahunt, ut Gallicæ originis patre circa annum 500, Clodovei 35, à baptiſmo 4, ne ante tempus legitimum ordinatus credatur, natum putemus: ſed ei, qui anno 541 in Epiſcopali throno ſederit, germanum qui poſt annos 60 Epiſcopale munus exerceret, aſſignare abſurditate non caret. Vt Deotharium Ariſiti, ſive conditorem, ſive reſtauratorem Firmini & Aigulfi germanum fuiſſe, fingere libeat; nec ipſi novum Epiſcopatum ex Segodunenſi deciſum pro arbitrio inſtituere, nec Aigulfo germano in alia, eaque longius diſſita Provincia Eccleſiaſtica ſub Archiepiſcopo Trevirenſi conſtituto, eum ordinare licuerit; multò minus Theodebertus, ſive primus anno 548, ante Aigulfi Epiſcopatum plus minus 33 defunctus; ſive ſecundus, cujus anno 6, Chriſti 601 Gregorii I. literas accepit; quique regnum anno 596, poſt Munderici in Ariſito ordinationem circiter 35 auſpicatus eſt, Ariſitum Eccleſiæ Metenſi ſub Aigulfi regimine nedum poſitæ, *præcepto ſuo delegare* potuerit: temere & infeliciter Marcus Antonius Dominici in Genealogico ſcripto Theodeberti nomen expunxit, & Sigeberti ſolido quinquennio antequam Aigulfus Metenſi Eccleſiæ præeſſet proditoriè confoſſi, titulum quomodocumq; ſubſtitueret: cum S. Arnulfum Clero & plebe poſtulantibus, Pappolo Arnoaldi ſucceſſori ſub Theodeberto, eoque ante annum 613, & Clotharii in Auſtraſia regnum, ſuffectum fuiſſe, tam Arnulfi quam Clodulphi & Goerici vitæ notent, imperitè & falſo ab Arnoaldo, antequam ad Clotharium Theodeberti & Theoderici regna devolverentur defuncto, impetratam à Clothario Theodebertini *præcepti confirmationem* Genealogus ſcripſerit: abſurdè à Clothario, Dagoberto & Sigeberto Dagoberti filio, qui ut ut in Aquitania dominati Ruthenos quorum Ariſitum portio eſt, poſſedit derivat Theodebertino quod nunquam editum eſt decreto robur additum mentitur idem: pro *Mummolo*

Lib. 9. epiſt. 44.

 Patri-

Marius. Patricio *Peonii filio, & Autiſſiodorenſis urbis incola*, qui anno 581 *in Marca Childeberti Regis, id eſt Avenione confugit*, & 585 paulo poſt Convena-
Gregor. Tur. lib. 7. cap. 39. rum excidium, Guntramni juſſu interfectus eſt, Hummolum neſcio quem, Ragnefridi æquè incerti filium mendoſè ſubſtituit. Goericum cujus nullam cum S. Arnulfo propinquitatem paternam coætaneus Arnulfinæ vitæ ſcriptor agnoſcit, Arnulfi patruelem mentitus, ei quoſcunque libuit, avum, pa-
Gregor. Turon. lib. 6. c. 7. trem, fratrem, ſorores pro libidine efformavit. Ferreolum Vceticenſem Epiſcopum anno Chriſti 581, Childeberti Regis 6, defunctum, regio per matrem veteribus univerſis ignotam generi, mendaciter inſerit; *Martyrio* æque ignoto *coronatum* fabulatur; quodque de violenta morte ſublatis dici non ſolet, *in pace requieviſſe*, ſecum pugnans garrit. Vbi Mundericum anno 572 Ariſitenſis vici in Ruthenenſi Pago Epiſcopum ordinatum, in Modericum veteribus incognitum transformavit, cum Ferreoli germanum & Deotharii patrui in Ariſitenſi Epiſcopatu ſucceſſorem fuiſſe fingit, eidemque Reginam parentem hoc forſan obtentu tribuit, quod de Munderico alio à Theo-
Lib. 5. cap. 5. derico Auſtraſiorum Rege circa annum 530 oppreſſo, Gregorius Turonen-
Lib. 3. cap. 14. ſis eum *ſe Regum parentem dixiſſe*, referat: nec ſe aſyſtata loqui ſentit, cum Mundericum Villico ante Petrum, & Aigulfum Metenſis Eccleſiæ regimen obtinente, Ariſitenſis vici Epiſcopatum ſortitum, Deothario ab Aigulfo germano aliquanto poſtquam ordinatus eſt, ibidem conſtituto, ſucceſſiſſe nugatur. Cum igitur portentoſa quæque univerſam temporum rationem evertant, plura coacervet, & lectoribus incautis ingerat, ab omni teſtimonii jure depulſus, procul abigendus eſt: nec movere nos debet, quod ſe ſub Pippino vixiſſe nefariè ſimulans, horrendum commentorum ſuorum chaos, hoc ridiculo ſeque digniſſimo fine impudenter concluſit; *Carolus Senior & Dux genuit Pippinum*, &c. *qui hodie feliciter regnat in Gallia & Aquitania.* Quid enim aliud à tot mendaciorum reo exſpectandum fuit, quam ut ab impoſturis exorſus, impoſturam perfricta fronte faciendo, & antiquitatis ſpecie fallendo deſineret? Sed tam nequiter quam audacter mentitum Paulus Diaconus, qui poſt Reginæ Hildegardis, à Pippini ſoceri deceſſu per annos 15 ſuperſtitis, obitum *de Metenſibus Epiſcopis* ſcripſit, luculentè demonſtrat. ſi enim ulli tantiſperdum Pippinus vixit, Aigulfum Ansberti, Deotharii, Firmini, Gamardi & Ragnefridi germanum, Blithildis ſororium, Arnoaldi, Ferreoli, Munderici, Godini & Mummoli patruum, Arnulfi & Goerici propatruum fuiſſe conſtabat; qui factum ut Carolus ipſe Magnus, Arnulfi abnepote natus, & Paulus Diaconus, cujus ſtylo uſus eſt, univerſorum iſtorum nihil noverint, aut memoriæ prodiderint? Quibus minutiora & ſola fama conſtantia poſteros de Arnulfi annulo, & Anſegiſi benedictione celare religio fuit; cur ad ſummum gloriæ cacumen Carolinam gentem evehentia, velut memoria indigna præteriiſſent? Sed Pippinum *in Francia & Aquitania*, quæ tunc Franciæ pars erat, & uſque nunc eſt, *regnaviſſe* notare, ut ſtultum, ſic falſum fuit: ſtultum, quia Franciæ univerſæ per Germaniam, Neuſtriam, Burgundiam & Aquitaniam latè diffuſæ, regnum tenens Pippinus, hoc ipſo, quod Francis imperabat, Aquitanorum ſibi dominium jure vindicavit; nemo autem ſine ſtultitia toti ſuo partem, quaſi extra illud poſita, ei ἀντίῤῥοπος eſſe debeat, oppoſuerit: falſo etiam laboravit, Pippinum, ut *in* reliqua *Francia*, ſic *in Aquitania feliciter regnaviſſe* ſcribens; quia pacatum

tum ejus *in Aquitania* nunquam dominium fuit, ſed ab ipſo regni primordio, uſque in finem, de Aquitanorum Principatu cum Hunaldo, Remiſtano, Waiferio eorum Ducibus, prout ex Fredegario Pippini & Childebrandi patrui familiari conſtat, perpetuò decertavit. Ne verò in deprehendendis admiſſis à Genealogo falſi criminibus quiſquam deinceps laborare cogatur, diverſo charactere expreſſis quæcunque confinxit vocabulis, reliqua cum propria temporum ſubnotatione, velut in faſciculum uno obtutu contemplanda colligavimus.

Clodoveus rex anno 511 Novembri menſe denatus.

- Theodericus Auſtraſiorum rex anno 534 denatus.
  - Theodebertus anno 548 denatus.
- Clotharius I. anno 561 denatus.
  - Guntramnus anno 593 denatus.
  - Sigebertus anno 576 cæſus.
    - Childebertus anno 556 denat.
      - Theodebertus II anno 612 cæſus.
  - Chilpericus anno 584 cæſus.
    - Clotharius II anno 627 den.
      - Dagobertus I anno 644 denatus.
        - Sigebertus II anno 654. den.
  - *Blithildis.* — *Ansbertus Senator.*
    - *Arnoaldus.*
      - Arnulphus anno 641 denatus.
        - Anſgiſus.
          - Pippinus.
            - Carolus Martellus.
        - Waldgiſus.
          - Wandregiſilus.
        - Clodulphus.
          - Martinus.
    - Ferreolus Epiſcopus an. 581 den.
    - Modericus Ariſitenſis Epiſcopus an. 572.
    - Tarſicia virgo.
- N. uxor N. hanc Tonantio Ferreolo nupſiſſe Cheſneus & Bochetus putaverunt.
  - *Deotarius*, qui Ariſitum conſtruxiſſe, & ibidem Epiſcopus ab Aigulfo conſtitutus fuiſſe dicitur.
  - Firminus Epiſcopus anno 541 & 55.
  - Aigulfus Epiſcopus ad quem Gregorius I anno 601 Epiſtolam dedit.
  - *Gamardus qui & Babo*
    - *Godinus*
      - Goericus circa annum 635 Arnulfo ſuffectus.
      - *Radbertus. Dodane. Dadalinane. Segolena.*
  - *Ragnifridus.*
    - Mummolus patritius anno 585 cæſus.
  - *Goda Maria.*

Ansbertos duos cum vetuſta Francorum monumenta exhibeant, quorum alter poſt Fontanellenſis Monaſterii regimen, S. Audoeno Rothomagenſi anno 676 ſuffectus, anno circiter 695, Februarii 9 ad Dominum tranſivit; alter in Cadurcino Pago degens, ante annum 600 Magneldim filiam Gundeberto tradidit, & ex ea Maximum nepotem ſuſcepit: ab iis contra quam Dominicus noſter putavit, Audobertus Cameracenſis, qui anno 658 Landerici Pariſienſis chartæ pro Dionyſianis ſubſcripſit; Autbertus Abrincenſis, qui anno 709 in periculo maris ad Tumbam S. Michaëli Oratorium exſtruxit, & Amalbertus Auguſtodunenſis, qui Eucherium Aurelianenſem ex fonte ſuſcepit, ſecernendi ſunt; Ansbertus vero *Senator*, tantiſperdum præfatis monumentis deſtituimur, inter *entia rationis* cum Deothario, Camardo & ſororum larvis reponendus; unius Raginfridi ad Vinciacum à Martello anno 717 profligati; Godini quem Gregorius Turonenſis Sigeberti partibus relictis ad Chilpericum circa annum 572 perfugiſſe notat; Radeberti inter Ligerim & Sequanam, Dagoberto regnante, Ducis & Ragneberti parentis; Arnoaldi denique, Boggiſi dicti Aquitanorum Ducis,

cis, anno circiter 685 defuncti. ut & Tarſitiæ ac Segolenæ virginum exſtat memoria. ſed horum nemo Clodovei nepos, & S. Arnulfi propinquus paternus, idoneo ullo argumento fuiſſe probatur. Quantumvis *eum extitiſſe negare non poſſimus, quem ædificia excitaſſe demonſtramus*; nihil hinc opinioni, quam cum Dominico Chiffletius defendit præſidii. utut enim *Ariſitum* à quopiam *conſtructum* fuiſſe conſtet; à Deothario ullo conſtructum, quam Remos à Remo Gallorum Rege, Treviros à Trebete fundatos; Britannos à Bruto, Francos à Franco, vel Francione Trojano denominatos fuiſſe, certius non eſt. civitatum, gentium, regionum ſtatui nihil ex eo decedere poteſt, quod fabuloſæ earum origines ſummo conſenſu à cordatis univerſis exploduntur. inconcuſſa igitur Ariſiti & Epiſcopatus ibidem conſtituti, in Ruthenico Pago memoria manebit, etiamſi à Deothario commentitio fundatum fuiſſe quiſquam negaverit. Quo modo Trudoni Sarcinium patrimonium in Germania ſecunda ſitum, S. Stephano Metenſi circa annum 670 delegare licuit, Ariſitum vicum Ruthenicæ diœceſis Martyri, loci Dominus offerre, ejuſdemque donum Reges ſucceſſivè confirmare potuiſſent. Sed tranſlati ſive à Deothario ſive à Regibus in Metenſem Eccleſiam Ariſitenſis dominii fabulam, quanta quanta eſt tria imprimis refellunt; 1. Quòd Metenſis Eccleſia ita eo caret, ut nihil prorſus ſibi vindicet. 2. Quod aſſignari nullum tempus poteſt, quo eo carere illa cœperit. 3. Quod poſt donationem, quæ à Deothario facta fuiſſe fingitur in Munderici gratiam Ariſitenſis Epiſcopatus circa annum 574 *inſtitutus* fuerit, cujus *diœceſes quindecim*, non Eccleſia Metenſis, ſed *Dalmatius Ruthenenſis Epiſcopus ſibi vindicabat*; eaſque à Ruthenenſi Epiſcopatu ante annos 56 deciſas, non Arnulfus Metenſis, non Verus Ruthenenſis, ſed Emmo Ariſitenſis, cum Arnulfo & Vero in Concilio Remenſi ſedens, & ſolo Munderico aſſignatæ ſedis jure fretus tenuit.

De Ansber. fam. lib. 1. cap. 6.

Gregor. Turon. lib. 5. cap. 5.

Adverſus ea quæ Genealogus inconſultè falsòque ſcripſerat, *Deotharium prius* quam Theodebertus Ariſidium *Beato Stephano per præceptum ſuum delegaret*, ab *Aigulfo germano in vico Ariſdio Epiſcopum conſtitutum, & poſt Deotharium, nepotem ipſius Modericum ordinatum Epiſcopum per ordinationem Metenſis Epiſcopi*; plura quæ commenti totius vanitatem renudare valeant, à nobis ex parte jam indicata, ſponte ſemet veri ſtudioſis ingerunt. nam 1. Aigulfi præſulatus cum Firmini, Ferreoli, & Dalmatii, qui Ariſitum ſibi cum ſubjectis diœceſibus vindicavit, Epiſcopatu, ne ad momentum concurrit. 2. Quo ſerius inchoatur, & longius protrahitur Aigulfi præſulatus, eò validius confutatur inſtituti ab eo Ariſitenſis Epiſcopatus fabula. 3. Eò etiam plures Arnoaldi & Pappoli præſulatibus anni decidendi ſunt; quandoquidem ex Arnulfi & Clodulfi vita, Arnulfum à Theodeberto Rege poſtulantibus Metenſibus Pontificem datum; ex Goerici vita, quo *tempore* vir ſanctus Mettim recuperandi viſus cauſa profectus eſt, *regnaſſe in Gallia Theodobertum*; *in Metenſi urbe præſediſſe Pontificem beatum Arnulfum*; ex Annalibus noſtris, Theodebertum anno 612 cæſum conſtat. 4. Anno igitur 601, Theodeberti 6, Novembris 23, quarto, poſt acceptas Gregorii Magni litteras menſe decurrente, vivendi finem fecerit Aigulfus; quem cum annos 20 ſediſſe Metenſis Eccleſiæ tabulæ doceant; Petro tertio Calendas Octobres anni 581, qui Childeberti ſextus erat, ſucceſſerit; Villico poſt *annorum* 25, & *menſium duorum* ſedem, anno 572, Sige-

Flodoard. hiſt Rem. lib. 2. cap. 5.

Sigeberti XI, Aprilis 17, denato, ſuffectus fuerat Petrus; & Heſperio, qui anno 535, Theodeberti I, 2, Sexto Idus Novembris Concilio Arvernenſi cum Dalmatio Ruthenenſi ſubſcripſerat; annoque ſedis 17, Chriſti 546, Theodeberti 12, Auguſti 23 deceſſerat, ſubrogatus Villicus. 5. Anno 580, Childeberti 5 Dalmatius Ruthenenſis, & 581, Childeberti 6 antequam Petro Aigulfus ſuffectus fuiſſet, Ferreolus Vceticenſis in Domino dormierunt. 6. Mundericus, de cujus genere altum ſilet Gregorius Turonenſis, *à Rege* Guntchramno Lingonenſibus *indultus, tonſoratus, & Epiſcopus ordinatus, ſub ea ſpecie, ut dum beatus Tetricus viveret, Ternodorenſe caſtrum ut Archipresbyter regeret*, &c. *migrante vero deceſſore, iſte ſuccederet*, &c. *iram Regis incurrit. Adſerebatur enim contra eum, quod ipſe Sigeberto Regi adverſus fratrem ſuum Guntchramnum venienti, alimenta & munera præbuiſſet. Igitur extractus à Caſtro, in exilium ſuper ripam Rhodani in turri quadam arcta atque detecta retruditur: in qua per duos ferè annos cum grandi cruciatu commoratur. Obtinente beato Nicetio Epiſcopo, Lugdunum regreditur: habitavitque cum eo per duos menſes. Sed cum obtinere non poſſet à Rege, ut in locum unde dejectus fuerat reſtitueretur, nocte per fugam lapſus, ad Sigeberti regnum tranſiit, & apud Ariſitenſem vicum Epiſcopus inſtituitur, habens ſub ſe plus minus diœceſes quindecim, quas primum Gothi quidam tenuerant, nunc verò Dalmatius Ruthenenſis Epiſcopus vendicabat.* Hinc igitur luce meridiana clarius eluceſcit, Mundericum, antequam Ariſitum concederet, Epiſcopum à Nicetio Lugdunenſi ordinatum fuiſſe; antequam ad Sigebertum transfugeret, Ariſitum cum ſubjectis Diœceſibus à Ruthenenſi Epiſcopatu avulſis, non Deothario Clodovei Magni, ſi fabulatores audiamus, nepoti; non Aigulfo tunc Laico; non Metenſi Eccleſiæ, quam Villicus regebat, non *Gothis* qui *ante tenuerant*, ſed *Dalmatio Ruthenenſi* qui *vindicabat* paruiſſe: eodem, quo ante Tornodori conſtiterat, jure Mundericum Ariſiti conſiſtere cœpiſſe, & Emmonem poſt annos circiter 58 conſtitiſſe: Nicetio, cui anno 573, 4 Nonas Aprilis, denato, ſuffectus Priſcus Concilio Pariſienſi IV, tertio Idus Septembres congregato ſubſcripſit, ſuperſtite; adeoque anno 572, ante Aigulfi Epiſcopatum XI, Mundericum Ariſiti regimen ſuſcepiſſe; quod adverſus Genealogi deliramentum è diametro pugnat, eumque quod non capiebat, temere effutiviſſe convincit. Incidit igitur Ariſitenſis Munderico commendati Epiſcopatus initium in annum 572, Sigeberti Regis XI, Villici Metenſis poſtremum, Dalmatii Ruthenenſis plus minus 37; quod ordinationi non Metenſis Epiſcopi, non Aigulfi longe poſt Petro Villici ſucceſſori ſuffecti, ſed regiæ in ſolidum debuit. 7. Ariſitenſis vici Deothario primum commiſſi dominium in perpetuum Eccleſiæ Metenſi *Theodeberti Regis præcepto Aigulfi tempore delegatum*; Regumque Clotharii, Dagoberti, Sigeberti conſimili *præceptione confirmatum* fuiſſe, fingere ſomniator quilibet, ſed ſine ulla veri ſpecie potuit; quandoquidem anno 548, regni 15, ante Munderici ad Sigebertum perfugium, 24, ante Aigulfi Epiſcopatum, 34, vivendi finem Theodebertus I fecit; anno 596, Aigulfi 15, commiſſi Munderico Ariſiti 25 in Auſtraſia regnum Theodebertus II iniit; nec Principum tam *delegantis*, quam *confirmantium* ad impoſturam faciendam confictis *præceptionibus*, quod in natura rerum nunquam fuit, addici cuiquam quocunque modo potuit. 8. Decori parum memor Genealogus Deotharium ſuum in ſenione fratrum

Lib. 5. cap. 5.

Anno 570.

natu

natu maximum penultimo ſubjecit, velut ad ſigna paratum ſtitit, magnique Regis nepotem attributa viculi unius ignobili poſſeſſione ab egeſtate liberavit. 9. Æque abſurde Mundericum Guntchramni Regis, à quo in vilis mancipii modum habitus eſt, germana editum mentitus, eum à Sigeberto altero patruo, in cujus partes inclinaverat, vix nec ſine Canonum injuria, ſpirituali deſpecti uſque nunc viculi regimini admotum narrat. 10. Velut in diſciplinæ priſcæ ludibrium à Simplici & Solitario Epiſcopo in Diœceſi aliena extra Provinciam, imò longe ab ea inſtitutum, & ordinationi propriæ in perpetuum reſervatum novum Epiſcopatum comminiſcitur: nec crimen multiplex à viro Clariſſimo Ludovico Cantarello Fabro merito notatum, eluit; I. Quod Marcus Antonius Dominicus noſter Eulalium Nazianzi à Gregorio Theologo *ſine conſenſu Metropolitæ, cui ſuberat conſecratum* fuiſſe, aſſeverare auſus, S. viri ad Doarenos verbis alienum prorſus ab ejus mente ſenſum affinxit: qui enim Saſimis adeò, ut ea ne ſemel inviſere dignaretur, deſpectis, vix patris opem rogantis precibus detulerat, ut Nazianzenæ Eccleſiæ cum eo & ſub eo curam ſuſciperet; ſimulac paternum funus extulit, de Seleucienſi ſeceſſu cogitans, Eulalii qui patris loco Nazianzenis præeſſet ordinationem procuravit, & Anthimo Tyanenſi Metropolitano conſecrandum ex Canonum præſcripto obtulit.

De Ansberti fam. lib. 1, cap. 6, pag. 48.

2. Quod *Cyprios neminem conſulentes* arbitratu ſuo Epiſcopos ordinare ſolitos fuiſſe ex Innocentii I reſcripto elicit; hinc enim eos *Canones Nicenos non tenuiſſe*, nequaquam conficitur, ſed ſexti Canonis Niceni *antiquos mores obtinere* debere ſancientis vi, priſco patrum jure uſos, Antiocheno Præſuli Orientalis Diœceſeos Exarcho colla nunquam ſubdidiſſe, & *αὐτονόμους* ab initio fuiſſe confirmatur: quotieſcunque enim Conſtantienſis Metropolis cathedra viduabatur, ſubditorum præſulum Synodus defuncto Primati ſucceſſurum pleno jure provehebat & conſecrabat; ubi verò minores ſedes vacabant, Metropolitanus ex communi Eccleſiarum omnium lege eis providebat.

Ibidem.

3. Quod *in ipſa Gallia Proculus Maſſilienſis conſecrabat Epiſcopos Narbonenſis ſecundæ, eaque de cauſa Concilio Taurinenſi ad vitam honos ipſi Primatis conceſſus*: hæc ipſi tantum, *inquit*, in vita ejus forma ſervabitur, ut in Eccleſiis Provinciæ ſecundæ Narbonenſis, quas vel ſuas parœcias, vel ſuos diſcipulos fuiſſe ordinatos conſtiterit, Primatus habeat dignitatem *&c.* Proculus antequam ordinationes *ὑπερορίους* Eccleſia in Concilio Conſtantinopolitano vetuiſſet, ea Galliæ Narbonenſis pars quæ Rhodano, Alpibus & mari circumcincta eſt, in Viennenſem, Narbonenſem ſecundam, Alpium Maritimarum, Grajarum & Penninarum Provincias, diſſecta fuiſſet, & in Viennenſi, Metropolica ſibi jura Arelatenſis & Viennenſis Sedes Maſſilienſi ſubacta vindicaſſent, ad Epiſcopatum Maſſilienſem evectus, & Gallorum ad Synodum Aquileienſem anno 381 legatione perfunctus, proximè adjacentium diœceſeon cura ſuſcepta, & diſcipulis attributa, communis Epiſcoporum quos ante inſtituerat parens & Eccleſiarum primas non ſine cauſa à finitimis habebatur, illiſque præcipuè, qui ante accuratam parœciarum diviſionem ei ſeſe commiſerant, ut ab initio præerat; ne igitur ante vitæ, ſanctè & glorioſè ut videbatur tranſactæ, exitum ſolito cultu fraudaretur, Taurinenſis Synodi decreto in poteſtate ſuper diſcipulis & parœciis ex Epiſcopatu Maſſilienſi deciſis, & ſecundæ Narbonenſi contributis confirmatus eſt: ſed

Canone 1.

vetera-

veteranum anno 417, à Taurinenſi Concilio plus minus 15, 13 Calendas Octobres animoſè aggreſſus Zoſimus Papa, ordinationes ejus reſcidit, animumque obfirmantem anno 418 tertio Nonas Martias Epiſcopali throno dejecit. Quanto ardentior in Aigulfum Metenſem emicaſſet, ſi [quod Genealogi fabuloſi volunt] Metropolitica jura in eos, quos ab initio alienos fuiſſe, & longiſſimè diſſitos eſſe, conſtabat, uſurpaſſet? Si Proculus antiquam in ſuos poteſtatem, ſimulac Metropoleon dignitas & jurisdictio aſſerta eſt, retinere nequaquam potuit, quo modo novam & ante inauditam in alienos longius poſitos, poſt annorum fere 200 moram, longoque uſu confirmatum Eccleſiarum ἀξίωμα Aigulfus ſibi ſuiſque in perpetuum vindicaſſet.

4. Quod multiplex pro Principum arbitrio Provinciarum diviſio facta eſt, quam Eccleſia anno 451 ſequendam pronuntiavit; quid enim ad Genealogi de Aigulfo & Deotario fratre ſomnium, ſi anno circiter 370 Cappadociam Valens ſub Cæſarea & Tyana diviſit, novamque poſt annos circiter 180 Cappadocum diſtributionem, Mociſſo attributa eorum portione invexit Iuſtinianus? Paulo ante annum 400 vetus Provincia Narbonenſis in quinque novas minores; paulò poſt Mauritania in Cæſarienſem & Sitifenſem; Palæſtina in primam, ſecundam & ſalutarem diviſa fuerat, nec Eccleſiæ diſplicuerat unquam ad publicarum formarum modum, regimen ſuum, attemperare: ſed cum Præſules pragmaticis impetratis priſcum Eccleſiarum ordinem turbare Chalcedonenſes Patres vetuerint; Epiſcopo nulli in alienos fines quocunque modo graſſanti parcitum voluerunt: Principibus ipſis in finitimo regno conſtitutis, ſua ſubducere nunquam licuit: cum Melodunenſes ſubditos à Senonenſi diœceſi, cujus pars Maxima Theodeberti regno contributa erat, anno 538 divellere Childebertus decreviſſet; Leo Archiepiſcopus interceſſit: Promotum in Dunenſi Caſtro Carnotenæ diœceſi Lugdunenſis quartæ avulſo, Epiſcopum ab Ægidio Remenſi Belgicæ ſecundæ Metropolitano ordinatum, gradu Pariſiis congregata anno 573 Synodus movit: ſub Carolo Calvo novam in Britannia minore metropolim, apud Dolum Caſtrum inſtituere auſus Nomenoius Dux fruſtra fuit: quis Aigulfum Magnerici Trevirenſis ſuffraganeum è prima Belgica in primam Aquitaniam irrumpentem, & Ruthenicæ diœceſeos portionem, quam ſedi ſuæ ſub novi Epiſcopatus titulo in perpetuum ſubderet, decerpentem tuliſſet?

Chalced. Can. 17.

Can. 12.

Sed forte Aigulfo, quia in urbe regiâ ſedebat, Metropolitica jura invadere licuit, ut quoſcunque Epiſcopatu dignos judicavit, ubicunque & quandocunque libuit ordinaret: hoc enim fine Dominicus à Gregorio Turonenſi Mediomatricorum præſulis prærogativam inſinuari ſcripſit, quod Cautinus poſt Galli Arvernenſis mortem ad Theobaldum Regem profectus, Divoduri ordinatus legatur: verum nihil tunc Mediomatricorum Epiſcopo præ aliis tributum Gregorii de Cautino verba demonſtrant: *ille*, inquit, *langore ſimulato, & per noctem civitatem egrediens, Theodovaldum Regem petiit, adnuncians tranſitum ſancti Galli. Quod ille audiens, vel qui cum eo erant, convocatis Sacerdotibus apud Metenſem civitatem, Cautinus Archidiaconus Epiſcopus ordinatur*, &c. Caſu igitur, imo vitio Cautini ab Arvernis nec poſtulati nec expetiti, ſed Catonis *conſenſu Clericorum electi*, locum ambientis, ordinatio quæ Claromonte à Probiano Bituricenſi ex more peragi debuerat, Metis facta eſt; non à Villico Epiſcopo, aut ejus arbitrio, ſed Regis & optimatum

Pag. 51. Anſt. fam. rediv.

Gregor. lib. 4. c. 7.

 juſſu,

juſſu, à *convocatorum Sacerdotum* Synodo, cujus caput Nicetius Trevirenſis Eccleſiæ Præſul, ſibi nihil ex functione præter Canones impleta, nihil in Aquitanos univerſamque eorum Provinciam juris quæſivit; Villico, ejuſdem non Principi, ſed participi nullam propriè prærogativam contulit, ut Archiepiſcopalia uſpiam munia obiret, quæ Chrodegango, Angilramno, Drogoni, non loci, ſed perſonæ privilegio fretis, poſt annos 200 tribui cœperunt; unde factum, ut de Chrodegango Paulus Diaconus ſcriberet, eum *conſecraviſſe plurimos Epiſcopos per diverſas civitates, Presbyteros nihilominus ac Diaconos, cæteroſque Eccleſiaſticos ordines, ſicut moris eſt Romanæ Eccleſiæ, in diebus Sabbatorum quaternis temporibus anni.*

Ansbert. fam. pag. 53. 5. Quod *S. Auguſtinus, qui Numidiæ primati ſuberat, in Caſtro Fuſſala Antonium ad plebis commodum præfecit, quem deinde ob pravos mores ab eodem dejecit Epiſcopatu.* nihil enim in S. viri facto, Canonibus adverſum reperitur, quæ alienas diœceſes pervadere, non proprias, ſi latius diffuſæ ſint, dividere, pluresque ex una Epiſcopales ſedes excitare vetant. S. Baſilius Saſimis, aliiſque ſubjectæ Provinciæ locis, Epiſcopalem anno 370, titulum affigere ſine ulla Canonum injuria potuerat. S. Remigio circa annum 500 novam cathedram, quæ deinceps Lauduni conſiſteret, erigere licuit. jure S. Auguſtinus cum in *Caſtro Fuſſala ab Hippone quadraginta milliaribus ſejuncto, ſed ad paræciam Hipponenſem*, quam anno 395 regendam ſuſceperat, *pertinente*, Epiſcopalem thronum collocandum ſtatuiſſet, Antonium Hipponenſis Eccleſiæ lectorem, Presbyteri, qui delatum honorem reſpuit, loco conſecrandum obtulit; obtulit inquam non per ſe, quod Dominicus volebat; ordinavit, aut poteſtate poſtea abutentem arbitratu proprio coërcuit; non quem cenſura leniore correptum Numidiæ Primatem, de Auguſtini judicio cogniturum, ſed Bonifacium Papam, Afrorum comprovincialium decretum refixurum, patrio more neglecto appellaſſe, B. viri ad Cœleſtinum Papam anno 424 data epiſtola docet; *cum*, inquit, *in eis regendis, & eorum reliquiis, licet exiguis, colligendis, quæ in utroque ſexu aberrabant, non minaces ulterius, ſed fugaces, me viderem latius quam oportebat extendi, nec adhibendæ ſufficerem diligentiæ, quam certiſſimâ ratione adhiberi debere cernebam, Epiſcopum ibi ordinandum conſtituendumque curavi. Quod ut fieret aptum loco illi congruumque requirebam, qui & Punica lingua eſſet inſtructus: & habebam de quo cogitabam, paratum Presbyterum; propter quem ordinandum, ſanctum ſenem, qui tunc Primatum Numidiæ gerebat, de longinquo ut veniret, rogans, litteris impetravi, quo jam præſente omniumque in re tanta ſuſpenſis animis, ad horam nos ille, qui mihi paratus videbatur, omnino reſiſtendo fruſtravit. Ego autem, qui utique (ſicut exitus docuit) differre potius debui, quam periculoſum præcipitare negotium, dum nolo graviſſimum & ſanctiſſimum ſenem ad nos uſque fatigatum, ſine effectu, propter quem venerat, longe ad propria remeare, obtuli non petentibus quendam adoleſcentem Antonium, qui mecum tunc erat, in Monaſterio quidem à nobis à parvula ætate nutritum, ſed præter lectionis officium nullis Clericatus gradibus & laboribus notum. At illi miſeri, quid futurum ignorantes, offerenti eum mihi obedientiſſimè crediderunt. Quid plura? factum eſt. Eſſe illis Epiſcopus cœpit*, &c. *tam miſerandus factus eſt nobis & aliis, ut quicquid à Caſtellanis, & illius regionis hominibus de intolerabili dominatione, de rapinis & diverſis oppreſſionibus & conſtrictionibus objiciebatur, nequaquam nobis*

Auguſt. epiſt. 261.

Zantippum Thagoſenſem, ni fallor.

nobis tale videretur, ut propter hoc vel ſimul cuncta congeſta Epiſcopatu computaremus eſſe privandum, ſed reſtituenda quæ viderentur ablata. Denique ſententias noſtras ſic temperavimus, ut ſalvo Epiſcopatu, non tamen omnino impunita relinquerentur, quæ non deberent vel eidem ipſi deinceps iterumque facienda, vel cæteris unienda proponi. Honorem itaque integrum ſervavimus juveni corrigendo, ſed corripiendo minuimus poteſtatem, ne ſcilicet eis praeſſet ulterius, cum quibus ſic egerat, ut dolore juſto eum ſibi praeſſe, ferre omnino non poſſent, &c. *Quorum talis animus etiam tunc, quando cum eis de illo Epiſcopi egerunt, evidenter apparuit,*&c.*Vide* &c.*quemadmodum judicio noſtro uſque adeò conſenſerit communione privatus, niſi prius Fuſſalenſibus omnia redderentur: jam poſteà citra acta æſtimantibus rebus ſolidos ſepoſuerit, ut ei communio redderetur. Quam verſuta ſuaſione ſanctum ſenem Primatem noſtrum gravisſimum virum, ut ei cuncta crederet, quem velut omnimodo inculpatum venerando Papæ Bonifacio commendaret, induxerit,* &c. Qui igitur novi Epiſcopatus condendi primus author fuit, aliena non invaſit, ſed propria in alium ex parte tranſtulit; plebibus longius poſitis Præſulem, Primate qui oblatum ordinaret evocato, dari curavit; in allectum Collegam, attributamque ipſi diœceſim, quod ille *in* Hipponenſi *monaſterio à parvula ætate nutritus* fuiſſet, hæc *ad Hipponenſem paræciam* antè *pertinuiſſet*, nullam ſibi ſedique ſuæ poteſtatem retinuit, aut illegitimum quicquam admiſit. Aigulfus contra in multiplex nefas, dum proprios fines tranſilit, proruens; non finitima, quod alieni avidis evenire ſolet, ſed procul diſſita invaſiſſe; Metropolitica jura uſurpaſſe; novum in aliena Provincia, nec permittentibus, quorum intererat, nec conſciis, Epiſcopatum fundaſſe; eundem Præſuli à ſe uno ordinato commendaſſe; tam Præſulem quam commiſſam diœceſim Metenſi Eccleſiæ in perpetuum mancipaſſe; quodque abſurdius eſt, Epiſcopum longè antequam Epiſcopus eſſet, ordinaſſe fingitur.

6. Quod *Principes ad libitum civitates, & in iis Epiſcopos ſtatuere præſumpſerunt*; ut enim *præſumpſiſſe* largiamur, quid hinc impacta à fabulatoribus Aigulfo crimina diluere cupientibus lucri? Annon *prius*, quam *Theodebertus Rex vicum Ariſidium per ſuum præceptum partibus B. Stephani protomartyris Metenſis Eccleſiæ delegaret, Aigulfus præſul germanum ſuum Deotarium in eodem vico Ariſidio Epiſcopum conſtituiſſe, & poſt Dominum Deotarium nepos ipſius Dominus Modericus ordinatus Epiſcopus per odinationem* [non Regis, ſed] *Metenſis Epiſcopi eo pacto* fuiſſe dicitur, *ut deinceps Metenſis Præſul illic Epiſcopos per ſucceſſionem ſtatueret & conſecraret?* Poteſtate ſua, ſive abuſi, ſive non abuſi credantur Reges, violatorum Canonum reatu obligatus ex æquo tenebitur Aigulfus, qui nullo eorum exemplo illectus, delinquendi aliis auctoritatem dedit. Sed quæcunque facta protulit Dominicus, percurramus; *nonne*, inquit, *Iuſtina Auguſta Anemium Sirmienſem ab Arrianis Illyrici Epiſcopis, non ab Ambroſio Mediolanenſi Italiæ & Illyrici hac tempeſtate Metropolitæ conſecrandum eſſe contendit, ut in Ambroſii vita teſtatur Paulinus?* ſepoſito hæreſeos, quo tenebatur, ſtudio, Illyrici Occidentalis Epiſcopis Exarchi totius diœceſeos electionem & ordinationem ex more reſervari debere, Iuſtina Auguſta merito cenſuiſſet; cum ab ipſis Chriſtianiſmi cunabulis per univerſas Eccleſias id invaluerit, ut à diœceſanis diœceſeon ſingularum res procurarentur, priſcamque diſciplinam condito poſt ſexcennium

Ex Codd. Patris Vignerii, S. Symphoriani & S. Vincentii Metenſis.

Ansbert. rediv. pag. 53.

Canone Oecumenica ſecunda Synodus confirmaverit ὑπερορίας ordinationes & ἀλλοτριοεπισκοπίας exſertè vetans: poterat Ambroſius à Catholicis Illyricianis invitatus, Concilio eorum intereſſe; potuit & Iuſtina Italum ab Illyricianò conventu arcendo diſciplinæ patrocinium obtendere; nec ex ejus facto jure communi nixo, *Principes ad libitum civitates, & in iis Epiſcopos ſtatuere, eorumque ordinationem, quibus vellent Epiſcopis demandare, præſumpſiſſe*, idoneè probat Dominicus; quem etiam in eo falli conſtat, quod Ambroſium *Illyrici Metropolitam* fuiſſe aſſerit; nihil enim vel Italo in Illyricianos, vel Illyriciano in Italos juris fuit aut eſſe potuit. Sed cum eo pergamus; *nonne*, inquit, *Clotarius Emerium Santonenſem abſque Metropolitani conſilio benedici juſſit, ac deinde Charibertus Heraclium in ejus locum à comprovincialibus in Synodo Santonenſi ſuffectum, malè excepit, mulctaque Epiſcopis Synodi auctoribus impoſita, Emerium reſtitui præcepit?* Hinc rurſus *Principes Epiſcopos ad libitum ſtatuere, eorumque ordinationem quibus vellent Epiſcopis demandare præſumpſiſſe*, non conficitur; ſed eos illo ipſo, quo uſque nunc gaudent, *nominationis* & *oblationis jure*, nonnunquam uſos, ad oculum demonſtratur. Clotarius jure antiquo fretus, Emerium Santonicis præfuturum, ſecundæ Aquitanicæ Epiſcopis conſecrandum ex more offerens, ne ordinationis tempus differretur, *ſine Metropolitani* tunc abſentis *conſilio* oblatum *benedici* juſſerat; ejuſque decreto obſecuti Comprovinciales eundem ſuſceperant, & in ſede collocaverant: nihil demeritum, coacta eorum ipſorum, qui ordinaverant, Synodo, paulò poſt Clotarii mortem Leontius Burdegalenſis *depulit*; Heraclium Presbyterum ſuffecit, & ad Charibertum confirmandum miſit: is *Turones veniens*, *rem geſtam beato Eufronio pandit*, *deprecans ut conſenſum ſubſcribere dignaretur*, *quod vir Dei manifeſtè reſpuit*; Charibertus verò Emerium quem *voluntas patris elegerat*, *abſque ſuo judicio projectum* indignatus, injuriam ſeverè ultus eſt, & vim paſſum in integrum reſtituit, quem Leontio, Metropolitano reconciliatum in poteſtate manſiſſe Venantius Fortunatus docet. Si ex Clotharii & Chariberti facto Reges quicquid in cauſa Eccleſiarum libuit, *præſumere* ſolitos, colligere licet; quid ni ex Leontii *Poteſtatibus ſe ſubditum* obliti, intempeſtivo auſu Clerum à regiæ cui ſubjacet Majeſtatis cultu deſciſcere conſueviſſe concludere promptum ſit?

Anſbert. pag. 53. Gregor. Tur. lib. 4. cap. 26.

Lib. 1. carm. 12.

Sigebertum Regem violatorum Canonum invidia præter meritum gravare auſus Dominicus, hæc de eo addit; *dum Sigebertus Epiſcopum Caſtroduni apud Carnutes conſtituit, non hunc Senonenſis Metropolita conſecravit, ſed Remenſis, ut declarat epiſtola Concilii* IV *Pariſienſis anno* 573 *celebrati ad Ægidium Remenſem.* Verum Concilii ipſius ad Sigebertum epiſtola eum à delicto, quo ſe Ægidius Remenſis obligaverat, liberum pronuntiat; *nuper*, inquit, *non abſque conniventia gloriæ veſtræ, ſicut credimus, evocati Pariſius venientes, novam inauditamque ordinationem in Caſtro Dunenſi, parœcia denique Carnotina, factam fuiſſe cognovimus. Quam rem licet vix credere poſſumus cum conſenſu gloriæ veſtræ fieri potuiſſe; tamen ſi cujuſcunque prava ſuggeſtione præventi in hæc tam obſcœna & Eccleſiæ univerſæ contraria conſenſiſtis, ab hujuſmodi ſcandali defenſione ſinceritatis veſtræ conſcientiam expietis:* &c. Cui ne *conſenſus* in delictum imputari poſſe, ante annos ferè 1100 credebatur, qua fronte nunc velut præcipuus ejus author infametur? tota igitur audacis moliminis culpa in Ægidio & Promoto reſedit, quos ſeveriore cenſura Concilium

per-

perculit:eos tamen nihil niſi regio juſſu ab initio aggreſſos,imo plane inſontes fuiſſe fingamus, quo quæſito colore Aigulfum excuſent, qui ab eo poteſtate nulla ſive Metropolitica ſive regia freto, novum,ſedi ſuæ obnoxium in perpetuum futurum, non *in Caſtro*, ſed *in vico* ignobili extra Provinciam Epiſcopatum privato arbitrio inſtitutum, *ordinatoſque* ſucceſſivè Deotarium & Mundericum mentiti ſunt? Deotarium in natura rerum nunquam fuiſſe jam monuimus; Mundericus à Lingonenſibus expetitus, Rege probante à Nicetio Lugdunenſis primæ Metropolitano *ordinatus*, & Tornodorenſi Caſtro cum poteſtate Epiſcopali præfectus, poſtquam ad Sigebertum perfugit, nec ordinatione Epiſcopali, ante biennium legitimè conſecratus, opus habuit; nec, ſi habuiſſet, ad Aigulfum germanum nondum Epiſcopum, nunquam Metropolitanum futurum,& longius poſitum; ſed ad Felicem Bituricenſem, Aquitanorum Patriarcham recurriſſet; nec ejus gratia novus in Ruthenenſi Epiſcopatus propriè conſtitutus eſt; ſed ei jam Epiſcopo, *Ariſitenſis vicus cum diœceſibus quas Gothi quidam tenuerant*, reclamante,quod ſciamus,nemine aſſignatus eſt,in quo Epiſcopalia munia obiret,ex Canonum præſcripto vivens. Longè igitur diſpar Promoti conditio fuit, cujus cauſa Ægidius Belgicæ ſecundæ Primas, favoris regii fiducia peccatum multiplex incurrit, novum in Carnotenæ diœceſeos Caſtro Epiſcopatum condens, & Eccleſiarum in quarta Lugdunenſi jura ad quadriennium calcans.fieri tamen poteſt,ut primi Genealogiæ Arnulfinæ artifices ſimilitudine nominum & eventuum illecti, cum anno 572 Mundericum in Ariſito collocatum, & Promotum in Duno ordinatum viderent,ad *Aigulfum Metenſem*,quæ *Ægidii Remenſis* erant,transferendi, novaque monſtra parturiendi,occaſionem ſumpſerint: qua neglecta minus à veri ſimilitudine abſceſſiſſent, ſi Firminum Vceticenſem, Deotarii ſui ordinatorem, primumque Ariſitenſis Epiſcopatus inſtitutorem fuiſſe confinxiſſent; quandoquidem Vcetica in prima Narbonenſi diœceſis, Ruthenicæ in prima Aquitanica confinis eſt; Ariſitum in Ruthenicæ portione Vceticenſi proxima jacuit; Bituricenſi cum univerſis Aquitaniæ primæ Præſulibus contributi poſt Alarici cladem, Toloſanus & Uceticenſis fuerunt, faciliuſque è propinquo, Firminus, Dalmatio collegæ imminens, ejus fines invaſiſſet, quam è longinquo, Aigulfus in prima Belgica, inter quam, & primam Aquitanicam tota Lugdunenſis prima protendebatur, conſtitutus: nec Aigulfo gravius Firminus deliquiſſet, Metropolitica jura uſurpans; ſed tanta fuit delirantium intemperies, ut abſurdiora & incommodiora minus à veri ſpecie abhorrentibus anteferrent, & Aigulfum non tantum poſt ſimplicem Epiſcopatum, ad quem anno 582 tandem evectus eſt, ſed etiam longè ante *Epiſcopos* ſemel atque iterum *ordinaſſe* commenti.

In quos imprudens deferretur ſcopulos à Clariſſimo Fabro monitus Dominicus, *facinus majoris abollæ* audire nos jubet, dumque falſis confirmandis totus incumbit, ad verorum ſpontaneam jacturam nos adigere conatur: Aigulfum, cui annorum ad ſummum 20 ſedem Metenſes ipſi tribuunt, anno 601 jam affecto Gregorii Magni epiſtola pulſatum, eoque longe poſt Munderici Ariſitenſem Epiſcopatum, ad Eccleſiæ Metenſis regimen evectum præſidenter negat; quibus argumentis permotus? 1. *Dubium Epiſcoporum Metenſium catalogum ex ipſius calculo ſatis colligi* recte contendit; nihil enim numeris & temporum variantibus pro exemplarium diverſitate notationibus, Pag. 56.

bus,

bus, niſi fortè aliunde confirmentur, incertius ac ſæpenumero inconvenientius eſſe poteſt: cum pro vaga recentiorum inter ſe rarò conſentientium libidine nunc hoc, nunc illud exhibeat. 2. Catalogi ejuſdem per ſe nulla, cuique apertè ipſemet derogavit, auctoritate, ceu ſtramineo telo armatus, Gregorianæ ad Aigulfum & alios epiſtolæ titulum invadit, & corruptum pronuntiat: quid enim ad nos, ſi catalogi ad Pauli Diaconi finem attexti exemplum Pappolum Arnoaldi ſucceſſorem expungat, quem alia à Pithœo, Meuriſſio, ipſoque Dominico prolata, diutius ſediſſe volunt, tamque ſecum, quam cum Gregoriana epiſtola cæteriſque veterum monumentis pugnant?
Pag. 60. 3. *Vbique corruptam* Gregorianæ epiſtolæ *inſcriptionem* ut evincat, *omnes editiones* Agilio Meris, *non* Aigulfo Metis *habere*, falsò monet: quandoquidem, ex illis quas Sirmondus ac Cheſneus procuraverunt, & ipſemet verſavit, refellitur: utraque enim non *Meris*, quod in Vtopia quærendum eſſet, ſed *Metis*, quod priſcam Auſtraſiorum regiam deſignat, legendum proponit: nec mirum, ſi Gregorius Romanus *Aigulfi* Franci nomen in *Agilium* eo modo transformaverit, quo ante annos plus minus 90 Theodericus Oſtrogothorum Rex *Clodoveum* à Francis *Chlodovechum* dictum, *Ludwin* & *Ludovicum* Gregorius anno 591 &c. *Agilulfum* Langobardorum Regem, *Agonem* vocavit: Franci ipſi in Aigulfi nomine variè luſerunt, modo *Aigulfum*, modò *Agiulfum*, modè *Aviulfum* pronuntiantes. 4. Antiquariorum labori proprio
Pag. 61. parcentium variantes codices in corruptelæ argumentum trahit: *in perantiquo*, inquit, *regeſto Gregorii* I. *ex Bibliotheca PP. Auguſtinianorum Majoris conventus Pariſienſis, ita concepta eſt.* Mennæ Toloſano, & pluribus aliis Epiſcopis Galliæ, indict. IV. *eamque ferè ſecutæ ſunt editiones Deſiderii Eraſmi, tum Pariſienſes anni* 1518, *&* 1523, *& Nivelliana anni* 1591 *in hunc modum.* Mennæ Toloſano & quamplurimis Epiſcopis per Galliam, de Auguſtino Epiſcopo Anglorum, & converſione gentis ipſius: *ex qua cæterorum Antiſtitum prætermiſſione colligitur, vel in hujus epiſtolæ inſcriptione ſolius Mennæ in veteribus codicibus nomen exprimi, vel ſi in aliquibus reliquorum nomina occurrerint, ita eruditis Antiquariis fuiſſe ſuſpecta, ut ea penitus exploſerint; ſed ne Gregorii mentem traducere viderentur, generalem clauſulam uſurparint.* Atqui univerſa hæc, vel flatu diſpelli poſſunt; nec enim ex hoc antecedente *à nonnullis Antiquariis, eorum ad quos epiſtolam Gregorius dederat, nomina prætermiſſa ſunt*; conſequentia hæc elici poſſunt; ergò *ſuſpecta fuerunt*; *prætermitti debuerunt*; *eorum qui prætermiſerunt, ut peritia major, ſic auctoritas potior cenſenda eſt:* iis enim, qui prætermiſerunt, id unum propoſitum fuit, ut tædium, quod devorare grave erat, vel cum veritatis diſpendio vitarent; aliis quorum diligentia major, judicium acrius, fides & famæ cura ſincerior, notitiæ noſtræ quicquam quod conducere quomodocunque poſſet ſubtrahere religio fuit; iiſque nunc debemus, quod ex Gregoriana epiſtola incondita fabulatorum de Aigulfo commenta refelli poſſint. 5. *Hoc Gregorii* I *charactere, omnes Antiſtitum Metenſium ab Aigulfo, ad Arnulfum annotatos annos penitus luxari, advertendum* putat: ſed fruſtra; cum annorum Metenſis Eccleſiæ Præſulibus in catalogis vulgatis aſſignatorum rationem univerſam, non minus quam Gregoriana epiſtola, evertant cætera quæ uſque nunc ſuperſunt antiquitatis monumenta: Villicum enim Heſperii, qui Concilio Arvernenſi anno 535 interfuit, ſucceſſorem, ad annum uſque 570 vitam produxiſſe ex Venantii Fortunati,

nati, qui poſt annum 563, Italiam reliquit, carminibus; & Mappinii Remenſis, ac Dynamii qui Provinciam anno 580 regebat, epiſtolis conſtat. Gogonis etiam, qui Childeberti Regis nutritius fuit, & poſt annum 580 deceſſit ad Petrum Villico ſuffectum exſtat epiſtola: Aigulfi extrema Theodeberti regno, annoque Chriſti 601 Gregoriana epiſtola alligat: Arnulfini Præſulatus primordia cum Theodeberti poſtremis annis concurriſſe, Arnulfi, Clodulfi & Goerici à coætaneis ſcriptæ vitæ evincunt, eoque Arnoaldi & Pappoli tempora plus quam catalogorum Metenſium ſcriptores voluerint, contrahunt: Arnulfum Clotario ſecundo ſuperſtite, adeoque ante annum 628 abdicare conſtituiſſe, ex profeſſo æqualis vitæ ſcriptor notavit, idque fortè in mente habuêre qui S. viro annorum quindecim, dierum decem Pontificium tribuerunt; ut terminus ejuſdem à quo in annum Chriſti 611, Theodeberti poſtremum; finis in 627, quo Clotharius vivere deſiit, conferrent: id etiam exigere videntur intentatæ à Dagoberto tunc adoleſcente, Arnulfo abdicaturo, minæ; quantumvis abdicationis tempus, ne longius à recepta, de Synodi Remenſis celebratione, & Arnulfi ſeceſſu ſententia diſcedere videremur, in annum 635 diſtulerimus: anno Chriſti 641 Conſtantini Heraclio nati menſe tertio in Domino dormivit Arnulfus; ejuſdemque à Goerico ſucceſſore corpus anno proximè ſequente tranſlatum eſt: unde ex neceſſitate conficitur, Metenſium Præſulum catalogos à recentioribus de hiſtoriæ veritate, & majorum auctoritate ſecuris, ſcriptos, vel exiguam, vel prope nullam fidem mereri. Tom. 1. ſcript. Franc. pag. 860, 861, 863.

Gregorianæ epiſtolæ cujus inſcriptionem oppugnat Dominicus, nativum decus præter exemplarium conſenſum vindicat; 1. Cauſa ſcribendi; qui enim anno 596, Iulio menſe, indictione XIV Palladio Santonenſi, Pelagio Turonenſi, Sereno Maſſilienſi, Virgilio Arelatenſi, Deſiderio Viennenſi, Syagrio Auguſtodunenſi, Arigio Patricio, ipſiſque Francorum Regibus Auguſtinum Anglis infidelibus prædicaturum commendaverat; anno 601, Iulii decimo, indictione IV Ætherio Lugdunenſi, Aregio Vapincenſi, Aigulfo Metenſi, aliis compluribus Galliarum Epiſcopis, Theoderico, Theodeberto, Clothario, Brunechildi Regibus, Laurentium & Mellitum Auguſtino collaboraturos obtulit. 2. Indictionis IV nota, qua ſemel tantum, anno nimirum 601, Pontificatus XI acta ſua conſignare, Pelagio II, anno 590 Septembris 3, feria 1, indictione IX ineunte ſuffectus, Gregorius potuit: ea anno 570, antequam Ariſiti Mundericus. Sederet tertio, antequam Petro Aigulfus ſuccederet duodecimo, & ante Gregorii Pontificatum vigeſimo, apponi potuerat: eadem rurſus anno 586, Aigulfi 5, à Munderici Epiſcopatu Ariſitenſi 15, ante Gregorii electionem 5 notari potuit; recucurrit denique anno 616, Arnulfi plus minus 6, à Munderici Epiſcopatu Ariſitenſi 44, ab Aigulfi morte, circiter 15, à Gregorii dormitione 13; adeò ut nec ante, nec poſt annum 601, ad Aigulfum Laurentii & Melliti cauſa ſcribi potuerit, quæ indictione IV currente de Anglorum converſione data reperitur epiſtola.

Sed ab imperitis forte Antiquariis titulus ejus interpolatus fuerit, eique inſerta Epiſcoporum, qui vel ante annum 601, & quartam indictionem vivere deſierint, vel aliquantò poſt ſedere cœperint. Tituli igitur, Dominico noſtro, aliiſque commentorum de Aigulfo temerè confictorum patronis ſuſpecti, ſingula verba attendamus; *Gregorius Mennæ Toloſano, Sereno Maſſiliæ,*

liæ, Lupo Cabiloni, Agilio Metis, Simplicio Pariſiis, Melantio Rotomagenſi, & Licinio Epiſcopis Francorum, à paribus. De Menna nulla difficultas eſſe poteſt; qui enim Novembri menſe, indictione VI, ſeu anno 602 deſinente, Romæ *ad ſacratiſſimum corpus B. Petri Apoſtoli ſub jurejurando ſatisfaciens ab his quæ objecta ejus opinioni fuerant, ſe demonſtravit alienum*; & ad propriam ſedem non ſine Gregorii Magni commendatione reverſus eſt; Laurentium & Mellitum ab eo ad Anglorum converſionem miſſos, anno proximè præcedente ſuſcipere facilè potuerat. Ad Serenum Maſſilienſem epiſtolas anno 596, Iulio menſe, 597 & 600, qui dedit, quartam 601 dare potuit. Lupi Cabilonenſis Epiſcopi ratio non diſpar, qui Verani, Flavio anno 586 ſuffecti, poſt annos plus minus decem locum tenuit, eoque tempore Cabilonenſem Eccleſiam rexit, quo Laurentius & Mellitus in Galliam venerunt, prout ex epiſtola Gregoriana conſtat. eum tamen ne lumine ſuo, falſa de Aigulfo æquali comminiſci auſorum nebulas diſcutiat, de ſtatu graduque deturbatum, longius à Gregorii temporibus removendum pronuntiat Dominicus; *Si qua*, inquit, *fides Claudio Roberto, ac veteribus Epiſcoporum indicibus habenda ſit, Lupus Cabilonenſis, qui cum Agilio in eadem epigraphe recenſetur, non niſi poſt Veranium, Gelionium, & Gratum huic Eccleſiæ præfuit; Gratus verò anno 650 Concilio I Cabilonenſi ſubſcripſit: unde ſequitur anno 601, quo hæc Gregorii epiſtola ſcripta dicitur, Lupum Cabilonenſem Epiſcopum non fuiſſe.* Atqui *Claudius Robertus veteribus Cabilonenſium Epiſcoporum indicibus* deſtitutus, privato ſtudio qualemcunque potuit, ſed mancum, alienis reſperſum, confuſum eoque fide minus dignum contexuit. omittit enim Donatianum, quem anno 346, IV Idus Majas Concilio Agrippinenſi interfuiſſe conſtat; Philagrium Cabellicenſis in Provincia Viennenſi ſedis Præſulem, ex Conciliorum Epaonenſis, Lugdunenſis, Carpentoractenſis & Arauſicani II ſubſcriptionibus notum; Cabilonenſibus in prima Lugdunenſi miniſtrantibus, perperam inſerit; nec tantum inſerit, ſed etiam Silveſtro, cujus æqualis erat, ſufficit: catalogum ſuum à Silveſtro exorſus, legitimum ſucceſſionis ordinem turbat. quod ut evidentius fiat, en ejus indiculum; 1. *Silveſter.* 2. *Philagrius* extraneus. 3. *Tranquillus.* 4. *Deſiderius.* 5. *Legontius.* 6. *Theodorus.* 7. *Paulus.* 8. *Ioannes*, 9. *Agricola.* 10. *Flavius.* 11. *Veranus.* 12, *Gelionius.* 13. *Gratus.* 14. *Lupus.* Sed ſi priſca Eccleſiarum monumenta conſulamus, verus hic Cabilonenſium ordo fuerit; Donatianus anno 346; Paulus Iunior circa annum 470 denatus; Ioannes Paulo à Patiente Lugdunenſi ſuffectus; Silveſter anno 517 &c. Agricola anno 538 &c, Flavius anno 580; Veranus anno 586; Lupus, ad quem anno 601 data à Gregorio epiſtola; Gratus anno 650; Deſideratus cognomento Dido S. Leodegarii infenſiſſimus hoſtis. Etiamſi Roberto ad manum argumenta fuiſſent, ex quibus Lupum quendam poſt Gratum ſediſſe evinceretur; an protinus Lupum alium nullum, ad quem Gregorius Magnus litteras anno 601 daret, præceſſiſſe, falſique, quæ nomen ejus præferunt, coarguendas eſſe ſequeretur? Vnicum nunc Maximum Taurinenſium Præſulum catalogus exhibet; obelo-ne jugulanda dixerimus, quæcunque non unum fuiſſe confirmant? Alterum cujus homiliæ ſuperſunt, Honorio imperante, adeoque ante annum 423 deceſſiſſe teſtatur Gennadius; alterum poſt annum 461 ſuperſtitem fuiſſe Synodus Romæ

ab Hi-

Gregor. lib. 11, epiſt. 8.

Lib. 5, epiſt. 52.

Lib. 7, epiſt. 109, indictione 2, lib. 9, epiſt. 9.

Ansbert. red. ſan. pag. 60.

ab Hilario Papa, anno 465 congregata docet: alterutrumne catalogi Taurinenſis authoribus gratificaturi expungendum cenſebimus? Si veterum de Maximis duobus teſtimonia fidem noſtram adeò obſtringunt, ut ex illis quæ Taurinenſi catalogo deſunt, ſupplere non dubitemus; cur Gregorii Magni epiſtolæ Lupum Cabiloni anno 601 ſediſſe teſtificanti aſſentiri nos pudeat? Inconvulſa igitur hac in parte auctoritas ejus manebit, neque nos à ſano judicio abducet Dominicorum Metenſibus fabulis addictior ſuperſtitio: plus etiam apud nos Venantii Fortunati, Dynamii, Gogonis, Gregorii Magni & priſcorum, qui Arnulfi, Clodulfi, Goerici vitas ſcripſerunt, quam indiculorum Metenſium valebit fides. ſive enim ex indiculorum illorum, cui ſe totum Dominicus tradidit, mente anno 561, ſive 571 Aigulfi primordia aſſignentur, Villico & Petro ſuperſtitibus, antequam ex hypotheſi ſedere poſſet, reipſa ſederit: quanto ſatius fuerit ex epiſtolæ Gregorianæ, Epiſcopatum ejus ad annum 601 perducentis, fide cui cætera veterum monumenta adſtipulantur, vacillante oſcitantium nuperorum manuſcriptos catalogos corrigere; quam eorum obtentu, cætera omnia interpolata ſuſpicari? Ansbert. rediv. fam. pag. 55. &c.

Cum poſt Ragnemodum anno 591 defunctum Faramundo ejus germano fruſtrà *concurrente* Euſebius *negotiator Syrus* tandem *ſubrogatus* fuiſſet, ei aliquanto poſt Simplicius ſucceſſit, ad quem anno 601 Gregorius Magnus epiſtolam dedit; nec dediſſe vel dare potuiſſe Dominicus diffitetur; ſed quod de Lupo Cabilonenſi & Aigulfo Metenſi inconſultè ſuſpicatus erat, ad Melantium Rotomagenſem & Licinium Andegavenſem, eodem œſtro percitus trahit; *Meminit*, inquit, *eadem inſcriptio Melantii Rotomagenſis, cui tamen ante epocham hac epiſtola deſignatam, anno ſcilicet* 594, *Hidulfus fuerat ſubrogatus*. Poſtquam Prætextato anno 577 *pœnitentia* à 45 Sacerdotum Synodo *indicta eſt*; eumque in inſulam Conſtantinæ civitati vicinam deportari placuit; Melantio Rotomagenſis Eccleſiæ cura attributa fuerat; ubi verò Chilperici, anno 584 jam affecto perempti, metu Rotomagenſes ſoluti ſunt, *Prætextatum de exilio expetentes, cum grandi lætitia & laude civitati ſuæ reſtituerunt*; & Melanium ſive Melantium *de Rotomago ſubmotum*, *ad Villam Rotoialenſem* cum Fredegunde Regina ſecedere coëgerunt: anno 586, Februarii 24, *adveniente reſurrectionis die*, Prætextatus qui *maturius ad implenda Eccleſiaſtica officia, Eccleſiam* petierat, & *Antiphonas juxta conſuetudinem incipere per ordinem cœperat*, *inter pſallendum formulæ decumbens*, *à crudeli homicida ſub aſcella percuſſus*, ex vulnere deceſſit; rurſuſque locum Melanio fecit, quem anno 601 ſuperſtitem fuiſſe, cum Gregorii epiſtola teſtetur, fruſtrà Dominicus Claudii Roberti, Ordericum poſt annum 1141, à S. Gregorii dormitione 538, defunctum, ſecuti, nulloque veterum ſuffragio muniti, recentius, obſcurius cujuſque nonnunquam fides nutet, teſtimonium ad auctoritatem ejus elevandam implorat: ſi enim, unde Hidulfum Melantio anno 594, ante ſcriptam à Gregorio epiſtolam octavo, ſuffectum conſtet, quærere libeat; nihil præter nudam Orderici, falſa de Prætextati annis referentis, ſecumque apertè pugnantis, aſſertionem occurret: quid enim ille? *ſedit annos* 48, *ut vult Ordericus.* At hoc voluiſſe, nequaquam debuit hac in parte falſus Ordericus; quod, ut evidentius ex publicis vetuſtatis monumentis fiat, indubium experimentum cape lector; Flavius, cui Prætexatus ſucceſſit, Concilio IV Aurelianenſi, *indictione* IV, *Baſilio V.C. Conſule,* anno Chriſti 541

Gregor. Tur. lib. 10, cap. 26.

Ansbert. fam. rediv. pag. 60.

Gregor. lib. 7, cap. 16.

Cap. 19.

Lib. 8, cap. 31.

ante Septembrem ſubſcripſit; Prætextatus anno *Guntheramni* 24, *Childeberti* 10, *Novembri menſe*, Concilio II Matiſconenſi interfuit, Februarii ſequentis 24, feria I confoſſus eſt: à Calendis Ianuariis anni 541, ad ſextum Calendas Martias anni 586, non 48, ſed 45, menſis unus, dies 24 effluxerunt; quorum ſummæ totum illud tempus detrahendum, quo Flavius vitam protraxit, poſt Concilium IV Aurelianenſe aliquamdiu ſuperſtes. Fallitur inſuper Robertus Aurelianenſes, Pariſienſes, Turonenſes, Matiſconenſes Synodos triennio ſolido moratus; & Prætextatum Eccleſiæ Cabellicæ Epiſcopum, cujus nomine Optatus Abbas Concilio V Aurelianenſi ſubſcripſit, cum Rotomagenſi, cui nec per ſe, nec per Vicarios interfuit, confundens. *deſinat* igitur *novitas inceſſere vetuſtatem*, deſinat priſcorum monumentorum fidei nuperorum inquietudo derogare: plus apud omnes Gregorii Magni Melantium anno 601 compellantis, eique 25 annorum Præſulatum tribuentis valebit teſtimonium, quam Dominici, ejuſdem annos nimium contrahentis, venia nulla digna ſuſpicio.

Cœleſt. epiſt. 8.

Expungendi Licinii ſpe, vera primum, ſed inutilia & à propoſito aliena refert; *memoratur*, inquit, *Licinius, qui Andiis non Turonibus præfuit, cujuſque adhuc veteris tumuli fragmentum apud ipſos ſub hoc lemmate ſervatur:*

Ansbert. rediv. pag. 60.

Vas habet hoc fracti ſenio fragmenta Sepulchri
Licinii ſancti, quo Gleba Beata quieſcit.

Revera Turonibus ab anno 593 Pelagius præerat, ad quem anno 596 libri 5 epiſtolam 52 dedit Gregorius Magnus, eodemque tempore Iuliomagi Andium Licinius ſedit, quem vitæ liber Clotario II Regi, Chilperico anno 584, Septembri menſe ſuffecto, à *patre commendatum, ſtabuli Comitem conſtitutum, multas adverſariorum phalangas ſæpiſſimè, Domino opem ferente, fugaſſe; de inclyta & nobiliſſima gente puellam ſibi deſponſaſſe*; cum *Andegavorum Comes & Dux eſſet, cunctam ſeculi militiam dimiſiſſe; intervenientibus annis, Andegavenſium urbem Præſule indiguiſſe, utque ei præeſſet, ſubrogatum eſſe*; tunc verò *Bertigranno Cenomanenſium* ab anno 586 Childeberti XI, *Epiſcopo quaſdam reiculas & vineas in adjutorium ad Monaſterium Apoſtolorum conſtruendum, quod ipſe tunc temporis in honore divino & Sanctorum Apoſtolorum juxta prædictam Cenomanicam urbem in territorio ſuæ ſedis conſtruere nitebatur*, dediſſe narrat; eidemque anno 601 Laurentium & Mellitum à Gregorio Papa commendatos, quæ uſque nunc manet epiſtola, teſtatum facit. Sed alia protinus Dominicus adjicit, quæ meritò repudianda videantur; hæc nimirum; *ex fidiſſimis ejus eccleſiæ tabulis, quarum mihi copiam fecere clariſſimi fratres Sammarthani, is anno* 594, *Kal. Novemb. vita functus eſt, ac per conſequens vivere non potuit anno* 601, *qui ſeptennio ante deceſſerat.* At *fidiſſimas* illas *tabulas*, ipſa vitæ verba refellunt; ſi enim S. Licinius *Clothario Regi* anno 584 paulò ante parentis cædem nato, à *patre commendatus*, aliquamdiu militavit; ſi aliquantò poſt *cunctam ſeculi militiam dimiſit*; ſi denique *intervenientibus* poſt dimiſſam militiam *annis* à Clero & plebe electus, Epiſcopatum ſortitus eſt; qui fieri poſſit, ut anno 594, Clotharii XI ineunte Novembris I ad meliorem vitam tranſierit? Quanto probabilius in annum 594 Pridie Calendas Novembres, feriam I ordinationem ejus, quam dormitionem conferemus, ut anno Chriſti 601, & Præſulatus 8 Gregoriana *epiſtola pulſatum* credamus, quem Martyrologia & ex iis Ioannes Burdigneus &

Pag. 60.

Claudius Robertus Februarii Idibus ad Dominum tranſiiſſe notant? Ejus certe obitum Burdigneus anno Chriſti 631 aliquantò ſerius quam oportuit aſſignat, cum Concilio Remenſi ante annum 630 congregato, Magnobodus Cardulfi Licinio ſuffecti ſucceſſor interfuerit; ſed illi Andegavenſium rerum callentiſſimo ignotas fuiſſe *fidiſſimas* illas; quarum Sammarthanis copia facta dicitur, *tabulas* fuiſſe liquet: id etiam novitatis tabulas eaſdem arguit, quod incarnationis Dominicæ annis conſignatæ ferantur; quò enim tardius incarnationis annos actis apponendi mos invectus eſt, eò apertius ſe prodit eos priſcis apponere auſorum imperitia. Cum igitur ſponte in fumos abeant, quæcunque adverſus Gregorianæ epiſtolæ fide digniſſimam inſcriptionem efflavit Dominicus; *apud nos inconvulſis radicibus vivet antiquitas, cui* ſeculorum decem conſenſus *ſanxit reverentiam*; eorum ad quos epiſtolam Gregorius dedit illibata manebit memoria; ex ejuſque fide de Aigulfi Metenſis Epiſcopatu certiora ſtatuemus; ut non niſi ſub Childeberto anno à Munderici ad Sigebertum perfugio, ad minimum 10, Petro ſuffectum credamus, & quæcunque ei Genealogus Metenſis poſt annum 840 affinxit exſufflemus. Quemadmodum patrimonia in Gallia & Sicilia Romana Eccleſia habuit; S. Dionyſii Monaſterium varia in Anglia & Alſatia; S. Petri Virdunenſis nonnulla in Ruthenico Pago, Remenſis Eccleſia aliqua in Aquitania poſſedit; Metenſi Rotovollus in Cadurcino villa attributa fuit; Ariſitenſis in Ruthenico vicus eidem attribui potuiſſet; attributum tamen vel ad momentum fuiſſe, ex putidis infrunitorum Genealogorum figmentis cordatus nemo collegerit. Vtut etiam novam in Britannia minore Metropolim, treſque minores ſedes condere conatus Nomenoius, Turonenſi Archiepiſcopo earum ordinationem, quantum in ſe fuit, ſubduxerit; nihil hoc ad inſulſas fundati ab Aigulfo poteſtate carente in Ariſitenſi vico Epiſcopatus fabulas.

Zoſim. epiſt. 7.

Ansbert. rediv. pag. 54.

Ibidem.

Ferreolum, de cujus parentibus, & paſſione pro Chriſto nihil Gregorius Turonenſis, aliique veteres retulerant, temerè & inconſultè à Metenſium Genealogis Clodoveanæ familiæ per matrem & aviam inſeri, Martyribuſque accenſeri monenti Fabro, quotquot pro Chriſti gloria grave quippiam perpeſſi ſunt; etiamſi poſteà in pace procul à carnificum ungulis, equleis, gladiis, cataſtis, crucibus poſiti, quieverint, rectiuſque *Confeſſores* dicantur, *Martyres* vocari conſueviſſe, notat Dominicus; *Felix*, inquit, *Nolanus, quia paſſis pro Chriſti fide tormentis ſuperſtes fuit, tranquillamque vitam obiit, in Vſuardi Martyrologio & alibi* Confeſſor *dicitur, & in Concilio Toletano* IV *S. Leocadia, quæ non ferro, aut igne, ſed carceris ſqualløre, & fame periit,* Confeſſor *appellatur, licet etiam* Martyris *nomen ei conveniat; ſicut &* Martyr *quandoque dicitur, qui nec pro Chriſti confeſſione vitam amiſit, ut Anchiſes Arnulfi filius, quem non* infimum Martyrem *vocat Paulus Diaconus, licet in venatione à Godino fuerit confoſſus.*

Ansbert. rediv. pag. 124, & 125.

Sed univerſa hæc ἀπροσδιόνυσα ſunt. Pios pro Chriſto vinctos, ad metalla damnatos, in agone & ſub ictu conſtitutos, utut poſtea evaſerint, Martyribus accenſere non dubitavit Antiquitas, prout ex Tertulliano, Cypriano, aliiſque Patribus conſtat: hinc Thecla, Paphnutius, Euſebius Vercellenſis, Catholici Ægyptiorum Præſules Diocæſareæ conſiſtentes, Martyres audierunt, quia teſtimonium illuſtre Chriſto dixerant, pro fide dira, non tamen

uſque ad mortem paſſi. Abuſive etiam Martyrii elogio nobilitati ſunt, quorum cædes iniqua viſa eſt; ſic Sigiſmundus Burgundionum Rex, Leodegarius Auguſtodunenſis, Ragnebertus Dux, Lambertus Trajectenſis, Grimoaldus Dux, Carolus Flandriæ Comes, aliique innumeri à ſeculis novem Martyres audierunt. Sed nec propriè nec abuſivè, cruciatus nihil pro Chriſti confeſſione paſſus, & è ſede propria in ſumma Eccleſiæ pace ad Dominum evocatus, Ferreolus Martyribus annumerari potuit; nec conſona de eo fabulatores
Lib. 6, cap. 7. ſcripſerunt. Gregorius Turonenſis ei ad annos undecim ſuperſtes, anno Childeberti ſexto, *Ferreolus Vceticenſis Epiſcopus magnæ vir ſanctitatis, obiit*
Marius. *plenus ſapientia & intellectu.* Cum *anno* IX *Conſulatus Iuſtini Iunioris, indictione* VIII *Sigebertus bellum contra fratrem ſuum Hilpericum moverit; & cum eum jam incluſum haberet, & de ejus interfectione cogitaret, ab hominibus Chilperici per fraudem interfectus fuerit: & ſuſceperit regnum ejus Childebertus filius ipſius.* Sextus Childeberti annus ab anni 581 æſtate, indictione XIII decurrente, inierit; eodemque anno, uſque ad Martii 25 veteri Francorum more perducendo, *Pridie Nonas Ianuarias indictionis* XIV, poſt annorum non 28, quos ei vitæ ſcriptor Anonymus aſſignat, ſed 26 ad ſummum, ſedem ad Dominum in pace tranſierit Ferreolus. anno enim 555 Pariſienſi Concilio Firminus ſubſcripſerat, quem ſi V *Idus Octobres* proxime ſequentes deceſſiſſe, eodemque momento Ferreolum ſuffectum fuiſſe ſtatuamus, inter utriuſque obitum anni 26, menſes 2, dies 25 numerabuntur; quorum labente periodo, ubique per Gallias ſub Principibus Catholicis pax religionis, & piorum univerſorum plena ſecuritas fuit. Ne tamen quæ de Ferreoli Martyrio Genealogis Metenſibus ſomniare viſum fuerat, expungere Dominicus cogatur, ex veteri Collegii Fuxenſis apud Toloſates codice, anilem ab audaculo neſcio quo tenebrione barbarè confictam de Ferreolo fabulam profert, quæ eum, *quod cum Iudæis & Sarracenis comederet & biberet, & munera eis donaret accuſatum*, à Childeberto Rege *Pariſius civitatem in Francia, in exilium miſſum, ibi per tres annos in exilium fuiſſe &c. ſpiritu* coram Rege poſitum *feria* VI *hora tertia* de *arcus* in S. Pauli Vceticenſis Eccleſia *caſu cognoviſſe*; ea occaſione cum redeundi poteſtas facta fuiſſet, *S. Theodorici Synodum congregaviſſe*, & Iudæis vel exilii, vel baptiſmi optionem dediſſe, improbè mentitur. Nam 1. Vceticæ Iudæi nihilo melius quam in reliqua Gallia eos ubique tolerante ſub Clodovei nepotibus habuerunt. 2. Sarraceni maxima tunc ex parte Ethnici finibus antiquis in Palæſtinæ confinio concluſi, Europæ ac imprimis Galliæ ignoti fuerunt. 3. Etiamſi Europæ invadendæ pares, colonias ducere cœpiſſent, Vceticæ mediterranea urbe præ aliis nunquam conſtitiſſent. 4. Arctior cum eis quam cum fidelibus neceſſitudo Epiſcopo probroſa fuiſſet. 5. Si qua de Ferreolo ſuſpicio Regis animum pupugiſſet, Gothorum è proximo hoſtilia ſpirantium, potius quam Iudæorum colla ſubdentium, ſocietatem in Præſule ad Gothicæ Provinciæ limitem conſtituto improbaſſet. 6. Childeberto per ætatem de Ferreolo, ſive moleſtum ſive gratum quicquam ſtatuere nunquam licuit: anno enim 576, quo
Gregor. Tur. lib. 5, cap. 1. Sigebertus pater à ſicariis confoſſus eſt, *vix luſtro ætatis uno jam peracto, die Dominici Natalis regnare cœpit*; ſexto pòſt anno, qui vitæ undecimus erat, Ianuarii 4. ad Dominum, triennale exilium paſſus, & propriæ ſedi redditus, tranſiiſſe dicitur Ferreolus. cum igitur ex fabulatoris hypotheſi in integrum reſti-

reſtitutus Vceticenſem plebem aliquamdiu paverit; tribuſque annis exulaverit; Childeberti nondum ſeptennis, & *nutritio* egentis juſſu relegatus fuerit, quod vel cogitare ridiculum nemo non cenſuerit. 7. Lutetiæ, quæ ſub Chilperici poteſtate, ab anno 576 ad 585, poſt Ferreoli mortem 4, perpetuo manſit, Childeberti pueruli inde clam exportati juſſu degere Ferreolus nequaquam potuit. *Anno* enim ejus *primo*, *Chilpericus Rex Pariſius venit*, *ad-* Gregor. Tur. lib. 5, cap. 1.
prehenſam Brunichildem, apud Rotomagenſem civitatem in exilio truſit, theſauros ejus, quos Pariſius detulerat, abſtulit. Filias verò ejus Meledis urbe teneri præcepit; *ad* eum anno 577 Guntchramnus & Childebertus *legationem mi-* Cap. 18.
ſerunt, ut redderet, quod de eorum regno minuerat. Quod ſi differret, campum præpararet ad bellum. Quod ille deſpiciens, apud Sueſſionas atque Pariſius circos ædificare præcepit, eos populis ſpectaculum præbens. Qui Pariſiis anno 579 ſeſe mutua ſede ad S. Dionyſii altare confecerunt, *majores natu & primi* Cap. 33.
apud Chilpericum Regem fuerunt: anno 580 Chilpericus & Fredegundis *fi-* Cap. 35.
lium juniorem extinctum, cum maximo mœrore deducentes à Villa Brennaco Pariſius, ad Baſilicam ſancti Dionyſii ſepelire mandaverunt. Anno 581 Chilpericus Cap. 40.
Calam Pariſiacæ civitatis villam advenit. Paulò pòſt *legatos Miri Gallæcienſis* Cap. 42.
ad Guntchramnum Regem directos, ſub cuſtodia ſibi exhiberi præcepit, & Pariſius cuſtodiri. Leudaſtes Synodi Brennacenſis judicium *audiens, Baſilicam ſan-* Cap. 49.
cti Petri Pariſius expetiit; ſed cum audiſſet edictum Regis, ut in ſuo regno à nullo colligeretur; & præſertim quod filius ejus, quem domi reliquerat, obiiſſet, Turonis occultè veniens, quæ optima habuit, in Biturico tranſpoſuit. Anno 582, quo ineunte in Domino Ferreolus quievit, *apud Pontem Vrbienſem civitatis Pari-* Lib. 6, cap. 19.
ſiacæ Chilpericus Rex cuſtodes poſuit, ut inſidiatores de regno fratris ſui, ne nocerent aliquid, arcerentur, &c. Anno 583 *Chilpericus Rex pridiè quàm Pa-* Lib. 27.
ſcha celebraretur, Pariſius abiit. Et ut maledicto, quod in pactione ſua & fratrum ſuorum, [anno 570] *conſcriptum erat, ut nullus eorum Pariſius ſine alterius voluntate ingrederetur, carere poſſet, reliquiis Sanctorum multorum præcedentibus, urbem ingreſſus eſt, dieſque Paſchæ cum multa jocunditate tenuit*, &c. *Chilpericus in promiſſis Ægidii fidens, commoto regni ſui exercitu, Pariſius ve-* Cap. 31.
nit, &c. *Juſſit exercitum, qui ad eum acceſſit, per Pariſius tranſire. Quo tranſeunte, & ipſe tranſiit, atque ad Meeledonenſe caſtrum abiit*, &c. *cum exercitum ſuum à prædis arcere non poſſet, Rothomagenſem Comitem gladio trucidavit, & ſic Pariſius rediit*, &c. Leudaſtes *Rege Pariſius revertente, die* Cap. 32.
Dominico in Eccleſia ſancta Reginæ pedibus provolvitur &c. Anno 584, qui vi- Cap. 34.
tæ poſtremus fuit, *Chilperico Regi egreſſo de Pariſius, ut in pagum Sueſſionicum accederet, novus luctus advenit. Filius enim ejus, quem anno ſuperiore ſacro baptiſmate abluerat, à dyſenteria correptus, ſpiritum exhalavit*, &c. *tunc cum immenſo fletu regreſſi Pariſius, ſepelierunt puerum*, &c. Fredegundis Regina Cap. 35.
adprehenſas mulieres urbis Pariſiacæ tormentis applicat, &c. Riguntis Regi- Cap. 45.
na *de Pariſius progreſſa, octavo ab urbe miliario tentoria figi præcepit*, &c. Chil- Cap. 46.
pericus *ad villam Calenſem, quæ diſtat ab urbe Pariſiaca quaſi centum ſtadiis, accedit, ibique venationes exercet*, &c. *dum de equo ſuſciperetur, & unam manum ſuper ſcapulam pueri retineret, adveniens quidam, eum cultro percutit ſub aſcellam, iteratoque ictu ventrem ejus perforat*, &c. *Malulfus autem Silvanectenſis Epiſcopus, qui jam tertia die in tentorio reſidebat, & ipſum videre non poterat, ut eum interemptum audivit, advenit, ablutumque veſti-*

mentis

mentis melioribus induit. Nocte in Hymnis deducta, in navi levavit, & in Baſilica ſancti Vincentii, quæ eſt Pariſius, ſepelivit, Fredegunde Regina in Eccleſia derelicta. Sic à Sigeberti morte Lutetiæ totiuſque Pariſiaci pagi dominium invaſit, totaque vita retinuit Chilpericus. Fredegundis Regina *jam viduata Pariſius advenit, & cum theſauris, quos intra murorum ſepta concluſerat, ad Eccleſiam confugit, atque à Ragnemodo fovetur Epiſcopo. Reliquos verò theſauros, qui apud villam Calam remanſerant,* &c. *theſaurarii levaverunt, & ad Childebertum Regem, qui tunc apud Meldenſem commorabatur urbem, velociter tranſierunt.* Continuò pòſt Lutetiam Guntchramnus advenit, ſuique juris factam per novennium poſſedit; *Fredegundis* enim *Regina accepto conſilio, legatos ad Guntchramnum Regem miſit, dicens*: veniat Dominus meus, & ſuſcipiat regnum fratris ſui, &c. *commoto exercitu* Guntchramnus *Pariſius dirigit. Cumque ille intra muros ſuſceptus fuiſſet, Childebertus nepos ejus ab alia advenit parte. Sed cum eum Pariſiaci recipere nollent, legatos ad Guntchramnum Regem dirigit,* &c. *tunc Guntchramnus Rex legatis illius ait:* &c. ideo quia *Sigebertus* & *Chilpericus* juxta Dei judicium, & maledictiones pactionum defecerunt, omne regnum Chariberti cum theſauris ejus meis ditionibus, lege opitulante, ſubjiciam: nec exinde alicui quicquam niſi ſpontanea voluntate indulgeam, *&c.* Cum igitur ante annum 593, à Ferreoli obitu 12, Pariſiorum potens Childebertus non fuerit; ibidem eum per triennium detinere nequaquam potuit; detinuiſſe tam inconſideratè quam falſo prodidit fabulator.

Gregor. Tur. lib. 7, cap. 4. — Cap. 5. — Cap. 6.

8. A Ferreolo poſtquam ſedi ſuæ redditus eſt *congregatam ſancti Theodorici Synodum* fingens, ſoricis inſtar ſemet indicio ſuo prodit. quis enim ille Theodoricus cujus in Vcetica urbe *Synodum congregatam* garrit? An Abbas in monte Hor Remenſis diœceſis à ſancto Remigio conſtitutus, & ſub Theodorico Auſtraſiorum Rege circa annum 530 defunctus; an verò ignotus in hanc uſque diem Gothici vel Francici generis alius, cujus memoriæ ab Vceticenſibus ante Ferreoli Præſulatum dicata Baſilica fuerit? Atqui Gothi qui Italiam, Galliam, Hiſpaniam inſederunt, anno demum 586, à Ferreoli morte 5, ex hæreſi ad fidem Catholicam converſi ſunt; Franci anno 496 ex Ethniciſmi tenebris ad Chriſti lumen tranſire cœperunt, aliumque nullum præter Remenſem Probatii Vceticenſis æqualem protulerunt, qui Sanctorum Albo inſcribi meruerit. ſi qua igitur Vceticæ S. Theodorici Eccleſia fuit, ea longè poſt Ferreoli dormitionem, & Synodorum ab eo congregatorum tempus condita fuerit.

9. Synodo Vceticenſi affictum à fabulatore decretum, nec Ferreolo, nec ſeculi ſexti indoli convenit: Ferreolus qui Iudæos aſſiduo convictu, & profuſa largitione allicere conatus dicebatur; eos ad fidem *poteſtate compellere*, nec ex Iſidori ſupparis mente, nec ex hypotheſi poteſtatis illius, quæ tota Regum erat, expers potuit: unico ſi legendarium audiamus poſt Synodum hortamento contentus, Iudæos pervicaces, *ut diſcederent præcepit, nec paſſus eſt in eadem civitate, vel intra murum ipſius civitatis, ex ipſis Iudæis habitare, niſi qui ſe Chriſto credere profitebantur, ſed omnes ejecit, atque ex ſua Diœceſi expulit, nec poſtea in ipſa civitate ullus Iudæus habitare permiſſus eſt, &c.* Quaſi verò Pontificum ulli nullam ordini ſuo niſi ſpiritualem, & *ad ædificationem poteſtatem eſſe* certo, in Regis, Iudæis regni à Deo commiſſi incolatu m

latu m

latum permittentis jura invadere, ſtatumque publicum mutare tunc liberum fuerit. *Habes*, inquit Dominicus, *apud Gregorium Turonenſem ſimilem ſub eodem Childeberto Rege Aviti Arvernorum Epiſcopi ſanctionem.* Imò longè diſſimilem vel potius è diametro contrariam: quid enim de Iudæis & Avito ad annum 576, & Childeberti primum refert Gregorius? *Cum* Iudæos *plerumque beatus Avitus Epiſcopus commoneret, ut relicto velamine legis Moſaicæ, ſpiritualiter lecta intelligerent, & Chriſtum filium viventis Dei Prophetica & legali auctoritate promiſſum, corde puriſſimo in ſacris literis contemplarentur: manebat in pectoribus eorum, jam non dicam velamen illud quo facies Moyſi obumbrabatur, ſed paries. Sacerdote quoque orante, ut converſi ad Dominum, velamen ab eis literæ rumperetur, quidam ex his ad ſanctum Paſcha, ut baptizaretur, expetiit: renatuſque Deo per baptiſmi Sacramentum, cum albatis reliquis in albis & ipſe procedit. Ingredientibus autem populis portam civitatis, unus Iudæorum ſuper caput converſi Iudæi oleum fœtidum diabolo inſtigante diffudit. Quod cum cunctus abhorrens populus voluiſſet eum urgere lapidibus, Pontifex ut fieret non permiſit. Die autem beato, quo Dominus ad cælos poſt redemptum hominem aſcendit glorioſus, cum Sacerdos de Eccleſia ad Baſilicam pſallendo procederet, inruit ſuper Synagogam Iudæorum multitudo ſequentium, deſtruenſque à fundamentis, campi planitiæ locus adſimilatur. Alia autem die Sacerdos eis legatos mittit, dicens:* vi ego vos confiteri Dei filium non impello, ſed tamen prædico, & ſalem ſcientiæ veſtris pectoribus trado. Paſtor ſum enim Dominicis ovibus ſuperpoſitus, & de vobis ille *verus Paſtor* qui pro nobis paſſus eſt, dixit *habere ſe alias oves, quæ non ſunt ex ovili* ſuo, *quas* cum *oporteat adducere, ut fiat unus grex, & unus paſtor.* Ideoque ſi vultis credere, ut ego, eſtote *unus grex*, cuſtode me poſito: ſin verò aliud, abſcedite à loco. *Illi autem diu æſtuantes atque dubitantes, tertia die (ut credo) obtentu Pontificis conjuncti in unum, ad eum mandata remittunt, dicentes:* credimus Ieſum filium Dei vivi nobis Prophetarum vocibus repromiſſum, & ideo petimus ut abluamur baptiſmo, ne in hoc delicto permaneamus. *Gaviſus autem nuncio Pontifex, nocte ſancta Pentecoſtes vigiliis celebratis, ad baptiſterium foras muraneum egreſſus eſt: ibique omnis multitudo coram eo proſtrata, baptiſmum flagitavit. At ille præ gaudio lachrymans, cunctos aqua abluens, chriſmate liniens, in ſinu matris Eccleſiæ congregavit. Flagrabant cerei, lampades refulgebant, albicabat tota civitas de grege candido. Nec minus fuit urbi gaudium*, quam quondam *Spiritu ſancto deſcendente ſuper Apoſtolos, Hieruſalem videre promeruit. Fuerunt autem qui baptizati ſunt, amplius quingenti. Hi verò qui baptiſmum percipere noluerunt, diſcedentes ab illa urbe, Maſſiliæ redditi ſunt.*

Ansbert. red. pag. 1-5.

Gregor. Tur. lib. 5, cap. 11.

2 Cor. 3.

Ioan. 10.

Act. 2.

Avitum qui ante exilium æmulatus, cum Iudæis pocula miſcens, & *monitis dulcibus amaritudinem in eorum mixtam moribus obdulcans* videri potuerat Ferreolus; in alium poſt reditum mutatus, contraria via proceſſiſſe fingitur: Arvernici Iudæi Chriſtianis palam illudere auſi, flagitioſam veſaniam meritæ pœnæ interpoſita auctoritate exemit: poſt dirutam ab indignabunda multitudine, gentis vitio ſuo exoſæ Synagogam, de ejus periculo anxius, vi ad fidem ſe impellere nolle conſtanter proteſtatus eſt; miſſis denique ad eos, qui ignem gladio fodere non dubitaverant, legatis, impendentis ab exaſperata plebe exitii miſeros monuit Avitus, ut, vel cum

 læſis

læſis in gratiam redirent converſi, vel provocatorum ſe (aliò ſecedendo) furori ſubducerent pertinaces. Ferreolus contra Iudæis Vceticenſibus, quorum convictu anteà delectatus erat, nullo eorum novo demerito laceſſitus, apertam *vim* primus *intuliſſe*; Paſtorem in Tyrannum derepente vertiſſe; de *perditis ovibus* non *quærendis*, aut veri paſtoris exemplo ad ſalutem colligendis, ſed procul abigendis, certæque perniciei addicendis cogitaviſſe fingitur. Sed Iudaicam pervicaciam exilio, ab Epiſcopo Chriſtianæ manſuetudinis pertæſo, imperato, puniendam fuiſſe, nihilque de Ferreolo non compertum legendarium narraſſe demus; quis ex eo, quod *in exilium miſſum*, nec ad ſuos niſi poſt triennium redire permiſſum fuiſſe mentitus eſt, Martyrium feciſſe cum Dominico collegerit? Athanaſius Magnus quater ſolum vertere coactus eſt; Hilarius in Phrygiam; Euſtathius Antiochenus & Liberius Papa in Thraciam; Dionyſius Mediolanenſis in Cappadociam; Lucifer Calaritanus in Ægyptum, Fulgentius Ruſpenſis, & Collegæ ex Afris permulti in Sardiniam relegati ſunt; alios innumeros religionis causâ extorres factos legimus; quis eos ſola deportationis moleſtia maceratos, nullique carnificinæ expoſitos Martyrum titulo inſignivit? non igitur Ferreolus hoc ſolo, quod aliquando exulaverit, nomine Martyris titulum promerebitur. Sed fortè vel exulaturus, vel jam exul durius habitus, pii cruoris aliquid pro religione profudit; eodemque, quo Euſebius Vercellenſis ab Arianis Scythopolitanis malè mulctatus, jure Martyr dici potuit: aſſentiremur ſi legendariorum quiſquam, eum in Gothorum Arianorum, tamque Francico nomini, quam Catholico dogmati, infenſorum doloſos caſſes, vel ad momentum incidiſſe probaret; ſed cum nemo, vel quæ, vel à quo, vel quando verbera pro pietate pertulerit, edocere valeat; quicquid de Martyrio ejus Genealogi Metenſes diſſeminavere, hoc potiſſimum argumento inducti, abſurdum & ridiculè confictum putamus; quod nec Ferreoli ætati, nec ſtemma ejus delineantium hypotheſi commentum conveniat: cui enim Franco ſub Regibus Catholicis, tantum de eorum conſobrino licuiſſet, ut Regum nepotis Pontificalibus infulis redimitum caput, velut in religionis & Majeſtatis deſpectum temerare auderet? Inde etiam Anonymo vitæ Ferreoli ſcriptori, de regio ejus ſtemmate notum nihil fuiſſe colligimus; quod nec parentum nomina edidit; nec de eo tanquam Regum propinquo aut familiari locutus eſt, prout ex illis ipſis, quæ Dominicus laudavit, verbis conſtare poteſt: cum verò longè poſt Merovingorum & Carolinorum Regum caſum, quæ de Ferreolo vigilans ſomniaverat, literis mandaſſe evincit, quod de Saracenis Vceticæ civitatis incolis, Ferreoli compotoribus garrit. cum enim Vceticam Gothis à Clodoveo anno plus minus 508 ereptam, in eorum, poſt annos circiter 170, manus recidiſſe audiſſet; ſiquidem Potentinus ejus Epiſcopus Concilio 13 Toletano anno 683 per Leopardum Abbatem legatum ſubſcripſit; Saracenos denique poſt Hiſpaniarum cladem Gothicæ Provinciæ aliquamdiu incubaſſe noſſet; quæcumque de iis Galliam Narbonenſem pervadentibus, animo conceperat, Ferreoli temporibus ſuſque deque habita rerum ac ſeculorum ratione affixit. anno enim plus minus 615, à Ferreoli morte 34, Pſeudoprophetæ mimum Muhammedes Saracenus implere cœpit; & 622, à Ferreoli tranſitu 40, Medinam Arabicam perfugit, in ea naſcentis imperii cunabula poſiturus: ab ejus verò Chalifis, ſeu ſucceſſoribus de-

mentati populi ſub communi Saracenorum nomine, anno 648 Africam; 712 Hiſpaniam; circa 715 Galliam Narbonenſem infeſtarunt; nec ante 735 à Carolo Martello edomiti, poſſeſſione ejuſdem ceſſerunt. Probe nunc Dominico & legendario quem laudavit, convenire largiamur; ut Ferreolus in exilium truſus, & gravia aliqua perpeſſus, Martyris titulo quomodocunque cohoneſtandus credatur: quis eos cum Genealogis Metenſibus componat, qui Ferreolum non tantum ſede ad tempus pulſum, aut gravia non tamen extrema paſſum, ſed *in Vcetia Martyrio coronatum*, eoque capitali ſupplicio poſt exilium proChriſto affectum fuiſſe ſummo conſenſu prædicant? Non igitur, quia exulavit, aut moleſtiæ aliquid in corpore à ſuis avulſus & vitæ quietiori reſervatus pertulit, (quod Dominicus volebat) ſed quia in propria ſede poſt reditum Martyrium fecit, eoque conſummatus, & ex agone ad bravium vocatus, coronam reportavit, (quod Caroli Calvi Genealogi ab annis 800 inculcant) *Martyr καὶ ἐξοχὴν* & maximè propriè dicendus fuerit: rurſusque adverſus Genealogorum ipſorummet hypotheſin *Martyrio coronatus* negabitur, ſi ei *in pace quies* obtigiſſe, iiſdem affirmantibus credatur: quem enim ad modum *Martyrio* nemo *coronatus* dici poteſt, niſi qui ad extremum uſque halitum certans, pace caruit, & inter certandum victricem animam efflavit; qui in pace quieſcit, ante vitæ exitum pace donatus, extra certaminis & Martyrii complendi neceſſitatem à Domino conſtitutus, ſicca & communi morte defungitur; quod Genealogi falſa & compugnantia locuti, minus advertiſſe videntur.

Quocirca nemo niſi fortè in cœnum, ex quo nulla veri ſcintilla extundi poſſit, miſerum in modum verſus, in abſurdorum & incredibilium iſtorum ullum conſenſerit unquam; ut vel ab Vceticenſibus Catholicis, vel ab extraneo quovis in eorum urbe Præſuli ſancto, quem oculis cariorem habebant, & Regum ſuorum conſobrinum ſi Genealogos audiamus noverant, id mortis genus quod *Martyrium* dici vere potuerit, procuratum fuiſſe credatur: vel à Regibus Catholicæ religionis, & Præſulum ſtudioſis admiſſum in ſubdita urbe S. viri amita nati parricidium inultum, non ſine perpetua nominis infamia relinqui potuiſſe cenſeatur: vel à Gregorio Turonenſi, qui Coëpiſcopi ſanctitatem & doctrinam prædicavit, obitum indicato tempore notavit, ſucceſſores eidem à Dinamio Provinciæ Rectore ſuffectos enumeravit, & ſuffectionis modum enarravit, quo mortis genere ſublatus fuerit ignorari, aut ſi ignotum non fuit, & *Martyrii* nomen meruit, data opera prætermitti potuiſſe putetur: vel Eccleſiæ Gallicanæ tantus ſui neglectus imputetur, ut nec parricidas merito anathemate perculiſſe, nec proprii *Martyris* ſupremum agonem ab oblivione uſpiam vindicare dignata fuiſſe cenſeatur: vel denique Genealogis nulli nunc de nomine notis, compugnantia de Ferreolo garrire auſis, & anno ab ejus obitu 260 primum exortis, fidei plus quam veteribus univerſis, ipſiſque Vceticenſium tabulis habeatur: qui habere voluerint, ſuavibus eorum ſomniis, quantum libuerit, indormiant, & pudendum monſtrorum patrocinium ſuſcipiant.

8. Ex Gregorii Turonenſis de Mummolo relatione, eum Gallo-Celta aut Romano natum conſtat: quandoquidem parens ejus *Autiſſiodori* in quarta Lugdunenſi *incola* fuit, & *civitatis* ſub Clotario & Guntchramno *Comes*; Gallicam etiam originem tam parentis quam filii nomina minime Teutonica aut

Francica Peonius & Eunius Mummolus redolent; in utrumque tamen infeſtas manus injicere auſi Metenſes Genealogi, pro Peonio Ragnifridum neſcio quem Ansberti, Aigulfi, triumque aliorum, Clodovei ex filiâ nepotum germanum nobis ſubornarunt, qui Mummolum Patritium genuerit,& in fratrum Senione minimus natu ex utero prodierit. ſed quò audacior eorum in fingendo licentia fuit, eò impudentius à legitimis Antiquitatis monumentis, juſtaque inter æquales proportione ſecedit; certè ſi Mummoli avia, Clodovei Magni filia, Regumque Childeberti & Clotarii poſt annum 557 denatorum germana fuit, Raginfredus, quem ſextum peperit, in eodem cum Chilperico & Guntchramno gradu conſtitit, fratribus ætate prioribus ex communi naturæ lege ſupereſſe; eodemque editus Mummolus cum Chilperici, Guntchramni, & Sigeberti filiis paria facere debuit; ſed non feciſſe, imò Guntchramni & Sigeberti æqualem fuiſſe hiſtoria docet. Celſi enim Patritii

MariiChron. *anno Conſulatus Iuſtini Iunioris* IV, *indictione* III, cum anno Chriſti 570 concurrente mortui, ſucceſſori Amato poſt ſupplantatum patrem & ſuſceptum Autiſſiodorenſis pagi, quem annis aliquot rexit, Comitatum ſuffectus; Langobardus *anno Conſulatus Iuſtini Iunioris* VIII, *indictione* VII, ſeu anno 574 profligavit. *Anno Conſulatus Tiberii Conſtantini Auguſti* 2, *indictione* XIV, *ſeu anno* 581, *cum uxore & filiis, & multitudine familiæ, ac divitiis multis, in mar-*

Gregor.Tur. lib. 6, cap. 24. *ca Childeberti Regis, id eſt, Avinione confugit: anno Childeberti ſeptimo*, ſeu 582, quo à Calendis Ianuariis ineunte, Ferreolus diem clauſit extremum,

Cap. 26. Gundobaldo Conſtantinopoli Maſſiliam advecto *conjunctus*, *cum Avenione ſecum retinuit*; à Guntchramno Boſone Guntchramni Regis legato oppu-

Lib. 7, cap. 10. gnatus, per Gundulfum Childeberti Regis juſſu *Arvernos adductus, poſt paucos dies Avenionem regreſſus eſt: anno Hildeberti nono*, ſeu 584 deſinente, cum Gundobaldo à Deſiderio Duce invitatus, Lemovicinum Pagum petiit: eo-

Cap. 26, 7. dem jam affecto anno ſeu 585 ineunte Egoliſmam, Petracoricum, Toloſam,

Cap. 31. Burdegalam cum Gundobaldo eodem pervaſit; apud Convenas, quo ſe *qua-*

Cap. 34. *drageſimæ initio* contulerat, conſiſtens; cum *uxorem captivam, filios interfectos*

Cap. 38. audiſſet, de Gundobaldo tradendo & deditione facienda conſilium cœpit; deditus ubi ſpem omnem impetrandæ à Guntchramno Rege veniæ ſpem decollare ſenſit, armis correptis pugnacem vim propulſando animam profudit; Avenione relictos theſauros ad ſe deferri Guntchramnus præcepit:

Cap. 40. *mulieri nihil amplius, quam ea quæ de parentibus habuerat relinquens.* Sic Mummolus Patritiatus titulo ac poteſtate exſorte nobilitatus, ut lapſu graviore poſt quindecennium rueret, in altum ſublatus videri potuit: cum autem ante annum 570 ſupplantato parente, Comitali poteſtate Autiſſiodorenſem pagum rexerit; paulò poſt 570 ſummus Burgundicorum exercituum Imperator, fortiſſimum ſe & feliciſſimum ex æquo præſtiterit; anno 581, quo Guntchramni partes deſeruit, auctam pluribus liberis familiam Avenionem ſecum tranſtulerit; ut poſt annum 540 natus, & ante vitæ trigeſimum, in ſumma ſecundum Regem poteſtate conſtitueretur, communis humanitatis lex ferre nequaquam potuit: ſi anno patris 25 genitum ſtatuamus; in annum 515, à Clodovei morte 4, Peonii Natalis conferendus erit; quem cum fratrum poſtremum nobis Genealogi procudant, Aigulfus ordine inter eos vel tertius, vel quartus, vel quintus proceſſerit; anno vitæ ad minimum 90, Chriſtianæ æræ 601 Epiſcopatum Metenſem tenuerit, prout ex Gregorii

epiſtola

epiſtola liquet; quod an rationi conſonet, rerum periti viderint: quemadmodum eos, qui Ansbertum Mummoli patruum & origine *Aquitanum* fuiſſe volunt, Gregorii Turonenſis tam Mummolum quam Peonium patrem *Autiſſiodorenſis municipii incolas*, eoque *Celtas* non *Aquitanos* fuiſſe ſcribentis auctoritas refellit. Fabri noſtri S. Arnulfum Mummolo patre natum conjicientis his ſententia incommodis laborare videtur; 1. Quod Gregorii Turonenſis, Mummoli *filios interfectos* fuiſſe notantis, relationi contradicit; ſi enim anno 585 Mummoli *filii interfecti* ſunt; Arnulfus ad annum uſque 641, à Mummoli filiorum cæde 56, ſuperſtes Mummoli filius eſſe nequaquam potuerit. 2. Quod Arnulfi vitæ à coætaneo ſcriptæ, non uno modo repugnat; Arnulfus enim *Francorum proſapia ortus, altus & nobilis parentibus* fuit, quorum neutrum verum fuerit, ſi patre Majeſtatis reo, perduellionis damnato, & Celta *Autiſſiodorenſis municipii incola*, quod à Francico idiomate abhorrens nomen indicat, prognatus reputetur. 3. Quod vetuſtæ de Laïo S. Arnulfi natali loco in Auſtraſiæ regno, & Calvimontis pago ſito, traditioni reſiſtit; ſi enim Mummolus eum genuiſſet, non in Auſtraſia, quæ Arnulfinæ gentis perpetua ad annum 900 &c. ſedes fuit; ſed in Guntchramni regno, ejuſque parte ab Auſtraſia remotiſſima, Provincia nimirum, in qua Mummolus ante annum 574 domicilium fixit, lucem primum vidiſſet.

Non minor in Gamardo cognomento Babone eique affictis poſteris difficultas; utut enim plures ſive Bobones ſive Babones dicti reperiantur; quandoquidem Bobo Rigunthi Reginæ à Chilperico patre paranymphus anno 584 datus eſt; Babonem alium Childeberti Regis ad Mauricium Auguſtum legatione eodem fere tempore defungi contigit; Babonis tertii in epiſtola ad Deſiderium Cadurcenſem meminit Goericus Metenſis Abbo dictus; Gamardi nomen nuſpiam niſi in Genealogorum fabuloſorum monumentis occurrit; quæ mirè in Gamardi poſteris variant; S. Symphoriani Metenſis codex, cujus apographum Dominicus edidit, hæc habet; *Gamardus qui cognominatus eſt Babo genuit Godinum & Gouerricum, qui cognominatus eſt Abbo, & Ratbertum, & filias duas, Dodanem & Dodalinanem: Godinus genuit filiam nomine Segolenam:* at alio apographo ex veteri codice à P. Vignerio communicato & à Dominico eodem edito univerſa iſta ſubvertuntur. ſic enim in eo legimus; *Gamardus, qui cognominatus eſt Babo, genuit Godinum, & Godinus genuit Goerricum, qui cognominatus eſt Abbo, & Ratbertum & filias tres Dodanem, Dodalinanem & Segolenam.* Cum igitur fidem ſibi mutuo derogent, una conſiſtere nequeant, alterum ex altero validiſſime refellatur; neutrum veri certique quippiam ſibi vindicaverit, utrumque mendax & ex æquo falſum non ſine cauſa reputabitur. fieri enim non poteſt ut Goericus Gamardi filius & nepos; Gamardus Goerici pater & avus; Gaudinus Goerici pater & germanus; Segolena Goerici & Ratberti patruorum, & Dodanes ac Dodalinanes amitarum germana fuerit; ſed fieri poteſt, imo id ratio exigere videtur, ut Genealogi qui tam diſſona de iis ſcripſerunt, ea ex ſolo cerebri vertiginoſi conditorio deprompſiſſe putentur; *idque ſibi negotii credidiſſe ſolum dari, populo ut placerent, quas feciſſent fabulas.* Goerici, quem Abbonem cognominatum non negamus, ſtemma à Genealogis diverſimodè delineatum, ex ejuſdem ad Deſiderium Cadurcenſem epiſtola confirmari; aſſeveranti Dominico noſtro, nemo qui eam perlegerit largiendum judicabit. quid enim illa? *Litteras* Ansbert. rediv. pag. 72.

teras gratiæ veſtræ tam per anteriores miſſos, qui cum filio veſtro Chedeno venerunt, quam & qui poſtea cum Babone accepi; &c. Babonis ad quem in Auſtraſia degentem Deſiderius epiſtolam dederat, ne quis nomen ad Gamardum authoris, ſi Genealogos audiamus, vel parentem, vel avum trahat; ab homine ſexagenario majore, qui ante annos ferè 40 ſub Theodeberto *Palatii Comes* fuerit, cujuſque longè ante tam parens quam avus ſecundum communem mortalitatis legem devixerint, ſcriptam fuiſſe meminerit; addit autem in ſequentibus; *Scitis, quod pater Bobilanæ Agylenus hoc fratri noſtro Vero Epiſcopo vendidit; & poſteà ſervus tam ipſa portione, quam & illa alia, quæ meorum conſortes tenebant, ipſe Severus redemit, & Domino Dagoberto unà cum alia ſua facultate delegavit. Vos verò taliter cum Domna Babila agite, ut exemplaria, quæ pro filio veſtro, germano meo Gedeno direxi, firmare debeat*, &c. Ex quibus tria hæc colligimus; 1. Goericum non ſine cauſa à vitæ ſcriptore *Aquitanum* dici. 2. Rotovollum in Cadurcino pago villam Eccleſiæ Metenſi à Dagoberto Rege delegatam fuiſſe. 3. Alia in eodem pago, quæ jure privato Goerici *conſortes* poſſederant, à Severo *redempta*, & Dagoberto tradita fuiſſe; quorum occaſione *exemplaria* ad Deſiderium *pro germano direxerit*; quem cum Gedenum à Genealogorum *Godino* diverſum vocet; nemo juſtius Gedenum in Godinum mutaverit, quam Genealogorum Godinum in Chilperici coætaneum; de quo Gregorius Turonenſis, aut in Willacharii filio longe poſteriore quæſierit; aut Deotarium, quem Ansberti, Aigulfi &c. germanum fuiſſe volunt, cum Theutario, ex *Sigeberti Regis Referendario, converſo*, & Pictavienſis Eccleſiæ *Presbytero* confuderit: qui verò Genealogorum Gamardum, Goerico pro avo patrem aſſignare maluerit; eò vel ingratiis ſuis deveniet, ut Goericum in eodem non cum Arnulfo, cui ſubrogatus eſt; ſed cum Arnoaldo, cui Pappolus & Arnulfus ordine ſucceſſerunt, generationis gradu conſiſtere jubeat; annoque Gamardi ad minimum 70 natum pronuntiet: cum enim Peonium Mummoli patrem circa annum 515 progenitum docuerimus; ſi (quod Genealogis placet) Peonium Gamardus ætatis ordine anteierit, circa annum 510 in lucem editus, vel ſeptuagenarius Goericum anno plus minus 580 genuerit; vel ſi eum ætate florente circa annum 545, vitæ 35 genuiſſe quis velit, prope nonagenarium Arnulfo longè juniori ſuffectum fateri cogetur: utrum præoptet, nihil ad nos, qui neutrum rationi conſentaneum novimus. Tarſitiam virginem, cujus memoriam quotannis ad 18 Calendas Februarias Eccleſia Ruthenica recolit, & corpus in puellarum Monaſterio S. Germano dicato, non longè à Segoduno ſervat, cum Segolena cui ædem ſacram & feſtum ad 9 Calendas Sextiles, Metenſes dicarunt, in natura rerum fuiſſe non ambigimus: quantumvis illam Arnoaldi, Ferreoli & Munderici, Ansberto & Blithilde natorum, germanam, hanc Godini Gamardo geniti filiam, Goerici ſive germanam, ſive ex fratre neptim (tantiſperdum idoneis argumentis deſtituimur) fuiſſe, negare cogamur.

Gregor. Tur. lib. 9, cap. 33, 43. Lib. 10. cap. 16.

Unicum ad trutinam revocandum reſtat, à Dominico noſtro prolatum monumentum, quod ante annum 814 S. Arnulfi Majores ab oblivione vindicaſſe videatur, *Vmnoni* id ex deſcribentis fide tribuit, quem Caroli Magni ætatem pertigiſſe, & mandata ſuſcepiſſe, mendax à ſciolo recentiore, ut facilius falleret, libelli initio additus titulus finxit. Appictam igitur à ludione

incerti authoris operi epigraphen, ac exinde nequaquam reſpondens operis initium attendamus. Vita ſancti Arnulfi *Epiſcopi Metenſis juſſu Caroli Magni ſcripta. Exhortatione plurimorum commonitus, immo Dei gratia prævenitus, ac impulſus, geſta B. Pontificis Arnulfi explananda ſuſcepi; non ut aureo Babylonis poculo audientibus ficta propinarem, ſed ut opera Dei, quæ in ſuo dignatus eſt operari ſancto ad ædificationem fidelibus aſſignarem. Priora ſiquidem de ipſo adſcripta quibuſdam videbantur minus luculenta, & ingrata, tum quia ſtemma ejus nobilitatis, tempus, locumque ipſius nativitatis, quæ ſunt autentici fundamenta operis, quaſi præ excellentia cunctis nota præteribant; tum quæ incipiebant proloqui minus aſſignata relinquebant: memorabile quoque annuli ejus inſigne omnino reticebant: quod Carolus Magnus cui fuerat tritavus cum veritatis approbatione ſcribi juſſit*, &c. *Clodoveus primus Rex Francorum Chriſtianus genuit præcelſum Regem Clotarium, cujus filiam Blithildem nomine Ansbertus vir Aquitanicus præpotens divitiis, & genere in matrimonium accepit, de qua Burtgiſum genuit patrem B. hujus Arnulfi*, &c. *Natus eſt autem B. Arnulfus Aquitanico patre, Suevia matre in caſtro Lacenſi in Comitatu Calvimonticenſi, Imperatoris Mauritii temporibus, qui primus de genere Græcorum imperavit Romanis*, &c.

Ansbert. rediv. pag. 104. Pag. 149. Cap. 1. Cap. 3. *Laienſi à Laio* non à *Lacu* Calvimontenſi.

Mendacis epigraphes vitium ſequentia produnt: nam 1. *Magni* epitheton Caroli nomini, poſt mortem ejus addi cœptum, ejus ſuperſtitis *juſſu* nequaquam ſcriptam & editam ab incerto *S. Arnulfi vitam* indicat. 2. Nulla *jubendi* legitima cauſa eſſe potuit; cum ante annos 100 à viro gravi, rerumque quas enarrandas ſuſceperat oculato teſte tanta cura conſcripta fuerit, ut nihil Carolus ipſemet inter annos 783 & 90 præter *annuli miraculum* habuerit, quod à Paulo Diacono adjiciendum judicaret. 3. Si ampliorem, quæ S. Arnulfi *ſtemma* regium repræſentaret, *ſcribi juſſiſſet*, nec eam Thegano in Aquiſgrani vicinia, anno à Caroli morte 23, geſta Ludovici filii prædicaturo; nec alii ulli ignorare, aut notam ingrato ſilentio premere licuiſſet. 4. *Caroli juſſu ea ſcribi* non potuerunt, quæ coætaneorum de Arnulfo, Clodulfo & Goerico relationibus repugnant. 5. Si ejuſdem *juſſu ſcripta ſint*, cum ab iis, quæ Pippino vivente edita dicuntur, diſcedant, eorum auctoritatem elevant. 6. Ea legendarius ipſe non *Caroli juſſu*, ſed *exhortatione plurimorum*, & *gratiæ prævenientis impulſu* à ſe ſcripta aſſeverans, falſi titulum farragini ſuæ aliunde mala fide appoſitum coarguit. quis enim regia mandata capeſſere juſſus, quod ad proprium decus, ſuſceptique operis commendationem faciebat reticendum ratus, in *plurimorum* uſque nunc ignotorum, quorum hortamentis *commonitus* ad ſcribendum animum appulerit, turba obſcurus procedere, quam ad ſublime imperantis ſignum currere malit? 7. Qui titulum legendarii Anonymi libello affixit, & Carolo Magno obſecutum ſimulavit, in hæc ejus de Arnulfi vita à coætaneo ſcripta verba incidens; *memorabile quoque annuli ejus inſigne omninò reticebant; quod Carolus Magnus cui fuerat tritavus cum veritatis approbatione ſcribi juſſit*, &c. quanta quanta ſunt præter interpolantis mentem eò trahere conatus eſt, ut novum cui titulum præfigebat opus de veteri Caroli Magni juſſu ab æquali efformatum, & Arnulfini ſtemmatis auctario locupletatum perſuadere viderentur; cum tamen nec de ſe Caroli Magni temporibus coæquando, nec de laciniis priſcæ Arnulfinæ vitæ editioni aſſutis quaſi παρῳδίας illas adjungi Carolus voluiſſet;

voluiſſet; ſed de uno annuli miraculo, quod Carolus Magnus atavi elogio à Paulo Diacono inſeri juſſit, ille cogitaverit.

Hactenus falſi crimen ab Antiquariis in nova Arnulfinæ vitæ editione admiſſum revicimus. eorum fortè imperitiæ condonari debeat, quod ridiculum inauditæ antehac metamorphoſeos exemplum, grammaticam conjunctionis notam in hominem mutantes dederint: *exhortatione plurimorum commonitum, immò gratia Dei præventum & impulſum*, vitam Arnulfi ſe denuò ſcripſiſſe proteſtatus erat interpolator Anonymus; cui hoc unum propoſitum fuiſſe videtur, ut ſe divino potius, quam humano impulſu permotum perſuaderet: id, cum boni Antiquarii non adverterent, pro *immo* grammatica particula, *Vmno* nullius linguæ vocabulum hoc fine nobis obtruſerunt, ut ab *Vmnone* aliquo Caroli Magni familiari, & nomen profiteri viſo, prioribus ab ignoto prolatis longe meliora & certiora expectaremus: veriſimilius ad Teutonici idiomatis formam, conjunctionis à ſe expunctæ loco, *Immonis* vel *Emmonis* nomen repoſuiſſent; ſed cum ratione, vel potius rationis umbra inſanire noluerunt. Vmnonis nunc Caroli Magni æqualis opus nos præ manibus habere fingamus; an protinus oraculis accenſeri debuerint, quæcunque ſeculi octavi homo eructaverit? S. Arnulfum Caroli Magni *tritavum* vocat, qui *atavus* tantum fuit, in quinto ſupra Carolum gradu conſiſtens. Cum igitur Iſidoro teſte *tritavus atavi pater dicatur, quaſi tetravus, id eſt, quartus ſupra abavum*, & *tritavus ultimum cognationis nomen ſit*; non S. Arnulfo, ſed ejus quiſquis ille fuerit parenti, Carolini *tritavi* titulus convenerit. 2. Ansbertum, quem S. Arnulfi avum, vel credidit, vel credi ab aliis voluit, *virum Aquitanicum* dum vocat, Priſco qui vitam ejus ſcripſit, & cujas eſſet compertiſſimum habuit, *ex Francorum proſapia ortum* aſſeveranti expreſſe contradicit; qui enim origine *Francus* eſt, *vir Aquitanicus*, ſeu Aquitanici generis dici & haberi nullo modo poteſt. 3. Dum attributum Ansberto à Genealogis *Senatorium genus* reticet, tantum Arnulfinæ, quam celebrandam ſuſceperat, gloriæ detrahit, quantum à præſcriptis Ansberti præconum lineis deflectit. 4. Burtgiſi Aquitaniæ Ducis poſt annum 685 in patria defuncti, parentem, qui divinare non poſſumus; cum Arnulfi anno 641, vitæ plùs minus 70 denati, patrem nequaquam fuiſſe, certò ſtatuerimus. 5. Si S. Arnulfus *Aquitanico patre, Sueva matre*, quod vitæ ejus interpolator aſſerit, prognatus eſt; *ex Francorum proſapia ortus* nullo modo dici debuit; manifeſtumque crimen ſciens prudens incurrit æqualis vitæ ejus ſcriptor; quod quis in animum induxerit? 6. Quod interpolator S. Arnulfum *in Caſtro Lacenſi in Comitatu Calvimonticenſi* natum prædicans, barbarè locorum vocabula effert: eum ſerius exortum, & cum vulgo balbutire ſuetum evincit: qui enim Calvimontis pagum, vulgari idiomate *le Chaumontois* nuncupari audiit, ex plebeji ſermonis lege *Calvimontiſum* & *Calvimonticenſe* vocabula pro libidine efformavit, in uſum anno à Caroli Magni obitu 150, nondum recepta, cum *anno ab incarnatione* 965 *indictione* VIII, 17 *Calendas Septembres* Eva Hugonis Comitis relicta, ipſique Metenſis Eccleſiæ alumni ea purius ex Latinæ grammaticæ præſcripto pronuntiaverint. ſic enim Eva, *ad Baſilicam beatiſſimi confeſſoris Chriſti Arnulfi villam meam Layum à prædicto ſeniore meo mihi datam dotis jure; ſitam in Comitatu Calvimontenſe condonaverim*, &c. 7. Quod S. Arnulfum *Mauritii Imperatoris temporibus natum*

Etym. lib. 9, cap. 5.

Ex Archivo S. Arnulfi.

tum ſcribit, falſi coarguunt veteres Arnulfi, Clodulfi & Goerici vitæ; quæ Arnulfum ad minimum quadragenarium ante annum 612 Theodeberti Regis juſſu, Pappolo Epiſcopo ſuffectum notant. cum enim Tiberii Conſtantini ſoceri anno 583, Auguſti 10, indictione 1 deſinente, defuncti loco Mauritius regnare cœperit: anno 612 Theodebertus, qui Arnulfum Pappolo ſubrogavit, cæſus fuerit; inter Mauritii primordia, & Theodeberti cædem anni tantum 29 numerantur: quorum jam delibata periodo, ſi Arnulfus natus dicatur, ad Epiſcopatum antequam legitimam ætatem aſſecutus eſſet, evectus fuerit: quod cum veterum de eo relatione conciliari, & falſo, quo laborat, liberari nullo modo poteſt. 8. Quod denique *Mauritium primum de genere Græcorum Romanis imperaviſſe* garrit, adeò putidum eſt, & ridiculè confictum, ut vel pueris ludibrium debeat; quis enim Iulianum Conſtantinopoli natum, anno 361, ante Mauritii tempora 222 Romanis imperaviſſe neſcit? Martianus Thrax anno 450; Leo I ex eadem gente an. 457; Anthemius Conſtantinopolitanus anno 465; Leo II ex eadem urbe oriundus anno 474; Zenon Iſauricus eodem anno; Anaſtaſius Thrax anno 490; Iuſtinus II Conſtantinopoli ortus, anno 566; Tiberius Thrax 579; ante Mauritium Cappadocem anno 583 coronatum, Romani Imp. clavum tenere cœperunt; nec primus ex Græcanicæ originis Principibus, rerum Mauritius potitus eſt. Cum igitur ab incerto, recentiore, hiſtoriæ imperito, veri ac decoris minus ſtudioſo, ſecunda vitæ Arnulfinæ editio procurata fuerit: quantumvis *aureo Babylonis poculo audientibus ficta* à ſe *propinata* neget, fidem in iis, quæ ſine teſte protulit, apud cordatos nuſquam inveniet, fixumque ac immotum manebit, monumento nullo fide digno, & ante annum 840 edito, S. Arnulfi ſtemma proditum fuiſſe; Carolum Calvum, qui annum ætatis 18 tunc nondum exegerat, *nihil* eſſe *quod credere de ſe non poſſit, cum laudatur Diis æqua poteſtas*, primum ex gente Carlovinga expertum, univerſis propinquis errandi exemplum, quod certatim ſecuti ſunt, dediſſe: ex quo Genealogiam à palponibus oblatam, dictare cœpit, nullum eam deſcribendi aliudque ex alio comminiſcendi finem factum fuiſſe. Hinc poëma Carolo Calvo dicatum: S. Arnulfi Genealogia à SS. Symphoriani & Vincentii Metenſibus Cœnobitis ad Lotharii I Imperatoris, ſub quo vivebant poſtrema perducta; alia à S. Galli Monachis ſub Ludovico Germaniæ Rege anno 867 ſcripta; alia à S. Bertini fratribus, ſub Carolo Calvo eo dictante excepta; alia à S. Wandregiſili aſcetis delineata, & in annum 869 deſinens; aliæ plures ad priorum exemplum conſcriptæ, & variis in locis aſſervatæ; SS. Arnulfi & Clodulfi vitæ diverſimodè retractatæ; incertorum Pippini & Caroli Magni ætatem affectantium libelli, ex quorum univerſorum accuratiore collatione compertiſſimum fit: I. Vniverſi iſtius machinamenti architectos, virorum, rerum, locorum, temporum imperitia laboraſſe, cum nomina propria ſinguli pro libidine depravarent, ex Raginfrido *Ragnifridum*; ex Munderico *Modericum*; ex Mummolo *Nummolum* & *Hummolum*; ex Vcetica *Vntiam*; ex Ariſito *Ariſium* & *Ariſidium*; ex Ruthenis *Redones*, *Rodanos* & *Rodinos* efformantes. 2. Eoſdem certi nihil, quod conſtanter aſſererent, habuiſſe; quandoquidem, qui Metenſibus primus inter fratres fuerat, à Sangallenſibus vel Fontanellenſibus deturbatus, loco cedere, ac nonnunquam in caudam deſinere cogitur, quemque hic patris titulo cohoneſtaverat, alius filii germanum fieri jubet. 3. Eos denique de capitum

numero nequaquam convenire, cum pauciora hic, plura alius recenſeat. ſic S. Symphoriani Metenſis codex à Gamardo præter Gaudinum, Deſiderium & Ricbertum, quos alii omittunt, genitos aſſeverat, & Raginfrido cum Nummolo Hictorem aliis ignotum aſſignat. Poëta Saxonicus, qui Caroli Magni vitam Arnulfo Imperatori inſcripſit,dum ex Genealogorum poſt annum 840 exortorum ſententia, regium ejus genus aſſertum cupit, opinionis novitatem ultro fatetur, eamque incommodis imprudens gravat, hæc de Arnulfi genere ſcribens;

Cujus nunc inſignegenus ſi pandere coner,
Compellor Regum ſcribere catalogum, &c.
Eſt quoque jam notum, vulgaria carmina magnis
Laudibus ejus avos & proavos celebrant.
Pippinos, Carolos, Ludovicos & Theodricos,
Et Carlomannos Lotharioſque canunt.

Vbi enim particulas *nunc* & *jam* urget, quantum ſe Genealogorum catalogis & carminibus ſtipatum cognitione creviſſe gloriatur; tantum eorum, qui ante annum 840 vixerant, notitiæ detrahit, quod *jam*, id eſt illo ipſo, quo ſcribebat tempore, *notum* putavit; proximè præcedentibus *non notum*, ac plane ἄδυτον fuiſſe ſignificans: in Arnulfi ſui, *avorum*, *&* *proavorum* recenſione, ordinis negligens *Pippinos* primo loco ſtatuit, quo numero tres fuerunt; Landenſis nimirum anno 645 denatus; Heriſtalius anno 714 defunctus; & Rex Heriſtalii nepos, qui anno 768 fatis conceſſit. Secundum *Carolis* locum aſſignat,qui rurſus tres fuerunt;Hasbanius circa annum 550 vita functus:Martellus anno 741 denatus: Magnus anno 814 ad alterum ſeculum tranſlatus. Tertio *Ludovicos* loco memorat, *Magnum* ſcilicet anno 511 denatum: *Pium* anno 840 mortuum: & Germaniæ Regem, Arnulfi Imperatoris avum, qui anno 876 deceſſit. *Theodericos* quo jure Arnulfi *avis* & *proavis* annumeret, divinare opis nunc noſtræ non eſt. nulli enim Theodericorum, qui regnum Francicum tenuerunt, anniſque 534, 613, 690, & 737 vivere deſierunt, convenire poteſt, ut Arnulfi ſtirps habeatur. nequaquam etiam eum contigit, Theodericorum Weſogothi anno 466 cæſi, & Oſtrogothi anno 526 denati tradux. ſed fortè Emmæ Ludovico Germaniæ Regi, Arnulfi avo, nuptæ parens Theodericus aliquis fuerit, & Theodericorum aliorum, de quibus Poëta cogitaverit, proles. *Carlomannos* exinde recenſet, 1. Hasbanienſem Pippini Landenſis patrem, & Beggæ, quam Anſegiſus S. Arnulfi filius duxit, avum. 2. Bajoariæ Regem, qui ex Litovindæ Slavicæ contubernio Arnulfum Imperatorem ſuſcepit, annoque 880 Aprili menſe fatis conceſſit. A *Lothariis* quia extremum Arnulfi Majorum agmen claudi jubet, hoc ipſo, ſe cum primo anno 561 defuncto, ſecundum, qui anno 627 diem obiit, complexum fuiſſe, & in deteriorem eorum, qui Dagoberti germanam, Ansberto nupſiſſe crediderunt, opinionem inclinaviſſe, manifeſtè docet.

Si primos Ansbertini matrimonii aſſertores tanta nox circumſedit, ut ignota ſe regione viarum ferri non ſentirent, quid-ni moniti meliora ſequamur, & ſobriè cum priſcis ſapere, quam cum eorum interpolatoribus, dum inconceſſa tentant, quæque non capiunt, fingunt, ſponte deſipere malimus? Cur eorum, quæ Majores noſtros nulli inveſtigationis labori parcen-

centes, ante ſecula novem fugerunt ignorantiam fateri pudeat? Potuiſſet ſanè Gallicæ vel Romanæ originis vir Senatorius Anſbertus dici, & ex Teutonico idiomate, quod à ſeculi quinti exordio ſecum Burgundiones & Gothi in Gallias intulerant, nomen mutuari; verſaque vice Barbarus Romana nomina uſurpare potuiſſet. Arnulfi Remorum Comitis parentes *Francorum nobiliſſimi*, Quiriacus & Quintiana ante baptiſmum, poſt lavacrum Rogatianus & Eufraſia dicti ſunt: *inter primos Francorum* ſub Childeberto I *proceres* Florus fuit, Bertulfi Abbatis pater; Clotharii I Regis *conſanguineus* ex Andegavorum Comite Epiſcopus Licinius nuncupatus eſt; Waldeleno Duce Flaviæ marito natorum alter Donatus Veſontionis Archiepiſcopus Romanum, alter Ranelenus poſt patrem Dux Francicum nomen geſtavit; Betto ex patre ſanguini regali contiguus, ex Auſtregilde Lupum Senonum Archiepiſcopum genuit; Anglo-Saxonicæ originis Principi Rigoberto ſub Clodoveo II Comiti Palatino nuptæ, Latinum Urſanæ nomen parentes impoſuerunt; Chilperico II antequam regnaret, Danielis ex Hebraicâ lingua repetitum nomen Franci noſtri attribuêre; poſtremus Langobardorum Rex non ex Teutonica, more Majorum, ſed ex Latina præter morem Deſiderii nomen traxit. Si Barbari rerum Domini Romana & peregrina nomina non reſpuerunt; cur Romani à Barbarorum, quibus parebant, vocabulis abhorruiſſent? Gregorius Turonenſis libro 6. cap. 11. *Gundulfum ex domeſtico Ducem* Gogoni Childeberti Regis nutritio ſuffectum *de genere Senatorio* fuiſſe refert; quam multos ætate illa Senatorum nepotes, & Gallici ſeu Romani generis homines, Francicis moribus & appellationibus aſſueviſſe putamus? Quicquamné ulli eorum deceſſerit, ſi Anſbertus, aut Arnoaldus, aut Arnulfus potius, quam Gundulfus nuncupatus credatur? Hæc enim univerſa vocabula ex æquo Teutonica ſunt; utque Gundulfus *favoris adjutorem*, ſic Arnulfus *honeſtatis adjutorem*; Arnoaldus *honeſtatis amatorem*; Anſbertus eum *qui cadavera faciat*, & ſtragem latè edat, ſignificat. Sed fieri nullo modo potuit, ut S. Arnulfi ex *Francorum*, adeoque Barbarorum, prout antiquus vitæ ſcriptor notavit, *proſapia* editi, avus paternus *Senatorius* eſſet, eoque *non Barbarus*, quod pôſt annos ab ejus tranſitu 200 Genealogis placuit. Etiamſi tanti viri, tot Regum ſtirpis nec familiam certò deſignare, nec parentum nomina propria ex fide dignis æqualium aut ſupparium monumentis eruere nunc liceat; obſcuritatem ei natalium aut vilitatem generis nemo jure objecerit; cum *altum* & *nobilem* fuiſſe coætaneus Scriptor expreſsè notaverit; in Theodeberti & Clotharii Regum Comitatu primas tenuerit, eo natum Clodulfum, *illuſtrem* & *excellentiſſimum virum* Deſiderius Cadurcenſis ante annos 1000 vocaverit; poſterorum Angeſiſo altero ejuſdem filio prognatorum ad nos uſque per ducales quinque, & regios 27 gradus perducta ſeries, ſeſe feliciter diffuderit; quodque nulla ab orbe condito gens promeruit, aſpirante Numinis favore, præ aliis univerſis conſecuta Arnulfina fuerit; quid ſatis ſibi deinceps mortales futurum putent, ſi ſeculorum XI Antiquitas, nullamque toto illo temporum decurſu eclipſim paſſus regiæ Majeſtatis ſplendor parum eſſe videatur? Vbi primigenius nativi decoris nitor abundè ſufficit, quid fallentia oculos imperitorum Genealogorum pigmenta, & mentitos Merovingæ gentis colores adlinere neceſſe eſt?

Sed fortè ut inconveniens, ſic incredibile videri poſſit, quod Carolus

 Calvus

Calvus de generis ſui fonte, à quo ſeptem tantum gradibus diſtabat, falſa ſomniare auſis fidem accommodaſſe; eademque diſſeminare conatus, neminem qui reclamaret offendiſſe dicatur; nihil tamen ad fabulas facilioris Principis, eique ſubblandientium communis in re grata error, à ſeculi noni & ſequentium moribus alienum inducit: quemadmodum id amantibus ferè ſemper evenit, ut ipſi ſibi ſomnia fingerent, & in eos, quibus aliena ad ſe minimè pertinentia diſcutere, plauſumque caris ſibimet illudentibus denegare grave eſſet, inciderent; vix unquam contigit, aut in poſterum continget, ut quæ animos favoris quadam ſpecie titillant, & qualecunque ſui deſiderium facere apta ſunt, gratiæ nimiæ ſuſpecta fiant. Illo ipſo tempore, quo Carolo Calvo & propinquis non prius audita, de regio S. Arnulfi ſtemmate carmina decantari cœperunt; quam facile eſſet, in iis quæ placent, decipi, non Franci ſolum, ſed Occidens univerſus expertus eſt. ad annum uſque 837 Dionyſium Areopagitam à Pariſienſi publicæ Eccleſiæ Latinæ tabulæ conſtanter ſecreverant, alioque paſſionis genere, loco, tempore à diverſis conſummatos notaverant: ſic enim ad quintum Nonas Octobres Martyrologia legebant; *natalis S. Dionyſii Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto: & primus apud Athenas ab eodem Apoſtolo Epiſcopus eſt ordinatus. Et ſub Adriano Principe, poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt graviſſima tormentorum genera, glorioſo Martyrio coronatur, ut Ariſtides Athenienſis, vir fide ſapientiaque mirabilis, teſtis eſt in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit. Hoc opus apud Athenienſes ſummo genere colitur, & inter antiquorum monumenta clariſſimum tenetur, ut peritiores Græcorum affirmant.* Et ad ſeptimum Idus Menſis ejuſdem; *apud Pariſium, natalis Sanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici Presbyteri, & Eleutherii Diaconi. qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano ad Gallias directus, ut prædicationis operam populis à fide Chriſti alienis exhiberet, tandem Pariſiorum civitatem devenit, & per aliquot annos ſanctum opus fideliter & ardenter executus, à præfecto Feſcennino, unà cum prædictis ſociis comprehenſus, ac gladio animadverſus, Martyrium complevit.* At ubi Hilduino S. Dionyſii Abbati priſcorum monumentorum fidei obnitendo, duos in unum conflare viſum eſt; ex tertio in nonum Octobris tranſlata Areopagitæ mentione, eidem quæ Pariſienſis propria erant, adaptari cœperunt; nec quiſquam ante tempora noſtra repertus eſt, qui Hilduini ſive mala fide, ſive hallucinatione deprehenſa, utrique Dei Martyri propria ſua reſtitueret. quis nunc veri ſtudioſus Hilduini temeritatem excuſet?

Ad v Nonas Octobres.

Ante annos circiter 20, cum ex Genealogiarum, à Caroli Calvi temporibus, editarum & legendarum aliquot, quarum examen nullum inſtituerat, collatione, in eam ſententiam Andreas Cheſnæus inclinaſſet, ut S. Arnulfi genus à Ferreolis repeti poſſe putaret; quam multis præconcepta, de indefeſſa optimi viri diligentia, impoſuit opinio? Cuiquamne cordato juſtum videbitur, ut quæcunque de patria hiſtoria optimè meriti conjecêre, indiſcuſſa admittantur? A ſeculis aliquot Sabaudiæ & Montisferrati Principes Beraldum & Aleramnum Saxones tanquam generis ſui ſtirpes coluere; Mirandulæ & Concordiæ Comites Manfredi Euridis Conſtantio Imperatore natæ nepotes videri voluerunt; ſimile quippiam Ateſtina gens animo verſavit: Montismoranciaci dynaſtarum origo à Lisbio, cujus prima in Hilduini Areo-

pagiticis

pagiticis mentio, repetita eſt; Coſſæorum Briſſaci Ducum à Cocceio Nerva; Mirapicenſium Marchionum, & Ventaduriorum Ducum, quorum *Levis* in Pariſiaco agro vicus natale ſolum eſt, à Levi Patriarcha; Guſſeriorum Radumnæ Ducum & Bonniveti Marchionum à Waifario Aquitaniæ Duce, cujus hæredem Hunoaldum anno 769 Carolus Magnus è medio ſuſtulit; Auſtriacæ familiæ decus in Sigeberti Theoderico II ex contubernio nati, & Clotharii II juſſu anno 613 ante pubertatem interempti tumulo plurimi quæſiverunt; Naſſoviorum procerum genus ad Naſium Conſulem ſtramineum retulit, qui illuſtriſſimæ gentis lauros in apertum Solem trahere conatus eſt. Errantibuſne, quia quod volunt Sabinorum more ſomniant, gratulandum fuerit, ne tandem aliquando errare deſinant?

Quanta ſit favoris, in quibuſcunque facti quæſtionibus, cæcitas, & negligentia ex Hilduini in patronum proprium auſu evicimus; Caroli Calvi, de S. Arnulfi atavi Majoribus erratum, conſimile Othonis Friſingenſis de Conradi Salici abavi materni, paterno ſtemmate commentum, ſi alterum cum altero componatur, venia dignius reddet. Carolus Calvus Magni S. Arnulfi abnepotis nepos, anno 823, à S. Arnulfi tranſitu 182, Iunii 13 natus; & in ſeptimo generationis gradu traducem ejus contingens, anno 840 vel 41, vitæ 18, regni I. à S. Arnulfi dormitione 200, è tenebris erutum à ſe Sancti viri genus gloriantibus aſſentiendum putans, ſibi & ſeculo ſuo, quod avo incomperta inveſtigaſſet, eò ſecurius gratulatus eſt; quod nemo, qui vel meliora doceret, vel falſi ſuſpicionem ingereret, obvium habuit. Otho Friſingenſis anno plus minus 1112, à Ludolfi Alamanniæ Ducis atavi morte 155 natus, & ab eo octavus; qui ex Ditmaro & Wipone certiora de Conradi Salici genere diſcere potuerat; Carolo Calvo duplò ſenior, & à puero ſtudiis immerſus; poſt annum 1155, vitæ circiter 44, à Ludolfi morte ferè 200; Conradi Salici paternam originem à Conrado Duce, qui Ludgardim Ludolfi germanam duxerat, nulliſque liberis relictis, in prælio cum Hungaris anno 955, Auguſti 10 commiſſo, occubuit, derivans; ex Saxonica regia familia revera prognatum ad Weteravicam Comitalem, à qua prorſus alienus erat, imprudens tranſtulit: cujus, ut hallucinationem certius deprehendat lector, univerſa hæc animo infigere non gravabitur. Anno 929 Editham Anglicam cum duxiſſet Otho Magnus, ex ea anno 947, Ianuarii 26 defuncta, Ludolfum Ducem, & Ludgardim ſuſcepit, quæ Conrado Duci, anno 955 cæſo, liberos nullos peperit; Ludolfus longe ante patrem anno 957, Septembris 6, Othone filio relicto deceſſit; Otho Franconum & Alamannorum Dux anno 982 jam affecto obiit; Ex eo Henricus Franconiæ, & Conradus Carinthiæ Duces prognati ſunt; quorum ille circa annum 1000 denatus Conradum Salicum genuit; Conradi Salici anno 1039, Iunii 4 defuncti hæreditatem univerſam Henricus filius Niger dictus adiit; eidemque anno 1057, Octobris 5 denato Henricus filius ſucceſſit; cujus anno 1106, Auguſti 1, mortui filia Agnes Lupoldo Auſtriæ Marchioni juncta, Othonem Frinſingenſem peperit; ab hoc, qui Conradum Salicum, abavum alienæ familiæ inſeri potuiſſe videmus, cur Carolum Calvum à Genealogis imperitis deceptum, S. Arnulfo atavo, Majores *Senatorii generis* viros, avo patrique ignotos tribuiſſe, & tribuendi aliis authorem fuiſſe miremur?

Abjecta rancida, cujus infeliciter patrocinium ſuſceperat, fabula, renuda-

 tiſque

De vera Chronici Divionenſis lectione.

tiſque ludionum, qui Francis ab annis 800 illuſerunt, & Chiffletium ipſummet faſcinarunt, pudendis; ad propria adverſarii ejuſdem delicta coarguenda reverti nos oportet: Chronici Divionenſis, ſeu Benigniani, quod Eginhardi & Aimoini conſutis poſt annum 1050 centonibus fere conſtat, mendoſum exemplum nactus, Hugonem Abbatem Roberti Fortis fratrem aliquoties ex ejus fide vir Polyhiſtor Nicolaus Vignerius nuncupaverat, aliis nuncupandi exemplum dederat; ejuſdemque auctoritatem in *Vindiciis*, *Luminibus*, & *Lampadibus* ſecutus Chiffletius, Robertum Fortem & Hugonem Conrado & Adelhaide natos contenderat; erroris monitus animos ex eo novos ſumit, primigenium exemplar à Vignerio, qui ſe id nec in poteſtate habuiſſe, nec propriis oculis luſtraſſe uſpiam ſcripſit, Baſileam deportatum ſine teſte ac colore cauſatus; quod nunc Divione aſſervatur, quantumvis id nec per ſe, nec per alios viderit, *novum, interpolatum & mendis ſcatens* haberi jubet; quin imò lectionem, quam Chronicon Bezuenſe, Garnerii Præpoſiti vita & Albericus confirmant, palam impugnat; eoque ipſo germano, qui Benignianum manuſcriptum conſuluerat, & inſtitutam à ſe Divione agente exempli cum archetypo accuratam collationem teſtatus erat, perfricta ſic fronte obloquitur: *addit, Tenneurius litteras fratris mei P. Petri Franciſci Chiffletii, quibus monuit P. Philippum Labbeum, ſe accuratè contuliſſe apographum Chronici Benigniani cum archetypo* (la copie avec l'original) *ibique notaſſe ſcriptum*, fratres Hugonis Abbatis, *non autem* fratris. *Verum ejuſmodi obſervatio nihil me movet.* Atqui *movere* ante omnia debuit, germani, viri gravis, literati, & Theologiam profeſſi de codice Benigniano judicium. ſi enim codicem illum *archetypi* dignitas manet, ejuſque reſpectu cæteri *apographorum* loco ſunt; nec novus, nec interpolatus cenſeri à quoquam debuit. Cur hac in parte fratrum gratiam raram eſſe Chiffletius velit? *Scio*, inquit, *codicem, quem frater meus inſpexit, non eſſe ipſiuſmet auctoris autographum; quem vetuſtiſſimum eſſe oportet, atque annorum plane ſexcentorum; quandoquidem auctor opus ſuum concluſit in vita Halinardi, ex Abbate S. Benigni Archiepiſcopi Lugdunenſis; quem notat obiiſſe Romæ anno* 1052. *Quod quidem primigenium exemplar (quod modò non comparet) non dubito Divione viſum à Nic. Vignerio anno* 1573, *biennio antequam ederet Baſileæ ſuum de rebus Burgundicis Chronicum. Id enim colligi datur ex iſtis, quæ ad annum* 867 *affirmatè refert:* &c. Chronicum Divionenſe Hugonem Roberti fratrem fuiſſe tradit, &c. Et *in Bibliotheca hiſtorica anno* 1587 *Pariſiis in lucem edita*; Similiter &c. *Quid clarius? Quid magè oppoſitum MS. exemplari, quod nunc ſupereſt Divione?*

Vindic. pag. 11. Lum pag. 180, &c. Lampad. pag. 45.

Tenneu. expenſ. pag. 38.

Quò *clarius* eſt *Divionenſem Codicem* ita cum *apographo* Vigneriano pugnare, ut *nihil magè oppoſitum* dari poſſit; eò altius, quodque arte nulla curari valeat inflictum ſibi à fratre vulnus, Archiatrorum Hiſpanicorum Comes profiteri vel ingratiis ſuis debet: ſi enim fratre, qui viſa bona fide retulit, judice *Divionenſis codex*, illud ipſum *archetypum* eſt, ex quo *apographa* deſumi oportuit, idque uſque *nunc* conſulentibus *comparet*, antiquitate & dignitate ita præſtat, ut abſolutè primum, ac verè *autographum* ante annos 600 *Authoris* ipſius manu exaratum haberi & dici mereatur; ac ex conſequenti quod *ſcire* ſe Chiffletius dixit, cum ipſiſſimis fratris verbis refellatur, falſum ſcituque impoſſibile reputandum eſt: ſi rurſus *archetypo* Divionenſi, quod res ipſa clamat, Vignerianum *apographum* repugnat; nec *archetypum* Vignerius

rius *vidit* unquam, nec Chiffletius à Vignerio *anno* 1573 *viſum* certo ſtatuere potuit; idque unum de quo *dubitare* nos non liceat, fixum ratumque manet, Vignerio abſenti mendoſum *Divionenſis codicis* exemplum à legendi minus perito transmiſſum fuiſſe; quod ille poſtea Belleforeſtio, Fauchero, Maſſono aliiſque recentioribus communicavit. Quid contra Expenſor?

Sed & hujuſce [quam Vignerius ſecutus eſt,] *lectionis veritatem mirum quantum confirmet auctoritas Ioannis Beſlii, qui vir* ſagaciſſimus & prudentiſſimus *vocatur à Tenneurio*; è cujus inſtructiſſimis ſcriniis, *ait Marquinus*, deprompta fuerunt rerum noſtrarum egregia monumenta; ita ut abſtruſæ antiquitatis caliginem clariſſimo ingenii & doctrinæ lumine diſcuteret, difficillimos hiſtoriæ nodos ſolveret, & illuſtrium familiarum origines, proceſſus & affinitates è vetuſtiſſimis adytis vindicatas æternitati mandaret. *Exceſſit è vivis Ioan. Beſlius* 15 *Cal. Iunias anni* 1644. *Prodiêre in lucem Vindiciæ meæ Hiſpanicæ anno* 1645. *in quibus ex Divionenſi Chronico aſſerui fraternitatem Roberti Fortis & Hugonis* II *Abbatis*; *cui deinde anno* 1646 *contradixit Dominicus. Tum anno* 1647 *edita ſunt Pariſiis opera poſthuma Ioannis Beſlii, ſub auſpiciis ampliſſimi doctiſſimique viri Petri Puteani, à quo ante editionem ſic recenſita fuêre, ut Beſlii filius in dedicatoria* Puteanum *vocet* illorum alterum Auctorem. *Atqui in tractatu peculiari de Hugone* I *Abbate, Caroli Magni filio, Beslius Odonem* (*qui abſque controverſiâ fuit filius Roberti Fortis*) *vocat* nepotem ex fratre Hugonis II Abbatis, qui fuit nepos Ducis & Abbatis Hugonis, filii Caroli Magni, &c. *Ex quibus, & aliis pluribus Beſlii in citato tractatu locis, perſpicue conſtat, Robertum Fortem & Hugonem* II *Abbatem fuiſſe germanos fratres*; *& præterea prodiiſſe utrumque ab Hugone* I *Abbate, Caroli Magni filio: quæ certè dubitet nemo, accuratiſſimum Beſlium ex probatis hauſiſſe monumentis*; *ac ſeriò etiam examinata à Petro Puteano, publici Status conſilii Regio Senatore*; *qui alioqui non facile tuliſſet prælo committi poſthumum Beſlii opus contra ipſius famam, & in confirmationem meæ aſſertionis, quæ jam à biennio in omnium manibus verſabatur, & ante annum jam à Dominico publicè contradicta fuerat.* Hucuſque adverſarius, quem pervicaciæ ſuæ, ubi eam à fratre revictam vidit, merito pudere debuerat; ſed *inſanabile*, quod ipſum jamdudum *tenet*, quicquid quomodocunque ſcripſit mordicus tuendi, *cacoëthes* prodere maluit; qui enim adverſariis vera fratrique comperta monentibus cedat, qui fraterni teſtimonii auctoritati cedere non potuit? Ioannis nunc Beſlii Vigneriano Chronici Divionenſis apographo uſi, earum literatis omnibus nomen obtendit, in ejus quæ nemo non probat elogiis hoc fine multus, ut vel meritis eum laudibus, ſi humani quippiam paſſum notemus, fraudare videamur; vel ſi non notemus, quem cum eo contraxit errorem fovere cogamur. ſed nobis officii memoribus *amicus* erit Vignerius, *amicus* Beſlius, *ſed magis amica*, quam præcipuo cultu, eorum exemplo proſequimur, *veritas*; illi bona fide, quod mendo carere putabant, Divionenſis Chronici apographum laudaverunt, falſam ex eo de Roberti Fortis & Hugonis Abbatis germanitate ſententiam hauſerunt; & Adelhaidem Hugonis II parentem, primo, quem conjugio alligatum, & Ducali titulo inſignitum fuiſſe, probabile putaverunt, natam non ſine colore conjecerunt. quibus eorum opinio incommodis urgeatur, in primi *Vindiciarum* capitis, *Novorum luminum*, & *Lampadum hiſtoricarum* examine docuimus; nec præclare de iis ſentire deſiimus, nonnulla in ſcriptis

Pag. 39, & 40.

eorum,

eorum, quæ deſideraremus, ipſique, ſi viverent, emendaturi eſſent, nacti: ante ſeculi XVI exitum ad meliorem ſortem translatus Vignerius fuerat; menſe à Beſlii obitu x, Vindiciarum ſuarum editionem abſolvit Chiffletius, eodemque tempore patris opera poſthuma typographo excudenda tradiderat Ioannes Beſlius uſque nunc ſuperſtes; qui illuſtris memoriæ Petrum Puteanum anno 1647, Februarii 1, cum jam typographus penſum exſolviſſet, honorificè compellans, *alterum* eum jam editorum *Auctorem* vocavit; non quod in iis *recenſendis* operam ullam navaſſet, aut antiquo amico commune cum Chiffletio, cujus Vindiciæ nondum proſtabant, commune quicquam fuiſſe probaſſet; ſed quod patrem ad ſcribendum, ſe ad paternarum lucubrationum editionem procurandam impuliſſet; eaſdem edituro typographo commendaſſet; earum denique in publicum prodituraram editionem privilegii regii impetratione muniiſſet. Non ergo quæcunque Beſlius ſcripſerat, ſua facere, aut eadem ut in ejus verba quiſquam deinceps juraret, præſtare, ſed bene de ſe & republica literaria meriti viri famam conſuetæ benevolentiæ officiis extendere, Puteani mens fuit; qui defunctum ob ſingularem modeſtiam, multam lectionem, & indefeſſam diligentiam, magni ſemper fecerat; omniſcium aut extra omnem erroris aleam poſitum nunquam credidit, aut credi ab aliis voluit. Quocirca ex Vignerii & Beſlii, Chronicon Divionenſe laudantium aſſertionibus, ipſoque Puteani amicorum memoriæ conſulentis facto, id unum ſequitur; eos, quod in Chronici illius apographo legebant, in autographo ipſo, à ſe nunquam viſo exſtare perſuaſum habuiſſe; nec expenſoris argumentum procedit, *Vignerius & Beſlius ex apographi ſui fide non* fratres, *ſed* fratris *legerunt*, *& Hugonem Abbatem Roberti Fortis fratrem fuiſſe crediderunt*: Ergo *non* fratres, *ſed* fratris *legere*, *Hugonem Abbatem Roberti Fortis fratrem credere*, *codicem Divionenſem*, *qui aliud ſuadet*, *novum & interpolatum cenſere oportet*.

Sed promoto pauliſper gradu Vignerium, Beſlium alioſq; univerſos, qui Divionenſe Chronicon citarunt, *primigenium* ejus *exemplar*, quod nuſquam *nunc compareat*, Divione *inſpexiſſe*; tanta cum religione ac cura Antiquarios id exſcripſiſſe, ut in eorum apographis, ne minimi apiculi vitiati ſuſpicio ſit; *quodque* hodie *Divione viſitur* exemplum ut *primogenio exemplari* reſpondeat, ex Vigneriano & Beſliano corrigendum fingamus; Hugonem-ne Abbatem Roberti Fortis fratrem verè nuncupaverit, Chronici Divionenſis primus quiſquis ille fuit conſarcinator? Imo falſo, & nulla prorſus fide; cum enim non conſarcinatoris, ſed Aimoïni, totus ille, qui de Roberto Forti & Hugone agit, locus ſit; Aimoinus verò Herricum & Annales Bertinianos imitatus, Hugonem Abbatem Roberti Fortis filium id eſt privignum vocaverit, Aimoïni deflorator, qui ſine falſi crimine Hugonem Roberti Fortis fratrem nuncupare nequaquam potuiſſet; Odonem & Robertum Fortis filios, ex Aimoïni & priorum mente, Hugonis Abbatis fratres, quia matris ejuſdem utero fuſi fuerant, jure optimo vocavit: quod ut evidentius fiat, en defloratum à Chronici Divionenſis ſcriptore, ex Aimoïni de S. Benedicti miraculis, lib. 2, capite 1 locum; *eſſera memoratorum natio Danorum, tertiam Neuſtraſiis inflictura cladem advenit*, *intuliſſetque majorem ſuperioribus*, *ni Hugo*, [*ut fertur*, *Roberti filius*,] *per Gallias Abbatis honore præditus*, *eorum compeſcuiſſet temerarios auſus*, &c. *Supererant duo filii Roberti*, *ſenior Odo dicebatur*, *Rotbertus alter*, &c.

Cancellis incluſa à defloratore omiſſa ſunt.

Qui

Qui antea Aimoïni *Hugonem Roberti filium* vocantis ambigua verba eo conſilio reſecuerat, ne quis Roberti privignum, naturalem & proprium ejuſdem filium putaret; in ſequentibus mentem ejuſdem accuratius expreſſurus, & Roberto natorum cum Hugone propinquitatem declaraturus, poſt hæc ejus verba, ſupererant duo filii Roberti; addit, *Andegavorum Comitis, fratres Hugonis Abbatis*; ac mox Aimoïni à ſe interſciſſa verba reſumit, *ſenior Odo dicebatur, Robertus alter*, &c. Quæ αὐτολεξεὶ repetunt Chronicon Bezuenſe, & vita Garnerii Præpoſiti; Albericus verò ante annos 400 denatus, ipſaque Chronici Divionenſis auctoritate fretus explicat, Odonem & Robertum Hugonis *ex matre fratres* fuiſſe notans. hinc enim liquere poteſt, quo ſenſu Aimoïnus Herrici & Annalium Bertinianorum exemplo, Hugonem Roberti Fortis *filium* fuiſſe dixerit; quandoquidem affinitatis jure, ut *privignus*; non ſanguinis lege, ut *proprius & naturalis filius* fuit; *fratreſque* Odonem & Robertum habuit, non *germanos* & ὁμοπατρίους, ſed *uterinos* & ὁμομητρίους. Cum igitur nemo, niſi fortè per nefas ſive voluntarium, ut apud Perſas, quorum cum matribus paſſivus olim concubitus fuit; ſive involuntarium, ut, Oedipodis, matris connubio impiati, pater filii, filius patris frater eſſe poſſit; tale nihil Capetinæ genti unquam impactum ſit; Hugo Abbas quem Aimoïnus Roberti Fortis *filium* fuiſſe refert, hoc ipſo quod *filius* quomodocunque audiit, Roberti ejuſdem *frater* à Benigniano Aimoïni defloratore dici non potuit: eaque Chronici ab eo ſcripti apographa, quæ *fratrem* nuncupant, non veram lectionem, ſed meram ex neceſſitate primigenii exemplaris corruptelam exhibent; quam Divionenſis codex manifeſtè reſpuit; Odonem & Robertum *Roberti* Fortis *filios, Hugonis*, quem Herricus & Annales Bertiniani Conrado patre natum aſſerunt, quemque Aimoïnus priorum exemplo Roberto tanquam vitrico *filium* tribuit, *fratres*, quia ex eadem matre prodierant, fuiſſe confirmans.

Ad annum 888.

De Hugonis I Carolo Magno ex Reginæ contubernio nati perpetuo cœlibatu, vitaque à primis adoleſcentiæ annis Clericali, & monaſtica, quæ fuſius adverſus Chiffletium diſputavimus; iis quæ nunc reponit *monaſteria regularia* illo ipſo, quo Hugo vivebat, tempore, & ſequentibus, viris Principibus, conjugio illigatis, & merè Laïcis, quos vulgò *Abbacomites* nuncupabant, commiſſa paſſim fuiſſe, convelluntur: quandoquidem planè inconſequens eſt, Hugoni, ſi tale quippiam contingere quomodocunque potuit, revera contigiſſe: nec nos Hucbertum Teutbergæ Reginæ germanum, *Clericum conjugatum*, imò Sabaudicæ gentis, ſi quid capimus, ſtirpem, Iuranarum partium Ducem, & Agaunenſis ac Laubienſis Cœnobiorum Rectorem eo modo fuiſſe infitiamur, quo Robertus *Hugonis* II *frater* uterinus; eodemque denato Hugo Magnus Capeti Regis parens, S. Martini Turonenſis, S. Dionyſii Pariſienſis, & S. Germani à pratis in Lutetiæ ſuburbio Abbatias rexerunt, & Monachorum *Patres* habiti ſunt: Alberico etiam, quam præ aliis promeruit, laudem denegare animus non eſt; utut in eo vulgi cantilenis & fabuloſis relationibus nimium addicto, judicium deſiderare cogamur: ſed in Hugone I ſive erraverit, quod demonſtravimus, ſive non erraverit, quod Expenſor putat; Robertum Fortem Capeti Regis proavum, Hugonis I Abbatis filia, ſive legitima, ſive non legitima, cum id ejus ætas non ferat, naſci potuiſſe negamus.

Tenneu. expenſ. pag. 40.

Annal. Bertin.

Ne Childebrandum Ducem Roberti Fortis abavum, & Capeti Regis tritavum, Pippino Heriſtalio S. Arnulfi nepote natum fateri cogeretur; poſt tædioſas ac planè ἀπροσδιονύσους de *fratris germinis, germanitatis, ſtirpis* & *germani* vocabulis diſputationes, quas in appendice ad primum *Vindiciarum* caput, pro merito excepimus; eò vitilitigatorum audaciſſimus devenerat, ut Fredegarium Scholaſticum in Hiſpania verſatum, & Hiſpaniſmum affectare ſolitum, vigilans ſomniaret; nobiſque feſtuca gemina in ſpeciem armatus, ſed ſecum revera pugnaturus, occurreret. hinc Hiſpanorum hodiernorum idioma obtendens, quod *fratris* vocabulum penitus expunxit; ad cujuſcumque generis propinquos, dictionem *Hermano* ex Latinorum *germano* corruptam extendit; & vocibus ab S incipientibus literam E præfigere ſolet. quaſi verò Fredegarius, qui Latino ſermone, ſed minus culto, eo tempore uſus eſt quo Hiſpania à Saracenis triumphata, totaque in barbariem verſa, patrium ſermonem loqui dedidicerat, & exteris Chriſtianis impervia facta fuerat; regionis univerſo priſtino cultu ſpoliatæ, & ſub infidelium ubique Arabiſmum ſuum ſtridentium jugo vix ſpirantis, laceros ac ſordentes pannos, & miſerandam balbutiem, Francia Barbarorum domitrice, in quâ cum externa pax religionis florebat, poſthabita expetere potuerit. Inde Fredegarii Hiſpanico hodierno planè contrarium idiotiſmum adverſus priorem ſuam hypotheſin urgens, quaſi rurſus fieri potuerit, ut is, qui ab uſu communi Hiſpanorum longiſſimè receſſit, quaſque in vocabulorum formatione induxerunt proſtheſes ita averſatus eſt, ut contrariam aphæreſin inducere non dubitaret; pro *Hiſpania* Latinorum elegantiorum, & *Eſpaña* vulgo *Spaniam* conſtanter pronuntians; *Hiſpaniſmum*, quem ex profeſſo impugnabat, *affectaret*. Commenti prioris inſulſam vanitatem Chiffletius ipſemet prodit, in confeſſis confirmandis multus, in controverſis demonſtrandis nullus. quem enim Hiſpanum Fredegario priorem, æqualem, ſupparem protulit, qui Latinè ſcribens fratres uterinos, *germanos* vocaret? Ex Sebaſtiano Salamanticenſi germanorum filios, quos *patrueles* appellare ſolemus, cogermanos barbare dici conſueviſſe nullo fructu docuit; quandoquidem nec de iis, ſed de fratribus uterinis *germani*-ne dici poſſent, agebatur; nec de conſobrinis, ſed de patruelibus Ramiro & Adefonſo *cogermani* appellationem uſurpatam, extra chorum ſaltans probavit. Poſterioris nunc refutationem, velut ex profeſſo ſuſcipit; non ſolos *Hiſpaniſmum affectantes*, ſed quoſvis *Spaniam* pro *Hiſpania* ſcripſiſſe notans: Iberia, inquit, *Græcis, Latine olim dicta eſt* Pania: at juniores, *inquit Plutarchus*, vocabulum inde deducentes, Spaniam dixerunt, ut voluit Soſthenes libro decimotertio rerum Ibericarum. *Hinc Strabo, Euſtathius, Vegetius*, Spaniam *agnoverunt pro Hiſpania. Et Nonius pullum colorem explicans,* (*ut ex MS. codice Iunius atteſtatur*) Pullum, *ait*, quem nunc Spanum, vel nativum dicimus. *Anaſtaſius in Benedicto tertio*: Spaniſcas, quæ pendent ſuprà altare. *Item*: veſtem de Spaniſco ornatam, *hoc eſt, de velo Hiſpanico. Similiter apud veterem & Latinum Iuvenalis Scholiaſtem leges*, Spaniam Bæticam, *pro Hiſpania Bætica*: *Ægidius Albornotius, Conchenſis Hiſpanus, à Clemente* VI *creatus Cardinalis anno* 1350. *antiquitatis Hiſpanicæ ſcientiſſimus, reſcriptis & epiſtolis; quas Latino ſermone dabat, chirographum ſic adhibebat*, Ægidius Cardinalis Spanus. *Ita & diu ante Fredegarius, qui Latinè hiſtoriam ſcripſit, quinque ad minimum locis uſus eſt vocibus* Spania & Spanias.

[Margin notes: Lampad. pag. 16. — Tenneu. expenſ. pag. 41. — Lib. de flum. ac montibus cap. 15. — Ad Satyr. 12.]

Ex his

Ex his apparet tam Græcis quam Latinis, priſcis & recentioribus familiare fuiſſe *Spaniæ* vocabulum, nullamque in ejus uſurpatione Hiſpaniſmi propriè dicti affectationem fuiſſe; ac proinde, quæ adverſarius ſubnectit, planè inconſequentia eſſe; *unde colligi datur, illum Latinam Hiſpanorum locutionem imitatum, non verò Italorum, qui vernaculè* Spagna *dicunt, non Latinè.* Imò *colligi datur* communem tàm Græcorum quam Latinorum uſum, quem Teutones univerſi uſque nunc conſtanter ſervant, Fredegario patrii moris tenaciori convenientiorem viſum fuiſſe; cum Hiſpaniam *Spania,* Hiſpanum *Spaniſch* Teutones univerſi vocare ſoleant, eorum idioma *Spaniam* & *Spanum* Latinè ſcribentium, locutionem fidelius & accuratius exprimat; eamque Italorum vulgus *Spagna* & *Spagnuolo* pronuntians, mordicus retineat; quod de Italis & Hiſpanis Latinè ſcribentibus, quorum ab initio uſus varius fuit, dici nequaquam poteſt. Eorum certè, quibus *Spaniæ* vocabulum arriſit, auctoritatem vulgus per Italiam, Germaniam, Belgium, Angliam, &c. ſecutum eſt; eorum verò, qui Hiſpaniam pronuntiaverunt, partibus vulgus ſe per Gallias & Hiſpanias in ſpeciem addixit; quem enim ad modum Galli *Eſpagne,* Hiſpani hodierni *Eſpaña* ſcribere & pronunciare amant, eoque ipſo Chiffletianum de Fredegario *Hiſpaniſmum affectante* ſomnium exſufflant; cujus, ut vanitatem magis ac magis averſetur, ſeque à fabularum quarumcunque contagio immunem præſtet, novam ab ingenioſiſſimo & feliciſſimo Phœniciarum Antiquitatum eruderatore Samuele Bocharto accenſam lucem ob lectoris oculos ſtatuemus. In hiſtor. epitom. cap. 93.

Vt, inquit, *à Luſo Luſitania, ſic à Pane, qui & ipſe fuit è Bacchi ſociis,* Spania *dici fingitur. Plinius ex Varrone lib. 3. cap. 1.* Luſum enim Liberi patris, ac Lyſam cum eo bacchantem, nomen dediſſe Luſitaniæ, & Pana præfectum ejus univerſæ. *Sothenes de Baccho Ibericorum lib. 13.* Νικήσας δὲ καὶ Ἰβηρίαν, Πᾶνα κατέλιπεν ἐπιμελητὴν τῶν τόπων, ὃς τὴν χώραν ἀπ' αὐτοῦ Πανίαν μετωνόμασεν, ἣν οἱ μεταγενέστεροι παραγώγως Σπανίαν προσηγόρευσαν. Devictâ Iberiâ Panem locorum præſidem reliquit, qui regionem à ſe ipſo Paniam nominavit; unde per derivationem poſteri Spaniam nominarunt. *Nec temere eſt quod pro Hiſpania Spaniam ſcribit. Ita enim Paulus Rom.* 15. 24.28, Εἰς τὴν Σπανίαν. *& Theophilus ad Autolycum lib.* 2, Τὰς καλουμένας Γαλλίας καὶ Σπανίας. *Et Euſebius in Chronico pag.* 13, Σπανογαλλία, Ἰβηρία, Σπανία ἡ Μεγάλη. *Et Epiphanius hæreſi* 62. 83, ἕως διακατοχῆς τῆς Σπανίας. *Et in Ancorato cap.* 115, Λυσιτανοὶ, Οὐακαῖοι, Σπάνοι. *Et Pæanius de Adriano:* Ἰταλικοῦ μὲν γένους, τεχθέντα δὲ ἐν Σπανίας. *Et Geographus Anonymus ſub Conſtantio:* deinde ad Gallias Spania. *Et in ſubſcriptionibus Concilii Conſtantinop.* 150 *Epiſcoporum:* Provinciæ Spaniæ Agrius Laminitanenſis. *Et vetus Iuvenalis Scholiaſtes Sat.* 14, Calpe in extrema Spania. *Et de Tago & Pactolo ibidem:* Fluvii, unus Spaniæ, alter Aſiæ. *Et Gloſſæ:* Σπανία, Hiſpania. *Sic in MSS. exemplaribus Curtii, Iuſtini & Capellæ, Spaniam pro Hiſpania crebro occurrere author eſt doctiſſimus Voſſius. Et in Marco Antonino Iulii Capitolini Palatium MSS. habet:* Municipio ex Spania. *MSS. item Apuleji herbarium:* à littore Carthaginis novæ uſque in Spaniam. *Vtrumque didici ex Cl. Salmaſio: & ex Caſaubono legi in antiquis Athenæi membranis initio libri octavi:* τῆς Ἰβηρίας ἣν νῦν Ῥωμαῖοι Σπανίαν ὀνομάζουσι. *Et Chryſoſtomi MSS. homilia quinta in acta:* Κἂν εἰς Σπανίαν ἔλθῃς. *Sic in Eulogii Memoriali non ſemel fuit ſcriptum* Eccleſia Spaniæ, *pro quo per-* Chanaan lib. 1. cap. 35. pag. 699.

peram Hiſpaniæ *reſcripſit Ambroſius Moralis. Hinc pullus color Nonio* Spanus. *Et in Galeno Simplic. lib.* 6, Τὸ ἀπὸ τῆς Ἰβηρίας κομιζόμενον ἔλαιον, ὅπερ Σπανὸν ὀνομάζουσιν· *&* Spanicum argentum *pro Hiſpanico apud Anaſtaſium in vitis Pontificum. Sed &* Eſpaniæ *nomen, quod vernaculæ linguæ uſurpant, ex Spania palàm deductum, non autem ex Hiſpania. Abſit tamen ut putemus Spaniæ nomen dediſſe Panem Arcadem. Quin quod alibi diximus eſt veriſſimum, è Phœnicia cuniculi appellatione* שפן Saphan, שפנית Sphanijam vel Spanijam *nominaſſe Phœnices, id eſt,* cunicularíam *vel* cuniculoſam. *Quomodo & Catullus in epigrammate ad contubernales*:

Tu præter omnes une de capillatis
Cuniculoſæ Celtiberiæ fili.

Nempe in leporino genere cuniculus olim Hiſpaniæ fuit, prope dixero, peculiaris. Varro de re ruſtica lib. 3. *cap.* 12, *ubi de leporibus:* tertii generis eſt quod in Hiſpania naſcitur, ſimile noſtro lepori ex quadam parte, ſed humile, quem cuniculum appellant. *Et rurſus:* in Hiſpaniâ annis fuiſti ita multis, ut inde te cuniculos perſecutos credam. *Galenus de alimentis lib.* 3, Οὔκουν ἔτι δεήσομαι λόγων μακρῶν εἰς τὸ τὰ καθ' ἕκαστον ἔθνος ἐπιχώρια τῶν ζώων ἅπαντα διέρχεσθαι, καθάπερ ἐν Ἰβηρίᾳ τὸ τοῖς λαγωοῖς ὅμοιον ζωίδιον ὃ καλοῦσι κόνικλον. Non opus erat pluribus animalia omnia exequi quæ apud ſingulas gentes propria ſunt & indigena, quale eſt in Hiſpania leporibus ſimile animalculum, quod cuniculum appellant. *Ælianus de animalibus lib.* 13, *cap.* 15, Πέφυκε δὲ καὶ λαγὼς ἕτερος μικρὸς τὴν φύσιν οὐκ δὲ αὔξεταί ποτε, κόνικλος ὄνομα αὐτῷ. Οὐκ εἰμὶ δὲ ποιητὴς ὀνομάτων, ὅτεν καὶ ἐν τῇ συγγραφῇ φυλάττω τὴν ἐπωνυμίαν τὴν ἐξ ἀρχῆς, ἥνπερ οὖν Ἰβηρίαν Ἑσπέριοι (*malim* Ἴβηροι ἢ Ἑσπέριοι) ἔθεντο, παρ' οἷς καὶ γίνεται τε καὶ ἔστι πάμπολυ. Aliud etiam leporis genus, natura parvum, quodque nunquam augetur, Cuniculus ei nomen eſt. Non is ſum qui cudam nomina: itaque in ſcripturâ illam ſervo denominationem quam habuit ab initio, ab Iberis Heſperiis impoſitam, apud quos & naſcitur, & maxime abundat. *Plinius lib.* 8. *cap.* 58. In Ebuſo cuniculi non ſunt, ſcatent in Hiſpaniâ Balearibuſque; *& lib.* 3. *cap.* 5. Nec cuniculos Ebuſus gignit, populantes Balearium meſſes. *Rurſus lib.* 8. *cap.* 29. M. Varro author eſt à cuniculis ſuffoſſum in Hiſpania oppidum. *Et cap.* 55. Leporum generis ſunt & quos Hiſpania cuniculos appellat, fœcunditatis innumeræ, famemque Balearibus inſulis, populatis meſſibus afferentes. *Et paulo pòſt*: certum eſt Balearicos adverſus proventum eorum auxilium militare à D. Auguſto petiſſe. *Strabo lib.* 3. *pag.* 144, τῶν δ' ὀλεθρίων σπάνις, πλὴν τῶν γεωρύχων λαγιδέων, οὓς ἔνιοι λεβηρίδας προσαγορεύουσι. Λυμαίνονται γὰρ φυτὰ, καὶ σπέρματα ῥιζοφαγοῦντες. Καὶ τοῦτο συμβαίνει καθ' ὅλην τὴν Ἰβηρίαν σχεδόν. Διατείνει δὲ καὶ μέχρι Μασσαλίας, ὀχλοῦσι δὲ καὶ τὰς νήσους. Οἱ δὲ τὰς Γυμνησίας οἰκοῦντες, λέγονται πρεσβεύσασθαί ποτε πρὸς Ῥωμαίους κατὰ χώρας αἴτησιν, ἐκβάλλεσθαι γὰρ ὑπὸ τῶν ζώων τούτων, ἀντέχειν μὴ δυνάμενοι διὰ τὸ πλῆθος. Pernicioſorum *in Hiſpania* animalium eſt *magna* raritas, præter lepuſculos illos terram defodientes, quos quidam leberidas appellant. Ii porrò ſeminibus ſtirpibuſque plurimum nocent, illas vorantes radicitus. Idque uſu venit ferè per totam Hiſpaniam & ad Maſſiliam uſque. Quin & inſulas infeſtant. Adeoque Balearium incolæ dicuntur à Romanis terram habitandam petiiſſe, queſti à ſuâ ſe ejici per iſta animalia, cum tantæ multitudini non poſſent obſiſtere. *Et pag.* 168, *poſtquam negavit in Balearibus ullum animal eſſe noxium:*

xium: Οὐδὲ γὰρ τοὺς λαγιδεῖς ἐπιχωρίους εἶναί φασιν, ἀλλὰ κομισθέντων ἐκ τῆς περαίας, ὑπό τινος ἄρρενος καὶ θηλείας γενέσθαι τὴν ἐπιγονήν, ἣ τοσαύτη κατ' ἀρχὰς ὑπῆρχεν, ὥστε καὶ οἴκους ἀνατρέπειν ἐκ τῆς ὑπονομῆς καὶ δένδρα. Καὶ ἐπὶ τοῖς Ῥωμαίοις, ὥσπερ εἶπον, ἀναγκασθῆναι καταφυγεῖν τοῖς ἀνθρώποις. Nam lepuſculos ajunt non eſſe indigenas, ſed maſculo & fœmina ex continente à quodam importatis, ibi fuiſſe procreatos, idque ab initio tanta copia ut actis cuniculis domos etiam atque arbores ſubverterint; & incolæ ut jam dixi ad Romanos confugere coacti ſint.

De nominis ratione, paſſivoque uſu hæc ille fuſius; quibus exempla ſequentia ſubnectere viſum eſt: Euſebius hiſt. lib. VIII, cap. 25; ἐπὶ Σπανίαν; de vita Conſtantini lib. III. cap. VII. ex eoque Socrates & Gelaſius Cyzicenus ubi de Oſio agunt, αὐτῶν δὲ Σπανῶν &c. & cap. 18 ex epiſtola Conſtantini ad omnes Eccleſias; Αἴγυπτον, Σπανίαν, &c. Athanaſius epiſtola ad ſolitarios, πρώτους ἐπισκόπους ἀπὸ τῆς Σπανίας; & ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum, ἔν τε τῇ Γαλλίᾳ καὶ Σπανίᾳ; in ſubſcriptionibus epiſtolæ à Concilio Sardicenſi ad Iulium Papam datæ; *Oſius ab Spania Cordubenſis*; *Anianus ab Spaniis de Caſtolona*; *Florentinus ab Spaniis de Emerita*; *Dominianus ab Spaniis de Aſturica*: *Caſtus ab Spaniis de Cæſar-Auguſta*: *Prætextatus ab Spaniis de Barcilona*. Concilii ejuſdem epiſtola ad omnes Eccleſias in titulo, ἀπό τε Ῥώμης καὶ Σπανίας. In Hilarii fragmentis, *Euſebius ad Gregorium Epiſcopum Span.* Et ad finem, *explicit epiſtola Euſebii ad Gregorium Epiſcopum Span.* in titulo Concilii Romani ſub Gregorio ſive II, ſive III, *Sinderedo Archiepiſcopo Spaniæ*. Inter epiſtolas Concilii Francofordienſis, *Hadrianus Papa, ſanctæ Catholicæ atque Apoſtolicæ, primæque Pontifex Sedis, dilectiſſimis fratribus & conſacerdotibus noſtris, Galliciis, Spaniiſque Eccleſiis præſidentibus*, &c. In ſacroſyllabo Concilii ejuſdem, *placuit igitur ſancto venerandoque Concilio, quatenus hic libellus pro cauſa fidei ad Provincias Galliciæ ac Spaniarum mitti deberet*, &c.

Euſeb. Vercellenſis. Greg. Eliberitanus.

Cum Fredegarium pro *Hiſpania* Teutonum univerſorum more *Spaniam* pronuntiaſſe, eaque in parte priſcum tam Græcorum quam Latinorum uſum retinuiſſe ex ſuperioribus conſtet; quis Chiffletio affectatum ab eo Hiſpaniſmum ſomnianti credat? Eum tamen totum Hiſpaniſmo incoctum, Hiſpanos latine ſcribentes ſub germanorum nomine uterinos complecti conſueviſſe, & complectendi Francis univerſis auctores fuiſſe demus: cur alio quam reliquos omnes, quos ὁμοπατρίους fuiſſe agnoſcit unum in Fredegarii Chronico Childebrandum jure ac modo *germanum* dictum velit adverſarius? *Nec Fredegarius* inquit, *nec alius ullus Pippino Heriſtalio natum ſcripſit.* quaſi vero auctoris, qui Martelli Pippino nati *germanum* vocavit, & *germanorum* appellationem de fratribus ὁμοπατρίοις conſtanter uſurpavit, ea mens eſſe poſſit, ut Martelli *germanus*, & ὁμοπάτριος diverſo patre progenitus credatur. ipſius de Martello & Pippino parente loquentis verba attendamus; *Pippinus Dux ægrotans mortuus eſt. Rexitque populum Francorum annos 27. Reliquit ſuperſtitem Carolum filium.* Et capite præcedente, *præfatus Pippinus aliam duxit uxorem, nobilem & elegantem, nomine Alpheidam, ex qua genuit filium. Vocavitque nomen ejus lingua propria Carolum. Crevitque puer elegans, atque egregius effectus eſt.* Eodem fere ſenſu Anonymus paulò antiquior, qui geſta Francorum ſcripſit: *habebat Pippinus præfatus Princeps filium ex alia uxore, nomine Ca-* Cap. 49.

Fredegard. Chron. cap. 104.

 rolum,

rolum, virum elegantem, egregium, atque utilem. Vterque Carolum à Pippino *genitum* & *ſuperſtitem relictum* notat: ſed *unigenitum* fuiſſe nec aſſeverat nec aſſeverare cogit: quandoquidem *ſuperſtitis* fratrem germanum ſeu ὁμοπάτριον Childebrandum fuiſſe, eorum alter verbis expreſſis inculcat. Sic ante annos circiter 160 de Chariberto Pariſiorum Rege Gregor. Turonenſis lib. 4. c. 26, *Charibertus Rex Ingobergam accepit uxorem: de qua filiam habuit, quæ poſteà in Cantia virum accipiens eſt deducta.* Et libro 9. cap. 26. *Ingoberga Regina, Chariberti quondam relicta, migravit à ſæculo,* &c. *relinquens filiam unicam, quam in Cantia Regis cujuſdam filius matrimonio copulavit.* Aliamne Chariberto natam, eique ſuperſtitem negaveris? Gregorius ipſemet vetat, libri ejuſdem capite 33, *in Monaſterio* Turonenſi *Berteſledis filia quondam Chariberti Regis, reſidebat.* Et capite 39, *In Monaſterio Pictavienſi inſidiante diabolo in corde Chrodieldis, quæ ſe Chariberti quondam Regis filiam adſerebat, orto ſcandalo, ipſa quoque quaſi de parentibus confiſa Regibus, exactis Sacramentis à Sanctimonialibus, ut injectis in Abbatiſſam Lenboveram criminibus, ea Monaſterio dejecta, ipſam ſubſtituerent principalem: egreſſa eſt cum quadraginta aut eo amplius puellis, & conſobrina ſua Baſina filia Chilperici,* &c. Non igitur, quæ Ingobergæ *unica* fuit, ſola, ſed è pluribus una, à Chariberto patre Cantii Regina relicta eſt. Eginhardus qui Emmam Caroli Martelli proneptem duxerat, ad annum 741; *Carolus Majordomus diem obiit, tres filios hæredes relinquens, Karolomannum ſcilicet, Pippinum atque Griſonem.* Quis pluribus Carolinam familiam maribus conſtitiſſe, cum Eginhardus negare videatur, in animum induxerit? At Carolus Calvus Martelli abnepos in Genealogia, quam Bertinianis Monachis dictavit, tres ab Eginhardo prætermiſſos monet. ſic enim ille, *Carolus Senior & Dux genuit Pippinum, Carlomannum, Griphonem* & *Bernhardum ex Regina, Remigium & Hieronymum ex concubina.* Altero ergo tanto plures quam Eginhardus ſcripſerat, Martelli filii fuere. Fredegarius ad annum 747 de Carolomanno Martelli primogenito; *Carlomannus devotionis cauſa inſtinctu ſuccenſus, regnum una cum filio ſuo Drogone manibus germani ſui Pippini committens, ad limina Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Romam in Monachorum ordine perſeveraturus advenit.* Vnum Drogonem Pippino patruo à parente commiſſum, quiſquis ex Fredegario collegerit, erroris ab antiquo Annalium ſcriptore coarguetur, cujus hæc ad annum 753 verba ſunt; *Papa Stephanus venit ab urbe Roma in Franciam, & Karolomannus poſt eum, & filii ejus tonſi ſunt.* Ex quibus vel alterum vel plures cum Drogone Carolomanno natos, & Pippini juſſu tonſos fuiſſe conficitur. Quod Chariberti, Martelli & Carlomanni poſteros enumerantibus evenit; cur Fredegario de Pippinianæ familiæ capitibus agenti contigiſſe miremur? Quæ negaſſe dum negligentius agit prima fronte videbatur, cum occaſione data, poſtea veri ſuique non immemor, ſuppleverit; nec *affectati* uſpiam *Hiſpaniſmi* ſuſpicionem induxit unquam, nec vitilitigatori πτεραγλώττῳ ad *grammaticalia certamen,* cujus nunc tædium ſimulat, *excitatura* recurrendi cauſam dedit.

Cap. 110.

Tom. 2. Franc.

Ten. exp. pag. 41.

De Pippini ab Adriano I tincti & ſuſcepti baptiſmate. Pag. 43.

Quo audacius fideles à baptiſta poſt tinctionem, *de fonte ſacro ſuſceptos* unquam fuiſſe, infitiatus erat; eò contumacius perditæ cauſæ retractandæ incumbendum putavit Expenſor; qui fruſtrà nobis Severi Alexandrini, Alcuini, vel potius recentioris, qui Hilpericum poſt annum 1000 exortum deflo-

ravit,

ravit, & Ritualis Romani, baptiſtæ & ſuſceptorum partes diſtinguentium auctoritatem obtendit; cum vetuſto mori qui patres luſtricos à præcipuis baptiſmi miniſtris diverſos induxit, paſſimque à ſeculis multis obtinuit, & ſpontè obſequamur, & alios ubique ad obſequia pronos eſſe cupiamus. Fruſtra etiam prolato tam Ritualis teſtimonio, quam Witgeri & Amelbergæ, qui Gudilæ filiæ *regenerationem* procuraſſe, & Gertrudis, quæ eandem de fonte ſuſcipiendo *ſanctificaſſe* dicuntur, exemplo ab illis baptiſmum, qui præcipui ejus miniſtri nequaquam futuri ſint, conferri poſſe notat; quandoquidem pii operis quomodocunq; participes, ejuſdem conſummati laus aliquatenus manere ſolet. Novam denique ſibi pro arbitrio regulam præſtituit, quotieſcunq; *ad cujuſpiam Principis ſolemnem baptiſmum duo Pontifices adhibiti* ſunt, *dignitate minorem baptizantis, majorem ſuſcipientis munere functum* fingens. unde enim præterquam è cerebro Clodoveum à Solemni Carnotenſi, non à Remigio Remenſi; & Ludovicum III, cui inſcitè *Imperatoris* nomen tribuit, ab Adalberone Auguſtano, non ab Hattone Moguntino tinctos fuiſſe, eo fine depromſit, ut Pippinum Italiæ Regem, & Giſlam Pippini germanam ab Adriano Papa, & Thoma Mediolanenſi *ſuſceptoribus* & Caroli Magni *Compatribus* ablutos negaret? Vtrumque ab alio quopiam ei, qui baptizaturus erat, oblatum ut fateamur, quid ni ante tinctionem pro infante oblato fidejubere, & à tinctione eundem ad fidejuſſionis præcedentis confirmationem ſuſcipere baptiſta potuit? Pag. 47.

Triplicem de Pippini baptiſmo *ſententiam* Annalium noſtrorum, & vitæ Carolinæ ſcriptoribus, tam ridicule affingit, quam falsò de *triplici* illa *ſententia* ſomnium, quicquid male commentus eſt, confirmare ſibimet perſuadet. unica enim fuit univerſorum noſtrorum mens; ut ut plures, qui Pippinum ab Adriano & *baptizatum* & *ſuſceptum* diſertè ſcripſerunt, plenius ac diſtinctius quid ſentirent expreſſiſſe; cæteri, quorum minus plena & abſoluta relatio fuit, quippiam, quod aliunde ſupplendum ſit, omiſiſſe videantur. qui enim Adriano Papæ regii infantis *tinctionem* & *ſuſceptionem* diſtinctè tribuerunt, quas in ejus ablutione partes idem obierit, integre & ex ordine auctoritate ejuſdem freti, deſcripſerunt; Pippinum *ſacro baptiſmate lotum*, & à Papa *ſuſceptum*, qui notavit; à Papa ipſo, ſacris operante, *lotum*, quantumvis id reticuerit, neque negavit, neque negantibus favit; qui vero nulla *ſuſceptionis* mentione facta, à Papa *baptizatum* dixerunt, *ſuſceptionis*, quæ baptiſmum proximè ſecuta eſt, fidem nequaquam minuerunt; ſed ut in re clara, nullique incommodo per ſe obnoxia ſæpenumero evenit, dum brevitatis ſtudio *ſermonem* ſecurius contrahunt, ad hiſtoriæ plenitudinem pertinentia, quæque ex aliis repetere neceſſe ſit, intacta prætereunt. ſic incertus, coætaneus tamen vitæ Carolinæ ſcriptor, & Eginhardus Caroli Notarius, qui hæc de Pippini baptiſmo in Adriani epiſtola legerat: *Dignati eſtis nobis repromittere, ut in ſanctam diem Paſchæ ad limina beati Apoſtolorum Principis Petri, una cum ſpiritali filia noſtra, Regina, Domino auxiliante, properare debuiſſetis, ut filium, qui nunc vobis procreatus eſt, à ſacro baptiſmate in ulnis noſtris ſuſciperemus, ſicut terra ſitiens imbrem, ita & nos exſpectantes fuimus*, &c. *obnixè te petimus, præcellentiſſime & magne Rex, ut ſecundum quod inter nos conſtitit, pro ipſo ſancto baptiſmate noſtrum adimplere jubeas deſiderium, de eodem eximio veſtro filio, quatenus duplex Spiritus ſancti gratia in medio noſtrum adcreſcat, & ge-*

Cod. Carolini epiſt. 49.

Caroloman-num, cui poſtea Pippini nomen inditum.

& gemina feſtivitatis lætitia nobis celebretur: &c. Nec id tantum Pontificem, ut *à ſacro baptiſmate in ulnis* ſuis infantem *ſuſciperet*; ſed *ut pro ipſo ſancto baptiſmate* proprium *deſiderium adimpleret*, expectaſſe noverat; unius ab eo adminiſtrati baptiſmi *ſuſceptione*, quam alii notant, omiſſa meminere; eorum vero non interpretem, ſed impugnatorem agit Expenſor, qui, ubi eos de Adriano Papa retuliſſe legit; *Pippinum baptizavit*, quod nemo de alio, quam præcipuo myſticæ tinctionis miniſtro, abſolutè pronuntiaverit: ex adverſo reponere auſus eſt; *non baptizavit*, ſed ab alio minore baptizatum *ſuſcepit*: ubi alii plures tria hæc literis mandarunt; *baptizavit, ſuſcepit, unxit*; ea lege *ſuſcepiſſe* & *unxiſſe* fatetur, ut *baptizaſſe*, contra veterum univerſorum torrentem nitens, inficias eat. ſed nec injuria, nec ſine priorum exemplo, Papam geminam *baptiſtæ* & *patrini* perſonam anno 781 ſuſtinuiſſe, contenderunt Annalium noſtrorum ſcriptores; quandoquidem ducentis ante Pippini

Anno 576. baptiſmum annis, hæc Gregorius Turon. lib. 5. c. 23. literis mandavit; *objurgata* à Chilperico *Rege* Fredegundis, Samſonem filium *baptizari præcepit. Qui baptizatus, & ab ipſo Epiſcopo ſuſceptus, luſtro uno nec perfecto defunctus eſt.* Ionas

Circa annum 590. de vita Columbani; *editum* infantem *ad virum ſanctum defert* Flavia, *ſuis orationibus largitum munus demonſtrat. Quem vir ſanctus ſuis manibus receptum ſacravit, ſacroque ablutum fonte ipſe ſuſcepit, Donatumque nomen imponit.* Ano-

Circa annum 650. nymus de vita Furſei; *Erchenaldus obviam perrexit, orans & poſtulans, ut veniret ad domum ſuam, ad Palatium Perronenſis vici, & in ſacrum baptiſma filium ſuum poneret, & à fonte ſuſciperet.* Similia de SS. Amando, Rigoberto, Amalberto, &c. paulò antè in *diſquiſitionis* examine protulimus, nova adverſarii incomperta velut ex tripode aſſeverare ſoliti, axiomata, gerras germanas eſſe, pluribus evicimus; Genealogica ejus ſingula nobis ad plenam victoriam ſervire coëgimus; univerſa denique ejus in *Vindiciis, Luminibus, Lampadibus*, & maledico libellorum ſeorſim editorum ſenione machinamenta per Dei gratiam evertimus.

Vindic. præfat. pag. 5. Quid ni igitur *ſolemni more* à Rodomonte redivivo *dimiſſam ineundæ pugnæ fiduciarium pignus chirothecam*, à nobis ne in irritum projecta videretur, exceptam profiteamur? *In arenam* optimæ cauſæ fiducia & *caſſidis* nullius indigi *deſcendimus*; *juſtis armis* cum milite glorioſo *decertantes*, *ad ſingula capita articulatim reſpondimus*; Leonina horriſonos rugitus nequicquam ſimulantis detracta, Hiſpanicarum partium homines, cum vanis δοκησισόφȣ pollicitationibus unice intenti, *nil præter nubes & cœli numen adorent*, erroris ex officio monuimus; univerſumque jamdudum opus exegiſſemus, opimis & gratis patriæ ſpoliis poſt pium pro Rege & Regno certamen onuſti; niſi nos ferus inquies ἄσπονδον Francis bellum denuntiare natus adverſarius, monſtrorum quæ quotannis parturiit, & ad nova prælia ſubmiſit, improviſo occurſu aliquamdiu moratus eſſet; furiales tædas ad publicum Francici regni incendium in Lotharingia, Alſatia, Barrenſi Ducatu, ipſoque Remenſi ſacrario accendere paranti obvii, univerſa veſaniæ inſtrumenta excuſſimus, ſimulque ac ſemel ſub manu poſuimus: nec antequam regia jura adverſus Valdeſios, & congerrones undique muniiſſemus, in apertam lucem Chriſtiani orbis judicia experturi, prodire ſuſtinuimus. Cum veteribus Francicæ Hiſtoriæ monumentis offuſam ſcriptorum in diverſa abeuntium vitio caliginem diſcutere, ipſoſque rerum fontes adire animus eſſet; impetratis regiis ad Auguſtæ

Vero-

Veromanduorum, Peronæ, Royæ Præſides & Clerum mandatis ſpes non dubia fuerat, ex Chartophylaciis S. Quintini in Inſula; S. Furſei, Montis S. Eligii, & S. Florentii, certò deprehendi poſſe; 1. Quâ Pippinus I. Bernhardi Italiæ Regis unigenitus matre prognatus eſſet. 2. Quam is uxorem duxiſſet. 3. Quæ Heriberti I & Pippini Silvanectenſis uxores fuiſſent. 4 An Hildebranta Heriberti II uxor, Hugonis Magni, Capeti Regis parentis germana, quod Flodoardus innuere videtur; an verò amita, quod alii inſinuant, credi debuiſſet. Silere inter arma leges, ipſumque officiorum ſenſum quodammodo obſtupeſcere, non ſine dolore ſolidi quinquennii dilatione fatigatus expertus ſum. Quæ vobis de Republica mens, Franci? Limitem veſtrum ferro flammaque vaſtare, regni fundamenta quatere, Regum Majeſtatem conquiſitis undecunque calumniis violare hoſtilis rabies conatur: ab annis circiter 20 famoſis gentem univerſam libellis proſciſſam indignati, Majorum gloria dignum nihil aggreſſi eſtis; ſolo contemptu allatrantes ulti; pertinaci ſilentio veſtro imprudentes voſmet deſtituiſtis; quorumque clamoſas fauces obſtruere, & turgidum guttur, ne quæ deinceps maledicæ vos impetituræ voces ſeptum dentium transvolarent, elidere confeſtim oportuerat; at contumelioſos negligendo clamores intendiſtis; convitium generi veſtro indigna ferendo feciſtis; & Europæ antea faventis nauſeam tamdiu ſtertendo provocaſtis. quis enim vobis bene velit, quos injuria affectos, nec male audire ſatis pudet; nec aſperſæ labis ſenſus ita afficit, ut nominis quamprimum purgandi cura coquamini? aut meritas à laceſſentibus veſtro nomine pœnas repoſcat, quibus per voſmet ipſos impune eſt? Ex Hiſpania, Tuſcia, Lotharingia, Sequanis malæ cauſæ præſidia accivit Regum veſtrorum criminator Chiffletius; nec defuere, qui in ejus gratiam, quicquid apud ſuos reconditum noverant, ruſparentur: at concivem veſtrum pro Regum fama, regnique, quod incolitis prærogativa in acie ſtare juſſum, multi deſeruiſtis; ad regia hortamenta ſurdi; nihil quod commoda veſtra minueret, rogati; pro patria, quæ vos materno ſinu fovet, ad paucas horas, nec oculos aperire, nec ea, quæ vobis concredidit, veri firmamenta luſtrare dignati. Vtinam quantulumcumque eſt, quod in cauſa communi præſtitimus, vobis univerſis cotis inſtar ſit; ut bona fide vos, veſtraque patriæ impendere certi, quæcunque nos ope veſtra fraudatos fugerunt, elucidare & pro virili aſſerere dulce & decorum reputetis. Eccleſiarum, quibus miniſtratis, Archiva, quandocunque cauſa publica poſcere videbitur, conſulite, conſulentibus aperite, verique promos condos eſſe gaudete. Vos verò Rationalium Magiſtri, Palladio noſtro non ut occulatis, ſed ut ad illud, quandocumque neceſſe eſt, manuducatis, cuſtodes appoſitos eſſe, mementote; in uſum congeſta ſunt, quæcunque aſſervatis; nec alia, quam ad regni munimen, quandocunque oppugnatur, expromendi conditione aſſervatis. diſcite, quæ univerſos in tempore doceatis; ne quid unquam Reſpublica detrimenti capiat, providete, eoſque, qui pro communi ſalute laborant, quacunque ope poteritis, ſublevate.

Tantiſperdum adverſarii rixas ex rixis ſerentis importunitas, eorumque ex concivibus, qui deſideria noſtra tandem fruſtrati ſunt, nos procraſtinatio ita diſtinebant, ut lentiore, ac fere teſtudineo gradu procedere, noſtraque in nonum annum premere velle videremur; tanta nos calamitatis improviſæ moles oppreſſit, ut vitam minime vitalem in obtenebrato corpore, velut tu-

mulo mobili ac portatili jacentes, nobiſq; à biennio præmortui,miſerandum in modum trahamus,infra noſmet ipſos quodammodo dejecti;nec aliis deinceps,quam mutuatitiis, oculis manibuſque uſuri; de penſo abjiciendo, & vadimonio deſerendo, ineluctabili neceſſitatis vi, fracti & ſæva circumſtantium, quas nunquam experti eramus, difficultatum impreſſione à priore propoſito depulſi,cogitare coacti eſſemus; niſi paterna illa manus,quæ denſum externis luminibus velum obpandit, nutantes jam jamque ruituros benigne ſuſtentaſſet, & languida præcordia fovendo ad novos animos erexiſſet: cœleſti fulcro innixi, dum ſpiritus hos reget artus, in acie quomodocunque durare, & ſtantes mori, cum bono Deo, decrevimus: ſed quia ingraveſcens innumeris incommodis infeſtata, jamque ad climactericum perducta ætas, ſpes nos in ſeculo vetat inchoare longas; quid craſtina dies paritura ſit, divinare noſtrum non eſt, ex intima mortis umbra, & ima lacrymarum valle, cujus moleſtum iter peregrini emetimur, ad ſupernæ patriæ delicias, & regnum luminis perpetuo anhelando, cor ſurſum habere, æternaque ſola ſpirare nos decet, ad eorum modum, qui ſarcinas colligunt, & ſenſim præmittunt, nos habere conabimur; nec ſeorſim præcipuas operis noſtri pericopas de *Apanagiis*, *Burgundiæ*, *Britanniæ*, &c. Ducatibus, *Campaniæ* & *Bononiæ* Comitatibus, *imperio* Romano, & Germanico, *Caſtellenſi* & *Arelatenſi* regnis, prout ſe occaſio obtulerit, edere pigebit; cæterorum, tam *Salicorum*, quam *Prærogativorum*, ut cum adverſario loquamur, elucidatio, ſi vitam proroget Dominus, ordine ſubſequetur. Tu Lector, *ſive noſter es, ſive adverſariorum*, eorum, quæ nunc damus, experimento facto, quid in ſingulis deſiderandum, quid à nobis ultrà exſpectandum putes, pro tuo jure, quandoquidem judicii tui aleam ſubimus, indica; teque Chriſtianum cum Chriſtiano, qui humani à ſe nihil alienum cenſeat, nullique vera monenti refragaturus ſit, rem eſſe, memento. Errata typographica oculorum noſtrorum ægritudini; noſtra communi fragilitati, condona; eaque non inſultando, ſed compatiendo, caſtiga. Cum tabulæ noſtræ Genealogicæ ederentur, Nicolaï Machiavelli Hiſtoria Florentina ad manum non fuit, eaque occaſione evenit, ut Silveſtrum Medicæum, qui Alamanno natus eſt, eique ut patri ſubjungi debuit, inverſo rerum ordine præfigeremus; utrique locum proprium reſtituere non gravaberis. In gentis Auſtriacæ tabula, Altemburgi Comes Radeboto *Calendis Aprilibus* obiiſſe dicitur; ſed *nono Calendas* reſcribendum, in quam diem *paraſceve* anno 1027 incidit. Nuperum Polonicarum rerum ſcriptorem, qui certiora, literis mandaſſe debuerat, ſecuti, Barbaram Sigiſmundi Imperatoris uxorem, Guilhelmo Ciliæ Comite natam, in tabula noſtra 135 dixeramus; ſed ex Sigiſmundi ipſius Chartis, à doctiſſimo Vredio editis, veriòra priores ſcripſiſſe didicimus; cum Sigiſmundus *Hermannum Socerum* vocet,& nuperum ſcriptorem nos deſerere jubeat. In Auſtriaci ſtemmatis examine, à Iacobo I, Aragonum Rege Sardiniam ſubactam ſcripſimus; ſed ſerius Hiſpanicum jugum ferre didicit, ſub Iacobo II, prioris nepote domita. In Diſquiſitionis cenſurâ Ludovicum Pium Remis à Stephano IV, anno 816, *unctum*, qui in dubium revocavimus,Thegani aſſerentis auctoritate, poſteà firmati ſumus: Hunoldum, quem anno 748 denatum ex Fredegario colligi poſſe credideramus; ex Stephani III vita ante annum 753 non deceſſiſſe comperimus: quæcunque ſimilia nobis exciderint, venia, ut ſperamus, digna valetudinis noſtræ

ſeria

ſeria cogitatio reddet. Summe Deus, *miſerationum* & *luminum Pater*, qui externorum oculorum aciem hebetaſti, internos ſalutaribus *orientis ex alto* unigeniti radiis perfunde; quicquid deliquimus, pretioſo ejus cruore dilue; eo, qui *via & veritas* eſt, duce ad vitam nos æternam ex hac mortalitatis fovea transfer; perpetuoque ſancti tui Spiritus influxu in nobis *pro beneplacito* & *velle*, *& perficere*, imple; terras cæde madentes, imò ſanguinis diluvio merſas, redintegrata pace, renova; Regem regnumque paternarum alarum umbraculo protege; hoſtiles impetus injectâ cœlitus manu ſiſte; quod in cauſa regia ex officio ſcripſimus, & ſcribemus, bene verte, & gratum acceptumque univerſis veri, quod à te uno promanat, ſtudioſis, eſſe jube. Amen.

A V T H O R V M
IN PRÆFATIONE
vel laudatorum, vel notatorum
I N D E X.

A.

ALfonſi X teſtamentum. ** *fol.* 4. *a*

Ambroſius VI * *fol.* 2. *b* LXX * *fol.* 1. *b. fol.* 3. *a b*

Apologeticum pro Franciſco I. Rege. IX * *fol.* 3. *b.* X * *fol.* 1. *b. fol.* 2. *a*

Acta incorporationis Navarræ. XVII * *fol.* 4. *b*

Albericus. XX * *fol.* 1. *a.* LV * *fol.* 3. *a.* LVI * *fol.* 3. *a.* LXV * *fol.* 3. *b.* LXX * *fol.* 2. *a.* LXXIV * *fol.* 3. *b. fol.* 4. *a.* LXXX * *fol.* 1. *a*

Ægidius de Roya. XX * *fol.* 1. *a*

Archivum regium. XX * *fol.* 1. *a*

Alfonſus Delbene. XX * *fol.* 4. *a*

Ant. Albizius. XXI * *fol.* 1. *b*

Anonymus de geſtis in Lotharingia. XXII * *fol.* 4. *a*

Annales Bertiniani. XXIII * *fol.* 2. *a.* LV * *fol.* 1. *b.* LVII * *fol.* 3. *a.* LXII * *fol.* 1. *a. fol.* 3. *b.* LXXIX * *fol.* 4. *b*

Annales Colmarienſes XXIII * *fol.* 2. *b. fol.* 4. *b.* XXXI * *fol.* 2. *a.* XXXII * *fol.* 4. *b.* XXXVI * *fol.* 3. *a.* LXXI * *fol.* 3. *a. fol.* 4. *b*

Albertus Argent. XXIII * *fol.* 2. *b.* XXIV * *fol.* 1. *b. fol.* 3. *b.* XXVII * *fol.* 3. *a.* XXXI * *fol.* 2. *a.* XXXIII * *fol.* 1. *a.* XXXVI * *fol.* 3. *a.* LXXI * *fol.* 3 *a. fol.* 4. *b*

Andreas Marchianenſis XXIX * *fol.* 4. *b*

Annales Francorum XXXI * *fol.* 1. *a.* XXXVI * *fol.* 1. *a.* LXIX * *fol.* 2. *b.* LXX * *fol.* 3. *b.* LXXIII * *fol.* 4. *b.* LXXV * *fol.* 4 *b.* LXXX * *fol.* 3 *b. fol.* 4. *a*

Audoenus XXXIII * *fol.* 3. *b.* LXXI * *fol.* 4. *b*

Antonini itinerarium. XXXIX * *fol.* 4 *b.* XLII * *fol.* 4 *b*

Anonymi epiſtola Tridento miſſa. XLI * *fol.* 4 *b*

Auguſtinus. XLV * *fol.* 2 *b.* XLVIII * *fol.* 4 *b.* LIX * *fol.* 3 *a.* LXVI * *fol.* 1 *a.* LXXI * *fol.* 2 *b.* LXXVI * *fol.* 2 *b*

Arnobius. XLV * *fol.* 3 *a.* LVII * *fol.* 4 *a.* LVIII * *fol.* 4 *a*

Athanaſius. XLV * *fol.* 3 *b. fol.* 4 *a.* L * *fol.* 2 *a. fol.* 3 *a b. fol.* 4 *a b.* LI * *fol.* 1 *b.* LXXX * *fol.* 3 *a*

Anonymus de ſeptem gradibus. XLV * *fol.* 4 *a*

Ioan. Annius. XLVII * *fol.* 1 *a*

Ado Viennenſis. XLIX * *fol.* 2 *b.* LV * *fol.* 2 *b.* LXX * *fol.* 2 *a*

Adrianus. XLIX * *fol.* 2 *b*

Anaſtaſius Biblioth. XLI * *fol.* 2 *b.* LXXX * *fol.* 1 *b. fol.* 2 *b*

Alcuinus. XLIX * *fol.* 2 *b.* LIV * *fol.* 4 *b.* LVII * *fol.* 3 *b.* LXIV * *fol.* 2 *b.* LXX * *fol.* 2 *a.* LXXX * *fol.* 3 *b*

Agatho. L * *fol.* 2 *a*

Alphonſus de Carthagena. LII * *fol.* 4 *b*

Avitus Vien. LIV * *fol.* 4 *a.* LVI * *fol.* 4 *b.* LVII * *fol.* 2 *b. fol.* 3 *a.* LIX * *fol.* 1 *b. fol.* 4 *b.* LXIV * *fol.* 2 *a. fol.* 3 *b.* LXVII * *fol.* 4 *a.* LXX * *fol.* 2 *b. fol.* 4 *a*

Aimoinus Floriac. LVI * *fol.* 1 *a.* LXX * *fol.* 2 *a.* LXX * *fol.* 4 *b.* LXXIX * *fol.* 4 *b*

Aſo Dervenſis. LVI * *fol.* 1 *a.* LXX * *fol.* 2 *a*

Luc. Apulejus. LVI * *fol.* 2 *b.* LVII * *fol.* 4 *a.* LXXX * *fol.* 2 *a*

Anaſta-

Anaſtaſius Imp. LVII * *fol.* 1 *a*
Anonymus ab Henr. Valeſio ad Ammiani calcem editus. LX * *fol.* 1 *a*
Athanaſ. Kircherus. LX * *fol.* 3 *b*
Ioan. Aventinus. LXI * *fol.* 3 *a*
Alexander III Papa. LXIII * *fol.* 2 *b*
Aurelianus Arel. LXIV * *fol.* 3 *b*
Anonymi Poëma de Witikindo. LXVII * *fol.* 2 *b*
Anſegiſus Abbas. LXIX * *fol.* 2 *a*
Athenæus. LXIX * *fol.* 4 *a*. LXXX. * *fol.* 2 *a*
Auberius. LXX * *fol.* 1 *b*
Adelboldus Traject. LXXII * *fol.* 2 *b*
Aimoïni continuator. LXXII * *fol.* 3 *a*
Paul. Æmilius. LV * *fol.* 4 *b*. LIX * *fol.* 4 *b*. LXXII * *fol.* 4 *a*. LXXIV * *fol.* 4 *a b*
Ægidius Albornotius. LXXX * *fol.* 1 *b*
Ælianus LXXX * *fol.* 2 *b*

B.

BEſianus Arroyus. **** *fol.* 2 *a*
Guil. Bellajus. *** *fol.* 3 *b*. *fol.* 4 *a*. **** *fol.* 1 *a*. *fol.* 2 *a*. *fol.* 3 *a b*. *fol.* 4 *b*. V * *fol.* 1 *a b*. *fol.* 2 *a b*. VII * *fol.* 2 *a b*. *fol.* 3 *b*. *fol.* 4 *a*. VIII * *fol.* 3 *a*
Ioann. Bellajus Card. X * *fol.* 2 *a*
Dom. Baudius. XIII * *fol.* 4 *b*. XIV * *fol.* 1 *a*
Fl. Blondus. XVI * *fol.* 2 *a b*
Hieron. Blanca. XVI * *fol.* 2 *a*
Petrus de Biax. XVII * *fol.* 4 *b*
Chriſt. Butkens. XX * *fol.* 1 *a*. XXIII * *fol.* 4 *a*
Beuningus. XX * *fol.* 3 *a b*
Ioan. Bodinus. XXI * *fol.* 2 *b*. XLVIII * *fol.* 2 *b*
Franc. Belleforeſtius. XXI * *fol.* 3 *b*. XXVII * *fol.* 3 *a*. LXXII * *fol.* 3 *b*. LXXIX * *fol.* 4 *a*
Edm. Boullayus. XXII * *fol.* 2 *a*
Baldricus. XXIII * *fol.* 3 *b*. XXXIV * *fol.* 1 *a*. LV * *fol.* 2 *b*. LXX * *fol.* 2 *a*
Ioan. Bochius. XXIV * *fol.* 3 *a*. *fol.* 4 *a*
Chriſt. Brouverus. XXIV * *fol.* 3 *b*
Franc. Belcarius. XXVI * *fol.* 4 *b*. XL * *fol.* 1 *b*. *fol.* 2 *a*. LV * *fol.* 4 *b*
Ioan. Beſlius. XXVII * *fol.* 3 *b*. *fol.* 4 *a*. LXXIX * *fol.* 4 *a*
Buzelinus. XXIX * *fol.* 4 *b*
Ioan. Bruſchius. XXIX * *fol.* 4 *b*
Bernhardus. XXXIII * *fol.* 1 *b*
Nicolaus Bergerius. XL * *fol.* 1 *b*
Georg. Buchananus. XLI * *fol.* 2 *b*
Breviarium Tolet. XLV * *fol.* 2 *b*
Cæſ. Baronius. XLVI * *fol.* 2 *b*. XLIX * *fol.* 4 *a*. LI * *fol.* 1 *b*. LVII * *fol.* 1 *b*. LIX * *fol.* 3 *a*. LX * *fol.* 3 *a*. LXX * *f.* 1 *a*
Ioan. de Boſco. XLIX * *fol.* 4 *a*
Baſilius Magnus. LI * *fol.* 3 *a*
Chriſt. Beſoldus. LIII * *fol.* 4 *a*
Robert. Bellarminus Card. LV * *fol.* 3 *a*. LXX * *fol.* 1 *a b*
Iul. Cæſ. Bullengerus. LV * *fol.* 4 *b*
Guil. Brito. LVI * *fol.* 1 *a*. *fol.* 2 *a*. LXIII * *fol.* 4 *b*. LXVII * *fol.* 1 *b*. *fol.* 2 *b*. LXX * *fol.* 2 *a*
Iac. Boſius. LVI * *fol.* 1 *b*. LXIX * *fol.* 4 *a*
Biturix Fœcialis. LXVII * *fol.* 2 *b*
Ioan. Bolandus. LXVII * *fol.* 3 *b*
Bonifacius Moguntinus. LXVIII * *fol.* 2 *a*. LXIX * *fol.* 1 *a*
Balduinus de Avennis. LXXIII * *fol.* 1 *a*
Sam. Bochartus. LXXX * *fol.* 2 *a*

C.

PHil. Comminæus. * *fol.* 1 *a*
Iac. Caſſanus. *** *fol.* 2 *b*
Conventus Caletenſis acta. **** *fol.* 3 *b*
Conventus Montispeſſulani acta. V * *fol.* 1 *a*
Codex Gregorianus. V * *fol.* 3 *a*
Codex Theodoſianus. V * *fol.* 3 *a*. XLVIII * *fol.* 1 *b*
Carolus V. XIV * *fol.* 4 *b*
Catharina Navarra. XVII * *fol.* 4 *b*
Concilium Lateranenſe. XVII * *fol.* 4 *b*
Ren. Chopinus. XIX * *fol.* 4 *b*
Magnum Chronicon Belgicum. XX * *fol.* 1 *a*. *fol.* 3 *b*
Chronicon Laudunenſe. XX * *fol.* 3 *a*
Chronicon Aquicinctenſe, XX * *fol.* 3 *b* LXXXI * 3

Chronicon S. Huberti. xxi * *fol.* 1 *a*
Chartæ Godefridi Ducis. xxi * *fol.* 1 *a*
Chartæ Idæ Comitiſſæ. xxi * *fol.* 1 *a*
Concilium Baſileenſe. xxi * *fol.* 1 *a*. *fol.* 2 *a*. *fol.* 3 *a*
Chartæ Antonii Comitis. xxi * *fol.* 1 *a*. *fol.* 3 *b*. xxiii * *fol.* 1 *a*
Chartæ Sigiſmundi Imperatoris. xxi * *fol.* 1 *a*. *fol.* 2 *a*. *fol.* 4 *a*. xxv * *fol.* 2 *a*
Charta Caroli VII Regis. xxi * *fol.* 1 *a*
Cæſar Noſtradamus. xxi * *fol.* 1 *b*
Charta Philippi Boni. xxi * *fol.* 1 *b*
G. Cheney. xxi * *fol.* 2 *a b*
Georg. Caſtellanus. xxi * *fol.* 4 *b*. xxii * *fol.* 1 *b*
Charta Renati I. xxii * *fol.* 2 *a*
Symphor. Champerius. xxii * *fol.* 2 *b*
Ioan. Cuyermans. xxiii * *fol.* 1 *b*
Philip. Cluverius. xxiii * *fol.* 2 *a*. xxxix * *fol.* 4 *b*
Charta Lotharii. xxiii * *fol.* 2 *a*
Charta Rudolfi Comitis. xxiii * *fol.* 2 *b*
Charta Othonis IV. xxiii * *fol.* 3 *b*
Iac. Cujacius. xxiii * *fol.* 3 *b*
Charta Elizabethæ Gorlicienſis. xxiii * *fol.* 4 *b*
Charta Caroli IV Imperatoris. xxiv * *fol.* 2 *a*. *fol.* 3 *b*
Ioan. Cuſpinianus. xxiv * *fol.* 2 *a*
Mart. Cromerus. xxiv * *fol.* 2 *a*
Charta Wenceſlai. xxiv * *fol.* 3 *b*. xxiv * *fol.* 1 *b*
Concilium Conſtantienſe. xxv * *fol.* 2 *b*. xlii * *fol.* 2 *a*. liii * *fol.* 1 *a*
Chartæ Ludovici XI. xxvi * *fol.* 1 *a*
Chartæ Guillelmi Saxonis. xxvi * *fol.* 1 *a*
Charta Affligemienſis. xxviii * *fol.* 1 *a*
Chartæ Childerici. xxix * *fol.* 4 *b*. lv * *fol.* 1 *a*
Chron. Marchianenſe. xxix * *fol.* 4 *b*
Chron. Auſtral. xxx * *fol.* 1 *b*. xxxii * *fol.* 4 *a*
Contin. Reginonis. xxx * *fol.* 2 *a*
Chronicon Hildesheimenſe. xxx * *fol.* 2 *a*
Charta Gorzienſis. xxx * *fol.* 4 *a*
Georg. Cedrenus. xxx * *fol.* 4 *a*
Chronicon Laurishamenſe. xxxi * *fol.* 1 *a*
Chron. Auguſtenſe. xxxii * *fol.* 4 *a*
Chronicon incerti. xxxii * *fol.* 4 *a*
Chronicon Elwangenſe. xxxii * *fol.* 4 *a*
Concilium ad S. Baſolum. xxxiii * *fol.* 2 *a*
Charta Evæ Comitiſſæ. xxxiii * *fol.* 4 *a*. lxxiii * *fol.* 3 *b*. lxxviii * *fol.* 4 *b*
Carolus Cardin. Lothar. xlii * *fol.* 1 *b*
Cyprianus. xlv * *fol.* 2 *a*. xlvii * *fol.* 1 *b*. lxv * *fol.* 4 *b*. lxxvii * *fol.* 3 *a*
Concilium Sardicenſe. xlv * *fol.* 2 *b*. l * *fol.* 3 *a*. *fol.* 4 *b*. li * *fol.* 3 *a*. lxv * *fol.* 4 *b*. lxxx * *fol.* 3 *a*
Concilium Chalcedonenſe. xlv * *fol.* 2 *b*. lxxvi * *fol.* 2 *a*
Conſtantinus Magnus. xlv * *fol.* 3 *a*
Concionum Theſaurus. xlvi * *fol.* 2 *b*
Concilium Cæſarauguſtanum. xlvii * *fol.* 2 *b*. xlviii * *fol.* 4 *b*. l * *fol.* 4 *b*
Concilium Burdegalenſe. xlvii * *fol.* 2 *b*
Concilium Trevirenſe. xlvii * *fol.* 2 *b*
Concilium Bracarenſe. xlvii * *fol.* 2 *b*
Concilium Agathenſe. xlvii * *fol.* 2 *b*
Concilium Ratisbonenſe. xlvii * *fol.* 3 *a*
Concilium Francofurtenſe. xlvii * *fol.* 3 *a*. lvii * *fol.* 1 *b*. lxxx * *fol.* 3 *a*
Concilium Taurin. xlviii * *fol.* 2 *b*. lxxvi * *fol.* 1 *b*
Barthol. Caſa. xlviii * *fol.* 4 *a*
Concilium Sinveſſanum. xlviii * *fol.* 4 *b*
Concilium Rom. ſub Miltiade. xlviii * *fol.* 4 *b*
Concilium Arelatenſe I. xlviii * *fol.* 4 *b*. l * *fol.* 4 *b*
Concilium Aquilejenſe. xlviii * *fol.* 4 *b*. lxxvi * *fol.* 1 *b*
Concilium Conſtantinopolitanum.

XLIX *fol. 1 a. LXXVI *fol. 1 b. fol. 3 b. LXXX *fol. 2 a
Concilium Valentinum. XLIX *fol. 1 a. L *fol. 4 b
Conſtantius Presbyter. XLIX *fol. 1 a
Concilium Romanum ſub Hilaro. XLIX *fol. 1 b
Concilium Romanum ſub Agathone. XLIX *fol. 2 a
Codex Trevir. MS. de Rom. Pont. L *fol. 1 b
Concilium Nicenum. L *fol. 3 a. fol. 4 b. LI *fol. 4 b. LXXVI *fol. 1 b
Concilium Pariſienſe. LI *fol. 2 b. LXIV *fol. 3. b. LXXVI *fol. 3 b
Concilium Romanum ſub Gregorio II. LI *fol. 3 b. LXXX *fol. 3 a
Bart. Chaſſanæus. LIII *fol. 3 a. LXIII fol. 4 b
Concilium apud Theodonis Villam. LV *fol. 1 b. LVII *fol. 2 a
Concilium Pontigonenſe. LV *fol. 2 b
Chronicon Mauriniacenſe. LVI *fol. 1 a. LXX *fol. 2 a
Cicero. LVI *fol. 2 a
Chronicon Marcellini. LVII *fol. 1 a
Concil. Aurel. LVII *fol. 1 a. LXIV *fol. 3 a b
Caſſiodorus. LVII *fol. 1 b
Concilium Nicenum II. LVII *fol. 1 b
Concilium Trecenſe. LVII *fol. 2 a
Concilium Bellovacenſe. LVII *fol. 2 a
Concilium Meldenſe. LVII *fol. 2 a
Concil. Arauſic. LVII *fol. 2 b. LXXVII *fol. 1 b
Charta Clodovei I. LVII *fol. 3 a
Corippus. LVIII *fol. 4 b. LXII *fol. 4 b
Concil. Tolet. LIX *fol. 1 b. fol. 2 a. LX *fol. 4 b. LXI *fol. 1 a. LXVII *fol. 2 b. LXXVII *fol. 3 a. LXXVIII *fol. 1 b. VI *fol. 2 b
Concil. Barcinon. LIX *fol. 1 b
Chronicon Anglo-Saxonicum. LIX *fol. 2 a
Ioan. Chryſoſtomus. LIX *fol. 4 a. LXXX *fol. 2 a
Concil. Rom. ſub Symmacho, LX *fol. 1 a
Chron. Hiſpan. LX *fol. 4 b
Concil. Rom. ſub Zachar. LXI *fol. 3 a
Carolus Calvus. LXII *fol. 1 a
Per. Ceriſerius. LXIV *fol. 1 a
Seb. Campegius. LXIV *fol. 1 a
Concil. Carthag. LXVI *fol. 1 a
Chronicon Flandriæ. LXVI *fol. 2 b. LXVII *fol. 1 b
Chronicon Turon. LXVI *fol. 3 a
Charta Ludovici VI. LXVI *fol. 4 b
Charta Roberti Regis. LXVI *fol. 3 b
Charta Caroli Magni. LXVI *fol. 3 b
Chartularium S. Petri in Valle. LXVII *fol. 1 a
Concilium Cariſiacenſe. LXVIII *fol. 1 b
Charta Caroli Martelli. LXVIII *fol. 2 b
Concilium Germanicum ſub Carolomanno. LXIX *fol. 1 b
Concilium Leptinenſe. LXIX *fol. 1 a b
Concilium Sueſſionenſe ſub Pippino. LXIX *fol. 1 b. fol. 2 a
Petrus Chryſologus. LXIX *fol. 4 b
Ægidius Columna. LXX *fol. 1 a
Concilium Romanum ſub Gelaſio. LXX *fol. 1 b
Chronicon vetus. LXX *fol. 2 a
Concil. Autiſſiodorenſe. LXX *fol. 3 a
Cyrillus Hieroſ. LXX *fol. 3 b
Conſtitutiones Clementi affictæ. LXX *fol. 3 b
Chronicon S. Dionyſii. LXXII *fol. 3 a
Andreas Cheſnæus. LXXII *fol. 4 b
Charta Hadwidis Ducis. LXXIII *fol. 1 b
Charta fundationis Boſonisvillæ. LXXIII *fol. 1 a
Charta Rainberti. LXXIII *fol. 2 b
Charta Pibonis. LXXIII *fol. 2 b
Chronicon Franco-Saxonicum MS. LXXV *fol. 1 a
Carmen de Francorum origine. LXXV *fol. 1 b

Codex

Codex ſancti Symphoriani Metenſis. LXXVI * fol. 3. a. LXXVIII * fol. 3. a
Codex S. Vincentii Metenſis. LXXVI * fol. 3. a
Concilium Arvernenſe. LXXVI * fol. 4 b
Concilium Colonienſe. LXXVII * fol. 1 b
Concilium Epaonenſe. LXXVII * fol. 1 b
Concilium Carpentoractenſe. LXXVII * fol. 1 b
Cœleſtinus I. LXXVII * fol. 2. b.
Chronicon Divionenſe. LXXIX * fol. 3 b
Q. Curtius. LXXX * fol. 2. a
Mart. Capella. LXXX * fol. 2 a
Iul. Capitolinus. LXXX * fol. 2. a
Iſaac. Caſaubonus. LXXX * fol. 2 a
Catullus. LXXX * fol. 2. b

D.

ALfonſ. Davali Apologia. VII * fol. 3 b
Edm. Dinterus. XX * fol. 1 a. XXI * fol. 3. a. XXIII * fol. 3. b. XXIV * fol. 4 a. LXXII * fol. 4 b
Ditmarus. XXIII * fol. 2 a. XXX * fol. 2 a. fol. 3 a. LXIX * fol. 4 a
Pet. Divæus. XXIV * fol. 1. b. fol. 3 b. fol. 4 a
Ioan. Dubravius. XXIV * fol. 2. a. fol. 3 b
Dionyſius. LVI * fol. 4 a. LXX * fol. 3 b
Dudo. LIX * fol. 4 a
Guil. Durantes. LXVI * fol. 3 a
Petrus Damiani. LXXII * fol. 3 a
Dinamius. LXXVII * fol. 1 a

E.

EPternacenſium epiſtola. XXII * fol. 4 b
Epitaphia Ioannis Bohem. Regis Wenceſlai Ducis, & Guillelmi Antonio nati. XXIV * fol. 3 b
Euſebius Cæſar. XLV * fol. 3 a. L * f. 1 b. fol. 3 a. fol. 4 a b. LVII * fol. 4 a. LXXX * fol. 2 a. fol. 3 a
Eginhardus. XLVIII * fol. 3 a. LXI * fol. 2 b. fol. 3 a b. LXII fol. 1 a. LXIX * fol. 2 b. LXX * fol. 3 b. LXXIII * fol. 4 a b. LXXIV * fol. 1 a. LXXX * fol. 3 b. fol. 4. a
Euſebius Vercellenſis. LI * fol. 1 b. fol. 2 a
Epitaphium Clodovei. LVI * fol. 1 a. LVII * fol. 2 b
Epitaphium Hincmari. LVII * fol. 2 a
Ennodius. LIX * fol. 4 a
Deſid. Eraſmus. LXX * fol. 1 b
Epitaphium Rothaïdis. LXXIV * fol. 3 a
Epitaphium Licinii. LXXVII * fol. 2 b
Euſtathius. LXXX * fol. 1 b
Epiphanius. LXXX * fol. 2 a
Eulogius. LXXX * fol. 2 a

F.

FRanciſcus I Rex. VIII * fol. 4 a. IX * fol. 2 a. fol. 3 a. X * fol. 3 a
Ferdinandi Infantis proteſtatio. XII * fol. 2 b
Marq. Freherus. XV * fol. 1 a
Ioannes Froſſartus. XXIV * fol. 1 b. fol. 3 b. LXVII * fol. 2 b
Fredegarius. XXIX * fol. 4 b. XXXI * fol. 1 b. LIV * fol. 4 b. LVI * fol. 4 b. LVII * fol. 1 b. LXVIII * fol. 1 b. fol. 2 b. fol. 3 b. LXX * fol. 2 a. fol. 4 b. LXXII * fol. 2 a. LXXIII * fol. 4 a. LXXIV * fol. 1 a. LXXV * fol. 4 a. LXXX * fol. 1 b. fol. 3. a b
Flodoardus. XXX * fol. 2 b. XXXIII * fol. 3 a. LV * fol. 1 a b. fol. 4 a. LVI * fol. 1 a. f. 4 a b. LXII * fol. 1 b. LXVII * fol. 4 b. LXVIII * fol. 1 b. LXX * fol. 2 a. LXXIV * fol. 2 b. LXXV * fol. 4 b
Iul. Frontinus. XL * fol. 1 b.
L. Florus. XL * fol. 1 b. fol. 3 a. XLV. * fol. 3 a
Flores Sanctorum Hiſp. XLVI * fol. 2 b
Facundus Hermian. XLIX * fol. 1 b
Ferdinandi III reſcriptum. LIII * fol. 2 a
Francicæ Hiſt. Script. Tom. 4. LIII * fol. 2 b
Claud. Fauchetus. LV * fol. 4 a. LXVI * fol. 1 b. LXXIV * fol. 2 a. LXXIX * fol. 4 a
Iul. Firmicus. LVII * fol. 4 b

Steph.

Steph. Forcatulus. LXVI * *fol.* 1 *b.* *fol.* 2 *b.* LXX * *fol.* 1 *a.*

G.

FRanc. Guicciardinus. ** *fol.* 1 *b.* *** *fol.* 3 *b.* *fol.* 4 *b.* **** *fol.* 2 *b.* *fol.* 3 *a.* *fol.* 4 *b.* V * *fol.* 1 *a b.* *fol.* 2 *a b.* *fol.* 4 *b.* VI * *fol.* 1 *a.* *fol.* 2 *a b.* *fol.* 3 *a b.* XIV * *fol.* 4 *b.* XV * *fol.* 2 *a.* XVI * *fol.* 3 *a.* *fol.* 4 *a b.* XVII * *f.* 4 *b.* XVIII * *fol.* 2 *b*

Gayus. V * *fol.* 3 *a*

Geſta Pontificum Leodienſium. X * *fol.* 1 *a*

Gregorius Nyſſenus. XV * *fol.* 3 *b*

Theodor. Gothofredus. XX * *fol.* 1 *a.* LXXII * *fol.* 4 *b.* LIV * *fol.* 3 *b*

Geneal. Lothar. XXII * *fol.* 3 *b*

Gab. Barth. Gramundus. XXII * *fol.* 4 *a.* XXVII * *fol.* 4 *a*

Hieron. Gebwiller. XXIII * *fol.* 2 *b*

Franciſcus Guillimannus. XXVI * *fol.* 4 *b.* XXIX * *fol.* 4 *a.* XXX * *fol.* 1 *a.* LXXIII * *fol.* 1 *b.* *fol.* 2 *a b.* *fol.* 3 *a*

Gregorius Tur. XXX * *fol.* 1 *a.* LIV * *fol.* 3 *a.* *fol.* 4 *a.* LV * *fol.* 2 *a.* LVII * *fol.* 2 *b.* *fol.* 3 *a.* LVIII * *fol.* 4 *b.* LX * *fol.* 1 *b.* LXIII * *fol.* 2 *b.* LXVI * *fol.* 2 *b.* LXX * *fol.* 1 *b.* *fol.* 2 *b.* *fol.* 3 *a.* LXXI * *fol.* 1 *a.* LXXIV * *fol.* 2 *a.* LXXV * *fol.* 3 *b.* *fol.* 4 *a b.* LXXVI * *fol.* 1 *a.* *fol.* 2 *a.* *fol.* 3 *b.* LXXVII * *fol.* 2 *a.* *fol.* 3 *b.* *fol.* 4 *a b.* LXXVIII * *fol.* 1 *a.* *fol.* 2 *b.* *fol.* 3 *b.* LXXIX * *fol.* 2 *a.* LXXX * *fol.* 3 *b.* *fol.* 4 *b*

Genealogia S. Arnulfi. XXX * *fol.* 4 *a.* LXXIII * *fol.* 1 *a.* LXXV * *fol.* 2 *b*

Godefridus S. Pantaleonis. XXXII * *fol.* 1 *a.* *fol.* 4 *a*

Gerbertus. XXXIII * *fol.* 1 *b.* *fol.* 2 *a*

Glaber. XXXIV * *fol.* 1 *a.* LXII * *fol.* 2 *a.* LXVI * *fol.* 4 *a*

Gregorius I Papa. XLI * *fol.* 1 *b.* LIV * *fol.* 2 *a.* LIX * *fol.* 2 *a.* LX * *fol.* 1 *b.* *fol.* 2 *b.* *fol.* 4 *a.* LXIV * *fol.* 2 *b.* LXXVI * *fol.* 4 *b.* LXXVII * *fol.* 1 *b*

Pet. Galeſinius. XLVI * *fol.* 2 *a*

Gregorius VII. XLVI * *fol.* 3 *a.* XLVII * *fol.* 3 *a.* XLVIII * *fol.* 3 *b*

Gregorius III. XLVII * *fol.* 4 *b.* LXVIII * *fol.* 2 *b*

Gelaſius Cyzicenus. L * *fol.* 1 *a.* LXXX * *fol.* 3 *a*

Geſta Francorum. LIV * *fol.* 4 *b.* LVII * *fol.* 1 *b.* *fol.* 2 *b.* *fol.* 3 *a.* LXVI * *fol.* 1 *b.* LXX * *fol.* 2 *a.* LXXII * *fol.* 2 *a.*

Geſta Dagoberti. XXIX * *fol.* 4 *b.* LIV * *fol.* 4 *b.* LVII * *fol.* 3 *b.* LXX * *fol.* 2 *a.* *fol.* 4 *b*

Lib. de geſtis Pontificum. LVII * *fol.* 1 *a.* LVIII * *fol.* 4 *b.* LIX * *fol.* 4 *b.* LX * *fol.* 1 *a.* LXI * *fol.* 3 *a.* LXII * *fol.* 1 *a.* LXXIII * *fol.* 4 *b*

Guil. Gujart. LXVI * *fol.* 2 *b.* LXVII * *fol.* 1 *b.* *fol.* 2 *b*

Godeſcalcus. LXX * *fol.* 3 *b*

Anon. Sangallenſis de Geſtis Caroli Magni. LXVI * *fol.* 3 *a*

Robert. Guaguinus. LXVII * *fol.* 2 *a.* LXXII * *fol.* 4 *b*

Guibertus Abbas. LXX * *fol.* 1 *a*

Godefridus Viterb. LXX * *fol.* 2 *a*

Godefridus Vendelinus. LXXI * *fol.* 1 *b*

Genealogia Habsburgica. LXXIII * *fol.* 1 *a.* *fol.* 2 *b*

Genealog. Regum Francorum. LXXIII * *fol.* 4 *a*

Geſta Francorum Epitomata Ms. LXXIV * *fol.* 2 *a*

Gregorius Nazianzenus. LXXVI * *fol.* 1 *b*

Gogo. LXXVII * *fol.* 1 *a*

Gennadius. LXXVII * *fol.* 1 *b*

Goëricus. LXXVIII * *fol.* 3 *a*

Geographus Anonymus. LXXX * *fol.* 2 *a*

Gloſſæ. LXXX * *fol.* 2 *a*

Galenus. LXXX * *fol.* 2 *b*

H.

FRanc. Haræus. XXI * *fol.* 1 *b.* XXIV * *fol.* 1 *b.* *fol.* 3 *a b.* *fol.* 4 *a*

Herm. Contractus. XXX * *fol.* 2 *a.* XL * *fol.* 1 *b.* LV * *fol.* 2 *b.* LXX * *fol.* 2 *a.* LXXIII * *fol.* 2 *b*

Hiſtor. Franc. Script. Tomo I. XXX * LXXXII *

fol. 4 *b.* Tom. 4. LXVI * *fol.* 4 *a*
Hiſtoria Auſtralis. XXXII * *fol.* 4 *b*
Hieronymus. XLV * *fol.* 4 *b.* XLVI * *fol.* 4 *a.* XLVII * *fol.* 1 *b. f.* 2 *a b.* XLVIII * *fol.* 1 *b.* LIX * *fol.* 3 *a. fol.* 4 *a*
Hilarius. XLVII * *fol.* 2 *a.* LI * *fol.* 2 *b.* LIX * *fol.* 3 *a.* LXXX * *fol.* 3 *a*
Hormiſda Papa. XLIX * *fol.* 2 *a.* LVII * *fol.* 1 *a*
Hiſtoria tripartita. L * *fol.* 1 *b. fol.* 2 *b*
Herigerus. LV * *fol.* 2 *b.* LXX * *fol.* 2 *a*
Bern. Gir. Hallian. XXI * *fol.* 1 *b.* LV * *fol.* 4 *a.* LXVI * *fol.* 1 *b*
Hincmarus. LVI * *fol.* 1 *a. fol.* 4 *a.* LVII * *fol.* 2 *a. fol.* 3 *a.* LXVIII * *fol.* 1 *b.* LXX * *fol.* 2 *a*
Hilduinus. LVI * *fol.* 3 *b*
Hypatii Epheſini collatio. LVI * *fol.* 4 *a*
Hieron. Higuera. LXI * *fol.* 1 *a*
Honorius Auguſtod. LXVI * *fol.* 3 *a*
Hiſtor. Conſul. Andegav. LXVI * *fol.* 3 *a*
Hadrianus I Papa. LXVII * *fol.* 4 *b.* LXXX * *fol.* 3 *a. fol.* 4 *a.*
Hiſtoria Miſcel. LXX * *fol.* 4 *a*
Herricus Autiſſiodorenſis. LXXIX * *fol.* 4 *b*

I.

Corn. Ianſenius. *** *fol.* 2 *b.* XLVII * *fol.* 3 *b*
Iſidorus Hiſpal. VI * *fol.* 2 *b.* XLII * *fol.* 4 *b.* XLV * *fol.* 3 *a.* XLVII * *fol.* 3 *b.* XLVIII * *fol.* 2 *a.* L * *fol.* 2 *b.* LI * *fol.* 1 *b.* LIV * *fol.* 1 *b. fol.* 2 *b.* LVIII * *fol.* 4 *b. fol.* 4 *a.* LXIV * *fol.* 2 *b.* LXXVI * *fol.* 4 *b.* LXXVII * *fol.* 1 *b*
Thom. Iordanus. XXIV * *fol.* 2 *a*
Inſtrumentum depoſitionis Wenceslai. XXIV * *fol.* 4 *b*
Ioan. Iperius. XXIX * *fol.* 4 *b*
Irenæus. XLV * *fol.* 2 *a. fol.* 3 *a.* XLVII * *fol.* 1 *b.* LVIII * *fol.* 4 *b*
Iuſtinus. XLV * *fol.* 3 *a.* LXXX * *fol.* 2 *a*
Iulianus Imp. XLV * *fol.* 3 *a*
Innocentius I. XLV * *fol.* 3 *a.* XLVI * *fol.* 1 *b.* LXXVI * *fol.* 1 *b*
Ioannes Biclar. XLVII * *f.* 4 *a.* XLVIII * *fol.* 2 *a.* LIX * *fol.* 1 *a.* LXIV * *fol.* 4 *a*
Idacius. XLVIII * *fol.* 1 *b.* L * *fol.* 2 *a. fol.* 3 *a.* LIX * *fol.* 4 *b.* LX * *fol.* 3 *a*
Iſidorus Pacenſis. XLVIII * *fol.* 3 *a*
Iulius I Papa. L * *fol.* 2 *b*
Petrus Iuſtinianus. LIII * *fol.* 4 *b.* LXV * *fol.* 4 *a*
Iornandes. LIX * *fol.* 4 *a b*
Iulianus Toletanus. LX * *fol.* 4 *b.* LXIX * *fol.* 3 *b*
Ivo Carnot. LXII * *fol.* 3 *a. f.* 4 *a.* LXIII * *fol.* 1 *b.* LXX * *fol.* 2 *a*
Iuvencus. LXIX * *fol.* 4 *b*
Iuſtinus Martyr. LXX * *fol.* 3 *b*
Innocentius III Papa. *tabula ante duernionem* LXXII *
Ioannes Burdigneus. LXXVII * *fol.* 2 *b*
Had. Iunius. LXXX * *fol.* 1 *b*
Iuvenalis Scholiaſtes. LXXX * *fol.* 1 *b*

K.

Gvil. Kyriander. XXIII * *fol.* 2 *b. fol.* 4 *a.* XXIV * *fol.* 3 *b.*

L.

Lvdovici XIII ad Legatos mandata. ** *fol. ult. b*
Legati Francici epiſt. IX * *fol.* 2 *a*
Ludovicus Correa. XVIII * *fol.* 1 *b*
Lampridius. XXIII * *fol.* 4 *b.* XL * *f.* 1 *b*
Lambertus Schaf. XXX * *fol.* 2 *a*
Luitprandus. XXX * *fol.* 3 *b*
Titus Livius. XL * *fol.* 1 *b. fol.* 3 *a.* LXIX * *fol.* 4 *a*
Lucianus Presbyter. XLVI * *fol.* 4 *a*
Garcias Loaiſa. XLVI * *fol.* 4 *b*
Ioan. de Launoy. XLVII * *fol.* 2 *a.* LVI * *fol.* 3 *b*
Lucas Tudenſis. XLVII * *fol.* 3 *b.* LIX * *fol.* 1 *a.* LX * *fol.* 3 *a b.* LXI * *fol.* 1 *b. fol.* 2 *a*
Leo I. Papa. XLIX * *fol.* 1 *a*
Liberatus. XLIX * *fol.* 1 *b*
Ludovicus Pius Imperator. XLIX * *fol.* 2 *b.* LVII * *fol.* 2 *b.* LXVIII * *fol.* 4 *a b*
Liberius Papa. L * *fol.* 2 *a.* LI * *fol.* 2 *a*

Andr.

Andr. Laurentius. LV * *fol.* 4 *b*
Nic. de Larisvilla. LXIII * *fol.* 4 *b*
Lovanienſes. LXX * *fol.* 1 *b*
Luidulfi Annales Fuld. LXXI * *fol.* 1 *a*. LXXIII * *fol.* 4 *b*
Wolf. Lazius. LXXI * *fol.* 3 *a*
Liber Euangeliorum S. Albani Namurcenſis. LXXIV * *fol.* 3 *b*

M.

IOan. Mariana. *** *fol.* 3 *a b*. VIII * *fol.* 3 *b*. XVI * *fol.* 2 *a b*. *fol.* 3 *a*. XVII * *fol.* 1 *b*. *fol.* 4 *a*. XVIII * *fol.* 1 *a b*. XXIII * *fol.* 2 *b*. XLVIII * *fol.* 1 *b*. LX * *fol.* 4 *b*. LXXI * *fol.* 3 *b*
Matthæus Pariſienſis. V * *fol.* 3 *a*. XVI * *fol.* 2 *b*. XXXII * *fol.* 1 *b*. LXV * *fol.* 2 *a*. LXVI * *fol.* 3 *b*. LXIX * *fol.* 4 *b*. LXX * *fol.* 2 *a*
Marcellus I. C. VI * *fol.* 2 *b*
Monachus Paduanus. XVI * *fol.* 2 *a*
Iac. Mejerus. XIX * *fol.* 4 *b*. XXI * *fol.* 4 *b*. XXIV * *fol.* 4 *a*. LXVII * *fol.* 1 *b*
Enguer. Monſtreletus. XXI * *fol.* 1 *b*. *fol.* 2 *b*. *fol.* 3 *a*
Magerus. XXIII * *fol.* 4 *a*. XXIII * *fol.* 1 *a*
Aub. Miræus. XXIV * *fol.* 4 *a*. XL * *fol.* 1 *b*. LV * *fol.* 1 *a*
Sebaſt. Munſterus. XXVI * *fol.* 4 *a b*. XXVII * *fol.* 1 *a b*. XXX * *fol.* 1 *a*
Iac. Marchantius. XXVI * *fol.* 4 *a*
Nicolaus Marguinus. XXVII * *fol.* 4 *a*. LXXIX * *fol.* 4 *a*
Marianus Scotus. XXX * *fol.* 2 *a*. LV * *fol.* 4 *a*
Guil. Malmesburienſis. XXX * *fol.* 3 *b*
Martyrologia Adonis, Bedæ, Flori, Notkeri, Romanum Wandelberti, Vſuardi, &c. XXXIII * *fol.* 3 *a*. XLVI * *fol.* 2 *a*. XLVII * *fol.* 4 *a*. LXX * *fol.* 2 *a*. LXXIX * *fol.* 2 *b*
Mamertinus. XL * *fol.* 1 *b*
Petrus Matthæus. XL * *fol.* 1 *b*
Blaſ. Monlucius. XL * *fol.* 1 *b*. *fol.* 2 *b*
Martialis Belga. XL * *fol.* 3 *a*
Mambrinius Roſſeus. XLI * *fol.* 4 *a*. XLII * *fol.* 3 *b*
Meſſala. XLV * *fol.* 3 *a*
Pomp. Mela. XLV * *fol.* 3 *a*
Martyrologium vetus Romanum. XLVI * *fol.* 1 *b*
Amb. Moralis. XLVI * *fol.* 4 *b*. LXI * *fol.* 1 *a*. *fol.* 2 *a*. LXXX * *fol.* 2 *b*
Mendozæ Cardinalis proteſtatio. XLVII * *fol.* 3 *a*
Marcellinus Presbyter. XLVII * *fol.* 2 *a*. XLVIII * *fol.* 1 *b*. LI * *fol.* 1 *b*. *fol.* 2 *a*
Martinus I Papa. XLIX * *fol.* 2 *a*
Maximilianus II. LII * *fol.* 1 *a*
Mandatum ex Hiſpania Romam miſſum. LII * *fol.* 2 *b*. LIV * *fol.* 1 *a*
Mercurius Gallicus. LII * *fol.* 4 *b*
Papir. Maſſo. LV * *fol.* 4 *a*. LXXIX * *fol.* 4 *a*
Marius Aventicenſis. LV * *fol.* 4 *a*. LVII * *fol.* 1 *b*. LXXVII * *fol.* 3 *b*. XXX * *fol.* 1 *a*. LXXV * *fol.* 3 *b*. LXXVIII * *fol.* 2 *b*
Franc. Modius. LV * *fol.* 4 *b*. LVI * *fol.* 1 *a*
Ioan. Macarius. LVI * *fol.* 1 *b*
Luc. Marineus. LX * *fol.* 3 *b*
Ioan. Magnus. LXI * *fol.* 1 *a*
Guil. Marlotus. LXIII * *fol.* 4 *a*. LXIV * *fol.* 1 *a*. LXVI * *fol.* 1 *b*. *fol.* 2 *b*. LXX * *fol.* 1 *a*
Hub. Morus. LXIV * *fol.* 1 *a*. LXV * *fol.* 1 *b*. LXX * *fol.* 1 *a*.
Mauritius Imp. LXIV * *fol.* 4 *a*
Iac. Menochius. LXV * *fol.* 4 *a*
Milo Elnonenſis. LXVII * *fol.* 4 *a*
Maximus Taurin. LXX * *fol.* 3 *a*
Iac. Menlius. LXXI * *fol.* 3 *a*
Murenſis Monaſterii origines. LXXI * *fol.* 4 *a*. LXXIII * *fol.* 1 *a*. *fol.* 2 *b*
Renatus Moræus. LXXII * *fol.* 1 *a*
Ioannes Molanus. LXXIII * *fol.* 3 *b*
Lib. de Majoribus Domus. LXXIII * *fol.* 4 *a*

Martinus Meuriſſius. LXXIV * *fol.* 1 *b*. LXXVI * *fol.* 4 *b*
Mappinius. LXXVII * *fol.* 1 *a*

N.

ANton. Nebriſſenſis. XVII * *fol.* 4 *a*. XVIII * *fol.* 1 *b*
Salomon Neugebaverus. XXIV * *fol.* 2 *a*
Guil. Nangiacus. XXVII * *fol.* 3 *a*. XL * *fol.* 2 *a*. LV * *fol.* 3 *a*. LXXII * *fol.* 4 *b*
Notitia Imperii. XLI * *fol.* 2 *b*
Natalis Comes. XLI * *fol.* 4 *a*. XLII * *fol.* 3 *b*. XLV * *fol.* 1 *b*. XLVIII * *fol.* 2 *b*. *fol.* 3 *a b*
Pet. de Natalibus. XLVI * *fol.* 2 *b*
Lud. Nonius. XLVI * *fol.* 4 *b*. XLVII * *fol.* 1 *a*. LX * *fol.* 3 *b*
Novellæ Theod. XLVIII * *fol.* 2 *a*
Nicolaus I Papa. XLIX * *fol.* 2 *b*
Nicetius Trevir. LIV * *fol.* 4 *a*. LVI * *fol.* 4 *a*. LXX * *fol.* 1 *b*
Necrologium ſancti Remigii. LVII * *fol.* 2 *a*
Nonius. LXXX * *fol.* 1 *b*. *fol.* 2 *b*

O.

ORatio ad Conventum Smalcaldienſem. IX * *fol.* 2 *a*
Arn. Oſſatus Card. XII * *fol.* 3 *a*. XIII * *fol.* 2 *b*. *fol.* 3 *a b*. *fol.* 4 *b*
Otho Friſingenſis. XXII * *fol.* 4 *b*. XXXI * *fol.* 4 *b*. XXXVI * *fol.* 4 *b*. XL * *fol.* 1 *b*. LV * *fol.* 3 *a*. LXX * *fol.* 2 *a*. LXXII * *fol.* 3 *a*
Otto de S. Blaſio. XXXVII * *fol.* 1 *a*
Onufrius Panvinius. XLI * *fol.* 4 *a*. XLII * *fol.* 2 *a*
Paul. Oroſius. XLII * *fol.* 4 *b*. XLV * *fol.* 3 *a*. LIX * *fol.* 3 *a*. *fol.* 4 *a b*
Origenes. XLV *fol.* 3 *a*
Optatus. XLVII * *fol.* 2 *a*. XLVIII * *fol.* 4 *b*
Oſius. L * *fol.* 3 *b*
Ordericus. LXVII * *fol.* 1 *a*. LXXII * *fol.* 3 *a*. LXXVII * *fol.* 2 *a*

P.

PActum Bleſenſe. ** *fol.* 2 *b*. *** *fol.* 3 *b*. XVII * *fol.* 4 *b*
Pactum Bernoaldenſe. *** *fol.* 1 *b*
Pactum Madritenſe, Montionenſe. *** *fol.* 1 *a*. *fol.* 4 *a*
Pactum Vicenſe & Metenſe. *** *fol.* 1 *b*
Pactum Vlmenſe. ** *fol.* 4 *b*. & Claraſcenſe. *** *fol.* 1 *b*. XXI * *fol.* 3 *a*
Pacta cum Ordinibus fœderatis. *** *fol.* 1 *b*
Pactum Tridentinum. *** *fol.* 3 *b*
Pactum Haganoenſe. *** *fol.* 3 *b*.
Pactum Noviodunenſe. *** *fol.* 4 *b*: **** *fol.* 4 *a*
Pactum Pariſienſe. *** *fol.* 4 *a*
Pactum Cantuarienſe. **** *fol.* 3 *a*
Pactum Gravelinganum. **** *fol.* 3 *b*
Pactum Valencenenſe. **** *fol.* 4 *a*
Paulus I. C. V * *fol.* 3 *b*. *fol.* 4 *a*
Pactum Cameracenſe. VI * *fol.* 3 *b*
Pactum Criſpiacenſe. IX * *fol.* 1 *a*. X * *fol.* 4 *b*
Pactum Silvanectenſe. X * *fol.* 1 *a*
Pactum Nannetenſe. XII * *fol.* 3 *b*
Pactum Vervinienſe. *ibidem*. XIV * *fol.* 3 *a*
Pactum Monaſterienſe. XII * *fol.* 4 *b*. XV * *fol.* 2 *b*. XXIII * *fol.* 1 *b*
Ptolemæus Lucenſis. XVI * *fol.* 2 *a b*. LXXI * *fol.* 3 *a*
Pandulfus Collenutius. XVI * *fol.* 2 *a b*
Pius II. XVI * *fol.* 2 *a*. XXI * *fol.* 1 *b*. *fol.* 2 *a*. XXIV * *fol.* 2 *b*. XXV * *fol.* 4 *a*. XXXIII * *fol.* 2 *b*. XXXVI * *fol.* 3 *b*. XLIII * *fol.* 3 *a*. XLIV * *fol.* 2 *a*. LII * *fol.* 4 *b*. LV * *fol.* 4 *b*. LXXI * *fol.* 3 *a*. LXXIV * *fol.* 4 *a b*
Prudentius Sandovallius. XVII * *fol.* 4 *a*
Petrus Martyr. XVIII * *fol.* 1 *a*
Pactum Attrebatenſe. XXI * *fol.* 3 *a*
Pactum Rhemenſe. XXII * *fol.* 1 *b*
Ptolemæus. XXIII * *fol.* 2 *a*. XLII * *fol.* 4 *b*

Pontus Heuterus. XXIII *fol. 2 b. XL *fol. 1 b. fol. 3 a
Guil. Paradinus. XXVI *fol. 4 b
Pactum Caroli V & Philippi III cum propinquis. XXVII *fol. 3 a
Pactum ad Vallem coloris. XXVII *fol. 3 a
Theod. Piespordius. XXIX *fol. 4 a
Pactum Furonienſe. XXXI *fol. 3 a. XXXIV *fol. 1 a
Pactum Bonnenſe. XXXIV *fol. 1 a
Paſchaſius Ratb. XXXIV *fol. 4 a b
Dion. Petavius. XL *fol. 1 b. LV *fol. 4 b
Polyænus. XL *fol. 1 b
Steph. Paſchaſius. XL *fol. 1 b. fol. 2 b. XXII *fol. 1 a
Prudentius. XLVI *fol. 1 b
Pacianus Barcinon. XLVII *fol. 2 a
Pelagius I. XLIX *fol. 1 b. LIX *fol. 1 b. LX *fol. 3 a. LXIV *fol. 2 b. fol. 3 b
Pius IV. LIII *fol. 4 b
Franc. Petrarcha. LV *fol. 4 b
Paulinus Nolanus. LVI *fol. 1 b. fol. 2 a
Proſper. LVII *fol. 1 b
Plinius. LVII *fol. 2 a. LXVI *fol. 2 b. LXXX *fol. 2 a b
Ioan. Piſtorius. LX *fol. 3 b. LXXIII *fol. 3 a
Pſeudoluitprandus. LX *fol. 4 a, LXI *fol. 1 a
Paulinus Laicus. LXIV *fol. 1 a
Plutarchus. LXIX *fol. 4 a b. LXXX *fol. 1 b
Priſcus. LXIX *fol. 4 b
Petronius Arbiter. LXIX *fol. 4 b
Paſſio ſancti Sebaſtiani. LXX *fol. 4 a
Paulus Diaconus. LXX *fol. 4 a. LXXIV *fol. 3 b. LXXV *fol. 2 b. fol. 3 b. LXXVI *fol. 2 b. LXXVII *fol. 3 a
Philibertus Pingonius. LXXII *fol. 2 b
Paulinus Diaconus Carthag. LXXVI *fol. 3 a
Pæanius. LXXX *fol. 2 a

Q.

Petr. de Caſtro Quignonius. XLVI *fol. 3 a

R.

Rodericus Toletanus. VIII *fol. 3 b. XLV *fol. 2 a. XLVIII *fol. 3 a. XLIX *fol. 3 a
Nic. Remigius. XXI *fol. 2 b. XXII *fol. 4 a
Franc. Roſerius. XXII *fol. 2 b
Radevicus. XXII *fol. 4 b
Gotfrid. à Rammige. XXIII *fol. 2 a
Ger. de Roo. XXIII *fol. 2 b
Hen. Rebdorfius. XXIV *fol. 2 a. fol. 3 b. XXXVI *fol. 4 a
Lud. Requeſenii proteſtatio. XLII *fol. 2 b
Andr. Reſendius. XLVI *fol. 4 b
Remigius Rem. LIV *fol. 4 a.
Rorico. LIV *fol. 4 b. LVII *fol. 1 b. LXX *fol. 2 a. LXXV *fol. 1 a
Ioannes Robertus. LV *fol. 1 a
Regino. LV *fol. 2 b. LXX *fol. 2 a
Mich. Ritius. LV *fol. 4 b
Claud. Richardus. LX *fol. 3 b
Romanus Exarc. LXIV *fol. 4 a
Rituale Turon. LXVI *fol. 3 a
Rigordus. LXVII *fol. 1 a b. fol. 2 b. LXIX *fol. 3 b
Claudius Robertus. LXXVII *fol. 1 b. fol. 3 a
Rituale Romanum. LXXX *fol. 4 a

S.

Sammarthani. *** fol. 3 b. fol. 4 a. XXII *fol. 1 a. LXXII *fol. 4 b.
Ioan. Sleidanus. ***fol. 4 a b. **** fol. 2 b. fol. 3 a b. V *fol. 4 b. VII *fol. 2 a. fol. 3 a b. IX *fol. 1 a. X *fol. 3 b. fol. 4 a b. XI *fol. 2 a b. fol. 3 b. XV *fol. 1 a. XVIII *fol. 2 a
Henric. Stero. XVI *fol. 2 a. XXXII *fol. 2 a. XXXIII *fol. 1 a
Car. Stephanus. XXII *fol. 2 b

Strabo. XXIII * fol. 4 b. XLII * fol. 4 b. LXXX * fol. 1 b. fol. 2 b
Sigebertus. XX * fol. 1 a. XXX * fol. 2 a. fol. 3 b. XL * fol. 1 b. LXXII * fol. 2 a. LXXIII * fol. 3 b
Siffridus. XXX * fol. 3 b
Stephanus IV Papa. XXXIV * fol. 4 b. XLI * fol. 1 b
Seneca. XL * fol. 1 b. XLV * fol. 3 a. LXIX * fol. 4 b
Silius Italicus. XL * fol. 1 b
Scipio du Pleix. XL * fol. 1 b. LV * fol. 4 a. LXVI * fol. 1 b. fol. 2 b. LXIX * fol. 4 b
Ioan. Spondanus. XL * fol. 1 b. fol. 3 a
Ioan. Serranus. XL * fol. 1 b. fol. 2. b. LV * fol. 4 a. LXXV * fol. 1 a
Iul. Solinus. XLI * fol. 2 b
Paulus Sarpius. XLI * fol. 3 b. XLII * fol. 2 a
Severus Sulpitius. XLV * fol. 4 a. XLVII * fol. 2 a, b. XLVIII * fol. 4 b. LI * fol. 1 a. fol. 2 b. fol. 3, b. LXIV * fol. 1 a. LXIX * fol. 4 b
Socrates. XLVIII * fol. 1 b. L * fol. 1 a, b. fol. 3 a. fol. 4 a. LXXX * fol. 3 a
Iac. Sirmondus. XLIX * fol. 2 a. LVI * fol. 3 b. fol. 4 b
Sozomenus. L * fol. 1 b. fol. 4 a, b. LIX * fol. 2 b. fol. 3 a
Sixtus IV. LVI * fol. 1 a
Symmachus Papa. LVII * fol. 1 a
Sidonius. LIX * fol. 4 a, b. LXIX * fol. 4 b
Sugerius. LXII * fol. 2 a. LXVI * fol. 4 b. LXX * fol. 2 a. LXXII * fol. 3 a, b
Mich. Surianus. LXV * fol. 2 a
Andr. Sauſſaïus. LXX * fol. 3 a
Liber de Sacramentis. LXX * fol. 3 b
Sermones Auguſtino adſcripti. LXX * fol. 3 b
P. G. Sammarthanus. LXXI * fol. 1 b
Sebaſtianus Salamanticenſis. LXXX * fol. 1 b
Soſthenes. LXXX * fol. 1 b. fol. 2 a
Claud. Salmaſius. LXXX * fol. 2 a
Severus Alexandrinus. LXXX * fol. 3 b

T.

Tabulæ matrimoniales Ludovici XIII. ** fol. 4 a
Thuanus. ** fol. 1 b. fol. 3 a. fol. 3 b. fol. 1 a. LV * fol. 4 a. fol. 4 b. XI fol. 1 a, b. fol. 2 b. fol. 3 a. XIII * fol. 2 a. fol. 3 a. fol. 4 b. XIV * fol. 1 a. fol. 2 a. XXIII * fol. 3 a. XL * fol. 1 b. XLVIII * fol. 1 a, b. LII * fol. 1 a, b. fol. 2 b. LXIII * fol. 3 a
Toloſani Senatus decretum. XVII * fol. 4 b
Tabulæ matrimoniales Nicolaæ Loth. Ducis. XX * fol. 1 a
Trebellius Pollio. XXIII * fol. 4 b.
Tranſactio Auguſtana. XXVII * fol. 4 b
Theganus. XXXIV * fol. 4 a. LV * fol. 1 b. LXII * fol. 1 a. LXXV * fol. 1 b
Tabula Peutengeri. XLII * fol. 4 b
Tertullianus. XLV * fol. 2 a. XLVIII * fol. 2 a. LVI * fol. 2 a. LVII * fol. 4 a, b. LXV * fol. 4 b. LXX * fol. 3 b. fol. 4 a. LXXI * fol. 2 b
Theodoretus. XLV * fol. 3 a. XLIX * fol. 1 a. L * fol. 1 b. fol. 2 b. LI fol. 3 a. LIX * fol. 2 b. fol. 3 a. LXXVII * fol. 3 a
Franciſcus Tarapha. XLVI * fol. 4 b
Tragœdia Chriſtus patiens inſcripta. LVI * fol. 2 a
Ioan. Turpinus. LVI * fol. 3 b
Teſtamentum Remigii. LVII * fol. 2 b. LXVII * fol. 3 b. LXX * fol. 2 a. fol. 3 a
Theophilus Antiochenus. LVIII * fol. 4 b. LXXX * fol. 2 a
Theodericus Rex Goth. LXIV * fol. 2 a
Iac. Alex. Tenneurius. LXV * fol. 2 a
Ioan. Tilius. LXVI * fol. 1 b
Ioan. Tilius Meld. Epiſcopus. LXV * fol. 1 b
Ioan. Trithemius. LXXI * fol. 3 a
Tabulæ Eccleſiæ Metenſis. LXXV * fol. 4 b. LXXVI * fol. 4 a

Vlpia-

V.

VLpianus. v * *fol.* 3 *a.* vi * *fol.* 2 *b*
Weſogothorum leges. v * *fol.* 3 *a*
Hier. Vignerius. xx * *fol.* 1 *b.* xxi * *fol.* 2 *a. fol.* 3 *b.* lxxiii * *fol.* 1 *b.* xxx * *fol.* 3 *a.* lxxii * *fol.* 1 *a*
Rich. Waſſeburgius. xxi * *fol.* 2 *b.* xxii * *fol.* 1 *a. fol.* 2 *b*
Petrus à Weims. xxiii * *fol.* 1 *b*
Nicol. Vignerius. xxiv * *fol.* 2 *a.* lxvii * *fol.* 1 *b.* lxxix * *fol.* 3 *b*
Vita Wandregeſili. xxix * *fol.* 4 *b.* xxxiii * *fol.* 4 *a.* lxxiv * *fol.* 3 *b*
Vita Rictrudis. xxix * *fol.* 4 *b.* lxxiv * *fol.* 3 *b*
Vita Bertæ. xxix * *fol.* 4 *b*
Witichindus. xxx * *f.* 1 *b.* lxxi * *fol.* 3 *a*
Vita Caroli à Monacho Egoliſmenſi ſcripta. xxx * *fol.* 4 *b.* lxx * *fol.* 3 *b.* lxxx * *fol.* 4 *a*
Vita S. Otiliæ. xxxi * *f.* 2 *a.* lxxi * *f.* 4 *b*
Vita S. Deicoli. xxx * *fol.* 3 *a.* xxxiii * *fol.* 2 *b.* xxxi * *fol.* 3 *a*
Sext. Aurel. Victor. xxxiii * *fol.* 1 *b*
Vita Furſei. xxxiii * *fol.* 3 *a.* lxxx * *fol.* 4 *b*
Vita Arnulfi. xxxiii * *fol.* 3 *b.* lvii * *fol.* 3 *b.* lxx * *fol.* 2 *a.* lxxiii * *fol.* 3 *b.* lxxiv * *fol.* 3 *a. fol.* 3 *b.* lxxv * *fol.* 4 *b.* lxxvii * *fol.* 1 *a.* lxxviii * *fol.* 3 *a. fol.* 4 *a*
Vita Clodulfi. xxxiii * *fol.* 4 *a.* xxxiv * *fol.* 1 *b.* lxxiii * *fol.* 3 *b.* lxxv * *fol.* 2 *a. fol.* 4 *b.* lxxvii * *fol.* 1 *a*
Valerianus. xl * *fol.* 1 *b*
Valerius Maximus. xl * *fol.* 1 *b*
Iac. Valdeſius. xli * *fol.* 3 *a*
Vitellius Cardinalis. xli * *fol.* 4 *a.* xlii * *fol.* 2 *a*
Iac. de Voragine. xlvi * *fol.* 2 *b*
Ioan. Vaſæus. xlvi * *fol.* 4 *b*
Victor Tununenſis. xlix * *fol.* 1 *b.* lvii * *fol.* 1 *b*
Vigilius Papa. xlix * *fol.* 1 *b*
Vita Arnulfi Comitis. liv * *fol.* 4 *b.* lxxiv * *fol.* 3 *b*
Vita Solemnis Carnot. liv * *fol.* 4 *b.* lvii * *fol.* 3 *b.* lxx * *fol.* 2 *a*
Abbas Vrſpergenſis. lv * *fol.* 3 *a.* lxx * *fol.* 2 *a*
Raph. Volaterranus. lv * *fol.* 4 *b*
Adrian. Valeſius. lvi * *fol.* 4 *a*
Virgilius. lvii * *fol.* 4 *a.* lxix * *fol.* 4 *b*
Iac. Vatablus. lviii * *fol.* 2 *b*
Venantius Fortunatus. lix * *fol.* 2 *a.* lx * *fol.* 2 *a.* lxiv * *fol.* 1 *b. fol.* 3 *b.* lxxvi * *fol.* 3 *b. fol.* 4 *b*
Via Regia. lxi * *fol.* 1 *b*
Vita Ludovici Pii. lxii * *fol.* 1 *a.* lxviii * *fol.* 4 *b*
Vita S. Iuniani. lxiv * *fol.* 4 *a*
Vita S. Aviti. lxiv * *fol.* 4 *b*
Vita S. Marculphi. lxiv * *fol.* 4 *b*
Walafridus Strabo. lxvi * *f.* 3 *a.* lxvii * *fol.* 4 *a*
Vincentius Bellovacenſis. lxvii * *fol.* 2 *b*
Vita Rigoberti. lxvii * *fol.* 4 *b.* lxx * *fol.* 3 *b*
Vita Eucherii Aurel. lxviii * *fol.* 1 *a.* lxx * *fol.* 3 *b*
Valerius Flaccus. lxix * *fol.* 4 *b*
Vindex Gallicus. lxx * *fol.* 1 *a*
Victor Vitenſis. lxx * *fol.* 4 *a*
Vita Amandi. lxx * *fol.* 4 *a*
Vopiſcus Fortunatus Plempius. lxxi * *fol.* 1 *b*
Vita Leodegarii. lxxii * *fol.* 1 *a b*
Vita Amati. lxxii * *fol.* 1 *b*
Vita S. Huberti. lxxiii * *fol.* 3 *a*
Vita Ragneberti. lxxiv * *fol.* 3 *a*
Vita Medardi. lxxiv * *fol.* 3 *b*
Vita Geremari. lxxv * *fol.* 3 *b*
Vita Bercharii. lxxiv * *fol.* 3 *b*
Vita Goërici. lxxv * *fol.* 4 *b.* lxxvii * fol. 1 *a*
Vita Licinii. lxxvii * *fol.* 2 *b*
Vita Ferreoli. lxxvii * *fol.* 1 *b*
Flav. Vegetius. lxxx * *fol.* 1 *b*
Ger. Io. Voſſius. lxxx * *fol.* 2 *a*
Marc. Varro. lxxx * *fol.* 2 *b*
Vita Gudilæ. lxxx * *fol.* 4 *a*

Vita Caroli ab incerto ſcripta. XXXVI * *fol.* 1 *a.* LXXX * *fol.* 4 *a*
Vita Columbani. LXXX * *fol.* 4 *b*

X.

XEnophon. XL * *fol.* 1 *a.*

Z.

FRan. Zypæus. *** *fol.* 2 *b. fol.* 3 *a.* **** *fol.* 3 *a.* XXIV * *fol.* 4 *a*
Hieron. Zurita. XVI * *fol.* 2 *a b.* XVII * *fol.* 4 *a.* XVIII * *fol.* 1 *b.* XLV * *fol.* 1 *a b*
Zoſimus. L * *fol.* 2 *a*
Zoſimus Papa. L * *fol.* 1 *a.* LXXVI * *fol.* 2 *a.* LXXVII * *fol.* 3 *a*
Zacharias Papa. LXI * *fol.* 3 *a.* LXIX * *fol.* 1 *a*

ERRATA ſic corrigenda.

** FOl. 1 a lin. 13, tractuſque. fol. 3 b lin. 3, debon. f. 3 a lin. 23, admin. lin. 35, Majas. f. 4. a lin. 21, carens. f. ult. b lin. 22, Proteſt. lin. 46, eadem. *** fol. 1 a lin. 1, fueris. lin. 16, biſcere. lin. 21, proſcripto. lin. 32, uncis. lin. 39, Montisferrati. lin. 43, Iulio menſe. lin. 46, Monſerratenſem. lin. 25, extructa. lin. 47, ibidem, alterutrius. fidos. fol. 2 a lin. 17, antiquo. lin. 38, circiter 1638. lin. 43, Marte. fol. 2. b lin. 20, creviſſe. *** fol. 2 b lin. 11, poſſident. lin. 37, jamdudum. lin. 39, Langob. & 46. lin. 47, Antonii. lin. 1, b Lucana. lin. 2, Italia : Helv. lin. 11, viribus. lin. 19, quos ts. fol. 3 b lin. 25, Engoliſmorum. lin. 47, Ianuarias, fol. 4 b lin. 4, Renatam. lin. 21, ex ejus. lin. 23, mala fide effic. **** fol. 1 a lin. 32, memoris. lin. 44 Aimerik. lin. 45, Bullionenſis. fol. 1 b lin. 1, convenerit. lin. 3, Cancellariam. lin. 9, Francica. lin. 10, Aimer. lin. 15, tentavit. lin. 41, ovicimus. lin. 48, ſuarum. fol. 2 a lin. 1, Marcano. lin. 2, quæ nulla. fol. 1 a lin. 16, Florengiis. fol. 2 b lin. 5, Salicetum. lin. 8, monaſterium. lin. ead. diœceſis. lin. 12, Tiraſſenſem. lin. 18, fœdera. fol. 3 a lin. 7, coorta. lin. 11, Paſchæ. lin. 14, Oeniponte. lin. 17, nunquam non. lin. 34, ore maledico. fol. 3 b lin. 29, arbitrum. lin. 38, probatum. fol. 4 a lin. 3, remitti, Imper. lin. 25, infecto. lin. 26, Noviodunenſe. lin. 29, ſine fœd. crimine. lin. 31, Caroli Legato. fol. 4 b lin. 1, fuiſſe. V * fol. 1 a lin. 4, Rege &c. lin. 6, Regis. lin. 19, proximos in dictam Hiſp. ditionem. lin. 23, 1516. lin. 34, Navarreni. fol. 1 b lin. 14, Labret. lin. 30, privare. lin. 45, vivere. fol. 2 a lin. 27, eorundem confirmationi. lin. 30, obligavit. lin. 41, Regie. fol. 2 b lin. 1, factum. lin. 6, deliberationem. lin. 9, diligenti. lin. 30, in man. lin. 39, inter eos. fol. 3 a lin. 11, cœperunt. lin. 27, inclamantis. lin. 34, ut in. lin. 36, Conſentino. lin. 44, libeat. fol. 4 a lin. 2, quem. lin. 5, ipſorum denique. fol. 4 b lin. 40, à te. lin. 48, firmandam. lin. 47, ut. VI * fol. 1 a lin. 31, exagitato. fol. 1. b lin. 3, portis. lin. 7, coërceat. lin. 22, magnanimitate. fol. 2 a lin. 27, anſeris. lin. 33, calumniatorum. fol. 3. a lin. 9, ea, quæ. fol. 3 b lin. 12, quantum in ipſo. lin. 43, Numine. fol. 4 a lin. 14, conveniſſe. lin. 22, à Ludov. XII temp. lin. 34, excuſaturus. lin. 45, Francicorum. lin. 46, circumventam. lin. 47, inviſſet. VII * fol. 1 a lin. 37, obtulerit. fol. 1 b lin. 1, Sabaudum. lin. 46, Manuelem. fol. 2 a lin. 3, coram Papa, totoque conſiſ. invec. proſci. fol. 2 b lin. 17, fovit, ſuum. lin. 31, in qua dicti. lin. 37, Francos. fol. 3 a lin. 7, Landriano. lin. 9, Taurinum. VIII * fol. 1 a lin. 4, illa. fol. 1 b lin. 43, Romanorum. fol. 3 a lin. 33, illatam. fol. 3 b lin. 2, impediri. lin. 24, Baaſa. IX * fol. 1 a lin. 1. 1527 April, fol. 1 b lin. 15, ſuſpicionem, ſive. fol. 2 a lin. 23, miſſum. fol. 2 b lin. 17, æquitate. lin. 30, alterius. lin. 47, crudeliſſime. fol. 3 a lin. 24, pleriſque. fol. 4 a lin. 5, ſteterat, cum. lin, 10, amicitia. lin. 33, incurriſſet. X * fol. 1 a lin. 3, Luelli. lin. 4, res. fol. 1 b lin. 2, damnatus ad Bullionii. lin. 3, Cancellariam. lin. 17, Bullion. fol. 2 a lin. 43, receperunt. lin. 44, reciperent. fol. 3 b lin. 1, Turcicus. lin. 8, huc uſque. lin. 13, Lotharingico. lin. 16, meum. lin. 43, advertere. fol. 4 a lin. 31, novem. XI * fol. 1 a lin. 9, invadentem. fol. 1 b lin. 21, ingratitudini. lin. 44, univerſi. fol. 3 a lin. 22, cœperant. fol. 3 b lin. 3, legatus. XII * fol. 1 b lin. 43, immodeſtius. fol. 2 a lin. 10, abutebantur. lin. 21, ſponte ſe offerebat. lin. 29, communicatis. lin. 46, anno 1585, fol. 2 b lin. 36, eum. fol. 3 a lin. 25, ſincera. lin. 28, addatur. lin. 31, millia ſup. lin. 46, Angliæ quibus. fol. 3 b lin. 5, Occidentalis. lin. 14, Paſchatis. fol. 4 b lin. 10, memoris. lin. 25, ſuo. XIII * fol. 2 a lin. 10, abligurire. fol. 2 b lin. 38, aliquod. XIV * fol. 1 a lin. 24, carere. fol. 1 b lin. 13, Regum. fol. 2 b lin. 19, devolutam. lin. 41, Burgoviæ. fol. 3 b lin. 1, quod. lin. 25, pectore. lin. 43, adverſ. pergere. fol. 4 a lin. 27, ſo:iis. lin. 40, Coburni. fol. 4 b lin. 40, Palatium. XV * fol. 1 a lin. 5, arctis. cuſtodiæ. lin. 34, ditiones. fol. 1 b lin. 5, denuntiatione. fol. 3 b lin. 18, proditoriè. fol. 4 a lin. 12, leoninam cum Trev. lin. 25, edere licuit? lin. 46, A. D. 1635. fol. 4 b lin. 43, Anno 1532. lin. 48, regione vindicaverit. XVI * fol. 2 a lin. 5, A. D. 1258. fol. 2 b lin. 36, nuncupatus. fol. 3 b lin. 14, Floræ. fol. 4 b lin. 39, eum. XVII * fol. 1 b lin. 4, eum. fol. 2 a lin. 9, cum. fol. 3 b lin. 8, putaret. fol. 4 b lin. 21, Cardinales. XVIII * fol. 1 a lin. 24, fuit, Ferdinandum fœderis. lin. 46, Ioanne. fol. 3 a lin. 35, mentem. fol. 4 a lin. 11, præteriri. lin. 19, publica. lin. 26, cauſa miſſurum. fol. 4 b lin. 8, & 24. Regum. XIX * fol. 1 a lin. 6, Sucino en Rais. lin. 16, Meudon, Hunauldaje. lin. ead. Beugey. lin. 17, Tocquemborg. lin. 24, Plenipotentiarius. fol. 2 b lin. 17, A. D. 840. fol. 3 b lin. 2, 3. poteſtas erat. lin. 39, hiſtorica. fol. 4 a lin 8, repellentis, confirm. fol. 4 b lin. 25, Gerberga. XX * fol. 1 a lin. 13, Eginesh. lin. 20, Edm. Dinteri. fol. 1 b lin. 16, dorvent. fol. 2 b lin. 26, de Campania. lin. 37, Lucemburgica. fol. 3 a lin. 42, Balduinus. fol. 4 b lin. 32, poterant. XXI * fol. 1 a lin. 44, Baſileenſe. fol. 1 b lin. 22, Albizius. fol. 2 b lin. 47, Lotharingici Ducatus. fol. 4 a lin. 49, A. D. 1419. XXII * fol. 1 a lin. 10, dilectione. fol. 1 b lin. 7, quod renunciabit. lin. 35, hæredem, ne ad momentum vind. fol. 2 b lin. 10, Drenot, fol. 3 a lin. 20, Nance,i Nicolaus. fol. 4 a lin. 1, gentis ad dignit. vindicandam. lin. 36, ſtupidus. lin. 9, extrema agentis. XXIII * fol. 1 a lin. 38. colore. fol 1 b lin. 2, Superioritate. lin. 9, Luxenburgenſis Præſide. fol. 2 a lin. 2, Chiffletii Comment. fol. 3 b lin. 46, ſuffectus. XXIV * fol. 1 b lin. 41, Atqui cum. fol. 2 a lin. 18, iiſdem diebus. ibidem, Carolo. lin. 18, quo. lin. 34, Valdemaro. fol. 3 a lin. 50, Haraus. fol. 3 b lin. 24, Haraus. lin. 36, Wenceſlaus. lin. 44, A. D. 1405 ante 1407. &c. tertio ante Ludovici cædem anno redeunte. fol. 4 a lin. 1, Decemb. 21, anno 1409. lin. 21, Cymbalum. lin. 24, Dinterus. fol. 4 b lin. 18, feſt. gaudiis int. XXV * fol. 2 b lin. 3, pactionis. lin. 8, ut, eat. lin. 11, ingeruntur. lin. 18, Ordines, quos Imp. fol. 3 a lin. 11, Superiſtis. fol. 3 b lin. 35, poſtquam. XXVI * fol. 1 a lin. 46, libeat; nuſquam vel. fol. 1 b lin. 1, in iis nomen. lin. 17, hæredes transm ſſam unquam. fol. 3 a lin. 24, Comitatuum, &c. in Ardenna. fol. 4 a lin. 27, Luxemburgi. lin. 36, Caſimiro. XXVII * fol. 2 b lin. 23, videat orbis, fol. 3 a lin. 19, promovebit. lin. 24, Merania. lin. 26, Meraniæ. fol. 4 a lin. 40, facta. XXVIII * fol. 3 a lin. 41, indicabimus. lin. 43, ſenſerunt. XXIX * fol. 1 b lin. 19, dabunt, ut Rex. fol. 4 a lin. 28, Vignieriana. lin. 43, Vignieriana. XXX * fol. 4 b lin. 3, Langob. XXXI * fol. 1 b lin. 15, debeant. fol. 4 b lin. 32, referens. XXXII * fol. 1 a

E R R A T A.

fol. 1 a lin. 43. *Langob.* XXXIII * fol. 1 a lin. 39, *Communis factus.* lin. 42, *tributus.* fol. 1 b lin. 46, *in tota.* fol. 3 a lin. 1, *vocant.* lin. 22, *magnit.* XXXIV * fol. 1 b lin. 45. *Arnulphina gentis.* fol. 3 a lin. 45. *Odoni.* fol. 4 a lin. 26, *Valdrada.* XXXV * fol. 1 a lin. 7. *Papam.* lin. 37, *Ludovici.* lin. 41, *præcedente.* lin. 50, *reputabimus.* fol. 1 b lin. 20, *Comitis filia.* fol. 4 b lin. 40, *ex quâ.* XXXVI * fol. 1 a lin. 7, *Autis.* fol. 3 a lin. 22 *ſui.* XXXVII * fol. 1 a lin. 16, *conſtituerat, poſtremam ad.* lin. 24, *ante annos* 385. *Capetini regnarent.* lin. 27, *in Childebrandino.* fol. 1 b lin. 1, *qui Hungariæ.* fol. 2 a lin. 12. *Blanca.* fol. 3 a lin. 19, *Arvern.* lin. 38, *Sigiſmundum.* XXXVIII * fol. 1 b lin. 26, *filius.* lin. 27, *Meran. Dux; S. Ludov.* lin. 29, *Childebrandini rami. S. Ludov. Rex.* fol. 2 b lin. 16, *Morit.* lin. 19, *Carenciaci.* fol. 3 a lin. 43. *Barcellorum.* fol. 3 b lin. 28, *Bataco.* lin. 44, *Landelinus & Birchtilo.* fol. 4 a lin. 1, *Gerhardus, Thead.* lin. 5, Landelini filii, Bezelinus, Gebhardus & Bebizo Comites. Birctilonis filii; quorum poſteri per ſingulos gradus ordine reſtituendi ſunt; cum typothetarum incuria loco moti ſint. XXXIX * fol. 1 a lin. 19, *Fridericus Margareta.* fol. 1 b lin. 38, *Guilielmus Herm.* fol. 2 b. lin. 30, *Alpaidis.* fol. 3 a lin. 13, *Eberardos duos in unum conſlat.* lin. 15, *facit, triginta unus*; lin. 25, *occurrent.* lin. 43, *decimumſeptimum, vel decimumoctavum.* fol. 4 a lin. 2. *obtendente.* lin. 6, *devaſtaturas.* XL * fol. 1 a lin. 6, *fide.* lin. 43, *ductas.* fol. 1 b lin. 29, *peteret Perſa*; fol. 2 b lin. 22, *Serrani.* lin. 37, *Samarobrivam.* fol. 3 a lin. 5. *lectoribus apponere, eorumque.* lin. 12, *Heutero.* lin. 15, *ſtyli.* lin. 18, *Heutero.* lin. 46. *duraturam.* fol. 3 b lin. 13, *manifeſtum fecerit,* lin. 23, *Abinoam.* fol. 4 a lin. 15, *adverſum Philiſthæos.* fol. 4 b lin. 46, *Hyſtaſp.* XLI * fol. 1 a lin. 6. *Toloſ.* fol. 1 b lin. 4, *cœleſtis.* lin. 7, *opor.* lin. 34. *aſſereret.* fol. 2 a lin. 12, *Francorum.* lin. 31, *redimeretur.* fol. 2 b lin. 19, *feraciſſima.* lin. 24, *vix* 12000. fol. 3 b lin. 38, *cœperunt.* fol. 4 b lin. 38, *ea.* XLII * fol. 1 a lin. 1, *ingiurioſi.* lin. 5, *anche.* lin. 6, *haveva.* lin. 8, *all'.* lin. 9, *Legati, Card. duo.* lin. 13, *collocari.* lin. 24. *preponentes.* lin. 41. *Domini illi.* fol. 1 b lin. 22, *ugual.* lin. 46, *differenda.* fol. 2 b lin. 9, *quocirca.* fol. 3 a lin. 12, *uguali.* lin. 18, *differenda.* lin. 37, *repudiatam.* fol. 3 b lin. 6, *conſegna.* lin. 9, *gl' haveva.* lin. 34, *Hiſtoriarum.* lin. 39, *Chriſtianam.* fol. 4 a lin. 42, 1515. fol. 4 b lin. 16, *diſterminantis alveum poſ.* XLIII * fol. 1 b lin. 25, *Thuriſmodum.* fol. 2 b lin. 1, *diſtributam.* lin. 3, *electioni.* lin. 27, *neminem latius dom.* lin. 46. *rogandam.* fol. 4 a lin. 32. *dilatandi.* fol. 4 b lin. 44. *erat, ſolito.* lin. 45, *ſecunda ſe nationis.* XLIV * fol. 1 a lin. 41, *regionis dignitas.* fol. 2 a lin. 37, *uniuſque.* fol. 2 b lin. 8, *propria.* lin. 20, *exhauſta.* fol. 4 a lin. 37, *Regina.* XLV * fol. 2 a lin. 25. *cœleſti.* lin. 28, *expiſſe.* fol. 2 b lin. 7, *ab Hiſpania.* lin. 42, *infra præcip.* fol. 3 a lin. 45, *pandentes.* fol. 3 b lin. 47, *intermiſcet.* fol. 4 a lin. 26, *Illyr. ex Illyr.* fol. 4 b lin. 14, *teſtud.* XLVI * fol. 1 a lin. 22, *honorandam.* lin. 30, *parricida.* fol. 2 b lin. 23, *Prudent.* XLVII * fol. 1 a lin. 34, *Loaiſa.* fol. 3 a lin. 7, *ſua.* lin. 33, *Mendoza.* fol. 3 b lin. 23, *Hiſpania.* fol. 4 b lin. 24. *inter annos* 737 & 741. XLVIII * fol. 1 b lin. 20, *proponebant.* fol. 2 b lin. 26, *mit.* fol. 3 a lin. 33, *cœp.* fol. 4 a lin. 4, *derep.* XLIX * fol. 1 b lin. 38, *potenti.* lin. 45, *excel.* fol. 2 b lin. 1, *Synodica.* L * fol. 1 a lin. 6, *Francica.* lin. 26, ὄχλος. fol. 4 a lin. 30, *cœp.* lin. 31, *diœceſ.* fol. 4 b lin. 20, *Cæſaraug.* LI * fol. 2 a lin. 3. *defendi.* fol. 3 a lin. 13, *præſentia.* lin. 38, *Caſtulona.* fol. 4 a lin. 40, *Chriſtiani.* fol. 4 b lin. 39, *ipſo.* LII * fol. 3 b lin. 20, *concurreret.* LIII * fol. 1 b lin. 30, *Plenipotentiariis.* lin. 40, *neceſſitudinum.* fol. 2 a lin. 4, *Hiſpanos.* lin. 38, *conſeri.* fol. 3 a lin. 29, *debere.* fol. 3 b lin. 2. *hæredis maritus.* lin. 11, *Ranim.* fol. 4 b lin. 9, *anguſtius.* LIV * fol. 1 a lin. 24, *Oratores.* fol. 2 a lin. 5. *committendà putent, fam. Auſtriacam.* fol. 2 b. lin. 26, *Ortiva.* lin. 37, *iſte.* lin. 46. *infel.* fol. 3 a lin. 14, *Martyris.* fol. 3 b lin. 1 *manum.* fol. 4 a lin. 5, *tempora.* lin. 11, *baptizatum.* lin. 45. *baptizandus.* fol. 4 b lin. 12, *Antiſtiti.* baptiz. lin. 18, 19, 40. LV * fol. 2 b lin. 18, lin. 35 fol. 3 a lin. 1, lin. 10, fol. 4 a, lin. 33. LVI * fol. 1 b lin. 20, *Sancto.* lin. 22, *ectyp.* fol. 2 a lin. 18, *perderet?* fol. 4 a lin. 18. *Bertranni.* LVII * fol. 1 a lin. 26, *tranſierat.* fol. 1 b lin. 14, *Paleſt.* lin. 18, *Sym.* LVIII * fol. 1 b lin. 15, *naturalem.* fol. 2 a lin. 16, *minus quam Saul, aut David.* lin. 46, *Davidica domus,* &c. *deſert. cauſa erat.* fol. 4 a lin. 3, *per.* fol. 4 b lin. 18. *ſæpius, imò.* fol. 4 b lin. 37, *Blattea.* LIX * fol. 1 a lin. 18, *docent.* lin. 46, *ſua contagio.* fol. 2 a lin. 38. *Anazarbeno.* fol. 2 b lin. 7, *auſint.* lin. 30, *doctrinæ.* lin. 44, *cum Valente.* fol. 3 a lin. 25, *qui.* lin. 35, *Anomœo.* fol. 3 b lin. 4. *Maniis.* lin. 15, *Cum Valente.* lin. 3. *Athaul.* fol. 4 a lin. 17, *circumtulerint.* lin. 24, *Heſperia.* lin. 30, *nullibi.* lin. 36. *Wallia.* lin. 43, *aut in.* LX * fol. 1 b lin. 17, *effuſam.* lin. 24, *cans.* lin. 30, *At.* fol. 3 a lin. 44, *Idac.* lin. ead. *deturb. à Leu.* f. 3 b lin. 1, *decucurrerint.* lin. 5, *Tarrac.* lin. 6, lin. 9. *Sarac.* lin. 10, *Aſt. Gallecienſi Prov.* lin. 12, *Gegi.* lin. 13, *fece.* lin. 21, *Chriſtianas.* lin. 22, *probat?* lin. 36, *præcipua.* lin. 38, *Chriſto.* lin. 47, *Vindemia, Miſſa.* fol. 4 a lin. 8, *jactatur.* fol. 4 b lin. 5, *Suintilam.* lin. 8, *Ticini.* LXI * fol. 3 b lin. 25, *fallor* 768. fol. 4 a lin. 19, *Reiſtetenſium.* LXII * fol. 1 b lin. 31, *Andemantuni.* fol. 2 a lin. 25, *Clodoveo.* lin. 40, 43, 45, f. 2 b lin. 1, 6, 7, 11, 13, 27, lin. 43, 816. fol. 3 a lin. 10, *Clodovei.* lin. 39, *præſtare.* LXIII * fol. 3 a lin. 28, *Noviod.* lin. 47, *bis, à Carnot.* fol. 4 a lin. 3, *corona Ludovicus XI, univ.* lin. 14, *Clodoveum.* lin. 16, 17, *uſum cœlit.* fol. 4 b lin. 41, *Reges.* LXIV * fol. 1 a lin. 22. *præfer.* fol. 1 b lin. 40. *conſecr.* fol. 2 b lin. 29, *una.* lin. 39, *conſiſtit.* lin. 45. *Ampullâ.* fol. 3 a lin. 1, *Chaſ.* lin. 44, *ni.* fol. 3 b lin. 41, *Chriſtiani.* LXV * fol. 1 b lin. 2, *Soldurius.* fol. 2 a lin. 21, *Tenneu.* fol. 2 b lin. 37, *intum.* LXVI * fol. 1 a lin. 9, *ſenſum.* fol. 1 b lin. 20, *hominium.* fol. 2 a lin. 45, *elegerant.* LXVIII * fol. 2 b lin. 22, *futurum.* fol. 3 a lin. 38, *ex hoc.* LXIX * fol. 1 a lin. 2, *quot.* fol. 4 a lin. 2, *vitilitigator.* fol. 4 b lin. 4, *Priſco.* lin. 29, *Euodium.* lin. 36, *Phariſæos.* LXX * fol. 3 b lin. 24. *Mediolani.* fol. 4 b lin. 36, *quod filium Dom.* LXXI * fol. 1 a lin. 12. *Sede Aigulfi.* lin. 18, *Ludovicum.* fol. 3 a lin. 10, *maledictis.* lin. 31, *Ptolem.* lin. 37, *propatruum, unico.* fol. 3 b lin. 47, *reclamare non dubitat?* LXXII * fol. 2 b lin. 21, *conſtiterit:* LXXIII * fol. 1 a lin. 9, filiis. fol. 1 b lin. 26, *Guillimannus.* fol. 2 a lin. 16, *Wernh.* lin. 29, *detrahet.* fol. 3 b lin. 17. *Amania.* lin. 20, *Amanienſem,* &c. *ab ea.* fol. 4 b lin. 25.

nite-

nitebatur. LXXIV * fol. 1 b lin. 11, *Gland.* fol. 2 a lin. 27, *derog. dignus haberi.* fol. 4 b lin. 31, *Hucbaldi.* LXXV * fol. 1 b lin. 40, *Camœnæ.* fol. 2 a lin. 2, *mentitus.* lin. 11, *de Clodulfo.* lin. 15, *Anſegiſo.* fol. 2 b lin. 32, *Goerric.* fol. 3 a lin. 13, *Stephanus.* lin. 34, *circiter* 25. lin. 36, *expunxit, ut Sig.* lin. 45, *filio, utut* &c. *dominati ſint, & Ruthenos.* lin. 46, *poſſederint, Theodebertino.* fol. 4 a lin. 24, *Child. anno* 596. lin. 49, *Gamar.* LXXVI * fol. 1 a lin. 19, *tunc.* fol. 2 b lin. 14. *qui.* fol. 4 a lin. 11, *Aigulfum patruum.* LXXVII * fol. 1 a lin. 35, *Mundericus ſederet.* fol. 4 b lin. 35, *congregatarum.* LXXVIII * fol. 2 b lin. 5, *ſenione.* lin. 16, *Langobardos.* fol. 4 b lin. 35, *manifeſtumque falſi crimen.* LXXIX * fol. 1 b lin. 20, *qui.* fol. 2 a lin. 38, *Anſegiſo.* fol. 4 a lin. 35, *earum.* fol. 4 b lin. 9, *proſtabant, quicquam.* LXXX * fol. 2 a lin. 26, *Soſthenes.* fol. 3 b lin. 15, *Leubov.* fol. 4 b lin. 35, *cilli numen.*

Operarum & exceptorum, quorum poſt triſtem pupillarum eclipſim, incuriam & oſcitantiam Auctor infeliciter expertus eſt, ſolœciſmos corrigere Lector dignatus; hominis, qui conductitiis, ſed in urbe ſupra alias omnes Mercuriali non facile obviis, oculis & manibus uti cogatur, ſortem deplorabit.

In margine corrigenda.

*** FOl. 3. b. lin. 9, *Sammarth.* XL * fol. 1 b. lin. 18, *Friſing.* fol. 1. b. lin. 21, *du Plex;* LIII * fol. 1. b. lin. 13, 1564. fol. 2. a. lin. 48, *potuit unquam.* LXXIII * fol. 3. b. lin. 42, *Domini.*

Chriſtia-

Chriſtianiſſimi Regis PRIVILEGIVM, *cujus jura pro poteſtate ſibi data Auctor in Ioannem Blaeu tranſtulit.*

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, A nos amez & feaux les gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Prevoſts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre cher & bien amé *David Blondel*, nous a fait remonſtrer qu'il a compoſé avec grand travail, & pour l'honneur de cette Monarchie, un livre Intitulé, *Genealogiæ, Legis, & Prærogativæ Francicæ plenior aſſertio*, &c. lequel il eſt ſolicité de mettre en lumiere, par tous ceux qui ont de l'amour & du reſpect pour la gloire, & la ſplendeur de noſtre Origine & de noſtre Couronne; ce qu'il ne peut faire ſans avoir ſur ce Nos lettres de permiſſion neceſſaires, leſquelles il Nous a tres humblement ſupplié de luy accorder. A ces Cauſes, & deſirant favorablement traitter l'expoſant pour le bon & louable rapport qui nous a eſté fait de ſa profonde erudition, & particulierement en ce qui regarde l'Hiſtoire tant ancienne que moderne, & de ſon zele pour noſtre ſervice, & pour la defenſe de ſa patrie, dont ledit livre eſt une preuve bien evidente; Nous luy avons permis & permettons par ces preſentes, de le faire imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra choiſir, ſoit dedans ou dehors noſtre Royaume, & de le faire vendre & debiter en tous les lieux d'iceluy, en un ou pluſieurs volumes, par tel Libraire, en telles marges, en tels characteres, & autant de fois que bon luy ſemblera durant dix ans entiers & accomplis, à compter du jour que chaque volume ſera achevé d'imprimer pour la premiere fois. Et faiſons tres expreſſes deffences à toutes perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient d'en imprimer, vendre, ny diſtribuer aucune choſe en aucun lieu de noſtre obeiſſance, ſans le conſentement de l'expoſant, ou de ceux qui auront ſon droit, ſous pretexte d'augmentation, correction, changement de titre, fauſſes marques, ou autrement, en quelque ſorte & maniere que ce ſoit; à peine de trois mil livres d'amende payable ſans deport par chacun des contrevenans & applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hoſtel Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Expoſant, ou aux Libraires dont il ſe ſera ſervy, de confiſcation des exemplaires contrefaits, & de tous depens, dommages, & intereſts. *A condition qu'il ſera mis deux exemplaires de chacun deſdits volumes en noſtre Bibliotheque publique, & un en celle de noſtre tres-cher & feal le Sieur Marquis de Chaſteauneuf Chancelier, Garde des ſeaux de France, avant que de les expoſer en vente, à peine de nullité des preſentes.* du contenu deſquelles Nous voulons & vous mandons que vous faſſiez jouïr pleinement & paiſiblement l'Expoſant & ceux qui auront droit de luy, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit donné aucun empeſchement. Voulons auſſi qu'en mettant au commencement ou à la fin de chaque volume dudit livre un extraict des preſentes, elles ſoyent tenues pour deuëment ſignifiées, & que foy y ſoit adjouſté, & aux copies collationnées par un de nos amez & feaux Conſeilliers & Secretaires comme à l'original. Mandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis de faire pour l'execution des preſentes tous exploits neceſſaires ſans demander aucune permiſſion. Car tel eſt noſtre plaiſir, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelconques, & ſans prejudice d'icelles, pour leſquelles Nous ne voulons qu'il ſoit deferé aux Privileges qui pourroient eſtre obtenus de Nous par ſurpriſe, clameur de Haro, Charte Normande, & autres lettres à ce contraires, auſquelles, & aux derogatoires des derogatoires y contenuës, Nous avons derogé & derogeons pour ce regard par ces preſentes. Donné à Paris le vingtieme jour de Iuin l'an de grace mil ſix cens cinquante, & de Noſtre regne le huictieme.

Par le Roy en ſon Conſeil

CONRART.

Appenſum ſigillum majus, ceræ flavæ impreſſum.

Abſoluta primi Voluminis impreſſio Anno 1654, *ſexto Idus Septembres.*

A01 1474206

K.70.

26